BREVIARIUM

HISTORICO-CHRONOLOGICO-CRITICUM,

ILLUSTRIORA

PONTIFICUM ROMANORUM

GESTA,

CONCILIORUM GENERALIUM

ACTA,

Necnon complura cùm Sacrorum Rituum, tùm antiquæ Eccleſiæ Diſciplinæ Capita complectens;

Auctore R. P. FRANCISCO PAGI *Ord. Minorum Conventualium S. Franciſci S. T. D.*

TOMI SECUNDI PARS ALTERA.

OPUS POSTHUMUM

Studio & labore

R. P. ANTONII PAGI,

Auctoris Nepotis, ejuſdem Ordinis S. T. D.

Continuatum,

Continens Geſta Pontificum XV, à CLEMENTE V ad EUGENII IV Obitum, *ſeu* ab anno Chriſti MCCCV ad annum MCCCCXLVII.

Præmittitur DISSERTATIO HISTORICO--CRITICA *De Sancto Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo*.

In fine ſubjiciuntur Tabula annorum Chriſti, ac in iis Literarum Dominicalium, Paſchatum & Indictionum cuilibet anno convenientium, & Index rerum copioſus.

EDITIO SECUNDA

Aucta & Caſtigata.

LUCÆ. MDCCXXIX.

Typis Salvatoris, & Joannis Dominici Mareſcandoli. *Superiorum Permiſſu.*

Digitized by Google

AD LECTOREM.

EXIT tandem è manibus, proditque in lucem id Operis, ſed non ſine aliquo meo timore. Nec verò quis me ſuſpicetur hoc facere quod vulgus Auctorum ſolet, qui ſuæ ſecuritatis conſcii, mentitâ modeſtiâ, aliorum ſibi volunt gratiam conciliare. Ego etenim duram cœpi provinciam, dum cæco me impetu in tantas rerum ambages immiſi; unde, niſi veritatis filo, quod arripere non ita facile eſt, emergere nequeam. Magnam habeo præterea nominis mei ſpem ſuſtinendā, quæ me exanimaret potiùs, quàm exagitaret, niſi ſublevaret æquanimitas Lectorum, qui, inſtar rei & nominis, non hæreditatis jure paternam in nepotes virtutem tranſire meminerint. Minùs me certè degenerem fuiſſem probaturus, ſi Patruo Franciſco Pagi, optimis ſuis documentis, mentem meam per tempus informare licuiſſet. De Propatruo enim Antonio Pagi audivi tantùm. Hunc illum Patruum vidi dumtaxat; tamdiù ſaltem mihi oſtenderunt fata, quàm ſat erat, non ut proficere, ſed quantam in eo jacturam fecerim, cognoſcere poſſem.

Forſan quis ſit Patruus ſcire quiſpiam deſiderat. Paucis rem totam abſolvam; tùm quòd conſanguineum deceat verborum parcimonia, tùm quòd Doctorum vita factorum varietate non diſtinguatur, ut potiùs ſibi ſimillima, uniuſque tenoris eſſe videatur. Franciſcus Pagi ad viciniam Aquarum-Sextiarum natus in Provinciæ oppido, cui nomen Lambeſcum, apud Minores Conventuales Sancti Franciſci familiæ, juvenilibus annis, nomen dedit. Provinciæ ſui Ordinis, peculiari jure, ter præfuit, quippe qui verbo & factis acerrimus eſſet regularis vitæ promotor, ita tamen, ut nunquam minùs ſolus quàm cùm ſolus, intervalla negotiorum eleganti otio diſpungens, quantum ad requiem corporis & animi conceditur temporis, tantum ad literarum ſtudia recolenda ſibi ſumeret. Nec mirum cur adeò muſis amicus fuerit, quibus ſummas haberet gra-

tias.

Digitized by Google

tias. Patruum Antonium Pagi diù audiverat (ex magiſtro alumnū cognoſcere licet) æquum illum & eruditum Baronii Cenſorem. Hinc fluxit in dicendo perſpicuitas, in narrando ſinceritas, in citādo diligentia, in arguendo ſagacitas. Accedit quòd prudens, & cautus in ſalebroſa via, medio iverit tutiſſimus, neutrique parti ſtudens, ac nullius in verba jurans Pontificiam inter & Sæcularem poteſtatem integrum tenuerit judicium; nec illius ruinis hanc reddiderit altiorem, nec iniquo in alteram favore depreſſerit. Tandem non ex levibus conjecturis, ſed vel coævorum, vel probatorum Auctorum teſtimoniis Breviarium ſuum contexebat; cùm increſcente, quo diù laborabat morbo, libris valedixit; atque animo in ſolum Deum converſo, ſacris Eccleſiæ adjumentis præmunitus, vitam ſanctiſſimè clauſit in Conventu noſtro Arauſionis duodecimo Kalend. Februarii MDCCXXI, ætatis 67.

Ut hìc omittam Patrui ſui Opus, quod ſummo ſtudio vulgandū curaverat, & novam, quam meditatus fuerat, ex Baronio & Pagio Eccleſiaſticorum Annalium editionem; ea inter quæ reliquit doctrinæ monumenta, inventa eſt de duobus Dionyſiis Diſſertatio, cui jam pridem ultimam appoſuerat manum, quæque primam tenet hujuſce Partis frontem. Reor autem ob ſingularem probationum rationem, & ob nervoſa, quibus adverſæ ſententiæ ſequaces perſtringit, argumenta, illam ita publici ſaporis fore, ut nec ipſi dedignarentur, ſi viverent, Patres Lamy & Alexander.

Alia verò ejus Commentaria omni, quæ & Patruo debetur & Magiſtro, curâ collegi, eo fine ut ipſius Breviarium jam plus dimidio digeſtum continuarem, perduceremque ad hæc noſtra uſque tempora; quod quidem me, Deo adjuvante, præſtiturum eſſe confido; maximè ſi compertum habeam Literariam Rempublicam, quæ huic Parti attexui, non improbaſſe. Miſerè vereor ne quis librum monſtri ſimilem evolvens, partemque parti comparans me procacitatis inſimulet, qui caput cum Patruo conferre auſus ſim. Verùm nimis pudebat me, dum Opus penderet interruptum; pigebatque, vel famæ diſpendio meæ, multorum qui mihi favent cupiditati non ſatisfacere. Intereà Lectores impensè rogatos cupio, ut ſi quid in Chronologiam, Hiſtoriamve peccatum ſit, non indulgere ſolùm, ſed & benevolo animo monere non recuſaverint.

D I.

DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE SANCTO DIONYSIO PARISIENSI EPISCOPO,
R. P. FRANCISCI PAGI

Ordinis Minorum Convent. S. Franciſci S. T. D.

I. *Status controverſiæ.*

MAgna Sæculo ſuperiori inter Viros Eruditos excitata eſt controverſia de Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo: aliis eum eſſe Athenienſem, ſeu Areopagitam cum Hilduino contendentibus, & à S. Clemente Romano Pontifice in Gallias primo Eccleſiæ ſæculo miſſum: aliis cum Gregorio Turonenſi, miſſionem ejus ad Decii Imperatoris tempora, ſeu ad medium Sæculum tertium conſerentibus. Quid de hac controverſia ſentiendum hîc paucis indicabo, & oſtendam Antonium Pagium Tomo tertio Criticæ in Annales Eminentiſſimi Cardinalis Baronii, non improbabiliter autumaſſe, hac in quæſtione mediâ viâ gradiendum, & Dionyſium quidem Pariſienſem ab Areopagita diverſum eſſe, ſed tamen à Sancto Clemente in Gallias directum. Quare omnia ejus argumenta, hinc inde in toto Opere diſperſa ita illuſtrare conabor, ut, paucis demptis, hæc diſſertatio, ipſi potiùs, quàm mihi adſcribi debeat.

II. *Hilduinus componit Areopagitica.*

Ludovicus Pius Auguſtus, Caroli Magni filius anno 834 Hilduino Abbati monaſterii Sancti Dionyſii in Francia mandavit, ut quidquid de Sancti Pontificis & martyris Dionyſii notitia inveniret, in unum corpus redigeret. Hilduinus ſtatim Operi manum admovit, & poſtquam illud elucubravit, mox Imperatori tranſmiſit cum reſcripto, in quo aſſerit, ſe reperta quæque, *tam in Græcis, quàm in Latinis Codicibus* in unum collegiſſe, & ad ejus Imperialem dominationem mittere. Opus illud inſcriptum *Areopagitica*, ſeu *de rebus geſtis, paſſione & ſcriptis S. Dionyſii Areopagitæ*. Ait autem Hilduinus Dionyſium Athenis primum fuiſſe Epiſc. ipſumque, ſubrogato ſibi Epiſcopo, Romam profectum eſſe, indeque à S. Clemente Papa in Gallias directum, ubi poſtquam aliquot annos Pariſienſem Eccleſiam rexit, martyrio coronatus eſt. Quod nullus ſcriptor Latinus ante Hilduinum in literas miſerat, neque ullus Græcus ante Methodium, qui anno 842 dictus eſt Patriarcha Conſtantinopolitanus. Unde ipſemet Hilduinus in Epiſtola ad fideles disertè fatetur apud Latinos Dionyſii Pariſienſis & Areopagitæ diſcrimen *auctoritate Gregorii Turonenſis & ſubreptione Bedæ hominum animos ſuo tempore* occupaſſe. Et in Areopagiticis num. 10 aſſerit, *De Dionyſii Areopagitæ obitu nihil Græcos* ſcripſiſſe, *quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuit incognitus*; ex quo eruitur Hilduinum de Dionyſio Areopagita in Græcorum codicibus nihil ſcriptum inveniſſe.

III. *Dionyſium Pariſienſem, Areopagitā credit, & quo fundamento.*

Hilduino fucum fecerunt non ſolùm Acta S. Dionyſii à Visblo teſte illius martyrii oculato conſcripta, quæ vetuſtate penè abſumpta ab interitu vindicavit in Areopagiticis ſuis, ſed etiam Miſſales libri antiquiſſimi, ab eo in Epiſtola ad Ludovicum Pium memorati; cùm enim, ut ipſe aſſerit, in omnibus his legeret, Dionyſium à Clemente Papa ad Galliarum gentem directum eſſe, & Dionyſius Areopagita, Clemente Romanam Eccleſiam regente, vixerit, facilè ſibi perſuaſit, Dionyſium ab eo in Gallias miſſum, alium non eſſe à Dionyſio Areopagita. Ad quem lapidem offenderunt etiam Anaſtaſius Bibliothecarius in verſione Vitæ Sancti Dionyſii Areopagitæ à Methodio Græcè conſcriptæ, & Hincmarus Remenſis Archiepiſcopus in Epiſtola ad Carolum Calvum Imperatorem, anno 875, aut ſequenti ſcripta: adeò verum eſt quod ſæpè in Critica inſinuat Pagius, Abbreviatores ſcilicet, & Interpolatores quandoque Auctoribus attribuere, quæ nunquam ipſis in mentem venerunt. Hæc conjectura robur accipit ex genuinis Sancti Dionyſii Actis, quæ ex quinque manuſcriptorum fide in lucem edidit Franciſcus Boſquetus Monſpelienſis Epiſcopus in parte 2 Hiſtoriæ Eccleſiæ Gallicanæ: hæc enim Acta non tradunt Dionyſium Pariſienſem eſſe Areopagitam, ſed ſolùm à

ſucceſſoribus Apoſtolorum miſſum, & nonnulli Codices *à Beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore*. Hæc Acta ante regnum Dagoberti, qui initio ſæculi ſeptimi monarchiam Francicam rexit, conſcripta eſſe autumavit idem Boſquetus. Petrus verò de Marca in Epiſtola ad Henricum Valeſium, editioni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii præfixa, ſcribit, ſe nomen Auctoris illorum deprehendiſſe in Codice MS. Turonenſis Eccleſiæ, qui complectitur Vitas Sanctorum aliquot à Fortunato Pictavienſi deſcriptas, inter quas extat hæc Dionyſii Pariſienſis à Boſqueto edita. Sed quidquid ſit, ea Acta longè ante Hilduinum fuiſſe exarata nemo dubitat; in iis enim non reperitur opinio eorum, qui Dionyſium Areopagitam cum Pariſienſi confundunt, quæ tamen poſt Hilduinum, procedente tempore, ita prævaluit, ut Pariſienſes San-Dionyſiani Monachi, & univerſa ferè Gallia in eam conceſſerint.

IV. *Eodem fundamento idem ſtatuunt recentes Scriptores.*

Mirum videri non debet Hilduinum ex Actis Viſbii, & Miſſalibus libris antiquiſſimis intuliſſe, Dionyſium Pariſienſem eſſe Areopagitam, quia in iis omnibus ejus miſſio Clementi Papæ adſcripta erat, cum hac etiam noſtra ætate Scriptores doctiſſimi, inter quos numerandus venit Natalis Alexander, eandem viam ſequantur. Hic enim in Selectis Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Capitibus, Diſſertatione XV probans Sanctum Dionyſium Pariſienſem non eſſe diſtinguendum ab Areopagita, ita diſſerit: *Vetuſtiſſima Sanctæ Genovefæ Vita, cujus Auctor ſe eam compoſuiſſe poſt annos ter ſenos à præfatæ Virginis obitu profitetur .... S. Dionyſium in Gallias miſſum à S. Clemente Romano Pontifice diſertè teſtatur. Porro qui hoc ævo miſſus eſt, quis alius eſt præter Areopagitam?* Ita Natalis Alexander, qui poſtea in ejuſdem rei probationem adducit teſtimonium Paſchaſii Radberti, qui medio Sæculo nono propè ſeptuagenarius obiit, in Vita SS. Ruffini & Valerii, quam ſuo ævo corruptam & depravatam comptiori ſtylo perpolivit, in qua ſic loquitur: *Fama eſt hos* (SS. Ruffinum & Valerium) *cum B. Dionyſio, qui à B. Clemente miſſus fuerat, ut frigida Gentilium corda fidei calore animaret, Galliarum fines, ſed temporum ſeries repugnat. Sanctus namque Dionyſius ſub Domitiano Cæſare anno ejus Imperii ſecundo, martyrio coronatus eſt. Iſti verò Diocletiano & Maximiano Auguſtis, immortalitatis gloriam perceperunt.* Ubi ſermo tantùm eſt de miſſione S. Dionyſii per S. Clementem; & tamen ex eo Natalis Alexander, hunc Dionyſium eſſe Areopagitam probare intendit. Quòd ſi hoc tempore Scriptores celebres ita diſſerant, nemini mirum videri debet, Hilduinum, cujus ætate res Hiſtoricæ & Criticæ denuoribus quàm nunc tenebris obvolutæ erant, exiſtimaſſe Dionyſium Pariſienſem eundem fuiſſe cum Athenienſi; quia videbat ubique Dionyſium illum dici à Sancto Clemente in Gallias directum.

V. *Hilduini mens ex ipſemet Hilduino deducitur.*

Certè hac in præſenti controverſia fuiſſe Hilduini ſententiam, ipſemet ſatis apertè indicat; cùm enim ſibi Gregorii Turonenſis auctoritas opponeretur, reſpondit, ut infrà num. 17 videbimus, hunc deceptum eſſe, & Fortunatum Pictavienſem, Gregorio æqualem & amicum commemorare Dionyſium *à Beato Clemente deſtinatum, ſicut in Latinorum paginis didicit*, ex quo Hilduinus intendit probare, Dionyſium Pariſienſem eſſe Areopagitam, licèt Fortunatus, cujus verba num. 40 recitamus, ne verbum quidem de Areopagita habeat, ſed ſolùm Dionyſii Pariſienſis miſſionem ad Clementis Papæ tempora referat. Supponit itaque Hilduinus idem eſſe à Clemente mitti, atque Areopagitam eſſe, quæ conſequentia an ſit admittenda judicet Eruditus Lector.

VI. *Hanc opinionem Hilduinus non perſuadet omnibus, imò plures eam impugnant.*

Verùm neque Hilduinus, neque Anaſtaſius Bibliothecarius, neque Hincmarus Remenſis eam opinionem omnibus perſuadere potuêre. Joannes enim Scotus, dictus Erigena, Hincmaro coævus, poſtquam de Dionyſio Areopagita in Epiſtola ad Carolum Calvum Imperatorem, ſermonem habuit, teſtimoniumque perhibuit Dionyſii Corinthii, Polycarpi, Euſebii & aliorum ajentium, eum fuiſſe Beati Pauli diſcipulum & conſtitutum Epiſcopum Athenienſem, ſcribit: *Hunc eundem non præfati viri, ſed alii moderni temporis homines aſſerunt, quantum viſu à fidelibus viris tradita teſtatur, temporibus Papæ Clementis Romam veniſſe, & ab eodem prædicandi gratiâ in partes Galliarum directum.* Ubi Joannes Scotus hanc opinionem unico, ſed ſolido fundamento rejicit, quòd nova eſſet; non auſus pluribus Hincmaro contradicere, quia tunc maxima pollebat auctoritate apud Carolum Calvum, quem tamen Hincmarus non videtur in ſuam pertraxiſſe opinionem. Mabillonius enim Tom. 5 Veterum Analectorum pag. 59, Hincmari Epiſtolam ad eundem Carolum Calvum referens, ſcribit, extare adhuc Antiphonale Gregorianum, juſſu Caroli Calvi pro Eccleſia Compendienſi literis partim aureis exaratum, in cujus prima Antiphona ad vigilias nocturnas legitur: *Sanctus Dionyſius, qui tradente Beato Clemente, Petri Apoſtoli ſucceſſore, verbi divini ſemina gentibus parturienda ſuſceperat.* Et in Reſponſorio tertio primi nocturni, quod vocant: *Beatiſſimus Dionyſius Chriſti Martyr, tradente Beato Clemente, parturienda gentibus ſemina divina ſuſcepit.* Illud autem officium diu antè receptum fuiſſe in Eccleſia

Gal.

Gallicana, nemo jure negaverit, inquit Mabillonius, ſi enim ejus auctor fuiſſet Hilduinus, non omiſiſſet Areopagitæ nomen, qnod tamen in eo non comparet. Quare cùm tempore Caroli Calvi illud officium perſeveraverit, hinc deducitur, Hincmarum non potuiſſe hunc Imperatorem in ſuam ſententiam pertrahere. Quod confirmatur ex eo quod, cùm Uſuardus Martyrologium ſuum Caroli Calvi juſſu compoſuerit, eique dicaverit, in eo tamen duos Dionyſios diſtinxit, ut mox videbitur. Liquet etiam ex Epiſtola, quam Anaſtaſius Bibliothecarius ſcripſit ad Carolum Calvum, verſionem Vitæ S. Dionyſii ad ipſum mittendo, non paucos contra Hilduini opinionem pugnaſſe, cùm in ea indicet, quibuſdam perſuaſum eſſe, Dionyſium Pariſienſem alium eſſe ab Areopagita: *Ceſſet ergo*, inquit Anaſtaſius, *quorundam opinio perhibentium non eſſe Areopagitam Dionyſium eum, qui prope Pariſium corpore & virtutibus redolet.*

VII. *Ado & Uſuardus Monachi Benedictini ei adverſantur.* Ulterius progredior & aſſero, Hilduinum ſuam de unico Dionyſio opinionem Monachis ipſis Benedictinis perſuadere non potuiſſe. Nam Ado Viennenſis Archiepiſcopus, qui, ut oſtendit Mabillonius Sec. 4 Benedict. parte 11, in ejus Elogio Hiſtorico, Monachus Benedictinus fuit, quique ante annum 859, quo dictus eſt Archiep. Viennenſis, Martyrologium ſuum compoſuit, non ſolùm duos Dionyſios diſtinguit, ſed Areopagitam Athenis martyrio coronatum non obſcurè indicat, ejuſque natali diem tertium Octobris aſſignat, ad quem diem ſcribit: *Natalis S. Dionyſii Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus credidit Chriſto, & primus apud Athenas ab eodem Apoſtolo Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Hadriano principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, poſt graviſſima tormentorum genera glorioſo martyrio coronatur, ut Ariſtides Athenienſis, vir fide ſapientiaque mirabilis, teſtis eſt in eo opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes ſummo honore colitur, & inter antiquorum monimenta Clariſſimum tenetur, ut peritiores Græci affirmant.* Liber quidem, quem Ariſtides, pro Chriſtiana religione, Hadriano imperante ſcripſit, ad nos non pervenit; ſed memorant illum Euſebius, tam in Chronico, quàm in Hiſt. Eccleſiaſt. S. Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. & in Literis ad Magnum Oratorem Romanum, ac Proſper in Faſtis Conſularibus. Idem ac Ado totidem verbis ſcribit in ſuo Martyrologio Uſuardus, Monachus etiam Benedictinus, qui Martyrologium ſuum dicavit Carolo Calvo Imperatori anno 876, ut in Præfatione ejuſdem partis II Sæculi IV Benedict. num. 173 probat idem Mabillonius. Tam Ado autem, quàm Uſuardus Dionyſium Pariſienſem Epiſc. ad diem nonum ejuſdem Menſis Octobris iiſdem ferè verbis inſcribunt. Hæc Adonis verba: *Septimo Idus Octobris apud Pariſium natalis Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherii Presbyteri, & Ruſtici Diaconi: qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano ad Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet; tandem Pariſiorum civitatem devenit, & per aliquot annos ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfecto Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum eo Sanctus Presbyter Eleutherius & Ruſticus Diaconus gladio animadverſi martyrium compleverunt.* Ado porrò in ſuo condendo Martyrologio, quod in nonnullis Gallicanis Eccleſiis olim receptum fuiſſe conſtat, uſus eſt alio vetuſtiori, quod Romà Aquilejam tranſmiſſum, & Ravennæ à quodam Monacho ſibi præſtitum mutuò ad deſcribendum acceperat, ut ipſemet teſtatur in Epiſtola, quam ſuo Martyrologio præfixit. Uſuardus verò juſſu Caroli Calvi Imp. Martyrologium ex Flori, aliorumque id genus ſcriptis contexuit, quod etiamnum legitur in variis Galliarum Eccleſiis, & quod non modò per omnes Gallicanas, verùm etiam per aliarum provinciarum Eccleſias auctoritatem paſſim obtinuit; imò ipſomet aucto Romana uſa eſt Eccleſia ante recentius Romanum, ut teſtatur Molanus in Præfatione ad illud Martyrologium cap. 4, quod Notis & additionibus illuſtravit circa finem Sæculi decimi ſexti; obiit enim die 18 Januarii anni 1585. Quis porrò ſibi perſuadeat Uſuardum Monachum Benedictinum S. Germani Pariſienſis, qui paucis poſt Hilduinum annis ſcripſit, San-Dionyſianorum traditionem ignorare potuiſſe? Quis ſibi perſuadeat Adonem in ſuo condendo Martyrologio, à Martyrologis, qui antè ſcripſerant, receſſiſſe in patrono Urbis Regiæ? Certè hæc veroſimilia non ſunt.

VIII. *Item Notkerus Balbulus Monachus etiam Benedictinus.* Eodem Sæculo Hilduiniano vixit Notkerus Balbulus Monachus & ipſe Benedictinus Monaſterii Sancti Galli, qui Martyrologium etiam compoſuit ſub Pontificatu Formoſi Papæ, ut ipſe aſſerit ad VII Kalendas Maji, ideoque ante annum 896, quo obiit hic Pontifex, in eo autem Hilduini ſententiam explodit; Dionyſium enim Areopagitam non ſolùm ad diem tertium Octobris memorat, paſſumque Athenis ſupponit, ſed etiam diſertè aſſerit, ejus Martyrium contigiſſe ſub Hadriano Imperatore: Dionyſium verò Pariſienſem inſcribit etiam ad diem nonum ejuſdem menſis: *Nativitas Sancti Dionyſii Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo ad fidem deductus, etiam primus Athenarum Epiſcopus eſt ordinatus, & ſub Adriano Principe poſt clariſſimam confeſſionem fidei, & graviſſimorum tormentorum genera Martyrio coronatus eſt.* Ad diem VII

Idus Octobris: *Apud Pariſium*, inquit, *paſſio Dionyſii Epiſcopi, Eleutherii Presbyteri, & Ruſtici Diaconi: Qui Beatus Epiſcopus à Pontifice Romano cauſa prædicationis in Gallias directus, Pariſiorum urbem devenit*, &c. Idem ante illos Martyrologos, & ſæculo integro ante Hilduinum ſcripſit Beda in ſuo Martyrologio, in quo ad diem tertium Octobris Dionyſium Areopagitam Athenis paſſum ſupponit, & quidem ſub Hadriano Imperatore; Pariſienſem verò die nona ejuſdem menſis paſſum aſſerit.

IX. *Item vetus Martyrologium Romanum.* Sed quia in dictis Martyrologiis expreſsè non dicitur Dionyſium Areopagitam *Athenis* paſſum eſſe, adducenda ſunt verba veteris Martyrologii Romani ab Heriberto Roſweido typis Plantinianis anno 1613 editi, in quo ad V Nonas Octobris legitur: *Athenis Dionyſii Areopagitæ, ſub Adriano diverſis tormentis paſſi: ut Ariſtides teſtis eſt in opere, quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſſimum tenetur.* De S. Dionyſio verò Pariſienſi Epiſcopo ſic legitur in eodem Martyrologio: *VII Idus Octobris, Pariſiis Dionyſii Epiſcopi, cum ſociis ſuis, à Feſcennino gladio animadverſi.* Non ſolùm itaque tres ſuperius laudati Monachi Benedictini ſæculo Hilduini viventes, Venerabilis Beda, Hilduino antiquior, ſed & vetus Martyrologium Romanum duos Dionyſios diſtinguunt, ex quibus Areopagita Athenis ſub Hadriano Imperatore, alter verò Pariſiis martyrium pertulerit.

X. *Explicationes contrariæ rejiciuntur.* Nec juvat dicere, ex Martyrologiis, in quibus Dionyſius dicitur paſſus Athenis die tertia Octobris, & Pariſiis die nona ejuſdem menſis, inferri tantùm poſſe, unius & ejuſdem Dionyſii memoriam, illis in civitatibus duobus diverſis diebus celebratam eſſe, quamvis, non Athenis, ſed Pariſiis paſſus ſit. Hæc enim explicatio ex eo deſtruitur, quòd Martyrologia, in quibus mentio eſt Dionyſii ad dies 3 & 9 Octobris, priori, ſeu Athenienſi nullos ſocios adjungant; poſteriori verò, ſeu Pariſienſi Ruſticum & Eleutherium ſocios aſſignent. Dicere autem illos Martyrologos ſecutos eſſe Menologium Græcorum, quorum non intererat, Ruſticum & Eleutherium memorare, qui Romæ duntaxat S. Dionyſio adjuncti erant, ideoque nec tantùm de Græcia meriti, merum effugium eſt, cùm in Menologio Græcorum alii Sancti ex Latinis memorentur, de ipſa Eccleſia Græca non magis meriti, in quo propterea omiſſi non fuiſſent Ruſticus & Eleutherius, utpotè adjutores & ſocii martyrii S. Dionyſii Areopagitæ, de quo tamen nihil in veteri Græcorum Menologio reperiſſe ſe dicit Hilduinus in Epiſtola ad Ludovicum Pium num. 10: *præter diem natalitii ejus, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit.* Deinde in illis Martyrologiis ad diem tertium Octobris Dionyſius dicitur paſſus *ſub Adriano Principe*; ad diem verò nonum ejuſdem menſis, Dionyſius & ſocii dicuntur gladio animadverſi *à Præfecto Feſcennino Siſinnio*, ſeu, ut ſcribunt Paſchaſius Radbertus laudatus & Sigebertus in lib. de Script. Eccleſ. ſub Domitiano Cæſare, cujus ideo tempore Feſcenninus Siſinnius Præfectus erat in Galliis. Nam Siſinnius Præfectus, qui in Actis SS. Cantianæ & Cantianillæ Chriſtianos vexabat ſub Diocletiano, Præfectus erat in Italia, ut ex iis Actis conſtat, & conſequenter diverſus à Feſcennino Siſinnio, ſub quo in Galliis S. Dionyſius Pariſienſis martyrium pertulit. Quæ certè evincunt, Martyrologos illos diſertè diſtinxiſſe duos Dionyſios, ex quibus Areopagita Athenis martyrio coronatus fuerit ſub Hadriano Imperatore, alter verò Pariſiis ſub Domitiano.

Neque etiam dici poteſt Dionyſium Areopagitam ad Hadriani Imperatoris tempora pervenire non potuiſſe, quia ſic centenario major ad Deum tranſiiſſet. Divina namque diſpenſatione factum eſt, inquit Cardinalis Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, & poſt eum Natalis Alexander laudatus, ut complures ex his, qui Apoſtolorum temporibus vixerunt, ad longiſſimam ætatem pervenerint; nempe ut ea, quæ oculis conſpexiſſent, certâ ſcientiâ teſtarentur; ut inter alios Simeon Cleophæ filius Jeroſolymorum Epiſcopus, qui centeſimum vigeſimum attigit annum, cujus martyrium, quod anno 116 contigiſſe videtur, ex Hegeſippo refert Euſebius lib. 3 Hiſt. Eccleſ. cap. 32. Sanctus Ignatius, qui ſe Dominum in carne vidiſſe teſtatur, ad annum undecimum Trajani pervenit, S. Hieronymo teſte. Quadratus, qui ſedit poſt Publicum, qui Dionyſio ſucceſſit in Eccleſia Athenienſi, rexitque illam temporibus Hadriani, complures ſe vidiſſe tradit, qui Chriſti temporibus ſanati eſſent, & à mortuis ſurrexiſſent, ut de ipſo recitat S. Hieronymus in lib. de Script. Eccleſ. Quare nemini mirum videri debet, S. Dionyſium Areopagitam protraxiſſe uſque ad Hadriani Imperatoris tempora, cujus initio centeſimum decimum octavum annum ad ſummum attigerat, quod colligo ex Sigeberto in lib. de Script. Eccleſ. ubi ait: *Dionyſius ſcripſit Epiſtolam ad Apollophanem, Comphiloſophum & coævum ſuum, recolens, quòd cùm ipſe cum eo eſſet Heliopoli urbe Ægypti, viderit obſcurato ſole mundum obtenebratum fuiſſe in ſexta feria, ſexta hora diei, cùm Jeſus Chriſtus penderet in cruce, cùm ipſe Dionyſius eſſet tunc annorum triginta.* Certè S. Dionyſium Areopagitam *ad multam* provectum eſſe *ſenectutem* teſtatur Nicephorus lib. 2 Hiſt. Eccleſ. XI. *Areopagita ſub Hadriano Imp. paſſus eſt.*

Non

XII. Pontifices Romani Hilduini opinioni non favent.

Non ſolùm Scriptores Hilduino antiquiores & æquales, ſed nec ipſos Romanos Pontifices, in ejus de unico Dionyſio ſententiam conceſſiſſe indubitatum videtur: Quam in rem appoſitè Sirmondus in Diſſertatione de duobus Dionyſiis cap. 6 ſcribit:
„ Cui Romanorum Pontificum venit un-
„ quam in mentem, ut Dionyſium Pariſien-
„ ſem, Areopagitam appellaret, aut Areo-
„ pagitam alio, quàm Athenienſi Epiſco-
„ patu functum ſignificaret: Stephanus II in-
„ quiunt, à Dionyſio Pariſienſi morbo li-
„ beratus eſt, quis negat? Idem beneficii
„ memor ædem ſacram Romæ in Dionyſii
„ gratiam condere inſtituit, conditam Pau-
„ lus, Stephani frater ac ſucceſſor dedicavit.
„ Quid tum verò? An Dionyſium hunc,
„ vel Stephanus, vel Paulus Areopagitam
„ nominarunt? Aut difficilius fortaſſe Ste-
„ phano erat, cùm à Dionyſio ſe ſanatum
„ ſcriberet, Areopagitæ nomen addere, ſi
„ eundem credidiſſet, quàm Paulo fratri
„ poſtea fuit, qui cùm Dionyſii Athenien-
„ ſis libros ad Pippinum Regem mitteret,
„ Areopagitæ Opera ſe mittere nunciavit?
„ (Concil. Gall. Tomo 2 pag. 62) Evol-
„ vant ſcrinia ſua vindices Dionyſiani, &
„ Pontificum diplomata quotquot habent,
„ à *Zacharia* unde ordiri ſolent, ad Inno-
„ centium uſque tertium excutiant, nun-
„ quam in his aliter, quàm *Sanctum Diony-*
„ *ſium Martyrem*, & *Cœnobium Sancti Dio-*
„ *nyſii Martyris*, & *Abbates Beati Marty-*
„ *ris Dionyſii* nuncupatos reperirent. Evol-
„ vant & Romana, quodque in Græcis Scri-
„ ptoribus proximè obſervabamus, id ipſum
„ in Martino, Agathone, Hadriano Ro-
„ manis Pontificibus animadvertent, quan-
„ documque Dionyſii Areopagitæ Opera
„ laudant, Athenienſem Epiſcopum perpetuò
„ ab his dici, nunquam Pariſienſem, quod
„ fieri ſanè par erat, ſi relictis Athenis Pa-
„ riſios immigraſſet. Ita Sirmondus.

XIII. Ei potius adverſantur.

Profectò Pontifices Romani de Dionyſio Areopagira ſermonem habentes, & Athenienſem, non Pariſienſem Epiſcopum eum fuiſſe ſignificantes, ſatis ſuperque indicant, ſe unum ab alio diſtinguere, alioquin Areopagitæ, Epiſcopi Athenienſis nomen fruſtra adderent; nemo enim unquam ignoravit, Areopagitam & à S. Paulo Apoſtolo converſum, & Athenienſem Epiſcopum conſtitutum eſſe; ſed ne occaſionem darent, Dionyſium Pariſienſem cum Athenienſi confundendi, quoties de Areopagita loquuntur, ſemper eum Athenienſem Epiſcopum vocant. Prætereà cùm Franci glorioſius eſſe putarent, Dionyſium Areopagitam Evangelii præconem habere, quàm alterum Dionyſium, Pontifices Romani ſcribentes ad Reges Francorum, & Areopagitam & Epiſcopum Pariſienſem dixiſſent, ne crederentur urbis tunc Regiæ honorem & gloriam imminuere velle, eo præſertim tempore, quo Athenæ deſtructæ, & penè ſotent exciſæ, cum è contra urbs Pariſienſis [quam Hilduinus in paſſione S. Dionyſii num. 20 Sedem Regiam fuiſſe tempore Clementis Papæ perperam aſſerit, cum ab Ammiano Marcellino ad annum 360 caſtellum Pariſiorum appelletur] ab ineunte Sæculo ſexto eſſet caput regni Childeberti, Clodovei Magni filii, ut teſtatur Fridegodus in Epitome cap. 30. Denique, ut jam inſinuavit Sirmondus, Pontifices Romani debuiſſent Areopagitam nominare Epiſcopum Pariſienſem, ſi relictis Athenis Pariſios immigraſſet; uſus enim ferebat, ut Epiſcopi ab una Sede ad alteram migrantes, poſterioris nomen retinerent.

XIV. Adverſariorum objectio.

Reſpondent Areopagiticorum vindices uſum illum non fuiſſe perpetuum in Eccleſia, quod probant quatuor exemplis. Primo, Euſebii Nicomedienſis, qui ad Conſtantinopolitanam Sedem translatus, poſteà tamen à Philoſtorgio lib. 2 Hiſt. Eccleſ. cap. 17, Nicomedienſis, non Conſtantinopolitanus appellatus eſt. Secundo, Theodori Perinthii, qui primùm renunciatus Epiſcopus Heracleæ in Thracia, poſteà verò ſub Valente Imperatore, Euzojo defuncto, Patriarcha Antiochenus factus, à primo tamen Epiſcopatu Heracleotes appellatur à Theodoreto lib. 2 cap. 2. Tertio, S. Gregorii Nazianzeni, qui licet ad Sedem Conſtantinopolitanam translatus, & in ea à Concilio Oecumenico ſecundo confirmatus, Nazianzenus tamen ſemper dictus eſt. Quarto denique, Sancti Methodii Martyris, qui adverſus Porphyrium ſcripſit. Is primò creatus Epiſcopus Patarenſis, poſtea ad Tyrienſem Eccleſiam translatus citatur à Leontio lib. de Sectis act. 3, non ſub nomine Tyrienſis, ſed Patarenſis Epiſcopi.

XV. Solvitur.

Sed hæc exempla nihil urgent, ſi fortè illud de Methodio excipias. Nam mirum non eſt, Euſebium ſemper dictum fuiſſe Nicomedienſem, quia, ipſis adverſariis fatentibus, intruſus fuerat in Sedeu Conſtantinopolitanam, Sancto Paulo ejus legitimo Præſule expulſo, qui ideò poſt Euſebii mortem in eam reſtitutus eſt. Quoad Theodorum Perinthium, neſcio unde hauſerint, eum fuiſſe Epiſcopum Antiochenum poſt Euzojum, cui mortuo Philoſtorgius lib. 9 cap. 14, ſuffectum dicit Dorotheum ex Heraclea Thraciæ, non verò Theodorum. Sed eſto, Theodorus fuerit Epiſcopus Antiochenus, & dicant adverſarii legendum eſſe in Philoſtorgio, Theodorus, pro Dorotheus; nihil tamen ex eo concluditur; quia Theodorus Heracleæ in Thracia Epiſcopus à Theodoreto lib. 8 Capp. 28 & 30 lib. 3 Capp. 3 & 8, Arianorum vexillifer & anteſignanus dicitur, & à Socrate lib. 2 cap. 12 numeratur inter eos, qui ope-

ram

ram navabant Euſebio Nicomedienſi, cuncta in Conſtantinopolitana Eccleſia turbanti, ideoque ſi verè Patriarcha Antiochenus fuerit, electus fuit in ſchiſmate ab Arianis, Arianus ipſe; quod in cauſa fuit, cur non ſolum a Theodoreto, ſed etiam a Socrate ſemper dictus ſit Epiſcopus Heracleæ. Exemplum Gregorii Nazianzeni efficacius non eſt; quia hic Sanctus electus Epiſcopus Conſtantinopolitanus, & à Concilio ſecundo Oecumenico in ea Sede confirmatus, ei ſtatim, ſtudio pacis, nuncium remiſit, & mortuus eſt Epiſcopus Nazianzenus. Denique exemplum Methodii non magis urget, quia unicum proferunt auctorem, nempe Leontium, qui nulla facta Epiſcopatûs Tyrienſis mentione, eum ſimpliciter vocat Patarenſem Epiſcopum, quod forſan provenit, quia libros ſuos ſcripſit eo tempore, quo ad Tyriorum Sedem nondum translatus fuerat, ſicut Proclus Cyzici Epiſcopus, licèt poſtea translatus ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum, vocatur tamen Cyzici Epiſcopus a Mario Mercatore, quia cùm orationem ſeu Homiliam habuit in Magna Eccleſia Conſtantinopolis contra Neſtorium tunc Patriarcham, erat tantum Epiſcopus Cyzici, ut obſervat Joannes Garnerius in Notis ad illam Homiliam. Sed quidquid ſit, hoc unico exemplo uſus in Eccleſia perpetuò obſervatus deſtrui non poteſt, & præcipuè in quæſtione præſenti, in qua adverſarii fatentur, S. Dionyſium ſponte Athenienſem Epiſcopatum abdicaſſe, aliumque ſibi Epiſcopum ſubrogaſſe, qui ideo dicendus amplius non fuit Athenienſis Epiſcopus, ſed Pariſienſis, quod tamen nullibi reperitur. Imò hoc ipſo ſæculo nono, quo Hilduinus vivebat, Hadrianus II in Epiſtola 27 ad Epiſcopos Synodi Duziacenſis, & Stephanus VI in Epiſtola prima, ubi Epiſcopalium translationum neceſſitatem expendunt, & illam Beati Petri & aliorum exemplis confirmant, Areopagitæ translationis ad Pariſienſem Sedem non meminerunt. Non meminit Auxilius, qui ut accuſatum Formoſum Papam, quod relicto Epiſcopatu Portuenſi, ad Romani apicem novo more conſcendiſſet, tueatur, quæcumque poteſt & novit Epiſcopalium translationum exempla congerit in libello, quem ad Leonem Nolanum Epiſcopum ſcripſit.

XVI. *Hilduini opinioni non favet Eugenius Toletanus.*

Verùm, ut ad Hilduinum redeam, non me latet Areopagiticorum vindices nobis objicere hymnum Sancto Eugenio Toletano adſcriptum, in quo diſertè aſſeritur, Dionyſium Areopagitam à Clemente Papa in Gallias miſſum. Sed præterquam quod Hilduinus, qui hunc hymnum laudat, ejus verba non refert, nec ſignificat qualis ille fuerit Eugenius, Confeſſor ne, an Martyr, diſcipulus Areopagitæ, necne, aut quo tempore vixerit, dubitanter de eo locutus eſt, ut patet ex eo, quod legentium dubitationi his verbis occurrit: *Nec mirari quis poterit cur hymnum S. Eugenii Toletani de Beato Dionyſio habeamus*. Si enim Hilduinus hymnum illum verè ab Eugenio compoſitum credebat, cur cautionem illam adhibuit, *nec mirari quis poterit*, &c. Quaſi poſſet ex eo major admiratio oriri, quàm ex eo quòd haberet hymnum Fortunati Pictavienſis, vel libros Gregorii Turonenſis, vel etiam quoſcumque alios de quorum ſinceritate nullus erat dubitandi locus. Quare exiſtimandum illum hymnum, vel non eſſe Sancti Eugenii, vel interpolatum, eique additum fuiſſe Areopagitæ nomen. Unde licèt inter Eugenii Junioris, qui anno 646 ordinatus eſt Epiſc. Toletanus, Opuſcula extet, quæ Lutetiæ anno 1619 Sirmondus in lucem emiſit, ſic tamen incipit: *Rex Deus immenſi, quo conſtat machina mundi*, cùm hymnus ab Hilduini ſectatoribus productus ſic incipiat: *Cæli cives applaudite*. In priori autem nulla eſt Areopagitæ mentio, quæ tamen expreſſè reperitur in ſecundo.

XVII. *Neque etiam Fortunatus Pictavienſis.*

Certè cùm Hilduino opponeretur Gregorii Turonenſis auctoritas, non hymnum Sancti Eugenii, ſed ſolius Fortunati Pictavienſis teſtimonium oppoſuit; qui licèt non dicat Dionyſium Pariſienſem eſſe Areopagitam, quia tamen dicit à Clemente Papa fuiſſe directum, ex hoc neceſſariò ſequi putabat, Areopagitam illum extitiſſe. *Parcendum eſt*, inquit Hilduinus, *ſimplicitati Viri religioſi Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qui multa, aliter quàm ſe veritas habeat, æſtimans, non calliditatis æſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto, literis commendavit. Patenter & quidem noſcere poſſumus non adeò quædam ſolerter eum inveſtigaſſe, cum ei contemporalis exiſtens vir prudens & ſcholaſticiſſimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eum ſcripſerat, hymnum rithmicæ compoſitionis pulcherrimum de iſto glorioſiſſimo martyre compoſuerit, in quo commemorat, eum à B. Clemente deſtinatum, ſicut in Latinorum paginis didicit*. Sed Hilduinus animo præoccupatus non advertit Dionyſium in hymno Fortunati dici quidem à Clemente in Gallias miſſum, at non appellari Areopagitam; vel potiùs, ut jam dictum eſt, ex eo quod in Fortunato legit, miſſionem Dionyſii per Clementem factam, ſibi perſuaſit, eũ debere eſſe & dici Areopagitam.

XVIII. *Hilduini opinio à Latinis ad Græcos tranſiit.*

Ex Græcis Methodius quidem Vitam Sancti Dionyſii edidit, quam Anaſtaſius Bibliothecarius in Latinum tranſtulit, & ad Carolum Calvum Imperatorem miſit, & quam Petrus Franciſcus Chiffletius cum diſſertatione *de Unico Dionyſio* publicavit, ex qua S. Dionyſium Areopagitam, Pariſienſes fidem Chriſtianam docuiſſe, validè probari exiſtimat. Sed cùm Methodius anno

no 846 mortuus ſit, & Hilduinus ante eum Chriſti annum tradirionem hanc vulgarit; nihil ſcripſit Methodius, quàm quòd Franci hac de re cum Græcis communicarant, præſertim cùm in eo plura ſint Hilduino conſentientia, quæ Græcos, & conſequenter Methodium à Latinis, non verò Larinos à Græcis accepiſse, teſtatut Hincmarus in Epiſtola ad Carolum Calvum data, in qua ait, lectam à ſe Dionyſii paſſionem Græcè dictatam, & ab Anaſtaſio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario Latinè conſcriptam, ſeque inveniſse, eam conſonare his, quæ in adoleſcentia legerat, *videlicet, per quos & qualiter Geſta B. Martyris Dionyſii ſociorumque ejus ad Romanorum cognitionem, indeque ad notitiam Græcorum pervenerint*. Qua de re vide dicta num. II hujus diſsertationis, quæ probant, Methodium ex Hilduini commentariis S. Dionyſii Vitam compoſuiſse, non verò ex antiquorum Græcorum commentariis, qui eodem Hilduino ibidem laudato teſte, de Dionyſii Areopagitæ obitu nihil ſcripſerunt.

XIX. *Gregorii Turonenſis opinio.*

Cùm itaque ex his, meo quidem judicio, appareat, Dionyſium Pariſienſem nono tantùm ſæculo, & à Latinis & à Græcis cum Areopagita confuſum fuiſse; inveſtigandum reſtat, an hic Galliarum Apoſtolus à S. Clemente in Gallias miſsus ſit, an verò medio tantùm ſæculo terrio, ut ſcribit Gregorius Turonenſis, qui lib. 1 Hiſt. Franc. cap. 30 ita habet: *Hujus tempore* (ſcilicet Decii Imperatoris) *ſeptem viri Epiſcopi ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus* (hic Conſulatus incidit in annum Chriſti 250) *ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana civitas Sanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt Turonis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Arvernis Auſtremonius Epiſcopus, Lemovicis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus*. Ita Gregorius Turonenſis, qui ſupponit fidem in Galliis ſæculo tantùm terrio annunciatam.

XX. *Ei adverſantur SS. Juſtinus & Irenæus, ac Tertullianus.*

Sed ut evidentet pateat, ejus auctoritatem, in quæſtione de qua agitur, nullius eſse ponderis, probandum incumbit fidem Chriſtianam ante medium ſæculum tertium in Galliis receptam, quod ſic oſtenditur. Sanctus Irenæus in Opere quod adversùs hæreſes compoſuit, lib. 1 cap. 3 ait: *Neque hæ, quæ in Germania fundatæ ſunt Eccleſiæ, aliter credunt aut tradunt: neque hæ, quæ in Iberis ſunt, neque hæ, quæ in Celtis*, id eſt, in Galliis, ut omnibus notum eſt. Illud autem Opus ineunte Marci Aurelii principatu, ſeu anno circiter 161 ſcriptum eſse cenſet Henricus Dodwellus in Diſsert. de paucitate Martyrum num. 36, ideoque pluribus ante Martyres Lugdunenſes annis. Ar quia Irenæi verba opinionem contraraiā penitus jugulant, ejus ſectarores ea ad ſolum tractum Lugdunenſem coarctant ob Martyres ibidem paſsos anno 177 ſub Marco Aurelio, eos enim negare non poſsunt. Verùm fidem longè ante eum annum in Galliis annunciatam invictè demonſtratur ex Sancto Juſtino, qui martyrium ſubiit anno 165, ideoque annis duodecim ante Martyres Lugdunenſes; hic enim in Dialogo cum Tryphone Judæo, ipſi opponit genrem Judaicam ne tum quidem ab oriente ſole ad occaſum uſque eſse diſperſam; *ſed ſunt*, inquit, *gentes quædam, ubi nondum veſtri corporis quiſquam habitat. Atqui ne unum quidem genus eſt mortalium, ſive barbarorum, ſive Græcorum, ſive aliorum omnino, quocumque appellentur nomine, inter quos per nomen Crucifixi Jeſu ſupplicationes & gratiarum actiones Patri & fabricatori omnium non fiant*. Quod certè falſum, ſi tunc Evangelium in nullis Galliarum provinciis receptum fuiſset, ita fidentet Tryphoni non obieciſſet Juſtinus, parato videlicet hanc jactantiam retundere, ut obſervavit Dionyſius Sammarthanus in Præfatione ad Novam Galliam Chriſtianam. Cùm itaque Iuſtinus primam ſuam Apologiam Antonino Pio Imp. dicarit anno 139, & paulò poſt ſcripſerit dialogum cum Tryphone *de veritate Chriſtianæ religionis*, ut legere eſt in Critica Annalium Baronii, evidenter apparet jam tum fidem in Galliis receptam fuiſse, & quidem non in ſolo tractu Lugdunenſi, ſed in quatuor Galliarum provinciis, quod conſtat ex Tertulliano, qui non multò poſt Juſtinum & Irenæum, exeunte ſcilicet ſecundo Sæculo, in Libro adversùs Judæos cap. 7 ita haber: *Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, & Galliarum diverſæ nationes, & Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto vero ſubdita*, &c. Ubi, niſi vis inferatur textui Tertulliani, dicendum eſt, eum per Galliarum diverſæ nationes, intelligere quatuor Galliarum provincias ex diviſione Auguſti, Narbonenſem nempe, Lugdunenſem, Belgicam & Aquitanicam, de qua diviſione agunt Strabo, Mela & Plinius.

Unde Sanctus Cyprianus Epiſtola 68, aliàs 67, ad Stephanum Papam anno 254 ſcripta, eum urget, ut ſcribat ad Galliarum Epiſcopos, ut Marcianum Arelatenſem Epiſcopum, qui ad Novatianum defecerat, ſua communione minimè dignentur; imò alium, ipſo exauctorato, Epiſcopum conſtituant; ex quo evidenter ſequitur, à quatuor annis Galliarum Eccleſias non fuiſſe fundatas, ſed jamdiu ſuis Epiſcopis aduna-

XXI. *Item S. Cyprianus.*

na-

natas floruiſſe. Joannes quidem Launojus in libello de ea Sancti Cypriani Epiſtola edito, contendit eam eſſe ſubleſtæ fidei, & diu poſt Cypriani ætatem ſcriptam. Verùm Pearſonius in Annalibus Cyprianicis ejus dubia ad examen revocat, & poſtquam iis ſatisfecit, concludit nihil ex iis contra Eccleſiarum Gallicanarum traditionem deduci poſſe. Henricus etiam Dodwellus hanc Epiſtolam Papæ, Sedique Romanæ perhonorificam, Cypriani ſtylum prorſus redolere, ipſuſque eſſe genuinum fœtum bona fide fatetur.

XXII. *Ante Marcum Aurelium martyria in Galliis viſa.*

Ad locum verò Gregorii Turonenſis mox à nobis num. 19 adductum, ita reſpondet Pearſonius. Duo afferunt pro tuenda Gregorii auctoritate teſtimonia, primum Sulpitii Severi, ſecundum Auctoris paſſionis S. Saturnini. Sed neutrum, id quod contendit Launojus, præſtat. Sulpitii teſtimonium his verbis continetur: *Sub Aurelio Antonini filio perſecutio quinta agitata, ac tum primùm intra Gallias martyria viſa, ſerius trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Verùm cùm Sulpitius in hiſtoria quarti ſæculi, quo vixit, ſepiùs erraverit; eum in antiquiori nunquam hallucinatum, nullus, ut puto, ſibi facilè perſuaſerit. Sulpitius itaque, qui Euſebii Hiſtoriam in compendium redigebat, cùm videret in Hiſtoria Euſebiana, ante imperium Marci Aurelii, fidei in Galliis annunciatæ mentionem non fieri, quemadmodum nec Martyrum in ea regione paſſorum, credidit tum primùm intra Gallias martyria viſa eſſe & ſeriùs religionem Chriſtianam trans Alpes ſuſceptam; cùm in Hiſtoria Eccleſiaſtica Euſebii, nullum ejus prædicationis in Galliis veſtigium extaret. Unde hæc Sulpitii auctoritas Epiſtolæ Cypriani de Marciano, ſub Decio, Gallo & Valeriano, Epiſcopo Arelatenſi exiſtenti minimè officit. Imò ex ea auctoritas Gregorii Turonenſis planè evertitur. Si enim jam anno 177 viſa ſunt in Galliis martyria, falſum eſt quod ſcribit Turonenſis, anno nempe Chriſti 250, imperante Decio, fidem Galliis primùm illatam: Turonenſis enim uſque ad eum Chriſti annum fidem in Galliis non fuiſſe annunciatam ſupponit.

XXIII. *Ex vita S. Saturnini non rectè probatur Gregorii opinio.*

Secundò, Auctor paſſionis Sancti Saturnini, quiſquis fuit, non ſatis firmiter probat, inquit Pearſonius, Trophimum primum Arelatenſem Epiſcopum fuiſſe, aut Decio & Grato Conſulibus, illuc primò perveniſſe. Nam Gregorius ipſe, qui tam ſecurè docet, Sixtum Pontificem Romanum, & Laurentium Archidiaconum, & Hyppolitum ſub Decio paſſos eſſe; & Valentinianum ac Novatianum, ſub eodem hæreticorum principes extitiſſe, ſatis etiam confusè reliqua pertexit. *Hujus temporibus ſeptem viri Epiſcopi ordinati in Gallias miſſi ſunt, ſicut Hiſtoria paſſionis Sancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim, ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana civitas S. Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt*, & reliqua num. 19 relata. Sed Gregorius citat quidem Hiſtoriam paſſionis S. Saturnini, verùm verba quæ refert, ad Saturninum ſolum pertinent, quæ adhuc etiam in ejus paſſione reperiuntur. Reliqua verò, *Hi ergo miſſi ſunt*, &c. non ſunt verba paſſionis, ſed ipſius Gregorii, qui hanc epocham Saturnini inde nactus, reliquorum, ſeu Epiſcoporum tempora, quorum certa initia ignoravit, ad eam referenda eſſe duxit. Neque ſi Auctor paſſionis reliqua, *hi ergo miſſi ſunt*, de ſuo addidiſſet, ſatis firma eſſet ejus auctoritas de primis tot Sedium Epiſcopalium initiis, qui quæ habet de Saturnino, ita tantùm narrat, *ſicut fideli recordatione* retinebatur. Quamobrem ſive Gregorius Turonenſis ad epocham Saturnini reliquorum ſex Epiſcoporum tempora retulerit, quod maximè probabile eſt, ſive Auctor paſſionis & notæ temporis incerti vir ipſe ad ſui Martyris Hiſtoriam obiter adjunxerit, neuter ſufficit ad probandum, tot Sedium Gallicanarum primos Antiſtites uno anno miſſos & receptos eſſe, quod, cùm per ſe ſit minùs credibile, tùm verò ex anno, quo ordinati eſſe dicuntur, & loco à quo miſſi eſſe putantur, omnem fidem amittere videtur. Cùm enim Decius ipſe perſecutioni exercendæ ſeveriſſimè Romæ incumberet; cùm Romanus Pontifex Fabianus ſtatim paſſus ſit; cum Presbyteri Sedem Romanam per anni ſpatium & ampliùs ſupplere per novi Epiſcopi electionem auſi non ſint; ut eo ipſo tempore ſeptem Presbyteri ordinationem Epiſcopalem Romæ acciperent, & in Gallias, fervente perſecutione mitterentur, & nulla tam præclaræ actionis, vel à Presbyteris Romanis, vel ab aliis mentio fieret, quis credet? Hæc Pearſonius.

XXIV. *Sulpitii Severi, & Gregorii Turonenſis opiniones Euſebio adverſantur.*

Quibus addi poteſt ad explicationem loci Sulpitii Severi, hunc non deprehendiſſe in Euſebii Hiſtoria Eccleſiaſtica prædicationem Evangelii in Galliis primo Sæculo, licèt eam diſertè exprimat lib. 3 cap. 4 juxta verſionem Valeſii ita ſcribens: *Ex reliquis Pauli comitibus Creſcens quidem ab eo miſſus in Gallias Pauli ipſius teſtimonio declaratur*, in Epiſtola nempe 2 ad Timotheum cap. 4. Decepit Sulpitium Severum varia lectio hujus loci Paulini, etenim quidam veteres in dicta Pauli Epiſtola legerunt *Galatiam*, non verò *Galliam*. Sed vetuſtioris & verioris lectionis vindicem habemus S. Epiphanium, qui conſtanter ſcribit in hæreſi 51 eos errare, qui hoc loco Pauli *Galatiam* legunt, cùm ſcribendum

Digitized by Google

dum doceat *Galliam*, ibi enim de S. Luca ait: *Huic igitur prædicandi Evangelii munus creditum eſt, quod ipſe primùm in Dalmatia, in Gallia, in Italia & in Macedonia præſtitit; ſed in Gallia præ cæteris, ut de nonnullis comitibus ſuis Paulus in Epiſtolis teſtatur: Creſcens, inquit, in Gallias: non enim in Galatia legendum eſt, ut quibuſdam immeritò placuit, ſed in Gallia*. Et licèt in Epiſtola Pauli legendum eſſet, Galatiam, per eam tamen intelligenda eſſet Gallia, quod conſtat ex Theodoreto in cap. 4 dictæ Epiſtolæ 2 ad Timotheum. *Creſcens*, inquit, *in Galatiam, Gallias enim ſic appellavit. Ita enim appellabantur antiquitùs. Ita etiam nunc eos nominant, qui ſunt externæ doctrinæ participes*. Ex quo patet adeò certam fuiſſe apud Veteres Creſcentis in Gallia prædicationem, ut Theodoretus ipſe, qui Galatiæ lectionem in contextu Pauli retinet, licèt de Galatia Aſiatica potuiſſet illam accipere, maluerit ad Galliam noſtram, id eſt ad Galatiam Occidentalem referre. Quod ſpectat ad Euſebium, ejus quidem verſio, à Chriſtophorſono curata, habet *Galatiam*; ſed veram Euſebii lectionem reſtituit ex codicibus MSS. Henricus Valeſius, Galliamque, non Galatiam Euſebium ſcripſiſſe rectè monuit. Certè Rufinus Aquilejenſis Euſebium ſcripſiſſe *Galliam*, non *Galatiam* diſertè aſſerit: *Memoratur autem*, inquit, *ex comitibus Pauli Creſcens quidam ad Gallias eſſe profectus*. Quam Euſebii lectionem ſecutus eſt Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, ejuſque interpres Sophronius, qui ſcribit: *Creſcens in Galliis Evangelium prædicavit*. Quare Creſcens ex ipſomet Euſebio Evangelium in Gallia ſæculo primo annunciavit, & poſtea rediit in Galatiam Aſiaticam, ut ex Uſuardi & Adonis Martyrologiis conſtat. At cùm Sulpitius Severus in Hiſtoria Euſebii legendum crederet, Creſcentem in Galatiam Aſiaticam à S. Paulo miſſum, nullum in ejuſdem Euſebii Hiſtoria, ante Marci Aurelii tempora, Evangelii in Galliis annunciati veſtigium extare etiam credidit; & ſeriùs trans Alpes fidem ſuſceptam ſcripſit.

XXV. *Gregorius Turonenſis Hiſtoriarum potiùs compilator quam auctor.*

Sed cùm ex laudato Gregorii Turonenſis loco, ad Eccleſiarum Gallicanarum origines, medio ſæculo tertio inchoandas, falsò triumphet Launojus, oſtendendum nobis eſt Gregorium, non in iis tantùm originibus memorandis, ſed & in multis aliis pugnantia inter ſe ſcribere, & à ſe ipſo mirè diſſentire. Is enim, qui potiùs Hiſtoriarum compilator, quàm auctor fuit, res quas ſcriptis traditas reperit, ſine examine plerumque collegit, indeque cùm Auctores, quibus uſus eſt, diverſa ſentirent, diverſa etiam ipſe, imò & ſæpè inter ſe pugnantia ſcripſit, vel potiùs tranſcripſit. Joannes quidem Launojus pro fundamento ponebat, Gregorium in Hiſtoriarum ſuarum libris retractaſſe, quæ in libris de miraculis Sancti Martini, de Vitis Patrum, aliiſque ſcripſerat; verùm inſigniter hallucinabatur: Gregorius enim à ſe ſemel dicta retractare non ſolet; & ſi Launojus loca Hiſtoriæ Gregorianæ, cum aliis locis, in quibus de una eademque re loquitur, contuliſſet, principium, quod tanti faciebat, damnaſſet, eumque juxta diverſos, quos ſequitur, Scriptores, locutum eſſe comperiſſet. Certè ſi dicamus cum Launojo, Gregorium in ultimis ſuis Operibus retractaſſe, quæ in prioribus ſcripſerat, dicendum omninò eſt, eum retractaſſe priorem ſententiam de originibus Gallicanarum Eccleſiarum ſub Decio Imperatore, cùm in pluribus capitibus mox citandis libri de gloria Confeſſorum, quem eodem anno, quo mortuus eſt, nempe 595, compoſuit, eaſdem origines ad Apoſtolorum, vel eorum diſcipulorum tempora referat; Gregorium anno 595 librum de gloria Confeſſorum conſcripſiſſe ex eo deduco, quòd lib. 4 cap. 5 de virtutibus S. Martini narrat miraculum, quod patratum eſt in ejuſdem S. Martini feſtivitate, *Menſe Novembri anno Childeberti Regis XIX*, Chriſti 594; quare eo die librum 4 de Virtutibus S. Martini nondum abſolverat, & conſequenter librum de gloria Confeſſorum ſcripſit poſt annum 594, cùm in ejus præfatione affirmet, priùs à ſe ſcriptos eſſe ſeptem libros miraculorum, in quorum numero collocat quatuor de virtutibus Sancti Martini.

Quidquid hac de re ſit, ut oſtendamus, hanc quæſtionem ex Gregorio Toronenſi decidi non poſſe, juvabit hic dictorum ejus repugnantiam variis exemplis demonſtrare. **XXVI.** *Pugnantia inter ſe pluribus in locis ſcribit.* Lib. 1 Hiſt. cap. 28, *Sub Antonini Imperio*, inquit, *Marcioniſtana & Valentiniana hæreſis inſana ſurrexit*. Et tamen cap. 30 ejuſdem libri loquens de iis, quæ Decio imperante contigêre, ait *Valentinianus & Novatianus maximi tunc hæreticorum principes contra fidem noſtram, inimico impellente graſſantur*. Ubi vides Gregorium Valentiniani, ſeu potiùs Valentini hæreſis initium conjungere cum imperio Decii, quod cap. 28 collocarat ſub Antonino. Immediatè antè in eodem cap. 30 ſcripſerat Gregorius: *Sixtus Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Laurentius Archidiaconus & Hippolytus ob Dominici nominis cognitionem per martyrium conſummati ſunt*. Et tamen cap. 32 ejuſdem libri agens de perſecutione Valeriani & Gallieni ſcribit: *Tunc Romam Cornelius, Cyprianus Carthaginem felici ſanguine inluſtrarunt*, quia ſcilicet non advertit, Lucium, Stephanum & Sixtum ſucceſſores, non verò deceſſores Cornelii fuiſſe. Deinde in ejuſdem libri primi cap. 36 de

de Conſtantino M. loquens, ait: *Cùm poſt exceſſum Diocletiani pax reddita fuiſſet Eccleſiis*, &c. At ipſemet Gregorius ſub ejuſdem libri finem contrarium ſtatuit: *Quòd ſi quis requirat*, inquit, *cur poſt tranſitum Gatiani Epiſcopi, unus tantùm, id eſt, Litorius uſque ad Sanctum Martinum fuiſſet Epiſcopus, noverit, quia obſiſtentibus Paganis, diu civitas Turonenſis ſine benedictione Sacerdotali fuit, nam qui Chriſtiani eo tempore videbantur, occultè & per latebras divinum officium celebrabant. Nam ſi qui à Paganis reperti fuiſſent Chriſtiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur*. Quæ verba deſtruunt id quod jam dixerat, pacem ſcilicet Eccleſiis redditam fuiſſe ſub Conſtantino poſt Diocletianum. Cùm enim Gregorius lib. 10, cap. 31 ſcribat, Gatianum ab anno primo Decii Imperatoris, Turonenſis urbis Epiſcopatum tenuiſſe per annos quinquaginta, & poſt ejus obitum ſedem vacaſſe annis triginta ſeptem, ſequitur Gatianum obiiſſe anno trecenteſimo, & Sedem vacaſſe uſque ad mortem Conſtantini, qui obiit anno trecenteſimo trigeſimo ſeptimo; ideoque & perſecutionem duraſſe toto tempore imperii Conſtantini, non autem pacem redditam Eccleſiis poſt exceſſum Diocletiani, quod tamen ſcripſerat cap. 36 libri primi, & verum eſſe confirmat Lactantius de Mortibus Perſecutorum. *Primus Gatianus Epiſcopus*, inquit Turonenſis lib. 10 cap. 31, *anno Imperii Decii primo* [ſeu anno 250] *à Romanæ Sedis Papa tranſmiſſus eſt*. Et infrà: *In hac urbe* (Turonenſi) *ut ferunt, annos 50 commoratus* (ideoque uſque ad annum 300) *obiit in pace, & ceſſavit Epiſcopatus 37 annis*, uſque ad annum 337, quo obiit Conſtantinus M. & Litorius ordinatus fuit Epiſcopus Turonenſis in Gregorii opinione, *anno Imperii Conſtantis primo*. Ibi tamen Gregorius non revocat, quæ jam de pace ſub Conſtantino M. poſt obitum Diocletiani, Eccleſiis reddita ſcripſerit, ſed in alteram ſententiam abit, & quandiu Conſtantinus M. imperavit, perſecutionem duraſſe, ſe credere ſignificat.

XXVII. *In Gallicanarum Eccleſ. exordiis à ſeipſo diſſentit.*

In Gallicanarum etiam Eccleſiarum originibus mirè à ſemetipſo diſſentit Gregorius. Nam licèt cap. 30 laudato libri primi Hiſtoriæ Francorum ſcripſerit, S. Saturninum initio imperii Decii ad urbem Toloſam directum eſſe; libro tamen primo de Gloria Martyrum cap. 48 ait. *Saturninus verò Martyr, ut fertur* (id eſt traditione oppoſita alteri, cujus lib. 10 cap. 31 Hiſt. Franc. meminit) *ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in urbem Toloſatium eſt directus*. Gregorii itaque ætate duæ de Sancto Saturnino traditiones invaleſcebant, altera, quam ſequitur lib. 1 cap. 30, & lib. 10 cap. 31, quæ Saturninum ſub Decio miſſum ferebat; altera, quæ eum miſſum à diſcipulis Apoſtolorum affirmabat, id eſt, centum & quinquaginta annis antequam Decius Imperaret, quam ſequitur cap. 48 libri primi de Gloria Martyrum. Sed neutram ex antiquis Saturnini Martyris Actis, verùm ex traditione tantùm acceperat; antiqua enim ejus paſſionis Acta jam perierant. Hinc de martyrio Saturnini ſub Decio ait, *ſicut fideli recordatione retinetur*. Tunc cap. 31 ejuſdem libri primi Hiſtoriæ ait Gregorius: *De horum* (nempe ſeptem Epiſcoporum) *diſcipulis quidam Biturigae civitatem aggreſſus, ſalutare omnium, Chriſtum Dominum populis nunciavit*. Hunc Gregorius lib. 1 de Gloria Confeſſorum cap. 80, Urſinum eſſe docet: *Biturigu verò urbs*, inquit, *primùm à S. Urſino, qui à diſcipulis Apoſtolorum Epiſcopus ordinatus, verbum ſalutis accepit, atque Eccleſiam Bituricenſem primùm inſtituit, rexitque*. Quam opinionem Gregorius eò loci firmat revelatione facta Abbati S. Symphoriani ab ipſomet Urſino, quam inſigne miraculum ſecutum eſt. Ubi vides Gregorium de tempore primùm prædicati apud Bituricas Evangelii, diverſas opiniones, diverſaſque traditiones amplecti, & modò temporibus Apoſtolorum, modò ſub Decio Imperatore id contigiſſe aſſerere.

XXVIII. *In ipſius etiam Turonenſis Eccleſiæ exordio.*

De Gatiano Eccleſiæ ſuæ Turonenſis primo Epiſcopo, quem lib. 1 cap. 30, & lib. 10 cap. 31 Hiſtoriæ Decio Imperante Turonas miſſum dicit, lib. de Gloria Confeſſorum cap. 4 loquens, tradit: *Gatianum etiam Epiſcopum à Romanis Epiſcopis ad urbem Turonicam tranſmiſſum, primumque Turonicis Pontificem datum, fama ferente cognovimus*, ubi aliter loquitur ac lib. 1 cap. 31 Hiſt. *Anno Imperii Decii primo à Romanæ Sedis Papa tranſmiſſus eſt*, quem tamen in laudato loco de Gloria Confeſſorum, miſſum teſtatur *à Romanis Epiſcopis*, id eſt à Lino & Clemente, vel à Clemente & Cleto, quos ſimul ſediſſe arbitrati ſunt quidam veteres Latini. Diverſas itaque de tempore Apoſtolatûs Gatiani ſententias ſecutus eſt Gregorius.

XXIX. *Item in exordiis Lemovicenſis, Arvernenſis & Xantonenſis Eccleſiarum.*

Idem dicendum de Sanctis Martiali Lemovicenſi, Stremonio Arvernenſi, & Eutropio Xantonenſi, Epiſcopis, quorum duos priores ſub Decio miſſos ſcribit cap. 30 laudato libri primi Hiſt. Capite autem 27 libri de gloria Confeſſorum de Sancto Martiali ait: *Sanctus Martialis Epiſcopus à Romanis miſſus Epiſcopis in urbe Lemovicina prædicare exorſus eſt*; & cap. 30 ejuſdem libri de Gloria Confeſſorum de Sancto Stremonio [ſive Auſtremonio]: *Per Sanctum etiam Stremonium, qui & ipſe à Romanis Epiſcopis cum Gatiano beatiſſimo, & reliquis quos memoravimus, eſt directus, primùm Arverna civitas verbum ſalutis accepit*.

pit. Epiſcopos autem illos Romanos, qui primos Paſtores & Prædicatores in Gallias miſêre fuiſſe Linum & Clementem, vel Clementem & Cletum lib. 1 de Gloria Martyrum cap. 56 his diſertis verbis, de Sancto Eutropio Xantonenſi Epiſcopo loquens, inſinuat: *Eutropius quoque Martyr Xantonicæ urbis à Beato Clemente Epiſcopo fertur directus in Gallias, ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratia conſecratus*. Paulò poſt de eodem Eutropio ſubdit: *Cicatriſcem quam contemplati eſtis in capite* (ita Eutropium loquentem inducit) *ſcitote me per eam martyrium conſummaſſe. Et per hoc, quòd martyr eſſet, innotuit populis, quia non aderat hiſtoria paſſionis.*

XXX. *Eccleſiae in Aquitania primo ſaeculo ædificatas aſſerit.*

Tandem lib. 1 cap. 12 de Miraculis fidem primo Eccleſiæ ſæculo apud Vaſatenſem urbem annunciatam disertè ſcribit, cùm ait, eo tempore, quo Sanctus Joannes Baptiſta in carcere detinebatur, matronam quandam, quæ è Galliis Jeroſolymam devotionis causâ abierat, *ut Domini & Salvatoris noſtri præſentiam mereretur*, audientem, *quòd Beatus Joannes decollaretur, curſu illuc rapido tendiſſe, datiſque muneribus* ſupplicaſſe *percuſſori, ut ei ſanguinem defluentem colligere permitteret. Illo autem*, ſubdit, *permittente, Matrona concham argenteam præparat, truncatoque Martyris capite, cruorem devota ſuſcepit: quem diligenter in ampulla poſitum, patriam detulit, & apud Vaſatenſem urbem, ædificata in ejus honore Eccleſia, in Sancto Altari collocavit*. Qua ex Hiſtoria fabulæ ſimillima, inferendum eſt, Gregorium hoc in loco crediḋiſſe fidem in Galliis primo ſæculo annunciatam.

XXXI. *In quæſtione præſenti ejus auctoritas nullius eſt ponderis.*

Quis hæc diverſa Gregorii Turonenſis loca inter ſe conferens, non videt Gregorium ſparſo ſolummodo rumori, quæ narrat, adſcribere, & modò in hanc, modò in illam opinionem abire? Secundò, quis non videt Romanorum Epiſcoporum nomine, Linum & Clementem, aut Clementem & Cletum, non verò unicum Pontificem Romanum deſignare Gregorium? Quæ cùm ita ſint, non video, qua ratione Viri Eruditi, teſtimonio Gregorii tanquam immoto & firmiſſimo fundamento inniti potuerint, in exordiis primorum Eccleſiæ Gallicanæ Epiſcoporum conſignandis; cùm in hac controverſia disjuncta, atque contraria in medium afferat, & quænam ex his opininibus inter ſe contrariis falſa ſit, nunquam diſcutiat. Quare cùm ad adventum primorum Epiſcoporum in Gallias ſuo tempori reddendum, certiora fundamenta non deſint, fruſtrà quis ea negliget, ut Gregorii ſecum pugnantis auctoritatem amplectatur. Uno verbo ſi una ex duabus Gregorii opinionibus ſequenda ſit, ea anteponenda, quam capp. 4, 27, 30, & 80 libri de Gloria Confeſſorum: cap. 56 libri de Gloria Martyrum, ac tandem cap. 12 libri 1 de Miraculis ſequitur, utpote aliarum Eccleſiarum traditioni magis conſentanea, ſecundùm quam Evangelii in Galliis prædicatio ad Apoſtolorum tempora refertur.

XXXII. *In Concilio Taurinenſi agitatur lis inter Epiſc. Arelat. & Vienn. de jure Metropolico.*

Certè Gallos fidem ab Apoſtolorum diſcipulis accepiſſe, deducitur ex Concilio Taurinenſi, anno quadringenteſimo primo celebrato, in quo controverſia de jure Metropolico inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos agitata eſt. Viennenſis Epiſcopus illud ſibi deberi contendebat, quòd Vienna tunc eſſet Metropolis in ordine civili; & revera ita nominatur in Notitia Imperii Occidentalis, ideoque civitas Arelatenſis a Viennenſi in ordine civilis diſpoſitionis pendebat. Arelatenſis verò Epiſcopus jus Metropolicum ſibi competere aſſerebat, quia ad ſuam *primùm* civitatem *ex Sede* Romana *Trophimus ſummus Antiſtes, ex cujus fonte totæ Galliæ fidei rivulos* acceperant, *directus eſt*, ut ſcribit Zoſimus Papa in literis anno 417 *ad Epiſcopos per Gallias & Septem provincias conſtitutos* datis; ideoque Epiſcopus Arelatenſis, imo & poſtea ipſe Zoſimus Papa ſupponebat, Arelatenſem civitatem, ante Viennenſem Evangelii lumine illuſtratam; & tamen nemo in dubium revocat, quin Vienna anno Chriſti centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo ſuos Martyres habuerit.

XXXIII. *Eccleſiaſtice non civili.*

Taurinenſis Concilii Patres interlocuti ſunt, eam civitatem frui debere nonore Primatûs, quæ doceret ſe eſſe provinciæ Metropolim, non quidem civilem, ut volunt Marca in Diſſert. de Primatu Lugdunenſi, Queſnellus in Diſſert. V Apologetica pro S. Hilario Arelatenſi part. 1 cap. 5, & Blondellus in libro contra Primatum Eccleſiæ pag. 724; ſed Eccleſiaſticam, ut probat Antonius Pagius Tomo ſecundo Criticæ Baronianæ. Tunc enim, quænam earum civitatum eſſet Metropolis in ordine civili, neminem latere poterat. Quare Epiſcopus Arelatenſis in eo Concilio, non jus Metropolicum civile, quo Arelatum nunquam potitum fuerat, ſed Sancti Trophimi miſſionem in medium proferebat, cujus contemplatione Metropolicum jus ſibi deberi contendebat.

XXXIV. *Pontifices Rom. fidem primo ſæculo Arelatenſibus annunciatam credunt.*

Cùm verò præterea Concilii Taurinenſis Patres decreviſſent, *ut* ſi placeret *memoratarum urbium*, Arelatenſis ſcilicet & Viennenſis, *Epiſcopis unaquæque de his viciniores ſibi intra provinciam* vendicaret *civitates*, querebatur Epiſcopus Arelatenſis Eccleſiæ ſuæ dignitatem peſſumdatam eſſe. Quare Zoſimus Papa Epiſtola VII decrevit, juxta Patrocli Arelatenſis preces, ut ejus civitatis Epiſcopus, jam *inde à Trophimo ordinationis ſertem temporibus roboratam*

tam poſſideret, non ſolùm in provincia Viennenſi, ſed etiam in utraque Narbonenſi, cujus prærogativæ rationem reddit Epiſtola 8 ad Hilarium Narbonenſem, *quoniam Trophimus Sacerdos quondam Arelatenſi urbi ab Apoſtolica Sede tranſmiſſus ad illas regiones, tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in alios non immeritò, ex quam acceperat auctoritate transfudit.* Unde Epiſcopi provinciæ Viennenſis in libello, quem anno 450 Leoni Papæ obtulerunt: *Omnibus*, inquiunt, *Gallicanis regionibus, ſed nec Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ habetur incognitum, quòd prima intra Gallias Arelatenſis civitas miſſum à Beatiſſimo Petro Apoſtolo Sanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, bonum fidei & religionis ſufuſum.* Ex quibus colligendum eſt, non ſolùm Epiſcopos Arelatenſes, & alios Viennenſis provinciæ, ſed & ipſum etiam Zoſimum Papam, totam Primatûs Metropolici cauſam, in priore vocatione ad fidem, & in vetuſtiore Epiſcopatûs inſtitutione, apud Arelatem à Trophimo ſacta, diſertè conſtituiſſe, & ex conſequenti cenſuiſſe Trophimum, longè ante Marcum Aurelium, ſub quo jam fundata erat Eccleſia Viennenſis, Arelatenſem Eccleſiam fundaſſe.

XXXV. *Concilii Taurinenſi tempore hæc traditio conſtans erat.* Certè, inquit Pagius in Critica ad annum 401 num. 46, ſi ea traditio de Sancti Trophimi primo Eccleſiæ Sæculo in Gallias delegatione, certa tunc apud omnes non fuiſſet, præſertimque apud Patres Concilii Taurinenſis, judices controverſiæ inter Arelatenſem & Viennenſem Epiſcopos, Arelatenſis non ſolùm repulſam tuliſſet, ſed etiam ſe ſe Patribus Concilii, & poſtea Romanis Pontificibus Zoſimo & Leoni ridendum propinaſſet, quòd ad jus alterius uſurpandum, miſſionem Apoſtolicam, quæ à ſæculo & ſeſquimedio facta fuiſſet, quæque ideò à nemine ignorari poſſet, jam a Chriſtianæ religionis initio contigiſſe affirmaret coram Epiſcopis, & poſtea coram Summis Pontificibus, Antiquitatis Eccleſiaſticæ non ignaris, eoque præſertim titulo Viennam, in Laterculo Imperii Metropolim, ſibi ſubjiciendam poſtulare auſus eſſet. Profectò res recentioris memoriæ fuiſſet, quàm ut omnes Concilio præſentes, aut ſaltem Epiſcopus Viennenſis eam ignorare potuiſſent. Quæ certè evincunt Arelatenſem Eccleſiam, ante Viennenſem fundatam eſſe, & ex neceſſaria conſecutione Evangelium ante ſecundum ſæculum in Galliis annunciatum. Quæ contra dictas Zoſimi Epiſtolas, & libellum Epiſcoporum provinciæ Viennenſis ad Sanctum Leonem, objicit Launojus, ſolidè refelluntur à Natali Alexandro loco laudato.

XXXVI. *Dionyſium Pariſ. per S. Clementem miſſum probatur ex Epiſcopis Pariſiis congregatis.* His ita conſtitutis, probandum ſupereſt, non ſolùm ante Hilduini, ſed & ante Gregorii Turonenſis tempora, S. Dionyſium Pariſienſem à Clemente Romano Pontifice miſſum, communem fuiſſe opinionem; ideoque Gregorium ſibi ipſi non conſtantem, aliam inducere non potuiſſe, quamvis id ex miſſione Sancti Trophimi neceſſariò ſequi videatur. Et primo quidem, ut à recentioribus incipiam, Galliæ Epiſcopi in frequenti conventu apud Pariſios de cultu Sacrarum Imaginum anno 825 habito, ante annos decem, quàm Hilduinus ſcribendis Areopagiticis operam daret, ſub finem Actionis VII ita loquuntur apud Jacobum Bongarſium: *Nec vobis tædium fiat, ſi ad oſtendendam rationem veritatis, veritatemque rationis, ſe ſe paulò longius ſermo protraxerit, dummodo linea veritatis, quæ ab antiquis Patribus noſtris uſque ad nos inflexibiliter ducta eſt, Beato Dionyſio ſcilicet, qui à Sancto CLEMENTE, Beati Petri Apoſtoli in Apoſtolatu primus ejus ſucceſſor, extitit in Gallias cum duodenario numero primus Prædicator directus, & poſt aliquod tempus unà cum ſociis huc illucque prædicationis gratia per idem regnum diſperſis Martyrio coronatus eſt*, ubi Mabillonius Tom. 1 Analectorum pag. 63 legendum putat, *qui à Sancto Clemente Beati Petri Apoſtoli primo ſucceſſore extitit in Gallias*, &c.

XXXVII. *Item probatur ex diplomate Pippini Franc. Regis.* Secundò, in Antiquitatibus San-Dionyſianis lib. 3 cap. 5 extat charta Pippini Francorum Regis, anno 768, ab eo paulò ante mortem data, in qua ait: *Dionyſius & ſæpe jam dictus Ruſticus & Eleutherius, qui primi poſt Apoſtolos ſub ORDINATIONE B. CLEMENTIS, Petri Apoſtoli ſucceſſoris, in hanc Galliarum provinciam advenerunt*, &c. In fine legitur: *data IX Kal. Octob. anno 17 regni noſtri. Actum in ipſo Monaſterio Sancti Dionyſii.*

XXXVIII. *Item ex alio Theodorici Calenſis Francorum Regis.* Tertiò, Mabillonius lib. 6 de Re Diplomatica pag. 488 refert præceptum Theodorici Calenſis Francorum Regis, anno Chriſti 723 datum, in quo Theodoricus anteriorum Regum, ac Pontificum privilegia San-Dionyſianis conceſſa confirmans, ait: *Aergo dum & omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen expendiſcere, per Incarnationis myſteria unigeniti Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti, vel inluſtratione Spiritûs Sancti inluxit in corda ſanctorum Chriſtianorum, pro cujus amore & deſiderium inter citerus glorioſus triumphus Martyrum Beatus Dionyſius cum ſociis ſuis Ruſtico & Eleotherio, qui primi poſt Apoſtolos SUB ORDINATIONE BEATI CLIMENTI, Petri Apoſtoli ſucceſſoris, in hanc Galliarum provinciam advenerunt.* Quare ſæculo integro & amplius, antequam

Hil-

Hilduinus ſcriberet Areopagitica, communis opinio fuit S. Dionyſium à Clemente Papa in Gallias fuiſſe directum.

XXXIX. *Item ex Venerabili Beda.*

Quartò, ante eundem Hilduinum, hanc de miſſione S. Dionyſii per Clementem Papam opinionem ſecutus eſt Venerabilis Beda, in cujus Martyrologio ad diem 9 Octobris ita legitur: *Apud Pariſium natale Sanctorum Martyrum Dionyſii Epiſcopi, Eleutherii Presbyteri, & Ruſtici Diaconi. Qui Beatus Epiſcopus à Pontifice CLEMENTE ROMANO in Gallias directus, ut prædicationis operam populis à fide Chriſti alienis exhiberet, tandemque ad Pariſiorum civitatem devenit, & per annos aliquot ſanctum opus fideliter & ardenter executus, à Præfato Feſcennino Siſinnio comprehenſus, & cum eo Sanctus Presbyter Eleutherius, Ruſticus Diaconus, gladio animadverſi martyrium compleverunt.*

XL. *Item ex Fortunato Pictavienſi.*

Quintò, eodem tempore, quo Gregorius Turonenſis, vixit Venantius Fortunatus Epiſcopus Pictavienſis, ejus amicus, cujus Opera Chriſtophorus Brouverus edidit & illuſtravit. Fortunatus autem in Hymno, quem de Sancto Dionyſio Pariſienſi compoſuit, & quem Dubletius in Antiquitatibus San-Dionyſianis publicavit, ita habet.

Fortem fidelem militem
Chriſti ſecutum principem
Dionyſium Martyrem
Plebs corde voce perſonet.
Clemente Roma Præſule
Ab urbe miſſus adfuit
Verbi superni ſeminis,
Ut fructus eſſet Galliæ.

Nec ſatisfaciunt Viri doctiſſimi, qui reſpondent, Hymnum illum, qui in Brouveri Collectione non extat, ſub Fortunati nomine malè à Dubletio productum fuiſſe; cùm incredibile ſit, Hilduinum in Areopagiticis auſum fuiſſe id ſine dubitatione aliqua aſſerere, quod tamen fecit, ut num. 17 vidimus, niſi is tunc hymnus Fortunato adſcriptus fuiſſet. Præterea hymnus ille legitur in optimæ notæ Codicibus MSS. Monaſteriorum S. Germani à Pratis, & S. Petri in Valle apud Carnotenſes. Ad alia de hymno illo Launoji dubia reſpondet Natalis Alexander laudatus.

XLI. *Probatur ex Auctore Vitæ S. Genovefæ Dionyſium à Clemente PP miſſum, & conſecratum.*

Sextò, Auctor Vitæ Sanctæ Genovefæ Virginis, Gregorio Turonenſi antiquior, cùm profiteatur ſe eam ſcripſiſſe poſt ter ſenos à præfatæ Virginis obitu annos, ideoque circa annum 520, disertè teſtatur, S. Dionyſium & à Clemente Papa in Gallias miſſum, & ab eodem Pontifice Epiſcopum conſecratum. Eam Vitam edidit Surius, & poſt eum Bollandus, uterque ad diem tertium Januarii. Verùm quidem eſt in editione Surii, S. Dionyſium non dici à Clemente conſecratum, ſed tantùm directum; at id expreſſè legitur in poſteriori Vita à Bollando edita, quam eandem eſſe cum ea, quam primo loco publicavit, omnibus eam attentè legentibus manifeſtum eſt: eadem enim omninò, quæ in una leguntur, in altera etiam, paucis verbis mutatis, habentur: ſtylus idem eſt, miracula eadem, imò & eadem ferè verba. In hac autem poſteriori cap. 4 num. 14 ita legitur: *Vicum Catholicenſem, in quo Sanctus Dionyſius & paſſus eſt & ſepultus, grandi amore ac veneratione dilexit* Genovefa. *Hic verò Epiſcopus in ſexto à Pariſiis milliario martyrio vitam finivit, qui à CLEMENTE Epiſcopo Sancti Petri diſcipulo & IN SACERDOTIUM BENEDICTUS, & ab eodem dicitur in his partes deſtinatus.* In priori verò Vita Bollandiana, cap. etiam 4, num. 16 ita habetur: *Quanta veneratione & amore dilexit Catholiacenſem vicum, in quo Sanctus Dionyſius cum ſociis ſuis Ruſtico & Eleutherio paſſus eſt, & ſepultus, nequaquam ſilendum eſſe arbitror.* Poſt quæ verba, eadem forſan ſequebantur, quæ ex poſteriori, de S. Dionyſio mox recitavimus; ſed Bollandus ea ſuppreſſit, ut ipſemet fatetur in Nota ad illum locum: *Hic*, inquit, ſcilicet poſt verba mox laudata, *interſerit MS. Ultrajectinum multa de miſſione S. Dionyſii in Gallias, quæ cùm abſint ab aliis MSS. omittimus.* Sed ſatiùs fuiſſet ea referre quæ erant in codice MS. quam ea demere: certè id non præſtitit Heribertus Roſweidus, qui ſecundam Vitam à Bollando editam, olim deſcripſerat ex MS. D. Preudhomii Canonici Cameracenſis, quamque deinde ipſemet Bollandus contulit cum MSS. Imperialis monaſterii Sancti Maximini & Eccleſiæ S. Audomari, aliiſque, in quibus omnibus MSS. habentur verba ſuperiùs relata de miſſione & conſecratione S. Dionyſii per S. Clementem.

XLII. *S. Genovefæ Vita a Chifletio edita, interpolata.*

At quidem Bailletius hanc poſteriorem Vitam priori recentiorem eſſe ſcribit, ſed nihil ad id probandum adducit. Rectè tamen, meo judicio, ait, fruſtrà Petrum-Franciſcum Chiffletium renovare & exſuſcitare conatum eſſe additiones quaſdam poſteriores, in editione ejuſdem Vitæ, quam adjecit Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Bedæ, *ex codice pervetuſto*, ut ait, *inclytæ Baſilicæ, in qua* Genovefa monumentum habet. Nam licèt illa Vita eadem ſit cum duabus à Bollando publicatis, eſt tamen in multis interpolata, & quidem longè poſt ſextum Sæculum. Nemo enim facilè credet, Auctorem gravem, qualem dicit iſtum Chiffletius ſexti ſæculi initio ſcripſiſſe de Sancta Genovefa, quæ ipſo ejuſdem ſæculi initio defuncta eſt, ſe conjicere *ex hiſtoriis Veterum, quòd tempore Imperatorum Honorii & Theodoſii minoris* nata ſit; nullæ enim Veterum hiſtoriæ inſervire poterant homini,

ni, qui Beatæ Genovefæ coetaneus erat. Nemo facilè credet, Auctorem gravem anni 520 ſcripſiſse in fine numeri 2 Genovefam ſub Regibus Clothario, & Childeberto, Clodovei Magni filiis & ſucceſsoribus ad Deum tranſiiſse. Nam cùm Clotharius & Childebertus exeunte Novembri anni 511 patri ſucceſserint, Genovefa, quæ ex eodem Auctore, ſub Honorio & Theodoſio Juniori nata erat, obiiſset ad minus nonagenaria, contra quod idem Auctor num. 43 habet. Parte alia certò conſtat ex capite ultimo utriuſque Vitæ Bollandianæ, Clodoveum Magnum Genovefæ ſupervixiſſe, utrobique enim dicitur Baſilicam ad ejus ſepulchrum extruere cœpiſse, quam deinde perfecit Clotildis Regina ejus uxor. Præterea Genovefa, proficiſcente S. Germano in Britanniam anno 429, octo ad minus annos nata erat, junior non poteſt fuiſse, cùm in ejuſdem S. Germani Vita lib. 1 cap. 21 *ſe religioſæ profeſſionis adſtringi jam dudum deſiderio* ſit profeſsa, ejuſque ad id benedictionem petierit: ſi ergo obiit ſub Clotario & Childeberto Regibus, profectò nonagenario major erat contra hujus Auctoris mentem, nata enim fuiſset anno 421. Nemo facilè credet, Auctorem gravem ſæculi ſexti initio ſcripliſſe, ut iſte ſctibit num. 3, Sanctum Germanum Autiſſiodorenſem in Britanniam *ſub Imperatoribus taxatis*, nempe ſub Honorio & Theodoſio Juniori, *ad Pelagianam hæreſim ſuperandam* profectum eſse, cum certiſſimè conſtet, eum profectionem illam ſuſcepiſse anno 429, ſex ad minus annis poſt Honorii Imperatoris obitum. Deinde quid innuit iſte Auctor per illa verba num. 1: *Manſit verò* Genovefa *cum parentibus creſcens tam corpore quàm rectis moribus à tempore ſupradicto*, (ſcilicet nativitatis) *uſque Valentiniano, qui Romanum Imperium in finibus Galliæ rapuit*. Certè hic non eſt Valentinianus III, hic enim natus anno 419, dictus eſt Cæſar Theſsalonicæ anno 424 juſsu Theodoſii Imperatoris, miſsuſque cum Placidia matre contra Joannem Primicerium Notariorum, qui Romanum Occidentis Imperium invaſerat; quare dici non poteſt Valentinianum iſtum, *Romanum Imperium in finibus Galliæ* rapuiſse. Denique iſte Auctor ſupponit, Genovefam natam ante initium monarchiæ Franciæ, cùm ſubdit poſt laudata verba: *Sumentibus Francis in ea* (id eſt in Gallia) *tyrannidem, nomenque patriæ de ſuo nomine dantibus*. Si itaque Genovefa erat *creſcens tam corpore quàm rectis moribus*, quo tempore Franci Monarchiam inchoarunt, nata jam erat anno circiter 418, & ex conſequenti, cùm juxta hujus Auctoris calculum, mortua ſit poſt Clodoveum Magnum, ferè centenaria obiiſset, contra quod ſcripſit num. 43, *eam ſcilicet caritatis & ſpei vinculis* irretitam fuiſse *in ſæculo amplius octoginta annis*.

XLIII. *Et quidem longè poſt ſæculum ſextum.*

Quæ omnia mihi evincere videntur, hujus Vitæ Chiffletianæ Interpolatorem longè poſt ſæculum ſextum vixiſse, & poſtquam Hilduinus ſuam de Dionyſio Areopagita Epiſcopo Pariſienſi ſententiam publicavit, quam hic Interpolator amplexus eſt, & Vitæ Sanctæ Genovefæ inſeruit; ex quibus infero ſtandum eſſe poſteriori Vitæ Bollandianæ cum tot Codicibus MSS. collatæ, in quibus omnibus legitur, S. Dionyſium à S. Clemente Papa Epiſcopum ordinatum & in Gallias miſsum. Quod forſan etiam legitur in MS. codice Ultrajectenſi, ex quo prior Vita Bollandiana deſcripta; ſed, ut jam dixi, Bollandus fatetur ſe illud omiſiſse. Habemus ergo ſæculo ſexto ineunte, Pariſienſium traditionem tuliſse, S. Dionyſium à S. Clemente conſecratum & miſsum, & ex neceſsaria conſecutione diverſum eſſe ab Areopagita, qui à S. Paulo Apoſtolo converſus Athenienſis Epiſcopus conſecratus eſt.

XLIV. *Dionyſii Pariſ. conſecratio per S. Clementem, ex Actis ejus paſſionis probatur.*

Teſtimonium Auctoris tam gravis & tam diſerti ducentorum ſupra mille annorum, non videtur in dubium revocari poſſe; cùm, ipſo Hilduino fatente, plures ſuo tempore dicerent, in Acti s paſſionis Sancti Dionyſii ſcriptum fuiſse hunc Sanctum Galliatum Apoſtolum a Clemente Romano Pontifice Epiſcopum ordinatum & miſsum. In Areopagiticis enim num. 8 ſcribit: *Ceterum ſuper garrulitate levitatis eorum mirando deficimus, qui contendentes hunc Dionyſium, Areopagitam eſſe non poſſe, ad munimentum ſui, hæc, quæ ſequuntur, inaniter contrahunt .... quoniam libellus paſſionis iſtius teſtetur, hunc à Clemente Pontifice Romano* EPISCOPUM ORDINATUM, *& in has Galliarum partes fuiſſe tranſmiſſum*. Et poſtea num. 11. *Quod autem quidam dicunt, in paſſione iſtius Beati Dionyſii ſcriptum haberi, quia eum Sanctus Clemens Epiſcopum ordinaverit, Galliaſque miſerit*, &c. Fatente itaque ipſo Hilduino ante ſua tempora in Actis Dionyſii Pariſienſis ejus ordinatio & miſſio per S. Clementem legebatur. Sed utrum hanc objectionem ſolide ſolvat videamus. *Procul dubio ſciunt*, inquit, *quòd aut prædictam paſſionem ex veris & emendatioribus exemplaribus non ſuſceperunt, aut Scriptorum vitio depravatam legerunt; quoniam non ibi ſcribitur, eum Epiſcopum à B. Clemente conſecratum, ſed Apoſtolum totius Galliæ eſſe ordinatum, de qua ordinatione Apoſtolatûs, niſi ad alia ſe intentio noſtra dirigeret, & ex Apoſtolorum Actibus, & ex ipſius Domini actione, auctoritatis exemplum ſufficienter in his ſcriptis poſſemus inferre*. Sed hæc reſponſio merum effugium eſt, incumbebat enim illi probare & exemplaria illa fuiſse deptavata, & vocem

Digitized by Google

cem *ordinatio*, non eſse hoc in loco ſynonimam cum voce, *conſecratio*. Dicere autem exemplum ſimilis ordinationis ex Apoſtolorum Actibus, & ex ipſius Domini actione inferri poſse, id non ſolvit difficultatem, ſed eam magis intricatam reddit; debebat enim Hilduinus tale exemplum afferre, illudque ad ordinationem ſeu miſſionem Dionyſii Areopagitæ per Clementem accommodare, ut ejus ambiguitatem tolleret. Denique ſi velit dicere poſse probari *ex Apoſtolorum Actibus, & ex ipſius Domini actione*, Dionyſium Areopagitam à S. Clemente *Apoſtolum totius Galliæ eſſe ordinatum*, id, tanti viri pace dictum ſit, abſurdum omninò videtur, quia nemo id unquam legit in Evangeliis, quibus actiones Chriſti continentur, nec in Actibus Apoſtolorum, in quibus cap. 17 hæc ſolùm habentur: *Quidam verò viri ei* (nempe Paulo) *adhærentes crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, & alii cum eis*. Adducant ergo Areopagiticorum vindices aliquem locum, vel ex Actibus Apoſtolorum, vel ex Evangeliis, quo oſtendant Dionyſium Areopagitam totius Galliæ Apoſtolarum à Clemente Papa obtinuiſse. Quod cùm præſtare non poſſint, fateri debent ante Hilduinum, Dionyſii Pariſienſis conſecrationem & miſſionem per S. Clementem, in ejuſdem Dionyſii Actis paſſionis exaratam fuiſse, ex quo & inferendum, derogandam non eſse fidem Auctori Vitæ Sanctæ Genovefæ à nobis laudato.

XLV.
Hilduinus utrumque Dionyſium bona fide confudit.

Non moror hic alios Scriptores Hilduino poſteriores, licèt plures ex illis afferant, S. Dionyſium à Clemente Papa in Gallias directum, nulla Areopagitæ mentione facta, quia mihi propoſitum fuit, eorum tantùm opiniones referre, qui vel ante Hilduinum ſcripſerunt, vel ei æquales fuerunt, ut conſtaret hunc non fuiſse primum, qui Dionyſii Pariſien. miſſionem ad primum ſæculum retraxerit, & nonnullos recentiores liberiùs eum criminari, quòd mala fide verſatus ſit. Quis enim facilè credat, Virum religioſum & pium, qui regularem obſervantiam in Abbatia S. Dionyſii reſtauravit, quem Lupus Ferrarienſis Abbas Epiſtolâ 110 vocat, *nobilitatis, dignitatis & moderationis apice conſpicuum, Eccleſiaſticorum Magiſtrum*: Quem Walafridus Tomo VI Antiquarum Lectionum Caniſii in Carminibus ad eundem ſcriptis vocat, *Magnum Aaronem, cujus nitor morum cum ſenſus probitate commendatur!* Quis, inquam, credat ipſum impoſuiſse religioſiſſimo Imperatori, Epiſcopis, Chriſtianis omnibus, ut inquit Natalis Alexander in laudata diſſertatione XV ſæculi primi, ubi tamen Dionyſium, non ſolùm à Clemente in Gallias miſſum, ſed & Areopagitam eſse tuetur. Culpandus igitur non eſt Hilduinus, quòd ſuam opinionem, conquiſitis undequaque argumentis, ſtabilire conatus fuerit; ſed in eo tantùm peccavit, quòd, ut in rio dixi mus, crediderit Dionyſium illum eſſe Areopagitam, quia videbat ubique ferè dici à Clemente Papa in Gallias directum, quod idem nunc quoque præſtant recentes Scriptores, qui volunt ejus miſſionem ad Clementem referre, quia perſuaſum habent, nullum alium illo ævo fuiſse Dionyſium præter Areopagitam.

XLVI.
Diſſertationis concluſio.

Porrò ſi ea omnia demonſtrativa non ſint, ut certè non ſunt; ſunt tamen ex iis, quæ, ni valde fallor, ad demonſtrationem proximè accedunt. Cùm ergo oſtenderim, non ſolùm ante Hilduinum, ſed & ante Gregorium Turonenſem, Scriptorum, Regum, & Epiſcoporum Gallicanorum de Sancti Dionyſii Pariſienſis per Clementem Papam miſſione, imò & conſecratione, communem fuiſse opinionem, & hunc ſæculo tantùm nono Areopagitam creditum fuiſse: cùm inſuper oſtenderim Epiſcopos Gallicanos, & Romanos Pontifices Gregorio Turonenſi antiquiores, & Sulpitio Severo æquales, in contrariam ab iis, de prima in Galliis Evangelii prædicatione ſententiam abiiſſe, concludo, jure meritò à me dictum, Antonium Pagium non improbabiliter autumaſse, duos Dionyſios diſtinguendos eſſe, Areopagitam unum, à S. Paulo Apoſtolo converſum & Athenienſem Epiſcopum conſtitutum; Pariſienſem alterum à S. Clemente Papa conſecratum; & huic Diſſertationi coronidem impono, ſi priùs monuero legendam eſse laudatam Petri de Marca Archiepiſcopi Toloſani & dein Pariſienſis Epiſtolam ad Henricum Valeſium datam, & ejus verſioni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Euſebii præfixam, ex qua plura mutuatus ſum, & in qua Joannis Launoji ac ejus ſequacium opinionem ſolidè refellit.

XLVII.
Examini permittitur.

Hanc viam, Erudite Lector, quam ſolius Antonii Pagii Patrui mei tritam pede, inii, ſolidiſſimo tuo criterio, & decretorio judicio permitto. Monitum tamen Te velim, me in hujus ænigmatis, inexplicabilis crediti ſolutione, ſemper reſpexiſse ad id quod dicit Orator lib. 4 Quæſt. Academ. *Neque noſtræ*, inquit, *diſputationes quidquam aliud agunt, niſi ut in utramque partem dicendo, & audiendo, eliciant, & tanquam exprimant aliquid, quod aut verum ſit, aut ad id quamproximè accedat*.

BRE-

BREVIARIUM GESTORUM PONTIFICUM ROMANORUM.

CLEMENS V *Pontif. CXCV.*

Anno Domini MCCCV.

SÆC. XIV. I. *Diu Sedes vacat poſt mortem Benedicti XI, & quare.*

BENEDICTO XI die ſexta Julii anni trecenteſimi quarti poſt milleſimum ex hac vita mortali ad immortalem translato, & novemdialibus de more ab ejus obitu celebratis, dieque decima Miſſâ de Spiritu Sancto celebratâ, Cardinales Peruſii in conclavi ſe recluſerunt ad ſucceſſorem eligendum. Sed mox in duas partes propemodum pares diviſi fuêre, ſingulis magis quæ ſua erant quærentibus, quàm quæ Eccleſiæ, aut Jeſu Chriſti. Alterius partis principes erant Matthæus Rubeus de Urſinis primus Diaconorum Cardinalium, & Franciſcus Cajetanus nepos Bonifacii VIII, Diaconus pariter Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmedin, qui vota ſua dirigebant ad aliquem Italicum & faventem amicis & conſanguineis Bonifacii Papæ. Alterius factionis principes erant Neapoleo de Urſinis Diaconus Cardinalis tituli Sancti Hadriani, & Nicolaus Pratenſis Epiſcopus Oſtienſis creatus a Benedicto XI, qui quærebant aliquem eligi amicum Philippi Regis Francorum & Columnenſium. Cùm autem utraque pars magna animorum contentione reliqua anni 1304 parte, & quatuor circiter menſibus anni 1305 in propoſito ſuo fixa permanſiſſet magno Chriſtianæ Reipublicæ damno, tandem Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis hunc modum Franciſco Cajetano Cardinali conveniendi ſuggeſſit, ut videlicet una pars Collegii Cardinalium tres Tranſalpinos, hoc eſt, Gallos, ad Pontificatum idoneos nominaret, ex quibus unum altera pars infra quadragenum dierum eligere teneretur. Quod cùm placuiſſet Cardinali Cajetano, hic ſequacibus ſuis perſuaſit hunc modum acceptare; ita tamen quòd ipſi haberent nominare illos tres, intendentes tales aſſumere, qui fuiſſent amici Bonifacii quondàm Papæ, & Regi Franciæ Philippo parùm affecti: Nicolaus verò Oſtienſis partem ſuam induxit ad id efficiendum, intendens & ipſe taliter providere, quòd haberent ſibi propitium & benevolum, ac Regi amicum.

SÆC. XIV. II. *Pactio inter Cardinales pro electione Pontificis.*

Facta itaque hac conventione, & ſolemni ſtipulatione per ſcripturam firmata, pars Matthæi Rubei, Nicolao Oſtienſi adverſa, trium Archiepiſcoporum nomina edidit, à Bonifacio creatorum, & Philippo Regi infenſiſſimorum, in quibus primus exritit Archiepiſcopus Burdegalenſis, tum Regi valde infenſus, ob gentiles ſuos à Carolo Valeſio Regis fratre Aquitanico bello contra Anglos geſto plurimùm vexatos; tum memoriæ Bonifacii devinctiſſimus, eò quòd ab eo primùm Epiſcopus Convenarum, ac quinque poſt annis Archiepiſcopus Burdegalenſis creatus fuiſſet; ipſiuſque frater Beraldus, ſive Remundus, quem vidimus à Cœleſtino Papa V ex Archiepiſcopo Lugdunenſi creatum Cardinalem Epiſcopum Albanenſem, ab eodem Bonifacio Gallicana legatione honeſtatus fuiſſet ad pacem ineundam inter Reges Francorum & Anglorum, quâ & obiit anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo ſeptimo. Hunc nihilominus talem potiùs eligendum cenſuit Nicolaus Oſtienſis, quòd non dubitaret hominem ambitioſi ingenii oblatione Pontificatûs in verba Regis facilè juraturum; ideò-

que miſſis ſecretò per fidum curſorem ad Regem literis, monuit Archiepiſcopum ſibi conciliare.

III. *Burdegalenſi Archiep. multa Regi Franc. promittit ſpe Pontificatus.*

Philippus Rex acceptis literis ſtatim ad Sancti Joannis Angelini in Santonibus oppidum, Burdegalenſem Archiepiſcopum evocavit; eumque, re manifeſtata, ita ſibi obſtrinxit, ut nihil non agere in ejus gratiam ſponderet, ſi ejus operâ Pontificatum adipiſceretur. Cui a Rege ſex capita propoſita fuére, nempe, 1, Ut ampliorem veniam læſæ Majeſtatis in Bonifacio Pontifice impertiret: 2, Ut ſocios & fautores, quos habuiſſet in gratiam, reciperet: 3, Ut Decimas regni ſui in annos quinque ad reſarciendas Flandrici belli expenſas concederet: 4, Ut Bonifacii memoriam damnaret: 5, Ut Cardinales Columnenſes depoſitos priſtino honori reſtitueret, & aliquot alios ex Regis amicis Cardinales crearet: 6, ſibi reſervato tempore & loco declarando. Quæ omnia Archiepiſcopus ſervare promiſit cum jurejurando ſuper venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, & ad confirmationem prædictorum dedit obſides Regi germanum ſuum & duos nepotes. Rex autem contrà juravit ſe operam daturum, ut Papa eligeretur, ſicque diſceſſerunt ab invicem amici facti.

IV. *Eligitur in Pontificem.*

His actis Rex Pariſios reverſus ſubitò reſcripſit Nicolao Oſtienſi & ſociis quod geſtum erat: quapropter liberè eligerent Archiepiſcopum Burdegalenſem. Et intra triginta quinque dies reverſi curſores Peruſium, Regis literas tradiderunt Nicolao & ſociis. Quibus omnibus parti alteri ignotis, dixit Nicolaus Cardinalibus ejuſdem partis, quòd parati eſſent procedere ad electionem unius illorum trium, & iterum pacta & conventiones ſuper his fuerunt renovata & firmata. Congregatis igitur omnibus Cardinalibus, Nicolaus Cardinalis Oſtienſis priùs propoſita auctoritate Sacræ Scripturæ ad materiam congruente, poſt orationem ſuam vice omnium elegit in Papam Bertrandum Burdegalenſem Archiepiſcopum; ſicque acceptatus fuit ab omnibus & populo annunciatus nonis Junii anni milleſimi trecenteſimi quinti, in vigilia Pentecoſtes. Quæ omnia Italicè pleniùs deſcripſit Joannes Villanius lib. 8 cap. 80. Latinè ex eo S. Antoninus tit. 21 cap. 1 partis 3, & alii.

V. *Ejus patria, genus, & primordia.*

Quod attinet ad patrium genus, aliaque novi Pontificis primordia, certum eſt malè apud S. Antoninum eum vocari Raymundum; Ptolomæus enim Lucenſis, Bernardus Guidonis, & alii tres ejus Vitæ Scriptores apud Baluzium Tomo primo Vitarum Paparum Avenionenſium, diſertè eum nominant *Bertrandum Del Got*, ſeu de Gotho, filium Beraldi nobilis Aquitani, Vaſconis, Domini de Villandrado diœceſis Burdegalenſis. Deceptus eſt forſan S. Antoninus ex eo quòd eum confuderit cum Beraldo Cardinali ipſius fratre, qui ex dictis in Cœleſtino V vocabatur etiam Raymundus, ſive Reimundus. *Clemens V, natione Vaſco, de loco qui Vilandrau dicitur,* inquit Bernardus Guidonis in Chronico Romanorum Pontificum apud Raynaldum, *Burdegalenſis diœceſis oriundus, & patre Berardo milite, fuit electus in Papam in Peruſio in vigilia Pentecoſtes, quæ fuit nonis Junii 1305. Hic prius vocabatur Bertrandus Del Got, ſeu de Gotho. Hic fuit primò Epiſcopus Convenarum, factus per proviſionem Bonifacii Papæ VIII anno Domini 1295, fuit Convenarum Epiſcopus annis quinque, & exinde tranſtulit ipſum idem Bonifacius Papa in Burdegalenſem Archiepiſcopum paulò ante Natale Domini anno ejuſdem Domini 1299, ubi jam ſederat Archiepiſcopus annis ſex,* cum electus eſt in Pontificem.

VI. *Electionis ſuæ decretum recipit, & Clementis V nomen aſſumit.*

Facta electione Cardinales decretum illius ad eum miſerunt in Aquitaniam, non per unum Cardinalem, ut nonnulli ſcripſerunt, ſed per Guidonem Abbatem Belliloci Ordinis Cluniacenſis, Virdunenſis diœceſis, Petrum de Montegiello Sacriſtam Eccleſiæ Narbonenſis, ac Andream de Hugugio Canonicum Catalaunenſem, omnes Gallos, in obſequio Sedis Apoſtolicæ commorantes, ut conſtat ex literis Cardinalium ad ipſum Electum ſcriptis, datis Peruſii ſexto idus Junii, quibus magnis ab eo precibus contendêre, ut Peruſium accederet; cum quibus pariter tranſmittebant decretum electionis *Actum & datum Peruſii anno Domini 1305 nonis Junii, Indictione III*, quod cum prædictis literis integrum extat apud Raynaldum num. 5 & ſeqq. Incumbebat tunc Bertrandus viſitationi provinciæ, cum apud Lilliacum in Pictonibus electionis ſuæ nuntium accepit. Moxque Burdegalam regreſſus habitu Archiepiſcopi, recepto Sacri Collegii decreto die vigeſima tertia menſis Julii, illud die ſequenti publicavit in Eccleſia Burdegalenſi, aſſumpto nomine Clementis ejus nuncupationis quinti. *Rediit autem*, inquit Bernardus Guidonis loco laudato, *de Pictavia Burdegalam Idibus menſis Julii ſubſequentis, receptuſque fuit Burdegalæ proceſſionaliter à toto Clero & populo cum ingenti gaudio & honore totius civitatis & patriæ, undique concurrentibus Baronibus & Prælatis. Adhuc tamen more tantùm Archiepiſcopi ſe gerebat ut prius, electionis ſuæ decreto nondum recepto, quod poſtea miſſum ſibi à Cardinalibus de Peruſio recepit in Burdegala in craſtino S. Mariæ Magdalenæ ſecretè: ſed palam & publicè ſequenti die XI Kalendas Auguſti* [legendum IX Kal. Auguſti] *in præſentia Prælatorum & Magnatum in Bur-*

Digitized by Google

degalenſi Eccleſia Cathedrali, ubi ſedens in cathedra vocari Clemens voluit & elegit, & ex tunc cœpit agere & ſe gerere ſicut Papa. His conſentanea ſcribunt ejus Vitæ Scriptores apud Baluzium.

VII. *Cardinales Lugdunum ad ſuam coronationem accerſit.*

Ubi primùm legationem Cardinalium, deque ſua electione decretum accepit Clemens Pontifex, iiſdem Cardinalibus mandavit, ut omni abjecta mora Lugdunum, ubi Pontificali diademate redimiri fixum erat animo, ſe conferrent; quod pleriſque graviſſimum extitit: *Mandavit Cardinalibus omnibus*, inquit S. Antoninus loco mox citato, *ut ſine mora accederent Lugdunum Galliæ, ut intereſſent coronationi ſuæ. Similiter etiam vocari fecit Regem Franciæ, Regem Angliæ & Regem Aragoniæ & alios Principes ultramontanos. Ex hac autem vocatione major pars Cardinalium gravamen ſumſerunt, præcipuè Italorum, exiſtimantes ſe deceptos, cùm crederent ipſum Romam profecturum pro ſui coronatione. Unde & Dominus Matthæus de Urſinis, qui prior erat Cardinalium & antiquior, & quaſi invitus Urbem dimittebat, perſpiciens de dolo ſuæ parti illato, dixit Cardinali Prateuſi* (ſeu Nicolao Oſtienſi Epiſcopo): *Aſſecutus es voluntatem tuam in ducendo Curiam ultra montes, ſed tardè revertetur Curia in Italiam, agnoſco enim conditionem Vaſconum.* Cæterùm Angliæ & Aragoniæ Reges interfuiſſe coronationi Clementis nullibi legitur, præterquam in Sancto Antonino; imò omnes Auctores ſolius Regis Franciæ Philippi, ejuſque fratris Caroli Valeſii, ac Britanniæ, Burgundiæ & Lotharingiæ Ducum meminêre, aliorumque multorum Principum & Procerum.

VIII. *Lugduni ſolemniter coronatur.*

Paruêre tamen Clementi Cardinales, exceptis duobus, qui, ut ait Weſtmonaſterienſis in Hiſtoria, ſenio graves iter ſuſcipere non potuêre; additque duos ex iis, qui itineri ſe dederant, ex corporis jactatione, mutationeve aëris è vita exceſſiſſe. Ipſe autem Clemens in fine menſis Auguſti Lugdunum perrexit, quò Philippus Francorum Rex ac plures Principes ampliſſima ſtipati clientela confluxerant. *Fuit autem coronatus ſolemniter in Lugduno in Eccleſia Sancti Juſti, dominica infra octavas ſancti Martini, in craſtino ſancti Briccii, ſcilicet XVIII Kalendas Decembris, litera Dominicali C tunc currente, ubi Philippus Rex Franciæ fuit cum ſua nobili comitiva*, inquit Bernardus Guidonis in ejuſdem Clementis quarta Vita apud Baluzium; non verò, ut legitur apud Raynaldum num. 13, *litera Dominicali E tunc currente*: methodus enim Cyclorum oſtendit annum 1305 notatum fuiſſe litera Dominicali C, ideoque & diem 14 Novembris, qui eſt craſtinus poſt feſtum ſancti Briccii, fuiſſe Dominicalem. Eumdem diem coronationi ejus aſſignant omnes alii Vitæ Clementis Scriptores, numero quatuor. Unde Villanius, qui lib. 8, cap. 81 coronationem ejus factam ſcribit in die S. Martini, ſeu die undecima Novembris, deceptus eſt; dictis enim Scriptoribus ſuffragatur Continuator Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani.

IX. *Funeſtum in ejus coronatione præſagium.*

Philippus Franciæ Rex initio pompæ coronationis modico ſpatio pedes frænum equi Pontificis tenens, ſtratoris officio functus eſt; poſtea verò Joannes Britanniæ Dux & Carolus Valeſius Philippi Regis frater id officii pedites Pontifici exhibuerunt: ſed illud funeſti ea ſolemnitate contigit, quòd dum coronatus Clemens per urbem de more in equo procederet, muri cujuſdam vetuſtate, atque onere ſuperſtantis ad celebritatem conſpiciendam multitudinis, ruinâ dum illàc tranſiret contingente, Dux Britanniæ colliſus paucis poſt diebus obierit, & Carolus Regis frater graviter læſus fuerit. Perierunt pariter quidam alii nobiles, ac plurimi alii. Rex ad latus Pontificis equitans vix periculum evaſit. Ipſeque Pontifex in tanta trepidatione equo delapſus, excuſſa tiara carbunculum amiſit ingentis pretii. Hæc referunt citati Auctores, & inter eos Bernardus Guidonis, qui poſt laudata mox verba, ſubdit: *Cumque de loco coronationis ut Pontifex procederet coronatus cum comitiva Papali & Regali, concurrentibus & comprimentibus ſe turbis, ut viderent eum tanquam Regem Salomonem in ſuo diademate coronatum, depulſa maceria cujuſdam muri non magni corruit prope Papam, ac etiam circumſtantes; ceciditque corona de capite ejus, & in caſu avulſus fuit carbunculus pretioſus, cujus pretium dicebatur ſex millia florenorum; & ipſe Papa depoſitus eſt de equo, ſed minimè fuit læſus. Fuerunt tamen de circumſtantibus uſque ad duodecim ſic colliſi, quòd infra paucos dies obierunt; inter quos unus major fuit & præcipuus Dux Britanniæ Joannes, qui ſic colliſus, paucis diebus ſupervivens diem clauſit extremum. Frater verò Regis Franciæ Dominus Carolus fuit graviter, ſed non letaliter conquaſſatus. Ex quibus mirati ſunt univerſi, & more vulgi multi plurima præſagiebant.* Illum porrò carbunculum ſeu rubinum pretioſum poſtea inventum fuiſſe, ſcribit Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Clementis Papæ Vita.

X. *Clemens Sedem Pontificiam in Galliam transfert.*

Hæc certè clades triſtis ominis loco ceſſit. Iis namque auſpiciis tranſlata eſt Pontificia Sedes in Galliam, indignante Italia, ad cæteras Eccleſiæ calamitates, novas ex ea re tempeſtates concitari. *Prædictus Papa*, inquit Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Vita Clementis apud Baluzium, *poſt decretum receptum Clemens quintus vocatus, deliberat in Comitatu Venayſini reſidentiam facere, nec unquam montes tranſire,*

SÆC. XIV. CLEMENS V.

ſicut nec fecit, quamvis promiſerat. Manſit autem Avenione Pontificia Sedes ampliùs ſeptuaginta annis, non ſine gravi ram Italiæ, ceterarumque Chriſtianarum provinciarum, quàm ipſiuſmet Galliæ incommodo; quam propreteà Itali poſtea Captivitatem Babylonicam, quæ totidem fuir annorum, nuncuparunt. Quod artinet ad Gaiiardum de Gotto Pontificis fratrem, hic non periir ſecundùm ailquos in die coronationis, ſed in die feſto S. Clementis, ſeu die 23 Novembris, cujus infortunium, alrerum futuri mali prognoſticum notarunt mulri, & inter alios Weſtmonaſterienſis laudatus: *Papa*, inquit, *mirabiliter ſalvatus eſt: quod infortunium alicujus futuri mali prognoſticum plurima gens notavit. Die S. Clementis, cùm Papa primò Miſſarum ſolemnia celebraſſet, poſt prandium orta lite & mota pugna inter clientes Papæ & Cardinalium, unus de fratribus ſummi Pontificis occiſus eſt. Alterum fratrem ſuum cinxit Rex Franciæ baltheo militari, & multam aliam munificentiam in civitatibus & caſtellis ſuis contulit Papæ Rex Francorum, per quod in omnibus negotiis ſuis expediendis gratiam multam promeruit*. Sed falli videtur Weſtmonaſterienſis, ſcribens Gaillardum de Gotto Pontificis fratrem occiſum eſſe in die S. Clementis, ſeu die 23 Novembris, nam Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium pag. 686, obſervat extare bullam Clementis V, qua confirmat quandam donationem Eccleſiæ Burdegalenſi factam ab eodem Gaillardo, ex qua certò colligitur illum mortuum eſſe ante diem vigeſimum ejuſdem menſis Novembris. Unde Spondanus, auctore neſcio quo, ſcribit Galardum de Gotto periiſſe in die coronationis Pontificis. Tradit poſtea Weſtmonaſterienſis Eduardum Angliæ Regem dono miſiſſe Papæ omnia ſupellectilia, quibus in menſa & cubiculo miniſtratur, ex auro puriſſimo. Ceterùm licèt Ptolomæus Lucenſis dicat Clementem initio Pontificatûs deliberaſſe reſidentiam facere in Comitatu Venaiſcino, certum tamen eſt, eum ſuam curiam Avenionem, urbem runc provinciæ Phocæenſis dominii Caroli Regis Siciliæ, non tranſtuliſſe ante annum milleſimum trecenteſimum nonum, ut infrà ex eodem Ptolomæo Lucenſi oſtendemus.

XI. *Utrùm Philippum Regem Eccleſiæ reconciliaverit.* Clementem Pontificem poſt peracta coronationis ſolemnia, ut Regi de promiſſis rebus ſatisfacere inciperet, imprimis eum pleniſſimè Eccleſiæ reconciliaſſe, data de præteritis venia, ſcribit Spondanus; & Odoricus Raynaldus air, Joannem Villanium, & ex eo S. Antoninum idem habere, ſed ita intelligendos eſſe, ut Clemens renovaverit, vel etiam amplificaverit prædeceſſoris ſui Benedicti XI ſententiam. Verùm magna mihi ſuſpicio eſt id non petiiſſe à Clemente Papa Philippum Regem; cùm enim Benedictus XI Philippum abſentem & non petentem ab omnibus excommunicationum ſententiis, *quibus ex quacumque cauſa forſitan* tenebatur *adſtrictus*, abſolverit, ut ſuo loco vidimus, veriſimile non eſt Philippum eamdem abſolutionem à Clemente petiiſſe, quam non petierat à Benedicto XI, qui tamen eam ipſi impertiit. His adde ſex Vitæ Clementis Scriptores, qui extant apud Baluzium, de hac abſolutione ne verbum quidem habere; ex quo & ſequitur nutare fidem Villanii de prima ex ſex conditionibus à Philippo Rege petitis à Clemente, ut Pontifex crearetur.

SÆC. XIV. CLEMENS V.

XII. *Cardinales creat, & Columnenſes reſtituit.* Idem dubium non occurrit de quarta conditione, quam in ipſo ſui Pontificatûs exordio adimplevit Clemens, creando in Adventu Domini decem Cardinales, omnes, uno excepto, qui Anglus erat, natione Gallos; ac præterea Jacobum & Petrum Columnenſes Cardinales a Bonifacio VIII depoſitos, dignitati reſtituit, ſeu potiùs de novo creavit, qua de re hæc habet Bernardus Guidonis in laudata ejus Vita: *Pontificatûs ſui anno primo in Adventu Domini ſubſequenti, XVIII Kalendas Januarii* (ſeu die 15 Decembris, qui concurrebat cum feria quarta Quatuor Temporum) *in Lugduno fecit decem novos Cardinales; inter quos fuerunt Petrus de Capello Toloſanus Epiſcopus, poſtmodum Præneſtinus; Berengarius Fredoli Biterrenſis Epiſcopus, poſtmodum Tuſculanus; Arnaldus de Cantalupo electus Burdegalenſis; frater Thomas Anglicus Magiſter in Theologia tituli S. Sabinæ; frater Nicolaus Confeſſor Regis Franciæ tituli S. Euſebii, ambo de ordine Prædicatorum Presbyteri Cardinales; Stephanus Archidiaconus Brugenſis, Cancellarius Regis Franciæ; Guillelmus Arrufati, Arnaldus de Pelagrua, Raymundus Del Got, ſeu De Gotho nepos Papæ; Petrus Arnaldi Bearnenſis Abbas ſanctæ Crucis Burdegalenſis, cui non fuerunt anni attributi in Cardinalatu, ſed obiit infra annum. Item duos veteres renovando, quos olim Bonifacius Papa VIII depoſuerat, ipſe repoſuit in Cardinalatu, Iacobum & Petrum de Columna, patruum ſcilicet & nepotem*. Ex Epiſtolis autem Clementis habemus, Jacobum Columnam poſtea creatum ab eodem Pontifice Archipresbyterum Eccleſiæ S. Mariæ Majoris; Petrum verò nepotem, Eccleſiæ Lateranenſis pariter Archipresbyterum. Reliqua verò quæ promiſerat, ut præſtiterit, ſtatim videbitur. Porrò Thomas Anglicus erat Confeſſor Regis Angliæ Eduardi, & Nicolaus Farinula patriâ Rotomagenſis Philippo Francorum Regi à conſiliis & confeſſionibus, quem volunt primum extitiſſe ex Aulæ Regiæ miniſtris, qui Cardin. dignitate fuerit honeſtatus.

Se-

XIII. *Revocat Conſtitutiones Bonifacii VIII contra Regem Franciæ.*

Sequenti anno milleſimo trecenteſimo ſexto Clemens Ponrifex Lugduni adhuc exiſtens, pergenſque ſatisfacere promiſſis Philippo Regi factis, ipſis Kalendis Februarii duas conſtitutiones Bonifacii VIII revocavit, cum omnibus quæ eſſent ex iis conſecuta; quarum prior inſerta erat libro ſexto Decretalium, quæ incipit, *Clericis laicos*; & aliam quæ incipit, *Unam ſanctam*, de quibus ſuperiùs in ejus Pontificatu, num. XXVII & LXIII dictum eſt. Verùm priorem non ſpeciatim contra regnum Franciæ, ſed generatim contra omnes Principes Clerum vexantes promulgatam fuiſſe, ibibem vidimus, & ab ipſomet Bonifacio, quà Franciam rangeret, benignè interpretatam. Quam nihilominus omninò revocatam voluit Clemens unà cum omnibus quæ ex ea ſecuta eſſent, ac pro infectis haberi: ſtatuens tamen circa illa inviolabiliter obſervari, quæ ſuper iis in Lateranenſi, aliiſque generalibus Conciliis ſalubriter proviſa fuiſſent. *Eodem anno in Kalendis Februarii*, inquit Bernardus Guidonis laudatus, annum incipiens vel à die XXV Martii, vel à Paſchate, *Clemens Papa revocavit duas conſtitutiones Bonifacii quondam Papæ, unam quam direxerat Regi Franciæ, in qua ſcribebat eidem ipſum Regem eſſe ſubjectum Romanæ Eccleſiæ in ſpiritualibus & temporalibus; aliam verò quæ in ſexto libro Decretalium eſt inſerta, quæ incipit*, Clericis laicos. Revocavit etiam omnia, quæ ex ipſis fuerant conſecuta.

XIV. *Aliam edit pro Rege, Regno, & Eccleſia Gallicana.*

Quod ſpectat famoſam illam conſtitutionem, *Unam ſanctam*, quia Bonifacius eam edidiſſe videbatur expreſſiùs in Regem & regnum Francorum, licèt Auctores ferè omnes, qui de iis ſcripsêre, tradant non ſolùm regnum Francorum ſubjectum eſſe in temporalibus Apoſtolicæ Sedi Bonifacium contendiſſe, verùm omnia prorſus regna Chriſtiana; voluit penitus Clemens Ponrifex conſtitutione ſua declarare, nullum per prædictam Bonifacianam præjudicium Regi aut Francis generari. Extat hæc Clementis conſtitutio inter Extravag. comm. cap. *Meruit* de privil. & Tomo XI Concil. Labbei pag. 1499. Talis autem eſt: *Meruit chariſſimi filii noſtri Philippi Regis Francorum illuſtris ſinceræ affectionis ad nos & Eccleſiam Romanam integritas, & progenitorum ſuorum præclara merita meruerunt; meruit inſuper regnicolarum puritas ac devotionis ſinceritas, ut tam Regem, quàm regnum favore benevolo proſequamur. Hinc eſt quòd nos Regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII prædeceſſoris noſtri, quæ incipit*: Unam ſanctam, *nullum volumus vel intendimus præjudicium generari; nec quòd per illam Rex, regnum & regnicolæ prælibati amplius Eccleſiæ ſint ſubjecti Romanæ, quàm antea exiſtebant: ſed omnia intelligantur in eodem eſſe ſtatu, quo erant ante definitionem præfatam, tam quantùm ad Eccleſiam* (Gallicanam) *quàm etiam ad Regem, regnum & regnicolas ſuperius nominatos. Datum Lugduni Kalendis Februarii, Pontificatûs noſtri anno primo.* De conſtitutione illa Bonifacii, *Unam ſanctam*, vide dicta in ejus Pontificatu, num. 63, ubi & oſtendimus quo ſenſu intellexerit Bonifacius regnum Franciæ Apoſtolicæ Sedi ſubjectum eſſe.

XV. *Decimas eidem Regi, aliiſque Principibus concedit.*

Non ſolùm has conſtitutiones in favorem Philippi Regis revocavit Clemens Pontifex, ſed & eidem Regi conceſſit, ut teſtantur Villanius lib. 8 cap. 81 & alii, decimas regni ſui in quinquennium occaſione immenſorum ſumptuum in bellum Flandrenſe effuſorum. Qua etiam ratione literis datis Lugduni X Kalendas Januarii anni milleſimi trecenteſimi quinti, eidem remiſit & condonavit omnia quæcumque bona ab Eccleſiis, & Prælatis, aliiſque Eccleſiaſticis pro regni ſui defenſione, ab eodem ejuſque juſſu exacta, capta, vel etiam extorta fuiſſent. Sicuti & in biennium decimas Regi Angliæ conceſſiſſe ad opus Terræ Sanctæ, Weſtmonaſterienſis rradit. Idque ipſum deinceps ceteris pariter per Orbem Principibus Chriſtianis, cùm ad idem opus, tum ad bella Maurica & Turcica, inque alios Eccleſiæ hoſtes, indulſiſſe, teſtes ſunt Epiſtolæ ad eos ſcriptæ, quæ ipſius Regiſtro ſingulis ferè annis continentur, ut inquit Spondanus ad annum 1306 num. 1.

XVI. *Res Græcanicas curat.*

Eduardum Angliæ Regem dono miſiſſe Clementi Pontifici omnia ſupellectilia, quibus in menſa & cubiculo miniſtratur, ex auro puriſſimo, jam diximus ex Weſtmonaſterienſi in Hiſtoria ad annum 1305; qui idem Auctor addit, Pontificem evexiſſe Antonium de Bek Anglum Epiſcopum Dunelmenſem, nobili proſapia natum, in Patriarcham Jeroſolymitanum. Rebus enim Syriacis intendens Pontifex, dictum Antonium profectionem eò maturare, & ad Reges Romanorum, Hungariæ, Cypri & Armeniæ divertere juſſit, ut auxilia ab iis imploraret, ſcriptis ea de re ad eoſdem literis quarto Kalendas Martii anni 1306, quarum meminit Spondanus ad eundem annum num. 3. Raynaldus verò num. 14 meminit aliarum ejuſdem Pontificis literarum, quibus Antonii eximium zelum Pontifex commendavit, ac tum ipſius ſociorumque bona, dum in Oriente ageret, in clientelam Apoſtolicam adſcivit; ornavit eum etiam pluribus prærogativis, ut extra provinciam pallio uteretur. Cùmque Dunelmenſis Epiſcopatûs causâ Eboracenſi Archiepiſcopo ſubjectus eſſet, ne ab illo jura petere teneretur, ſanxit. Cùm autem perſpectum haberet Clemens, expeditionem

Sy-

Syriacam valde promoveri poſſe, ſi Carolus Valeſius Regis Francorum frater, jure hæreditario per Catharinam conjugem, filiam unicam Philippi nuncupati Imperatoris Conſtantinopolitani, neptemque illius Balduini, qui Conſtantinopolim amiſerat, ad ſe pertinens Imperium Conſtantinopolitanum recuperaret; illum non tantùm ad id hortatus eſt literis Lugduni Kalendis Februarii ſcriptis, verùm etiam conſiliis & opibus juvit. Blondus tamen eas literas ad Carolum II Siciliæ Regem ſcriptas tradit. Venetos etiam mari potentes ad auxilia illi ferenda excitavit, qui fœdus inter ſe percuſſerunt adverſus Andronicum Græcorum Imperatorem.

XVII. *Robertum Archiep. Cantuar. citat, & quare.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo ſexto Clemens Papa de Lugduno recedens poſt Paſcha rediit Burdegalam, & tranſiens per Bituricum & Lemovicas, ibi fuit die vigeſima tertia Aprilis in feſto Sancti Georgii; ſeditque Burdegalæ cum ſua curia toto illo anno, ut ſcribit Bernardus Guidonis in quarta ejus Vita, ubi incipit annum ab Incarnatione, ſeu ab Annunciatione B. Virginis die 25 Martii. Clementem Burdegalæ exiſtentem adiit Robertus Cantuarienſis Archiepiſcopus ab eo citatus, defenſionem ſuam probaturus; accuſatus enim fuerat ab Eduardo Rege, quaſi turbas in ipſum concitaſſet tempore expeditionis, quam in Flandriam ſuſceperat; ac Clericos Regi inſervientes beneficiis ſuis ſpoliaſſet. Querimoniarum hæc fuit occaſio. Cùm Rex anno 1296 duriſſimum populo ac Clero indixiſſet tributum; populo imperatum facere aſſentiente, reſpondente verò Clero id ſibi per Bonifacii Papæ præſcriptum non licere, Rex iracundia permotus bona Eccleſiaſticorum paſſim publicari, vænireque juſſit. Quo factum eſt, ut plerique injuſtam vexationem facta ſolutione redemerint; Roberto tamen Archiepiſcopo forti animo injurias atroces, bonorumque amiſſionem, pro jurium Eccleſiæ defenſione ſuſtinere eligente. Fuit nihilominus hoc eodem anno 1306 à Clemente Papa interim officii ſui adminiſtratione ſuſpenſus. Rem narrant Weſtmonaſterienſis, Walſinghamus & Harpsfeldius. Extant verò in codice Vaticano de rebus Anglicis multa alia capita gravaminum, quibus Eccleſia & Eccleſiaſtici ab Eduardo Rege & ejus miniſtris vexabantur. Quare Eduardo Rege anno 1307 demortuo, idem Robertus paulò poſt ab ejus filio & ſucceſſore Eduardo, cognomento *de Carnervan*, revocatus eſt, atque honori reſtitutus; nullo alio judicio de ejus accuſatione à Pontifice lato. Nec tamen ceſſavit unquam Robertus jura Eccleſiæ ac regni etiam contra ipſummet Regem, qui eum ab exilio revocavit, infracto animo propugnare; quouſque tandem anno milleſimo trecenteſimo duodecimo in pace requievit, laudatus à ſuis quòd toto ſuo tempore nobiliter rexiſſet Eccleſiam Anglicanam, ut ſcribit Spondanus num. 5.

XVIII. *Pictavis longam moram trahit, & quare.*

Anno 1307. Clementem Pontificem Burdegalâ cum Cardinalibus Pictavim perrexiſſe, aſſerunt ferè omnes Vitæ ejus Scriptores, qui & addunt, eum ea in civitate uno & amplius anno moratum eſſe. Joannes Canonicus S. Victoris Pariſienſis primæ Vitæ Auctor, ait: *Tunc Papa & Cardinales venerunt Pictavim, ubi longiorem moram, ut dicitur, quàm voluiſſent, fecerunt, Rege Francorum & ejus complicibus & miniſtris illic eos quaſi detinentibus violenter.* Sed Philippum Regem Papæ & Cardinalibus vim feciſſe, falſum eſſe oſtenditur ex Ptolomæo Lucenſi Auctore ſecundæ Vitæ, qui rationem hujus longioris moræ disertè aſſerit fuiſſe infirmitatem Pontificis: *Eodem anno*, inquit, ſc. 1307, *Curia vadit Pictavum pro tractanda concordia, & conſummanda inter Regem Franciæ & Regem Angliæ. Quæ quidem Curia ratione infirmitatis Papæ per unum annum quaſi ſopita ſtetit*, & revera Auctor primæ Vitæ id acceperat tantùm ex falſis rumoribus, ut indicat illis verbis, *ut dicitur*. Continuator Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani, annum more Gallicano à Paſchate incipiens, ad annum 1306 ait: *Menſe Martio, vel circa, Papa Clemens & Cardinales* Pictavim *iverunt, & illic circumcirca circiter per menſes ſexdecim reſederunt.* Dies prima Aprilis deſtinata fuerat pro initio Colloquii; ſed quia Pontifex immediatè poſt Paſcha minutionem ſanguinis celebrare debebat ex conſilio medicorum, diem diſtulit uſque ad ſextum vel ſeptimum Aprilis, ut conſtat ex ejus ad Philippum Regem Epiſtola Tomo 2 Vitarum Paparum Avenionenſium Baluzii col. 96, data Banniæ Xantonenſis diœceſis XVI Kal. Aprilis. Ad annum poſtea 1308 idem Nangii continuator ſcribit: *Æſtatis fervore tranſacto, Papa & Cardinales omnes ſoluta ad tempus Curia ab urbe Pictavis, ubi diu ſteterant, receſſerunt.* Bernardus Guidonis in tertia Vita Clementis apud Baluzium ſignantiùs tempus exprimit ejus receſsûs: *Anno autem Domini* 1308, inquit, *circa finem menſis Auguſti Clemens Papa cum Curia ſua receſſit de Pictavi.*

XIX. *Epiſcopos ordinari jubet, qui Archiepiſcopum Cambalienſem pro Tartarie conſecrarent.*

Clemens Papa Pictavis exiſtens magno exhilaratus eſt gaudio, cùm certior factus eſt de progreſſibus, qui fiebant à Joanne de Montecorvino in Æthiopia, Perſia, India & Tartaria, multa enim millia Gentilium in iis regionibus baptizaverat. Pius hic Minorita cum quibuſdam ſociis à Nicolao IV miſſus anno 1289, ut ibidem diximus, ad fidem Chriſti annunciandam, an-

anno 1291 intravit in Indiam, ut ipſemet narrat in Epiſtola, quam refert Waddingus ad annum 1305 num. 10, datâ die octava Januarii ejuſdem anni. Inde pervenit in regnum Tartarorum, eorumque Imperatori, qui dicitur magnus Cham, Pontificis Nicolai reddidit literas, quibus eum ad fidem Chriſti invitavit. Sed licèt eum ad fidem adducere non potuerit, ab eo tamen obtinuit, ut multa beneficia Chriſtianis præſtaret. Poſtea dictus Joannes Minorita Regem quemdam regionis illius *de ſecta Neſtorianorum Chriſtianorum, qui erat de genere illuſtri magni Regis, qui dictus fuit Presbyter Joannes de India*, ad Catholicæ fidei veritatem convertit, ut ipſemet pluribus refert in eadem Epiſtola. Anno poſtea 1306 unus ex ſociis Joannis de Montecorvino ab eodem miſſus eſt ad Curiam Romanam, quæ tunc in Vaſconia morabatur, qui advocatus in conſiſtorium, iſta Dei admiranda opera ſic mirabiliter incepta, & continuata per fratrem Joannem de Montecorvino ac alios fratres recitavit; rogans Papam & Cardinales, ut operam darent, quatenus hoc opus Dei augeretur & perficeretur. Continuò Clemens Pontifex Gonſalvo Minorum Generali Miniſtro mandavit, ut ſeptem fratres Minores, ornatos virtutibus, auctoritate ſua Epiſcopos ordinari & conſecrari faceret, illoſque in Tartariam tranſmitteret; ut fratrem Joannem de Montecorvino in Archiepiſcopum Cambalienſem, & Legatum totius Orientis ordinarent & conſecrarent, & ipſi ſeptem Epiſcopi ſicut ſuffraganei illi aſtarent, in præcipuis civitatibus juxta Cambaliech conſtituti Epiſcopi. Electi ergo fuerunt anno 1307 à Generali Miniſtro ſeptem fratres in Epiſcopos; & cum privilegiis Domini Papæ in Tartariam interiorem, & in Indiæ regiones ab eo miſſi ſunt. Per eoſdem ſcripſit Pontifex ad Magnum Chaamum, gratiis actis de benevolentia ejus in prædicatores Chriſtianæ religionis, & hortatus eſt ad fidem amplectendam, ut pluribus refert B. Odoricus Foro-Julienſis Ordinis Minorum Profeſſor, qui & ipſe eas regiones peragravit, in Chronicis, quæ ab Orbe condito uſque ad finem Pontificatûs Joannis XXII concinnavit. Porrò Cambalienſis urbs erat Regia magni Chaami Tartarorum in regno Cathai. Ceterùm laboraſſe adhuc pluribus annis Joannem de Montecorvino apud Tartaros cum grandi proventu, legere eſt apud Waddingum ad annos 1326 & 1338.

XX. *Eludit petitionem Regis Franc. contra memoriam Bonifacii VIII PP.*

Ad Clementem Pontificem Pictavis exiſtentem anno 1307 acceſſiſſe Philippum Francorum Regem atque ſupplicaſſe, ut ſextam petitionem, quam promiſerat, uſque ad illam horam nondum expreſſam, adimpleret, ſcribit Joannes Villanius lib. 8 cap. 91, cujus narrationem Hiſtoriæ ſuæ part. 3 tit. 21 cap. 1 §. 2 latinitate donatam S. Antoninus inſeruit: *Et hoc erat*, inquit, *ut memoriam Bonifacii VIII deleret de Catalogo Pontificum, ac combureret corpus ejus & oſſa, aſſerens ſe poſſe probare contra illum per Clericos ſuos, ipſum fuiſſe hæreſi infectum, & pluribus aliis ſceleribus irretitum. Ad quam petitionem turbatus eſt Papa cum Cardinalibus; conſiderabat* enim, ſubdit Antoninus poſt pauca, *quia hoc agere eſſet injuſtum, & impium dedecus Eccleſiæ redundans: cùm Papa Bonifacius in nullo de hæreſi argui valeret, ſed potius ex lib. 6, quem edidit Decretalium, oſtendebatur ſinceritas fidei ejus*. Ne tamen Regis animum ab ſe alienaret Clemens, conſilio Nicolai Cardinalis Pratenſis, ſeu Epiſcopi Oſtienſis, quo maximè utebatur, Regi ſignificavit, Bonifacium damnari non poſſe, quin eâdem operâ Cardinales abdicarentur ab eodem promoti, qui iidem erant, à quibus ipſe Clemens in Pontificem electus fuiſſet: Damnari quoque Summum Pontificem non poſſe, niſi in Oecumenica Synodo legitimè accuſatum convictumque: ſeque eam indicturum, ut causâ cognitâ, tantò majori Bonifacii ignominiâ, Regiſque gloriâ ejus memoria damnaretur. Quo reſponſo utcumque Regi ſatisfactum eſt. Rem ſic geſtam narrat S. Antoninus laudatus ex Villanio, quam & indicat Ptolomæus Lucenſis Auctor ſecundæ Vitæ Clementis apud Baluzium, cùm ſcribit, petitiones quaſdam per Regem Franciæ Pontifici fuiſſe porrectas apud Pictavum anno 1307, *quas Cardinales judicaverunt non exaudiendas. De quibus in Curia orta eſt non modica diſcordia, quia petitiones tranſcendebant regalem ſtatum. Unde facta eſt commiſſio ſex Cardinalibus, & nihil uſque modò eſt obtentum*, inquit Ptolomæus Lucenſis. Ceterùm omnes alii Vitæ Clementis Scriptores de hac petitione ſilent; & non deſunt alii Auctores, qui ſextam petitionem à Philippo Rege reſervatam, ſuo tempore proponendam, velint fuiſſe extinctionem Templariorum; alii verò reductionem Imperii à Germanis in Francos. De Templariorum extinctione agemus commodiùs in Concilio Generali Viennenſi; mox verò de electione Henrici VII in Regem Romanorum: ſed antea obſervandum eſt Pontificem, ut Philippi Regis animum aliquatenus mitigaret, eum iterum de commiſſis in Bonifacium Papam ampliſſima venia donaſſe, ut conſtat ex bulla, quam ea de re refert Raynaldus *data Pictavis Kalendis Junii, Pontificatus anno II* ſeu anno 1307, qua & Guillelmum de Nogareto, & Reginaldum Supinum equites, qui Bonifacium ceperant, venia pariter donat, modò crimen ſuſceptis ritè pœnis à tribus Cardinalibus ibidem nomi-

na-

SÆC. XIV. CLEMENS V.

natis imponendis, expiarent.

XXI. *Edicto ante ſuam coronationem valere decernit.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo ſeptimo cùm accepiſſet Pontifex, quoſdam diſputare præſumere de quibus eis non expedit, & aſſerere non vereri, Romanum Pontificem ante ſuæ benedictionis & coronationis ſolemnia ſe intromittere non debere de proviſionibus, reſervationibus, diſpenſationibus & aliis gratiis faciendis, nec ſe in literis Epiſcopum ſimpliciter, ſed Electum Epiſcopum ſcribere, neque etiam uti bulla, in qua nomen exprimitur ipſius; excommunicationis ſententiam promulgavit in omnes, qui negarent literas ab eo tam ſuper gratiis, quam negotiis quibuſcumque confectas ante ſuam benedictionem, nullius eſſe roboris, auctoritate Apoſtolica declarans, ipſas exiſtere validas, plenamque habere roboris firmitatem. Diploma hac de re ab eo datum *apud Peſſacum Burdegalenſis diœceſis IV Kalend. Martii anno ſecundo* Pontificatus, extat apud Raynaldum anno 1307 num. 27, eſtque ultima Conſtitutio Clementis V inter Extravagantes communes, qua clauditur Liber textus Decretalium. Idem antea ſtatuerat Innocentius III, ut ejus Pontificatus initio diximus.

XXII. *Henricum VII. in Regem Rom. eligi procurat.*

Anno milleſimo trecenteſimo octavo Albertus Imperator, ſeu Romanorum Rex, Bohemiam invadere, & pagos Helveticos rebelles perſequi deliberans, Kalendis Maji, poſt tranſmiſſum navigio Rhenum, dum per ſata meridie in propria ſua terra apud Rinteldam equitaret, gladio occiſus eſt à proprio nepote Joanne Sueviæ Duce, filio Rudolphi olim fratris ſui, ut pleriquè Auctores hujus temporis ſcribunt. Alberto mortuo, Philippus Francorum Rex, ſi fides ſit penes Villanium laudatum cap. 101, & S. Antoninum §. 5 de Imperio in Gallias poſtliminio reducendo ſollicitus, cujus ſpem Carolo Valeſio ipſius fratri Bonifacius fecerat, Clementem ad id peragendum urgere deliberavit. Qua de re ſecretò monitus Pontifex, ſimulque timens, ſi id fieret, Eccleſiam graviori ſervituris jugo preſſum iri, arte & diligentia Nicolai Cardinalis Pratenſis, jam a Rege alienati ob memoriam Bonifacii Papæ ab eo impetitam, cum Electoribus clam egit, ut priuſquam Philippus de his cum Pontifice tractare poſſet, ſucceſſorem Alberto nominarent Henricum Ducem Lucemburgenſem: quod ipſi celerrimè *intra octiduum* executi ſunt. Quare Philippus Franciæ Rex *videns ſe fruſtratum ſpe ſua, indignatus eſt, & nunquam poſtea fuit amicus Papæ.* Hanc Villanii narrationem ſuſpectam habet Henricus Spondanus, quòd dicat electionem Henrici factam eſſe intra octiduum, cùm omnes Auctores electionem factam ponant vel menſe Auguſto, nonnulli in feſto omnium Sanctorum, alii denique octavo, vel ſeptimo, vel etiam quinto Kalendas Decembris, ſex aut ſeptem menſibus poſt Alberti mortem. Sed in hoc fallitur Spondanus; Villanius enim ſignificat electionem Henrici factam eſſe *intra octiduum* à receptione mandatorum Pontificis, non verò a morte Alberti. Rectè tamen obſervat, Philippo Regi vitio aut crimini verti non poſſe, quòd reſtitutionem rei à ſuis deceſſoribus poſſeſſæ, & à Bonifacio Papa promiſſæ, ab ejus ſucceſſore obtinere ambierit. Hic porrò Henricus Lucemburgius Aquiſgrani coronatus eſt in die Epiphaniæ anni 1309, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis in Vita Clementis, & dicendus Rex Romanorum eo nomine ſeptimus, ſi nulla habeatur ratio Lantgravii, qui anno 1245 electus fuit contra Fridericum ſecundum.

XXIII. *Baſilicam Lateran. incendio combuſtam in priſtinum ſplendorem reſtitui curat.*

Cùm Clemens Pontifex Pictavis adhuc ſubſiſteret, nocte, quæ precedit feſtum Sancti Joannis ante portam Latinam, ſeu nocte præcedente diem ſextum menſis Maji anni 1308, magno infortunio accidit Romæ, ut Baſilica Lateranenſis unà cum Patriarchio & ædibus circumvicinis incendio conſumpta fuerit; ſolà exceptâ ædiculâ dictâ *Sancta Sanctorum*, quâ aſſervabantur ſacra capita SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, ut teſtantur Joannes Villanius lib. 8 cap. 97, & ex eo S. Antoninus part. 3 tit. 21 cap. 1 § 4; qui in eo tamen falluntur, quòd velint illud incendium contigiſſe menſe Junii, cùm omnes Vitæ Clementis Scriptores illud conjungant cum feſto S. Joannis ante portam Latinam, ſicuti & ipſe Clemens Pontifex aſſerit in literis ea de re ad Jacobum Columnam Diaconum Cardinalem datis. Clemens enim ad tam acerbum caſum vehementer indoleſcens, & damnum celerrimè reſarcire cupiens, ſtatim Iſnardum Archiepiſcopum Thebanum Romam cum magna pecunia tranſmiſit, ut cum ejuſdem Cardinalis Columnenſis & aliorum Cardinalium conſilio Eccleſiam Lateranenſem reſtauraret, atque priſtino ſplendori reſtitueret; licèt, ut ſcribit Platina, eo anno tanta caritate ac penuriâ rerum laboratum in regno ſit, ut vix ad cibum & potum ſatis pecuniarum haberet. Literas hac de re ad Cardinalem Columnenſem à Clemente datas *Pictavis III Idus Auguſti anno tertio* refert Raynaldus ad annum 1308 num. 10. Friderico etiam Trinacriæ Regi ſcripſit Pontifex literas, datas ibidem ſecundo Idus Auguſti, quas recitat Victorellus in Notis ad Ciaconium, pro trabibus & lignis ad hoc opus è Sicilia mittendis. Bzovius autem anno 1308 num. 12 notat, eundem Pontificem Carolo Siciliæ Regi etiam injunxiſſe, ut ex regni Eccleſiæ ſylvis ligna & trabes in reparationem exſcindi, atque Romam convehi

vehi juberet. Indulgentias denique ſingulares conceſſit Pontifex porrigentibus manus adjutrices; quibus demum factum eſt, ut omnia in meliorem & ſplendidiorem ſtatum reſtituta fuerint. Obſervatque rem notatu dignam Ptolomæus Lucenſis tunc vivens, in Vita Clementis; tanto zelo hac in re proceſſiſſe nobiles fœminas Romanas & viros timoratos, ut ipſas quadrigas onuſtas lapidibus traherent ad Eccleſiam, non permittentes ut animalia eam violarent.

XXIV.
Archiepiſcopatum Moguntinum Petro cuidam medico confert.

Clementem Papam longiorem moram Pictavis feciſſe, quia ibidem graviter infirmatus eſt, jam ſuperiùs ex Ptolomæo Lucenſi oſtendimus: narrat autem Serarius Hiſt. Mogunt. lib. 5, eum ab hac infirmitate ſanatum arte cujuſdam Petri medici expertiſſimi, quem Henricus Comes Lucemburgenſis, poſtea Imperator, ad Pontificem miſerat pro Archiepiſcopatu Moguntino, tunc vacante, Balduino ejuſdem Henrici Comitis fratri petendo. Sed cùm repulſam pro Balduino paſſus eſſet ob juvenilē ejus ætatē; ſanatus Pontifex ab infirmitate, in quam interim incidiſſet, eidem ipſi Petro medico Archiepiſcopatum contulit, dicens, cùm tam felix eſſet curator corporum, maximè convenire, ut & inſignis conſtitueretur animarum curator & medicus, præſertim cùm eſſet Vir pius & moribus inſignis, qui & poſtea curavit Balduinum creari Archiepiſcopum Trevirenſem. Id tamen Trithemius in Chronico Hirſaugienſi refert ad annum 1306.

XXV.
Curiam ſuam Avenionem transfert.

Eodem anno milleſimo trecenteſimo octavo Curia adhuc Pictavis exiſtente, Clemens Pontifex ante finem menſis Auguſti, quo exeunte, ut ſuperiùs diximus, ex ea urbe receſſit, conſtituit unà cum Cardinalibus, quòd Curia transferretur Avenionem, urbem dominii Caroli Regis Siciliæ, ubi liberiores forent ab importunis Philippi Francorum Regis petitionibus; *& hoc pronunciatum fuit ex ore Summi Pontificis*, ut inquit Ptolomæus Lucenſis in ejus Vita, ſubdens poſtea: *In qua tranſlatione ſic fuit diffinitum, quòd circa octavas Epiphaniæ* (anni 1309) *omnes eſſent ibidem; interim autem unicuique liceret ire quò vellet. Propter quam cauſam Cardinales* diſperſi ſunt *per diverſa loca*. Pontifex autem interea Burdegalam adiit; Raynaldus enim anno 1308, num. 35, & ſeq. refert duas ejusdem Pontificis literas datas *apud S. Æmilianum Burdegalenſis diœceſis, XII Kalend. Octobris anno III*; num. verò 12 alias refert datas *apud Laureum montem Burdegalenſis diœceſis IX Kal. Novemb. anno III*; tandemque num. 16 alias datas *Lectoræ II Nonas Decembris anno IV*. Qua ex ultima Epiſtola demonſtratur, Clementem annos Pontificatûs ſui exorſum eſſe à die ſuæ coronationis, quæ facta eſt die decima quarta Novembris anni 1305, cùm duæ priores Epiſtolæ menſibus Septembri, & Octobri datæ notentur anno tertio, hæc verò ultima data poſt diem 14 Novembris notetur anno quarto.

XXVI.
S. Bertrandi Convenarum Epiſc. reliquias transfert.

Nativitatem Domini ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi octavi Toloſæ celebravit Pontifex; inde ad Convenarum urbem, cujus olim Epiſcopus fuerat, divertit, ibique reliquias ſancti Bertrandi, Convenarum olim Epiſcopi, cum debita reverentia & honore propriis manibus tranſtulit die decima ſexta Januarii anni 1309. Bernardus Guidonis in ejus Vita apud Baluzium, poſtquam dixit Pontificem circa finem menſis Auguſti anni 1308, de Pictavis receſſiſſe, ſubdit: *Tranſivitque per Burdegalam & Ageneſium & Toloſam, fuitq; Toloſæ in feſto Natalis D. uſque ad Epiphaniam. Recedenſq; de Toloſa declinavit ad ſedem ſancti Bertrandi Epiſcopi & Confeſſoris diœceſis, quæ dicitur Convenarum, ubi in feſto B. Marcelli Papæ, ſcilicet XVII Kalend. Februarii, corpus ſacrum ſancti Bertrandi Epiſcopi & Confeſſoris, cujus ipſe fuit conſors in nomine, & ſucceſſor in ſede, de loco, in quo prius erat, in capſam tranſtulit pretioſam, quam ad hoc idem Papa fecerat ſuis ſumptibus fabricari. Magnam quoque conceſſit indulgentiam viſitantibus ibidem ſacras Confeſſoris reliquias annuatim.* Porrò S. Bertrandus fuit Epiſcopus Convenarum ab anno 1073 ad annum circiter 1123, quo juxta Dionyſium Sammarthanum in Nova Gallia Chriſtiana animam Deo reddidit 17 Kalendas Novembris.

XXVII.
Avenionem cum Curia pergit.

Inde Clemens Pontifex Avenionem, quò jam plures Cardinales ſe contulerant, perrexit, ad eamque ineunte vere pervenit, ut diſertè aſſerit Joannes Canonicus ſancti Victoris Pariſienſis in prima ejus Vita apud Baluzium: *In principio veris*, inquit, *venit Papa de Burdegala ubi hiemaverat, Avinionem; ibique in domo fratrum Prædicatorum pro ſe diligenter parata habitans, longo tempore in eadem urbe manſit; ſecuti ſunt eum Cardinales.* Plures tamen eum præceſſerant; nam Ptolomæus Lucenſis in ejuſdem Clementis ſecunda Vita ſcribit: *Anno Domini 1309 una pars Cardinalium, videlicet decem, pervenit Avinionem de diverſis partibus. Alia pars ſequebatur Papam de Pictavis in Vaſconiam, ſed maximè de Toloſa uſque Avenionem.* Clementem Avenionem veniſſe ineunte vere ex eo etiam deducitur, quòd, ut mox dicetur, die Cœnæ Domini, quæ anno 1309 concurrebat cum die vigeſima ſeptima menſis Martii, ea in urbe exiſtens Venetos excommunicaverit.

XXVIII.
Venetos ob Ferrariam occupatam anathemate percellit.

Veneti enim anno 1308, circa principium menſis Auguſti, mortuo Azone Marchione Eſtenſi, & Franciſco illius fratre, ac Fliſco Azonis ſpurio inter ſe de Princi-

SÆC. XIV. CLEMENS V.

patûs ſucceſſione contendentibus, Ferrariam civitatem ad Eccleſiam Romanam pertinentem, quamvis multis beneficiis à Pontifice affecti, interceperant. Qua de cauſa ſæpius moniti, cum eam reſtituere detrectarent, ac cenſuras Eccleſiaſticas in ſe à Nunciis Apoſtolicis ad hoc miſſis vibratas flocci facerent; eoſdem denuò Pontifex Avenione exiſtens in die Cœnæ Domini anni 1309, ſi adhuc poſt triginta dies, aliaque præſcripta pœnitentiæ tempora, in pertinacia perſeverarent, diro anathemate damnavit; civitatem, univerſumque eorum dominium interdicto ſuppoſuit, ac ſubditos à juramento fidelitatis abſolvit; ipſos infames & inteſtabiles, omnibus privilegiis & immunitatibus privatos, & a quibuſcûque officiis ac dignitatibus, etiam Ducatûs, depoſitos declaravit, bona eorum mobilia & immobilia, atque rationes omnes ubicumque gentium eſſent, occupantibus conceſſit. Anathematis diploma integrum extat apud Bzovium anno 1309, num. 2, diciturque datum *Avenione ipſa die Cœnæ Domini, Pontificatus anno* 4, in quo exponit Pontifex Ferrariam in fundo Eccleſiaſtico conditam, à primis illius fundatæ temporibus, Romanis Pontificibus obnoxiam, à Venetis *ab octo menſibus circa principium menſis Aprilis* fuiſſe occupatam; ſed ibi legendum, *circa principium menſis Auguſti*, a quo ad exeuntem Martium anni ſequentis 1309, quo ſententiam anathematis in eos tulit Pontifex, octo menſes interjiciuntur: Anno Domini 1309, inquit Bernardus Guidonis in quarta Clementis Vita, *in Cœna Domini in Avinione Clemens Papa magnum proceſſum fecit contra Venetos, eoſque anathematizavit & privavit conſortio aliarum civitatum, & perſonas ac res ipſorum expoſuit volentibus & valentibus occupare, omnes Religioſos mandavit exire de Venetiis, & de quibuſcumque locis aliis eorum ditioni ſubjectis, quia Veneti Ferrariam civitatem contra Eccleſiam indebitè occupabant.* Eadem ferè leguntur in ſexta Clementis Vita Auctore Amalrico Augerii de Biterris.

XXIX. *Ferrariam arripit.* Sed cum his non obſtantibus Veneti ab incœpto non deſiſterent, ad eos debellandos Pontifex miſit cum copiis Gallorum Cruceſignatorum Arnaldum de Pelagrua Diaconum Cardinalem tit. S. Mariæ in Porticu, affinem ſuum, qui inito cum Lombardis, Bononienſibus & Florentinis fœdere, eos vigeſimo octavo die Auguſti inſigni prælio ad Francoliuum juxta Padum profligavit, cæſis quinque, vel ſex hominum millibus, ac Ferrariam recuperavit, ut narrant Villanius lib. 8, capp. 103 & 115, S. Antoninus tit. 21, cap. 2, & Bernardus Guidonis, qui poſt laudata verba ſubdit: *Fuitque miſſus Legatus à latere Papæ Dominus Arnaldus de Pelagrua Diaconus Cardinalis in Italiam feſtinanter. Et ſubſecuta eſt hominum magna ſtrages. Fuitque capta & recuperata Ferraria per Legatum in ſequenti menſe Auguſto in feſto ſancti Auguſtini, non ſine multo effuſo ſanguine Ferrarienſium & Venetorum in prælio juxta Padum, captis & expulſis Venetis de Caſtro Theobaldi, quod conjungitur civitati, unde ipſam civitatem graviter expugnabant: ipſumque caſtrum cum burgo & turri, quæ eſt in capite pontis, ac pontem prius Veneti occupaverant & tenebant. Fertur autem numerus occiſorum hominum una die quinque millia, exceptis mortibus plurimorum, quæ præceſſerunt, & poſtmodum ibidem & alibi ſunt ſecutæ.* Porrò Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Clementis Vita Arnaldum de Pelagrua Cardinalem aſſerit fuiſſe *conſanguineum germanum* ejuſdem Pontificis, cum tamen Villanius laudatus cap. 115, & verus catalogus Cardinalium, qui extat Tomo 3 Libertatum Eccleſiæ Anglicanæ pag. 1155, appellent eum *nepotem Papæ*: quæ ita conciliari poſſe exiſtimat Baluzius in Nota ad illum locum Bernardi Guidonis, ut hic Cardinalis dicatur nepos Papæ, quamvis revera non fuerit nepos, eo modo quo Bernardus de Garvo, qui erat filius conſanguineæ germanæ Clementis, dicitur ejus nepos ab eodem Bernardo Guidonis. Sed hæc conciliatio mihi ſtare poſſe non videtur; licèt enim filius conſanguineæ germanæ poſſit dici nepos, conſanguineus tamen germanus nullo modo nepos appellari poteſt, ideoque vel Bernardus Guidonis, vel alii errarunt.

XXX. *Henrici Regis Romanorum electionem confirmat.* Eodem anno milleſimo trecenteſimo nono Henricus Dux Lucemburgenſis, anno ſuperiori in Regem Romanorum electus, & Aquiſgrani in die Epiphaniæ coronatus, ſolemnes nuncios, ſcilicet duos Epiſcopos & tres Comites, Avenionem ad Clementem Papam miſit, qui peterent confirmationem electionis, & coronationem Imperii ab ipſo Papa ſibi dari. Pontifex ejus electionem admiſit, & confirmavit menſe Julio, volens ipſum nominari Regem Alemanniæ & Romanorum, & quòd poſſet agere quæ Regis erant, coronationem verò Imperii promiſit, tempus eidem aſſignans, ut à feſto Purificationis ad duos annos Romam pergeret, coronam ibidem Imperii recepturus. Id conſtat ex Ptolomæo Lucenſi, & Bernardo Guidonis in ſecunda & quarta Vita Clementis Papæ apud Baluzium. Literas, quas hac de re ſcripſit Henricus ad Pontificem, edidit Raynaldus anno 1309, num. 10, ex quibus, illos nuncios fuiſſe numero ſeptem, Ottonem nimirùm Baſileenſem, & Sifridum Curienſem, Epiſcopos; Amedeum Comitem Sabaudiæ; Joannem Delphinum Viennenſem & Comitem Albonenſem; Guidonem de Flandria; Joannem

nem

SÆC. XIV. CLEMENS V.

nem Comitem de Saraponte, & Simonem de Marvilla Papæ Capellanum, Theſaurarium Metenſem. Edidit ibidem Raynaldus inſtrumentum ſacramenti per Procuratores dicti Regis præſtiti, factum *anno Domini 1309 die ſabbati vigeſima ſexta menſis Julii, Indictione ſeptima, Pontificatûs ſanctiſſimi patris & domini noſtri, Domini Clementis divina providentia Papæ V anno quarto in palatio Papali Avinion. videlicet in domo Fratrum Prædicatorum ejuſdem loci*, in qua Pontifex reſidentiam faciebat. Tandem edidit literas Clementis ad Henricum, quibus Imperialem ei coronam promittit, datas *Avinioni VII Kal. Auguſti anno IV.* Albertinus Muſſatus in Vita Henrici VII lib. 1, cap. 3, poſtquam dixit Legatos diadema Imperiale petiiſſe, ſubdit: *Quod & facile ſui obtinnerunt Legati, literis patentibus, termino ad hoc in certam diem præfixo conſtitutione ſolemni, emologata etiam electione cum ſacræ benedictionis præconio, cujus & diadematis appoſitioni ſe ipſum Romæ in ſedem Pontificalem comparitturum & effecturum deſpondit.*

XXXI. Robertum Caroli Claudi filium Siciliæ Regem ungit.

Cùm Carolus hujus nominis II Siciliæ Rex eodem *anno 1309, quinta die introitus menſis Maji* obiiſſet, ut ſcribit Bernardus Guidonis laudatus, haud levis de ſucceſſione regni inter Robertum, tertium Caroli natu filium, & Carolum ſeu Carobertum Hungariæ Regem, Caroli Martelli olim etiam Hungariæ Regis filium exorta controverſia, hic enim, utpote natus ex Carolo Martello Caroli II primogenito, regnum ſibi jure repræſentationis deberi aſſerebat. Sed cum regnum Siciliæ ad dominium Eccleſiæ pertineret, magis ex re Chriſtianæ Reipublicæ eſſe judicavit Pontifex Virum ei præficere pacis & belli artibus apprimè inſtructum, quàm puerum, cui ſatis ſuperque regnum Hungariæ ſufficere deberet. Inſuper Bonifacii VIII conſtitutio adverſabatur Carolo; hic enim Pontifex anno 1297 a Carolo II Rege conſultus, ad ſopienda imminentia bella ſanxerat, ut in Siculo ſceptro ſuccederet, qui proximo gradu Regem Siculum, eo tempore quo e vivis excederet, habita in eodem gradu ætatis ratione, attingere compertus eſſet, ut legere eſt apud Raynaldum ad eum annum, num. 53. Quare defuncto Carolo Martello, Roberti tertio geniti (nam ſecundo natus erat S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus) cauſa vicit, Clementis Pontificis auctoritate; cùm id Siciliæ rebus conduceret, tum ob Roberti ſapientiam ac ſcientiam militarem, tum ne Carolus, qui vix Hungariæ regno ſufficeret, alterius regni mole obrueretur: cùm maximè ea regna disjuncta eſſent, belliſque graviſſimis ſæpius fluctuarent. Id tradunt, hanc Clementis Papæ ſententiam approbantes, Baldus in lib. 3, & l. Ut inteſtato c. de ſuis & legit. cum antiquioribus c. de jur. deliber. & Bartolus in authent. Poſt fratres, c. de legit. hæred. celeberrimi illius ævi Juriſconſulti. Robertus itaque filius, eorum, qui ſupererant, natu maximus, Carolo II patri ſucceſſit, eumque Clemens Papa, accepto fidei ac clientelæ ſacramento, Avenione dominica prima Auguſti coronavit, ut ait Bernardus Guidonis, qui poſt laudata verba ſubdit: *Cui ſucceſſit in regno & comitatu* (nempe Provinciæ) *Robertus filius ejus, qui fuit coronatus & unctus in Regem per Clementem Papam V apud Avinionem dominica prima ſequentis Auguſti anno Domini prætaxato.* Joannes quidem Villanius lib. 8, cap. 112 differt ejus coronationem uſque ad diem octavum menſis Septembris; ſed ſacramentum à Roberto Rege preſtitum Avenione die vigeſima ſexta menſis Auguſti, quod extat apud Raynaldum num. 19 oſtendit, ejus coronationem eum diem præceſſiſſe.

XXXII. Bonifacium Papam accuſandi poteſtatem facit.

Philippus Franciæ Rex anno 1308 à Clemente Papa Pictavis exiſtente per Guilelmum de Plaſiano militem petiit inter alia, ut fieret juſtitia de Bonifacio Papa, ab ipſo aliàs perita, ideſt ut damnaretur ejus memoria tanquam hæretici, ejuſque nomen è catalogo Pontificum expungeretur: ad quod reſpondit Pontifex, *quod licet non crederet Bonifacium erraſſe, quia facta ejus in Eccleſia ſolemne perhibent teſtimonium in contrarium, juſtitiam tamen negare non poterat*, inquit Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Clementis Papæ Vita, in qua poſtea ad annum 1309 ſubdit: *Eodem anno in Septembri Papa Clemens propter juſtitiam Regis Franciæ & ſuorum in publico conſiſtorio ſic denunciavit, ut liceat proſequi contra bonæ memoriæ Dominum Bonifacium, vel etiam defendere & excuſare, quem primò dictus Papa excellentiſſimè commendavit. Poſt hæc autem ad menſem hanc denunciationem in ſcriptis redegit, & portis Eccleſiarum mandavit affigi, aſſignans omnibus terminum peremptorium ad comparendum, videlicet dominicam Quadrageſimæ. In hoc etiam reſcripto Papa multum commendavit prædictum Dominum Bonifacium.* Priorem hanc Pontificis declarationem factam dicit à Pontifice Bernardus Guidonis in quarta Clementis Vita, *Idibus Septembris*, & quidem rectè; eo enim die datum eſt à Clemente hac de re diploma, quod refert Raynaldus anno 1309 num. 4, ubi etiam adducit partem literarum ejuſdem Pontificis ad Epiſcopum Pariſienſem datarum, ut Guilelmo Pleſſiano aliiſque accuſatoribus ſignificaret, ut die juridica poſt Dominicam memoratam, nempe primam Quadrageſimæ anni 1310, Avenionem accederent & comparerent ad procedendum in dicto ne-

SÆC. XIV. CLEMENS V.

gorio. Hæ literæ datæ ſunt *in prioratu de Grauſello prope Malauſan Vaſionenſis diœceſis, XV Kal. Novembris anno quarto.* In priori porrò diplomate Clemens profitetur ſe tales accuſationes permittere, ne *ſacroſancta Romana Eccleſia, quæ mater eſt cunctorum fidelium & magiſtra, quæque cunctis tribuit Catholicæ religionis normam, veramque doctrinam fidei orthodoxæ*, videatur *negligere quod in aliis debet diræ cenſuræ acerbitate damnari.*

XXXIII. *Accuſatores in conſiſtorio publico audit.*

Poſteriori Clementis Papæ reſcripto freti Guillelmus de Pleſſiano & Guillelmus de Nogureto Avenionem perrexerunt, ſed rejecti ſunt tanquam perſonæ inhabiles ud uccuſandum ſummum Pontificem, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis luudutus ad annum 1310. Sed AmaIricus Augerii de Biterr. In ſexta Clementis Papæ Vita apud Baluzium eam in rem hæc ſcribit: *Clemens primò apud Avenionem in conſiſtorio publico ad requiſitionem Regis Franciæ pronunciavit, & licentiam dedit generaliter omnibus quibuſcumque accuſandi Bonifacium Papam VIII prædeceſſorem ſuum de crimine hæreſis, de quo ipſe erat diffamatus. Coram quo dominus Guillelmus de Nogareto, qui eum ceperat, multa ſuper hoc crimina in conſiſtorio publico contra ipſum Bonifacium propoſuit & objecit. Et ex adverſo quidam Cardinalis, qui erat de genere dicti Bonifacii Papæ, ipſum ſuper ipſis criminibus objectis multipliciter excuſavit, & Regem Franciæ & dictum Guillelmum de Nogareto & Sciarram de Columna cum multis aliis ſuper captione dicti Bonifacii & theſauri ſui deprædatione terribiliter accuſavit. Pro quibus de magno ſcandalo quotidie dubitabatur. Nam dictus Guillelmus de Nogareto cum magna ſocietate armata ex una parte, & dictus Cardinalis eodem modo ex altera in conſiſtorium Papæ pro celebrandis ſuis dictis conveniebant.* Ea uutem quæſtio per totum ferè annum 1310 duravit, ut ait Ptolomæus Lucenſis luudutus.

XXXIV. *Totius negotii determinatio à Philippo Rege Clementi Papæ remittitur.*

Clemens Pontifex in his æſtuuns, cùm ex una parte difficile exiſtimuretur rem denegare Philippo Regi, quæ juri & æquo conſona videbatur, ut ſcilicet convocaretur Concilium generule ud examinundus & dijudicundas accuſationes adverſus Bonifacium propoſitas, quod olim annuiſſe Pontificem ſuperius vidimus; & ex altera opprobrioſum foret Sedi Apoſtolicæ, & memoriæ Bonifacii injurioſum, de ejus fide, quæ per impactionem hæreſis impetebatur, dubitare, atque in Concilio Generali cauſam ejus ventilari: tandem mediam quamdam viam prudenter ſectatus, petiit à Rege, ut pro pace & honore Eccleſiæ deſiſteret ab ejuſmodi poſtulutione, totumque negotium dimitteret ordinationi Ipſius Clementis Pontificis, & Eccleſiæ, quæ ex officio diſpoſituru de illo eſſet, prout religioni, fideique ac paci Eccleſiæ, & utilitati publicæ videret expedire. Cui petitioni Rex annuens, ex Fonte bliaudi dedit ad eundem Pontificem literus menſe Februario anni 1311, quibus, prædictis breviter narratis, totius negotii determinutionem officio Sanctitatis ſuæ plenariè reliquit, ſecundùm Ipſius arbitrium & Cardinalium conſilium, in futuro Concilio, vel aliàs dirimendum: promittens ſe eorum ordinationi uut judicio, quantum ad ſopiendam querelam inſtitutam, ſeu impoſterum inſtituendam de hæreſi contru Bonifacium pertineret, perpetuò acquieturum. Eas quidem Regis ud Pontificem literas ſcriptas ait Spondanus menſe Februario anni 1310; ſed ex eo, ut puto, deceptus eſt, quòd non meminerit, menſe Februario anni 1311 adhuc in curſu fuiſſe in Galliis annum 1310, ubi unnus à Paſchate initium ducebut; quod eò ſecuriùs dicendum, quòd veriſimile non eſt, Pontificem diſtuliſſe ad ipſum reſcribere uſque ad finem Aprilis anni 1311, ſi literas Regis recepiſſet menſe Februario anni 1310; quod tamen ita factum aſſerit Spondanus ibidem.

XXXV. *Clemens PP. Regi abſolutionem tribuit omnium contra Bonifacium PP. geſtorum.*

Immediatè enim poſt hæc num. 3 obſervut, Clementem Papam Avenione ad Philippum Regem reſcribentem *quinto Kalendas Maji anno Pontificatûs ſexto*, ideoque exeunte Aprili anni 1311, deterſiſſe ab eo omnem maculam ac notam, qua ob geſtas cum Bonifacio ſimultates inuſtus fuiſſet: quibus de rebus umpliſſimum edidit diploma, cujus exordium a præclaris Francorum Regni & Regum encomiis uuſpicatus eſt, poſteaque ait, Regem de hæreſi & criminibus Bonifacii à magnæ uuctoritatis viris perſuaſum, in eum zelo fidei ugere cœpiſſe; ac quæ per Noguretum & ſocios in Bonifacii capturu geſtu fuêre, eorum nihil Regem præcepiſſe, nihil ſciviſſe; denique ad ipſius Clementis inſtantiam, totius negotii deciſionem Ipſius & Eccleſiæ diſpoſitioni commiſiſſe. Quocircu ſe Regi & ſuis udverſus futura pericula ſic planè proſpicere in animo habentem, ut inclytæ domus & regni Franciæ famu celebris, ſuique nominis cluritas ubique divulguta per Orbem, nullis obloquentium morſibus, vel aliorum caninis latratibus, qui vel ex ignorantiu veritatis, uut propriæ mulignitatis uſtutia, vel invidiæ ſtimulis concitati malum in bono præſumunt & prædicant, impoſterum pateret; ſed in ſui ſplendore luminis ſemper illibatu perſiſteret, uc charitatis, unitatis & pacis fœderu, quæ inter Eccleſiam Romanam & Reges uc regnum Franciæ viguerunt & vigent, in ſui roboris firmitate obſervurentur: omnes ſententias latas ab homine, vel à jure, conſtitutiones & declurationes, in quantum præ-

SÆC. XIV. CLEMENS V.

præjudicarent, vel præjudicare poſſent honori, ſtatui, juribus & libertatibus dictorum Regis, & Regni, regnicolis, denunciatoribus, fautoribus, adhærentibus in cauſa Bonifacii: nec non privilegiorum revocationes & ſuſpenſiones, ac quoslibet proceſſus excommunicationum, interdictorum, privationum, depoſitionum, & alios quoſcumque juris vel facti, verbo vel literis, in ſcriptis vel ſine ſcriptis, directè vel indirectè, principaliter vel incidenter, implicitè vel explicitè, publicè vel occultè contra dictum Regem, liberos & fratres ipſius & regnum Franciæ, ſtatum, jura, & libertates ejuſdem; itemque contra denunciatores, objectores, Prælatos, Barones & alios habitatores regni, cauſâ vel occaſione rerum contra Bonifacium quomodocumque & ubicumque, etiamque apud Anagniam geſtarum; atque item contra adjutores vel adhærentes, vivos vel mortuos, factos & habitos à feſto Sanctorum omnium anno nativitatis Dominicæ milleſimo trecenteſimo citra, ad cautelam revocare, abrogare, & nullos ac irritos declarare: omnem notam ſive maculam ex præmiſſis quibuſcumque, culpam aut infamiam juris vel facti, quæ poſſent inde in quemcumque vel quomodocumque imputari, abolere atque auferre: & tam Regem, quàm alios quoſcumque in omnibus & per omnia in eum ſtatum reponere ac plenè reſtituere, in quo erant ante ſuprà dicta.

XXXVI. *Hæc omnia deleri jubet.*

Denique ut omnium memoria penitus aboleretur, ſententias omnes, conſtitutiones, declarationes, revocationes, ſuſpenſiones, excommunicationes, proceſſus, aliaſque quaslibet ſcripturas publicas vel privatas ſuper præmiſſis factas, de libris, tabulis & regeſtis Eccleſiæ Romanæ omninò tolli & expungi juſſit eodem diplomate: inhibens ne quis cujuſcumque dignitatis aut præeminentiæ, originalia vel tranſcripta retinere, occultare, aut aliis communicare auderet; ſed intra quatuor menſes omnia eradere & conſumere tenerentur, alioquin excommunicationis ſententiam incurſuri: ante autem hæc omnia libellos criminariorum contra Bonifacii memoriam conſcriptos flammis addixerat. Clementis diploma refert Raynaldus anno 1311 num. 26, & ſeqq. ſed in pluribus mutilatum, præſertim in iis quæ Regum & regni Francorum præconia ſpectant. Ibidem verò dicitur *datum Avin. V Kal. Maji, Pontificatûs noſtri anno VI.* Rectè itaque Bernardus Guidonis in ſæpiùs laudata Clementis Vita ſcribit: *Anno Domini* 1311 *quarta die exitûs menſis Aprilis, ſcilicet V Kalendas Maji, in Avinione per Clementem Papam fuit in conſiſtorio publicè excuſatus Philippus Rex Franciæ de his, quæ egerat contra memoriam Bonifacii quondam Papæ; & pronunciatum ad excuſationem Regis, quòd ea egerit bonâ intentione & bono animo atque zelo, præſentibus ibidem nunciis Regis; & hæc fuerunt conſequenter bullæ Papalis teſtimonio confirmata, fuitque ibidem Clementi Papæ commiſſum totum negotium, totuſque proceſſus habitus Bonifacii memorati ab utraque parte: ſcilicet accuſante & defendente, & renunciatum atque concluſum per viam pacis tractatæ. Papa verò ſuſcepit ſuper ſe negotium examinandum & finaliter terminandum.* Ex quibus patet deceptos eſſe Amalricum Augerium in Chronico, & Continuatorem Guillelmi de Nangis, qui, ex Spondano, hæc referunt ad annum 1310. Idem tamen Amalricus Augerius in ſexta Clementis Papæ Vita apud Baluzium ea refert ad annum 1311, ſicuti & Ptolomeus Lucenſis in ſecunda ejuſdem Pontificis Vita, in qua ad eum annum ſcribit: *Eodem anno circa menſem Aprilis ambaſiatores Regis Franciæ concordiam tractant cum Bonifacianis. Unde & illi cedunt accuſationi, & iſti defenſioni. Inſuper & Rex excuſatur à captione Domini Bonifacii prædicti multis rationibus & cauſis.*

XXXVII. *Nogaretum abſolvit certis conditionibus.*

Cùm verò à ſupradictis declarationibus & gratiis exceptos voluiſſet Pontifex tam Guillelmum de Nogareto, Sciarram de Columna & alios nobiles, quam Anagninos cives, qui invaſioni dicti Bonifacii & rapinæ theſauri Eccleſiæ interfuiſſe dicerentur, de iis alia ratione condignè conſtiturus; alio decreto eadem die dato, quod extat apud Raynaldum num. 52, quod dictum Nogaretum ſpectat, declaravit: etſi is aſſereret, de his quæ in perſonam Bonifacii & invaſionem domus ejus ac rapinam theſauri facta fuiſſent, ſe pluribus rationibus, quas ſe probaturum offerebat, non teneri, ac propterea excommunicationis ſententiis contra eum ratione præmiſſorum à Benedicto XI pronunciatis non ligari: quia tamen cum inſtantia humiliter & devotè impertiri ſibi abſolutionis beneficium ad cautelam peteret, ſe volentem *ſaluti animæ ſuæ providere, nec non & conſideratione ipſius Regis, pro ipſo in hac parte cum inſtantia ſupplicantis ipſum ab omnibus ſententiis ſupradictis* abſolvere *ad cautelam*, injuncta ei pœnitentia, *videlicet quòd in proximo paſſagio generali* transfretaret *perſonaliter cum equis & armis in ſubſidium Terræ Sanctæ, ibidem inter dictæ Terræ ſubſidium perpetuò* moraturus, niſi per Sedem Apoſtolicam fuerit diſpenſatus. Voluit inſuper Pontifex peregrinationes faceret infraſcriptas: *Videlicet, quòd viſitet B. Mariæ de Valle viridi, de Rupe amatoria, Anicienſis de Bolonia ſuper mare, Carnotenſis S. Ægidii, & de Monte majori Eccleſias; ac limina B. Jacobi Compoſtellani*, iiſdem ab hæredes ejus adimplendis, ſi priùs con-

tin-

Digitized by Google

tingeret eum mori. Datum eſt diploma *Avinione V Kal. Maji anno ſexto*. Ex quibus patet tres laudatos Vitæ Clementis Scriptores rectè hæc retuliſſe anno 1311. *Guillelmus de Nogareto*, ſubdit Ptolomæus Lucenſis, *abſolvitur cum pœnitentia dura, quia adjudicatur paſſagio ultramarino & omnibus peregrinationibus, quas conſueverunt facere Chriſtiani. Tunc Ambaſiatores Regis offerunt cameræ Domini Papæ centum millia florenorum, quaſi pro quadam recompenſatione laborum circa dictam cauſam*. Quibus ex verbis Ptolomæi Lucenſis eo tempore viventis, deducitur, tunc finem accepiſſe odioſam illam quæſtionem, quæ multo tempore univerſum mundum ſuſpenſum tenuit; & revera Spondanus id collegerat anno 1310 num. 4 ex ſuperioribus, licèt prædictum Ptolomæi Lucenſis locum non legiſſet. Deceptus eſt tamen in eo quòd hanc in rem citat Jo.nnem Villanium & S. Antoninum, quaſi dicant, tunc Bonifacium à Clemente declaratum fuiſſe verum Pontificem & verè Carbolicum; hi enim duo Auctores id factum referunt in Concilio Viennenſi, in quo tamen nulla mentio eſt habita de cauſa Bonifacii, quæ jam Avenione ante Concilium finita erat.

XXXVIII. Bonifacii PP. cauſam ſibi & Sedi Apoſtolicæ reſervat.

Licèt porrò tam accuſatores, quàm defenſores memoriæ Bonifacii cœptis deſtitiſſent, remque contuliſſent in Apoſtolicæ Sedis arbitrium, Clemens tamen, ut nihil penitus indiſcuſſum remaneret eorum, quæ contra fidem eſſent, Epiſtolâ 36 lib. 6, fidelibus omnibus denunciavit, ita ſe admiſiſſe illos, ideſt accuſatores & defenſores, à perſequenda lite diſcedere, ut tamen omnium, qui aliquid adversùs Bonifacium, vel pro eo defendendo vellent afferre, dicta benignè ab Apoſtolica Sede exciperentur. *Quia*, inquit Clemens in ea Epiſtola, eodem die, ſcilicet V Kalendas Maji Avenione data, apud Raynaldum anno 1311 num. 51, *nobis, qui ſucceſſores ſumus illius, licèt immeriti, in quo Chriſtus fidei poſuit fundamentum, incumbit neceſſitas quam libenter amplectimur, quòd de iis, quæ contra fidem eſſent, nihil prout poſſumus relinquamus penitus indiſcuſſum; declaramus & noſtræ intentionis extitit & exiſtit, quòd prædictas dimiſſionem & impoſitionem in officio noſtro juxta formas, ut præmittitur, ita recipimus, quòd quicumque fideles & Catholici, qui admittendi fuerint, poſſint nos inſtruere & informare, ac teſtes nominare in negotio ſupradicto tam pro his quæ propoſita ſunt vel proponentur ad defenſionem & excuſationem ipſius Bonifacii & memoriæ ejuſdem, quàm contra eum, & memoriam ipſius: & ita in ipſa dimiſſione & ante diximus & expreſſimus*. Ex quo deducitur, Pontificem non reſervaſſe Concilio generali Viennæ mox celebrando illius controverſiæ cognitionem, ut ſcribit Raynaldus, ſed ſoli Sedi Apoſtolicæ, cui tam ab accuſatoribus, quàm à defenſoribus fuerat remiſſa. Qua de re vide dicenda in Concilio Viennenſi, de quo antequam agamus, recenſenda nobis ſunt quædam Clementis geſta ante illius celebrationem.

XXXIX. Hoſpitalarios milites pecunia, & indulgentiis juvat ad Rhodum Turcis eripiendam.

Cùm poſt Syriam amiſſam milites Hoſpitalarii in Cyprum ſceſſiſſe, ibique ab Inſulæ Rege indignè haberentur, liberiorem ſedem aucupantes, permittente Clemente Papa, per totum Chriſtianum orbem miſſis nunciis Indulgentias Cruciatæ prædicare fecerunt, & infinitam pecuniam exinde colligentes, Rhodum inſulam nobiliſſimam Carpathii maris aggredi cœperunt, conceſſam ſibi à legitimo ipſius Domino Andronico Imperatore Conſtantinopolitano, eamque cum quinque aliis adjacentibus, poſt quatuor annorum oppugnationes cruentiſſimas, indulgentiarum & pecuniarum largitione à Clemente Pontifice adjuti, inſtructioribus comparatis copiis tandem occuparunt die feſto Aſſumptionis Beatiſſimæ Virg. XVIII Kalendas Septemb. an. 1310, pulſis Turcis, qui eam Saracenis, hique Græcis eripuerant: fortiſſimè æquè ac ſolertiſſimè rem agente Fulcone de Villareto Hoſpitalariorum Magiſtro, natione Gallo, una cum Petro Epiſcopo Ruthenenſi, poſtea Patriarcha Jeroſolymitano & Apoſtolico Legato, ex ordine Minorum aſſumpto, de cujus Legatione egit Waddingus anno 1309. Hæc conſtant ex antiquioribus & probatioribus Auctoribus, & præſertim ex Bernardo Guidonis, qui in quarta Vita Clementis Papæ apud Baluzium oppugnationem inſulæ cœptam dicit anno 1306, ejuſque expugnationem cum anno 1310 conjungit; cui utpote tum viventi major fides habenda, quàm aliis qui anno antecedenti, vel etiam ante biennium eam collocant. Porrò Petrus Ruthenenſis Epiſcopus anno tantùm 1314 dictus eſt Patriarcha Jeroſolymitanus à Clemente V poſt mortem Antonii Dunelmenſis Epiſcopi, ut legere eſt apud Raynaldum eo anno num. 12, ex quo conſtat deceptum Spondanum, cùm ad annum 1305 num. 8 ſcripſit, Petrum Ruthenenſem fuiſſe Patriarcham Jeroſolym. quando capta eſt Rhodus ab Hoſpitalariis.

XL. Novos Cardinales creat.

Eodem anno milleſimo trecenteſimo decimo exeunte, decimo quarto Kalendas Januarii, ſeu die decima nona menſis Decembris, quæ cum ſabbatho Quatuor Temporum concurrebat, Pontifex Avenione ſecundam fecit Cardinalium promotionem. Creati ſunt autem quinque omnes Vaſcones, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis in Clementis Vita: *Fueruntque tunc aſſumpti in Cardinales*, inquit Bernardus Guidonis laudatus, *Arnaldus de Falgueriis Archiepiſcopus Arelatenſis in Epiſcopum Sabinenſem;*

Ber-

Digitized by Google

Sæc. XIV. CLEMENS V.

Bertrandus de Bordis Epiſcopus Albienſis & Camerarius Papæ, qui obiit infra annum ſequenti menſe Septembris; Arnaldus Novelli Abbas Fontisfrigidi Ciſtercienſis Ordinis Vicecancellarius, in presbyteros Cardinales; Raimundus verò Guillelmi de Fargis nepos Papæ ex ſorore, & Bernardus de Garvo de Sancta Liberata nepos Papæ ex conſanguinea germana, in Diaconos Cardinales, qui nondum erant Subdiaconi ordinati. De illorum Cardinalium dignitatibus & origine legendus Baluzius in Notis ad Vitam Clementis V à Bernardo Guidonis ſcriptam.

Concilium Viennenſe Generale XV.

XLI. *Concilium Viennenſe à Clemente V indicitur.*

CUM Philippus Franciæ Rex à Clemente V Papa Pictavis exiſtente anno 1307 poſtulaſſet, ut Bonifacium Papam VIII deleret de catalogo Pontificum, & combureret corpus ejus & oſſa, aſſerens ſe poſſe probare contra illum per Clericos ſuos ipſum fuiſſe hæreſi infectum, & pluribus aliis ſceleribus irretitum; Clemens turbatus, hanc petitionem eludere non potuit aliâ viâ, quàm ſignificando Regi Summum Pontificem damnari non poſſe niſi in œcumenica Synodo legitimè accuſatum & convictum. Literis itaque datis *Pictavis ſecundo Idus Auguſti anno tertio* ſui Pontificatûs, ſeu anno 1308, quæ extant Tomo XI Collectionis Conciliorum Labbei, Concilium univerſale indixit Kalendis Octobris anni 1310, Viennæ Allobrogum celebrandum. Illud tamen poſtea ex certis & legitimis cauſis uſque ad Kalendas Octobris anni 1311 prorogavit, binis literis ad omnes ubique Prælatos; alteris ſecundo Nonas Aprilis anni quinti ſui Pontificatûs nondum finiti; alteris decimo Kalendas Decembris anno ſexto Avenione datis anno 1310, quæ ibidem leguntur, quibus præcepit omnes convenire Viennam Allobrogum; quam civitatem à Clemente electam ſcribunt Joannes Villanius lib. 8 cap. 91, & S. Antoninus tit. 21 cap. 1 §. 2, quòd eſſet extra Regis Philippi territorium ac juriſdictionem; ac proinde liberiora futura eſſent Patrum vota circa res ibi tractandas.

XLII. *Numerus Patrum Concilii.*

Clemens itaque Pontifex circa medium menſem Septembrem ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi undecimi cum Cardinalibus Viennam perrexit, ut diſertè ſcribit Ptolomæus Lucenſis ſæpiùs laudatus in ejus Vita: *Eodem anno*, inquit, *hoc eſt undecimo* ſupra milleſimum trecenteſimum, *circa medium Septembrem Papa cum Cardinalibus vadit Viennam de Veneſino ad Concilium ibidem celebrandum juxta tempus ſtatutum.* Præter Cardinales interfuiſſe Concilio plus quàm trecentos Epiſcopos, ultra alios Prælatos de diverſis partibus orbis, ſcribunt Joannes Villanius lib. 9 cap. 22, & S. Antoninus tit. 21, cap. 3. Joannes verò Marius Belga de ſchiſm. & Concil. lib. 1 cap. 20 ait, huic Concilio, quod *magnum & generale totius Eccleſiæ* vocat, plures quàm trecentos Eccleſiaſticos Patres ex variis Chriſtiani Orbis partibus interfuiſſe. Vixit autem Joannes Marius Belga tempore Ludovici XII, qui anno 1498, dictus eſt Rex Francorum. Sed Continuator Chronici Guillelmi Nangii, qui hoc ipſo tempore vivebat, quique extat Tomo 11 Spicilegii Dacherianı, ad annum 1311, tradit: *Concilium generale, quod Papa Clemens fecerat convocari prima die menſis Octobris apud Viennam urbem Provinciæ, centum quatuordecim Prælatorum cum mitris, abſque ceteris non mitratis & abſentium procuratoribus, congregatur.*

XLIII. *Concilium verè fuit œcumenicum.*

Sed ſive trecenti, ſive centum tantùm quatuordecim Prælati mitrati ei interfuerint, non minùs dicendum eſt generale & œcumenicum; nam præterquam quòd dicitur generale à S. Antonino & ab Auctoribus laudatis, ex eo convincitur fuiſſe œcumenicum, quòd Romanus Pontifex eidem præfuerit, atque inter alios Alexandrinus & Antiochenus Patriarchæ ritûs Latini interfuerint. Nec obſtat parvus numerus Epiſcoporum, ſi revera centum tantùm quatuordecim interfuerunt, quia quando Synodus octava generalis Conſtantinopoli ſæculo nono incœpta eſt, primæ Actioni interfuerunt Epiſcopi duntaxat duodecim, & Synodo univerſæ ſubſcripſerunt tantùm centum & novem, ut ſuo loco diximus; quod tamen non impedivit, quin verè hæc Synodus dicta ſit œcumenica, quia juſſu Hadriani II convocata fuerat, & ejus Legati ei præfuerant. Quod idem dicendum de ſexta Synodo generali, cujus ultimæ Actioni repeciuntur ea tum ſubſcripti Epiſcopi centum ſexaginta ſex. Concilio denique Lugdunenſi primo interfuerunt tantùm Epiſcopi centum quadraginta. His adde, Concilio Viennenſi adfuiſſe, præter Epiſcopos, magnum ceterorum Prælatorum atque Abbatum, necnon Legatorum Principum numerum. Acceſſit etiam ad ſecundam Seſſionem Philippus Rex Franciæ unà cum fratribus Carolo Valeſio & Ludovico Rege Navarræ, Philippo Comite Pictavienſi, & Carolo Marchiano, aliiſque Principibus.

XLIV. *Ejus epocha.*

Concilium convocatum fuit ad Kalendas Octobris anni milleſimi trecenteſimi undecimi, ut conſtat tam ex literis indictionis, quàm ex omnibus ferè Auctoribus hujus temporis, nempe Scriptoribus Vitarum Clementis V, Guillelmi Nangii Continuatore

SÆC. XIV. CLEMENS V.

tore, & aliis; ideoque deceptus eſt Joannes Villanius, & poſt eum Sanctus Antoninus, ac Joannes Marius Belga, qui Concilium menſe Novembri cœpiſſe ſcribunt: *Anno Domini* 1311, inquit S. Antoninus, *Kalendis Novembris cœpit celebrari Concilium generale Viennæ in Burgundia, prout fuerat ante publicatum*. Sed primam ſeſſionem 17 Octob. celebratam mox videbimus.

XLV. *Cauſæ ejus convocationis.* Cauſas indictæ Synodi aperit Pontifex in diplomate convocationis, quod incipit, *Regnans in cœlis*; ex eo enim eruitur quatuor de cauſis illud convocatum. Primò ob negotium Templariorum, quorum Ordo publica graviſſimorum criminum infamia laborabat. Secundò, ob cauſam fidei variis erroribus laceſſitæ. Tertiò, ob ſubſidium Terræ ſanctæ. Quartò, ob reſtaurationem eccleſiaſticæ diſciplinæ. *Quia ſalubre in his adhiberi remedium*, inquit Pontifex in dicto diplomate, *intereſt generaliter omnium, Nos cum eiſdem fratribus noſtris, aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum fratrum conſilio, Univerſale Concilium, ſicut imitatione digna ſanctorum Patrum conſuetudo laudabilis longævæ obſervationis exemplo nos inſtruit, proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediatè ſequentes decrevimus congregandum; ut in eo tam circa dictum Ordinem & perſonas ſingulares & bona ejusdem, & alia quæ ſtatum tungunt fidei Catholicæ, quàm circa recuperationem & ſubſidium Terræ ſanctæ, & reparationem, ordinationem & ſtabilitatem Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum Perſonarum, & libertatem earum, illa, Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione Concilii roboretur, per cujus ſalutiferam executionem virtus Altiſſimi eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejuſdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolida ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejuſdem Terræ ſtatu proſperè reparato, occupata reſtituat, vaſtata reſtauret, & reſtaurata conſervet*. Licèt porrò Pontifex aſſerat, ſe quatuor his de cauſis Concilium indicere, omnes tamen Vitæ ejus Scriptores, & Continuator Guillelmi Nangii, licèt Auctores contemporanei, imò & ipſe Guillelmus Durandus Epiſcopus Mimatenſis, qui Concilio adfuit, in relatione quam edidit de hoc Concilio, quæ extat, expreſsè habent, Pontificem tres cauſas expoſuiſſe in Seſſione prima, propter quas Concilium celebrandum duxiſſet, videlicet Templariorum, Terræ ſanctæ & Reformationis morum Chriſtianorum, ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ; quia ſcilicet, ut ego quidem conjicio, ad iſtud ultimum caput referunt ea quæ tangebant ſtatum fidei Catholicæ; certum eſt enim plures errores in eo Concilio fuiſſe damnatos, ut infra patebit. Sed Bonifacii Papæ accuſationem aut defenſionem fuiſſe unam ex cauſis indictionis Concilii, neque Pontifex, neque Auctores citati aliqualiter innuunt.

XLVI. *Prima Concilii ſeſſio.* Prima Concilii ſeſſio habita eſt die decima ſexta menſis Octobris *in die ſabbati in octabis beati Dionyſii* in Eccleſia Metropolitana Viennenſi, in eaque, facta invocatione Spiritûs ſancti, Papa aſſumpto themate iſto pſalmi centeſimi decimi, *In concilio juſtorum & congregatione magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*, prædicavit & expoſuit triplicem cauſam convocationis Concilii generalis, ſcilicet propter factum Templariorum enorme, propter ſubſidium Terræ Sanctæ, & Reformationem ſtatus totius Eccleſiæ, ut ait Continuator Nangii, cui conſentiunt omnes Vitæ Clementis Scriptores, ex quibus Bernardus Guidonis ſcribit: *In Kalendis Octobris fuit per Clementem Papam V apud Viennam ſupra Rhodanum generale prælatorum Concilium convocatum; fuitque prima ſeſſio Concilii inchoata XVII Kal. Novembris, ſabbato ante feſtum beati Lucæ. Ubi Concilio reſidente Summus Pontifex propoſuit de agendis, videlicet de ſtatu Ordinis militiæ Templi, qui de infanda profeſſione graviter culpabatur; de paſſagio etiam tranſmarino ad recuperationem Terræ ſanctæ, ac generaliter de reformatione totius ſtatûs Eccleſiæ, & conſervatione Eccleſiaſticæ libertatis, ut Prælati recogitarent ſuper prædictis ſubtiliter ordinandis & circumſpectione providè terminandis*. Sicque terminata eſt prima ſeſſio, poſt quam quiſque ad propria remeavit.

XLVII. *Ante ſecundam ſeſſionem Pontifex Templariorum Ordinem caſſat.* Poſt illam ſeſſionem per totam hyemem ſubſequentem tempus deductum eſt eſt inter colloquia & tractatus inter Papam, deputatoſque ab eo Cardinales, Prælatos, Procuratores & alios quorum intererat, *multæque deliberationes habitæ vel factæ fuerunt in præmiſſis, uſque tamen ad adventum Regis Franciæ, qui habitorum à principio contra Templariorum Ordinem & perſonas proceſſuum ſpecialiter promotor & zelator præcipuus in favorem fidei dicebatur*, inquit Continuator Nangii ad annum 1311; qui poſtea ad annum ſequentem 1312 ſcribit, Philippum Regem cum filiis Viennam adveniſſe *circa Quadrageſimam*, ſive circa initium menſis Februarii. *Sequenti verò menſe Martii, feria quarta in hebdomada ſancta, XI Kalendas Aprilis ſummus Pontifex, multis Prælatis cum Cardinalibus coram ſe in privato conſiſtorio convocatis, per proviſionis potius, quàm condemnationis viam Ordinem Templariorum caſſavit & penitus*

SÆC. XIV. CLEMENS V.

nitus annullavit, perſonis ac bonis ejuſdem Ordinis ordinationi ſuæ & Eccleſiæ reſervatis, verba ſunt Bernardi Guidonis loco ſuperiùs citato; idque factum eſt ante ſecundam ſeſſionem.

XLVIII. *Illam caſſationem in ſecunda ſeſſione promulgat.*

Secunda enim ſeſſio celebrata eſt tantùm die tertia menſis Aprilis ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi duodecimi, & in ea, præſente Philippo Rege, Carolo Valeſio fratre, & tribus liberis, caſſatio prædicta Templariorum promulgata eſt à Summo Pontifice: *In ſequenti verò menſe Aprili*, ſubdit Bernardus Guidonis, *tertia die introitus ejuſdem menſis, anno Incarnationis Dominicæ jam mutato* (non verò *jam notato*, ut habet Raynaldus, non advertens Bernardum inchoaſſe annum à Paſchate more Gallicano, ſcilicet 1312) *fuit ſecunda ſeſſio Concilii celebrata, in qua prædicta caſſatio Ordinis Templariorum extitit per Summum Pontificem Concilio radiante publicè promulgata, præſente Rege Franciæ Philippo, cui negotium erat cordi, ac domino Karolo fratre ſuo, & tribus liberis ejuſdem Regis, ſcilicet Ludovico primogenito Rege Navarræ, & Philippo & Karolo; ſicque annihilatus eſt Ordo Templi poſt annos circiter centum octoginta quatuor, quibus militaverat, impinguatus ac dilatatus nimis, multis libertatibus ac privilegiis Sedis Apoſtolicæ communitus*. Amalricus Augerii in ſexta Clementis Vita id etiam factum refert *tertia die menſis Aprilis*, quæ, ut ait Continuator Nangii, concurrebat cum *die Lunæ poſt Quaſi modò*; Paſcha enim celebratum erat die 26 Martii.

XLIX. *Templariorum exterminii cauſa.*

Bernardus porrò Guidonis & Amalricus Augerii aſſerentes Ordinem Templariorum per centum octoginta quatuor annos aut circiter militaſſe, ejus exordium deducunt ab anno 1128, quo confirmatus eſt in Concilio Trecenſi, ut oſtendit Annotator Baronii ad annum 1118, num. 22, & anno 1127, num. 11; novem enim antea annis ejus inſtitutores fuerant Hugo de Paganis & Godefridus de ſancto Audemaro Equites, qui cùm certum domicilium non haberent, Balduinus II Jeroſolymorum Rex locum eis in palatio, quod ſecus Templum Domini ad auſtralem plagam ſitum erat, ad habitandum conceſſit; indeque *fratres Militiæ Templi* dicti ſunt, inquit Matthæus Pariſius. Multa fortiter & feliciter in utilitatem Reipublicæ Chriſtianæ præſtiterunt, unde prædiis ac divitiis ampliſſimis ubique hoc tempore abundabant; quo factum eſt, ut pleraque Auctores, & inter eos Bocacius huic tempori proximus, de caſibus Virorum Illuſtrium lib. 9, in Jacob. Meld. eorum extirpationis initium retulerint in avaritiam Philippi Franciæ Regis, eorum bona, quæ maxima in Galliis erant, concupiſcentis. Verùm hæc calumnia colorem aliquem haberet, ſi eorum in ſola Gallia exterminatio facta fuiſſet; at cùm in toto Orbe Chriſtiano exterminati ſint, ſi res avaritiæ tantummodò fuit, non ſolùm ceteri Principes eodem crimine culpandi venirent, verùm & ipſe Pontifex iniquitatis damnandus eſſet, qui Ordinem florentiſſimum, reique chriſtianæ adeò utilem tam fœdo fundamento deleri juſſiſſet; ipſaque Synodus univerſalis erroris accuſanda, quæ confirmavit. Deinde hæc calumnia deſtruitur, ex eo quòd eorum bona Hoſpitalariis, aliiſque religioſis Ordinibus militaribus, tam in Galliis, quàm ubivis locorum, ſaltem immobilia attributa fuerint: quantumvis ea Clemens Papa initio in Terræ ſanctæ ſubſidium deſtinaſſet. Ceterùm apoſtaſiæ, idololatriæ, ſodomiæ, & hæreſis crimina ipſis impacta nemo credere poſſet, niſi publica Clementis Pontificis diplomata, ac diligens facta eorum indagatio fidem facerent, accuſationem haudquaquam vanam extitiſſe. Qui plura hac de re cupit, legat Spondanum ad annos 1307, & 1311, & præcipuè Baluzium in notis ad Vitas Paparum Aven. pag. 589, & ſeq.

L. *Eorum bona Hoſpitalariis addicta.*

Quod attinet ad eorum bona, poſt multam conſultationem fuére illa, quæcumque & ubicumque exiſterent, Hoſpitalariis Equitibus, qui *Rhodii* tunc dicebantur, addicta, decreto ea de re edito ſexto Nonas Maji: ut quæ data fuiſſent ad ſubſidium Terræ ſanctæ & impugnationem inimicorum fidei Chriſtianæ, iis meritò attribuerentur, qui pro recuperatione dictæ Terræ, & fidei Chriſtianæ propagatione indeſinenter laborarent, & ſanguinem ſuum profunderent. Excepta tamen illa ſunt, quæ eſſent in regnis Caſtellæ, Aragoniæ, Portugalliæ & Majoricarum, ob bella quæ contra Mauros, bonam adhuc partem Hiſpaniæ occupantes, ab iis Regibus gerenda ſupererant, ut refert Bernardus Guidonis in quarta Clementis Papæ Vita; qui addit, poſtmodum in regnis Majoricarum & Aragoniæ bona Ordinis Templi Hoſpitalariis fuiſſe aſſignata, ſicuti & alibi. De his agit diſtinctiùs ex Regeſto Clementis Papæ Boſius in Hiſtoria Hoſpitalariorum Tomo 2, lib. 1.

LI. *De eorum perſonis quomodo diſpoſitum.*

Quod verò ſpectat ad perſonas Templariorum, decretum eſt in Synodo, notabiliores ordinationi ſpeciali Romani Pontificis reſervari, ceteros provincialibus Synodis ita committi, ut ſontibus, qui judicium detrectaſſent, pro ratione criminum ſupplicia irrogarentur; inſontes, aut qui leviter deliquiſſent, vel ultrò confeſſi verè contriti apparerent, detracto habitu in iiſdem Domibus, in quibus profeſſi fuiſſent, vel etiam in aliis Religionibus à Sede Apoſt. approbatis, quas ipſi eligerent, de bonis, quæ fuerant Templariorum, uſque ad finem vitæ aleren-

tur: ita tamen quòd in una domo, unove monaſterio multi ſimul nullatenus ponerentur. Quæ pluribus refert Bernardus Guidonis in laudata Clementis PP. Vita apud Baluzium.

LII. *Tertia, & ultima ſeſſio Concilii.* Tertia & ultima Concilii ſeſſio habita pridie Nonas Maji, ſeu die ſexta Maji, ut produnt Auctores laudati: *In ſequenti verò menſe Maji, pridie Nonas ejuſdem menſis*, inquit Bernardus Guidonis loco citato, *in feſto ſancti Johannis ante portam Latinam, quod fuit in ſabbato infra octavas Aſcenſionis Domini, tertia & ultima generalis Concilii Seſſio celebrata; fuitque Concilium, quod ſeptem fere menſibus protractum fuerat, terminatum anno Domini prætaxato, præſidente in Concilio Clemente Papa V, Pontificatûs ſui anno ſeptimo in Vienna* anno 1312. Quid in ea ſeſſione agitatum ſit, non explicant Auctores. Cùm tamen certum ſit alia pleraque in Concilio acta eſſe, hæc alibi ſunt expiſcanda.

LIII. *Concilium Crucem ubique prædicari ſtatuit.* Continuator Martini Poloni, hujus temporis Auctor, ſcribit, ſeſſione prima actum fuiſſe de recuperatione Terræ ſanctæ, decretumque eſſe, ut Crux per univerſum terrarum orbem prædicaretur. Continuator verò Guillelmi Nangii, hoc tempore etiam vivens, loquens de ſecunda Concilii ſeſſione, habet, Philippum Franciæ Regem præſentem promiſiſſe, *quòd infra annum cum liberis, fratribus ſuis, necnon procerum regni ſui, & aliorum regnorum multitudine copioſa Crucem aſſumeret, & ab inſtantibus Martii Kalendis ad ſex annos iter arriperet ad transfretandum in ſubſidium Terræ ſanctæ; quòd ſi morte vel alias eſſet legitimo impedimento excuſandus, primogenitus ſuus ad hoc exequendum ſe ſe fideliter obligavit, ſed nihil fecit.* Ad hoc igitur ſe ſe obligavit Philippus Rex ante ſecundam ſeſſionem, quæ habita eſt poſt *inſtantes Kalendas Martias*, ſed poſtea in ſecunda ſeſſione Concilium conceſſit Regi decimas in ſexennium pro ea cauſa, idem enim Continuator ſubdit: *Qua de cauſa Prælati devota affectione decimas ad ſex annos conceſſerunt eidem* (nempe Regi); *quorum videlicet tam Regis devotionem, quàm decimarum obligationem Summus Pontifex & ſacrum Concilium approbarunt, & ſic fuit illa ſeſſio terminata.* Decimæ ergo in ſecunda ſeſſione Philippo Regi ſunt conceſſæ.

LIV. *Conſtitutiones, Clementinæ dictæ, in Concilio editæ.* Conſtitutiones plurimas vel mores vel fidem concernentes, quæ extant in corpore Juris canonici, & Clementinæ inſcribuntur, editas non eſſe in Concilio, ſed à Summo Pontifice duntaxat, qui tamen facto approbante Concilio ſtatuere ſe ait, volunt quidam Recentiores, addentes Synodum Pontificis judicio horum ſtatutorum editionem reſervaſſe ac permiſiſſe, quod colligunt ex eodem Continuatore Guillelmi Nangii: *Porrò*, inquit, *etſi de aliquibus ſtatum, vel reformationem univerſalis Eccleſiæ tangentibus aliqua prolocuta fuerint, & eorum ordinatio, ſeu proviſio, ſeu deciſio, à Prælatis & aliis quorum intererat, priuſquam Concilium ſolveretur, & inſtanter & pluries à Papa peteretur, de quibus etiam ipſe Papa (ut dixerunt aliqui) decretales quaſdam præterea conſtitutiones edidit & ſtatuta; nunquam tamen in dicto Concilio fuerunt publicè promulgata, ſed penitus judicio Apoſtolico liberè fuerunt reſervata, & ad plenum dimiſſa.* Sed mihi videtur ex hoc tantùm inferri poſſe, Clementinarum promulgationem Pontifici fuiſſe reſervatam, non verò earum editionem; quod eruo ex Amalrico Augerii in ſexta Clementis Papæ Vita, in qua ait: *Super autem ſtatu Eccleſiæ & libertate ipſius in dicto Concilio plura ſtatuta ſalubria ſtatuta & facta fuerunt, quæ hodie Clementinæ nuncupantur. Sed ipſe Clemens in multis aliis negotiis arduis impeditus, & poſtea morte præventus, iſtas conſtitutiones publicare nequivit.* Quibus ex verbis apertè colligitur, Conſtitutiones illas in Concilio editas, ſed earum promulgationem Clementi Pontifici fuiſſe reſervatam. Id confirmatur ex eo quòd Baluzius in Addendis ad Notas Vitarum Paparum Avenionenſium pag. 1416 ait, ſe reperiſſe in Chronico illorum temporum, quod extat in codice 5496 Bibliothecæ Colbertinæ, hæc verba: *Iſte Clemens Papa ad petitionem Archiepiſcoporum, Epiſcoporũ, & aliorum plurium Prælatorum Concilium generale apud Viennam Galliæ congregavit, ubi per ipſum Clementem, Prælatis faventibus & aſſidentibus & concordantibus cum ipſo, ſeptimus liber Conſtitutionum plurimarum editus fuit.* Sed rem extra controverſiam ponit Ptolomæus Lucenſis, cum in ſecunda Clementis Vita ſcribit: *Publicatæ ſunt quædam conſtitutiones factæ in Concilio Viennenſi, quæ jam dicentur: Quarum una fuit declarativa eorum, &c. Secunda conſtitutio fuit, &c. Quarta fuit de revocatione ſententiæ Imperatoris contra Regem Robertum. Sed iſta non fuit facta in Concilio*, ideoque aliæ in Concilio editæ erant.

LV. *A Clemente PP. paulò ante mortem publicatæ.* Conſtitutiones itaque, quæ Clementinæ dicuntur, quaſque Clemens ſeptimum librum Decretalium appellari voluit, ab ipſo Concilio Viennenſi ſunt editæ, & à Clemente promulgatæ paulò ante mortem, anno ſcilicet 1314, quo idem Amalricus Augerii ibidem ſcribit: *Anno, quo ſupra, XII Kal. Aprilis, quibus fuit feſtum S. Benedicti Abbatis, dictus Papa exiſtens cum Curia ſua apud caſtrum de Montiliis diœceſis Avinionenſis, coram ſe in conſiſtorio publico ſuas conſtitutiones Decretales, quas in Concilio Viennenſi ordinaverat, publicari fecit, quæ hodie Clementinæ vocantur; ſed poſtea infirmitate præventus, ad ſtudia gene-*

ra-

ralia per eum tranſmiſſæ non fuerunt, ſed ſic publicatæ tunc remanſerunt donec per ſuum ſucceſſorem executioni demandatæ fuerunt. Eadem prorſus habet Bernardus Guidonis in Vita Clementis. Ex illis aliæ mores, aliæ fidem concernunt. Quæ ad mores pertinent, recenſentur à S. Antonino part. 3 ipſo initio capitis 3 tit. 21. Ibidem § 1 quaſdam deſcribit ad fidem pertinentes, quæ omnes leguntur in editione Conciliorum Labbeana; ſed eas nec totas, nec omnes affert S. Antoninus, & editores Conciliorum eas ex Clementinarum corpore proferre noluerunt, aut veriùs non potuerunt, quia ibi mixtæ ſunt cum aliis, quæ non ſunt Viennenſis Concilii, ut ex Præfatione conſtat.

LVI.
Beguardorum, & Beguinarum errores.

In eodem Viennenſi Concilio damnatos eſſe octo errores Beguinarum & Beguardorum, qui in Alemannia inſurrexerant, refert idem S. Antoninus ibidem § 2, ut habetur in Clementina *Ad noſtram* de hæreticis, quorum primum dicit eſſe, quòd homo in vita præſenti tantum & talem perfectionis gradum poteſt acquirere, quòd reddetur penitus ampliùs impeccabilis & ampliùs in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicebant, ſi quis ſemper poſſet proficere, poſſet aliquis Chriſto perfectior inveniri. Secundus error erat, quòd jejunare non oportet hominem, nec orare, poſtquam gradum perfectionis hujuſmodi fuiſſet aſſecutus; quia tunc ſenſualitas ita eſt perfectè ſpiritui & rationi ſubjecta, quòd homo poteſt liberè concedere corpori quidquid placet. Tertius, quòd illi, qui erant in eo gradu perfectionis & ſpiritu libertatis, non eſſent humanæ ſubjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Eccleſiæ obligarentur, quia, ut aſſerebant, ubi ſpiritus Domini, ibi libertas. Quartus eorum error erat, quòd homo poteſt ita finalem beatitudinem ſecundùm omnem gradum perfectionis in præſenti aſſequi, ſicut eam in vita beata obtinebit. Quintus, quòd quælibet intellectualis natura in ſe ipſa naturaliter eſt beata, quòdque anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum & eo beatè fruendum. Sextus error erat, hominem in virtutis actibus ſe exercere, eſſe hominis imperfecti, quia anima perfecti licentiat à ſe virtutes. Septimus, quòd mulieris oſculum, cùm ad hoc natura non inclinet, eſt mortale peccatum; actus autem carnalis, cùm ad hoc inclinet natura, non eſt peccatum, maximè cùm tentatur exercens. Octavus eorum error erat, in elevatione corporis Chriſti non debere perfectos homines aſſurgere, aut ei reverentiam exhibere; aſſerebant enim, quòd eſſet imperfectionis eiſdem, ſi à puritate & altitudine ſuæ contemplationis tantùm deſcenderent, quòd circa ſacramentum Euchariſtiæ, aut circa paſſionem humanitatis Chriſti aliqua cogitarent. Clemens Pontifex nonnulla etiam alia ſub ſimulata quadam ſanctitatis ſpecie ipſos dixiſſe, feciſſe, & commiſiſſe addit, quæ oculos Divinæ majeſtatis offenderent, & grave in ſe continerent periculum animarum.

LVII.
In Viennenſi Concilio damnati.

Hi omnes errores, ſubdit Sanctus Antoninus, reprobati ſunt in dicto Concilio Viennenſi, & mandatum diœceſanis, & Inquiſitoribus, ut tales punirent. Gloſſa ibidem Joannis Andreæ ſufficienter oſtendit, qualiter iſta ſint erronea, & contra doctrinam Sanctorum. Ita S. Antoninus. De eorum damnatione in Concilio hæc habet Henricus Stero, ſeu potiùs qui appendicem ad ejus Annales adjecit apud Raynaldum num. 17: *Hic Papa ſectam Begardorum & Begardarum hæreticorum utriuſque ſexûs reprobavit, qui Alemanniam per plures provincias perverſis dogmatibus ſuis infecerant: dixerunt enim inter cetera, hominem eundo de virtute in virtutem perfectiorem Chriſto poſſe fieri & impeccabilem: negavêre etiam ſe ſubeſſe Prælatis & Summo Pontifici.* Illos itaque errores damnavit Clemens Pontifex in Concilio, ex cujus conſtitutione Alvarus Pelagius Minorita, Epiſcopus Silvenſis, qui adversùs hos hæreticos ſæpiùs ſcuto fidei & gladio ſpiritûs ſe concertaſſe teſtatur, eos enumerat, confutatque in libro de planctu Eccleſiæ tit. 2 cap. 52, cujus narrationem, utpote teſtis oculati & omni fide digniſſimi, ſuis Annalibus inſeruit Odoricus Raynaldus anno 1313 num. 17, & ſeq.

LVIII.
Ab iis Beguinis aliæ innocentes diſtinguendæ.

Unde Beguardi & Beguinæ appellati, incertum eſt: ſed illud certum, ab iiſdem Beguinis errore infectis, diſtinguendas eſſe alias innocentes ejuſdem nuncupationis, ſive fuerint ejuſdem generis, ſive alterius, quæ nomen & inſtitutum acceperant à pio quodam Sacerdote Leodienſi, qui *Lambertus Le Begues, quia balbus erat, de Sancto Chriſtophoro dicebatur, cujus cognomine mulieres & puellæ, quæ caſtè vivere proponunt,* Beguines *gallicè cognominantur*, inquit Ægidius Aureæ Vallis Monachus in Epiſcopis Leodienſibus cap. 52. Ex quo ſequitur, commentitium eſſe quod multi tradunt, eas à Sancta Begga Pippini Landenſis filia & Sanctæ Gertrudis ſorore nomen & originem accepiſſe; cùm id gratis & ſola nominis ſimilitudine innixi aſſerant: contra verò eam inſtitutionem Auctores coævi & ſuppares adſcribant Lamberto Le Begues apud Chapeavillam lib. 2 Epiſc. Leodienſium pag. 128. Hic autem Lambertus ſæculo circiter medio duodecimo floruit. Has Beguinas non fuiſſe in allatum damnatione comprehenſas declaravit Joannes XXII, Clementis V ſucceſſor, ut con-

SÆC. XIV. CLEMENS V.

ſtat ex Petro de Herentals Canonico Præmonſtratenſi in ejuſdem Joannis XXII ſexta Vita apud Baluzium, in qua ipſo initio, poſtquam locutus eſt de conſtitutione Clementis V, quæ incipit, *Ad noſtram*, tit. de hæreticis in Clementinis, ſubdit: *Quam conſtitutionem moderando revocavit Joannes Papa per unam quæ incipit; Recta ratio non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur*, ubi ſermo eſt de Beguinis innocentibus, quarum inſtitutum adhuc durat tam in Belgio, quàm Leodii, & quæ illud profitentur poſſunt ad nuptias transvolare. De his ſine dubio loquitur Continuator Guillelmi Nangii, qui ad an. 1317 ſcribit, Beguinas *non obſtante condemnatione ſtatûs earum, proceſſu temporis* convaluiſſe; *cùm longe melius ſit eas ſic eſſe, quàm laxatis habenis in ſæculi pompis & vanitatibus evagari; inter ipſas enim ſunt multæ bonæ & religioſæ perſonæ, & inter ipſas exercentur opera pietatis*. De his Beguinis eſt prolixior tractatus Petri Coëns Canonici Antverpienſis, titulo Diſquiſitionis Hiſtoricæ de Origine Beghinarum anno 1629 editus.

LIX. *Concilium confirmat, & supplet leges Gregorii X pro comitiis Pontificalibus.*

Comitiorum Pontificalium leges à Gregorio X in Concilio Lugdunenſi editas, à Cœleſtino V & à Bonifacio VIII confirmatas conſtat ex dictis in Cœleſtino, & ex libro ſexto Decretalium Bonifacii lib. 1 tit. 6 de elect. & electi poteſtate cap. 3, *Ubi periculum*. In Concilio Viennenſi Clemens V iis legibus confirmatis, nonnulla addidit ſeu ſupplevit, quæ regiſtrata ſunt in libro Clementinarum primo, titulo tertio de elect. & electi poteſtate, cap. *Ne Romani Pontificis*, &c. Inter cetera autem § Ceterum, hæc addidit: *Ut circa electionem prædictam eò magis vitentur diſſenſiones & ſchiſmata, quominus eligentibus adesse diſſidendi facultas, decernimus, ut nullus Cardinalium, cujuslibet excommunicationis, ſuſpenſionis, aut interdicti prætextu à dicta valeat electione repelli*. Clemens verò ſextus non multò pòſt bullam de moderatione legis cibariæ Cardinalium in conclavi reclusorum fecit, quam refert Auguſtinus Patritius lib. 1 ſect. 1 cap. 3 Rituum S. R. E. quæque inter Acta Concilii Conſtantienſis reperitur. Eam pariter referunt Cherubinus Tomo 1 Bullarii, & Ingolus in Cæremoniali, ad Conſtitutionem Gregorii X de Rom. Pontif. electione. De his omnibus latiſſimè diſſerit Onuphrius Panvinius in libris, quos de varia creatione Romani Pontificis ſcripſit, ut ipſemet aſſerit in Nota ad Vitam Clementis V à Platina ſcriptam; ubi & ſubjicit rationem, qua Romani Pontifices deinde creari conſuevére, quam exſcripſit ex ipſo Ciaconius, quamque & nos hic exſcribemus, ut nihil poſtremò deſit, quod accuratus Lector deſiderare poſſit. Eſt autem ejuſmodi.

LX. *Ratio creandi Romani Pontificis.*

Patres conclave ingreſſi, diem integrum ſequentem formandis legibus impendunt ad ſanam Romani Pontificis adminiſtrationem maximè neceſſariis, quibus Patrum quiſque ſubſcribens jurejurando, votoque promittit obtemperaturum ſe illis, ſi Pontifex factus fuerit. His actis, ſtato quodam die prima Comitia indicuntur. Mane autem ejus diei Patres omnes induti paliiis à ſummo deorſum apertis, quas croccias vocant, in capellam, ubi corpus Chriſti aſſervatur, conveniunt. Ibi divina Spiritûs Sancti ritè ſacra celebrantur; quibus abſolutis, ſuo loco diſponunt ſe per ſubſellia: quiſque autem quos eligere decrevit, in codicillo ante deſcribit, huncque ſuo annulo obſignat; inde tres ex Patribus ad Altare aſcendentes, Decanus videlicet, Presbyterorum & Diaconorum primi, calicem, in quo eo die ſacra facta ſunt, ad medium Altaris conſtituunt, cuſtodes ipſi omniū, ac inſpectores aſtantes; poſt hæc eodem ordine procedunt & reliqui Patres, atque ante Altare in genua procidentes, codicillum ſigillatum in calicem demittunt; id autem poſtquam ab omnibus factum eſt, tres illi, quos dixi, calicem ipſum, ad ceteros inferiùs conſidentes, ſublatum altiùs oſtendunt, conſiſtentes in ſubſelliorum medio, unde ſpectari & audiri à circumſtantibus poſſunt: numerant mox codicillos; quorum ut convenire numerus invenitur, ſinguli à Decano aperiuntur, & leguntur, ac Diacono proximo pronunciandi traduntur. Patrum quiſque papyrum tenens, ac pugillare, quos quiſque eligit chirographo annotat. Nullus autem, ex Alexandri Conſtitutione, pro Pontifice haberi poteſt, niſi qui duarum partium ex Cardinalibus integra ſuffragia tulerit; qui numerus ſi ex codicillis adimpletur, tùm Pontifex creatus eſt; ſin minùs, liberum eſt cuique quem voluerit Patrum, non electum à ſe ſcripto, voce eligere, quæ electionis ratio acceſſus appellatur. Rarum eſt quempiam ex ſolis codicillis eligi: vocum acceſſio conficere totum opus ſolet. Alius eſt quoque creandi Pontificis mos, qui per adorationem dicitur. Hoc autem eſt cùm duæ partes Cardinalium, non expectato, ut vocant, ſcrutinio, ſed voce tenus omnium conſenſu & voluntate quempiam ex Cardinalibus in Romanum Pontificem ſalutant atque venerantur; qua ratione Julius III, Marcellus II, Paulus IV, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V, Urbanus VII, Innocentius IX, Clemens VIII renunciati fuerunt.

LXI. *In Concilio non eſt agitata Bonif. VIII cauſa.*

Bonifacii Papæ VIII, intruſionis, hæreſis & aliorum criminum accuſati, cauſam in Concilio Viennenſi, quæ indictionis ejus cauſa vel occaſio fuerit, agitatam, in eoque Bonifacium Catholicum, nulla hæreſis labe infectum, verumque & indubita-

tum

Digitized by Google

tum Pontificem declaratum fuiſſe, ſcribit quidem Joannes Villanius lib. 9 cap. 22, & ex eo S. Antoninus part. 3 cap. 3, quos poſtea alii ſecuti ſunt, ſed cauſam illam Avenione à Clemente V ante inchoationem Coocilii tractatam, ejuſque diſcuſſionem Apoſtolicæ Sedi fuiſſe reſervatam jam ſuperiùs probavimus; quare nec in decretis Concilii poſtea promulgatis ulla extat ejus memoria; non quòd, ut conjicit Spondanus, non cenſuerint Patres rem publicè traducendam eſſe, ſed magis privatim extinguendam, tam ipſius Bonifacii, quàm Regis honoris & exiſtimationis causâ, ſed quia ipſius Clementis Pontificis dexteritate cauſa illa ante Concilium ad exitum perducta fuerat. Tunc enim exiſtimandum eſt cootigiſſe, quod idem Villanius in Concilio factum putat, nempe duos milites Catalanos, Catoccium & Guillelmum Debolum ſingulari certamine ſe probaturos obtuliſſe Bonifacii innocentiam & rectam fidem; & Cardinales Ricardum Petronum Senenſem Juriſconſultum, Guillelmum Longum decretorum Doctorem, & Joannem de Murro, ac Gentilem de Monte Floris, Theologos, fortiter pro Bonifacio agentes, multis argumentis ex Jure Civili & Pontificio, ac Theologia petitis probaſſe, verum & indubitatum fuiſſe Pontificem, nullaque hæreſis labe infectum.

LXII. *Villanius, & alii contrarium aſſerentes non audiendi.*

Nec quemquam movere debet auctoritas Villanii tunc viventis; licèt enim hic Auctor ſit ſatis ſincerus, cùm tamen in Italia ſcriberet, in iis quæ à Clemente in Galliis geſta ſunt, præſertim in Concilio Viennenſi, multipliciter erravit. Primò enim Concilium Kalendis Novembris à Pontifice celebratum ſcribit; cùm tamen certiſſimum ſit, indictum fuiſſe ad Kalendas Octobris, ejuſque primam ſeſſionem die decima ſexta ejuſdem menſis habitam. Secundò, Villanius ibidem aſſerit Sanctum Ludovicum Epiſcopum Toloſanum in eodem Concilio catalogo Sanctorum fuiſſe adſcriptum; quod à vero prorſus eſt alienum, cùm S. Ludovici canonizatio à Joanne XXII facta fuerit, ut ſuo loco dicemus. Tertiò, ait finito Concilio Pontificem Burdegalam petiiſſe, ſed ex mox dicendis conſtabit, eum Avenionem petiiſſe, ibique, vel in Comitatu Venaiſcino toto anno 1312 & ſequenti ſubſtitiſſe, ac nunquam ampliùs Burdegalam petiiſſe. S. Antoninus eadem exſcripſit in ſua chronica, & Joannis Villanii narrationem tantùm latinitate donavit. Severinus quidem Binius in Notis ad illud Concilium citat hanc in rem Conradum Vecerium, quem dicit *Scriptorem hujus temporis*: ſed in hoc fallitur, nam Vecerius vixit exeunte ſæculo decimo quinto, vel ineunte decimo ſexto, ſub Maximiliano, cui fuit à ſecretis; Maximilianus enim anno tantùm 1493 dictus eſt Imperator. Citatur etiam Tomo XI Conciliorum Labbei eandem in rem Joannes Marius Belga de ſchiſm. & Concil. lib. 1 cap. 20; ſed hic etiam eſt Auctor ſæculi decimi ſexti, cùm fuerit Hiſtoricus Ludovici XII Galliarum Regis. Scriptores autem illi nullum Antiquum laudantes non ſunt audiendi, cùm præſertim ex Ptolomæo Lucenſi tunc vivente in ſecunda Clementis V vita, & ex aliis oſtenderimus, cauſam Bonifacii à Philippo Rege relictam fuiſſe judicio Clementis Papæ, à quo terminata eſt Avenione ante Concilium. Ex his denique corruit quod ſcribit Michael Maucierus in opere de Monarchia part. 4 lib. 7 cap. 18 ab Oldoino & Papebrochio citatus; hic enim hæc exſcripſit ex Joanne Villanio poſt trecentos annos, ſcilicet circa initium ſæculi proximè elapſi decimi ſeptimi, cùm Opus ejus editum fuerit Pariſiis anno 1622. Ibi quidem Mauclerus citat Bernardum Guidonis, non relato loco, in quo id aſſerit; ſed Bernardum contrarium ſcripſiſſe conſtat ex ejus verbis ſuperiùs num. 36 recitatis. Vide dicta n. 64.

LXIII. *Clemens PP. Collegium Cardinalium auget.*

Concilio Viennenſi die ſexta menſis Maji anni 1312 ſabbato infra octavam Aſcenſionis finito, Clemens *Papa cum curia verſus Avenionem revertitur de Vienna*, inquit Bernardus Guidonis laudatus; quod idem ſcribit Amalricus Augerii in ſexta ejuſdem Pontificis Vita. Eum ſtatim Viennâ receſſiſſe ex eo eruitur, quòd die decima ſexta Maji jam eſſet in oppido Liberonis, Gallicè *Livron*, tribus tantùm leucis à Valentia diſtante in auſtrum, ut conſtat ex ejus diplomate apud Raynaldum num. 5, *dat. Liveron. Valentinæ diœceſis XVII Kal. Junii anno VII*. Jam autem erat in Comitatu Venaiſcino die 18 menſis Julii; extat enim apud eundem Raynaldum num. 27 ejus diploma *dat. in prioratu de Granſello XV Kal. Auguſti anno VII*: ille enim Prioratus erat in diœceſi Vaſionenſi, ut conſtat ejuſdem Pontificis diploma ibidem num. 53 *dat. in prioratu de Granſello prope Malauſan Vaſionenſis diœceſis Kal. Auguſti anno VII*. Inde Avenionem petiit, ubi emiſit diploma ibidem num. 49 relatum 12 *Kal. Januarii anno VIII*. Biduo poſt, die ſc. vigeſima tertia Decembris, tertiam ſolemnem novem Cardinalium creationem fecit, ut habet idem Bernardus Guidonis: *Eodem anno*, inquit, *in ſabbato quatuor Temporum Adventus, quod fuit X Kalendas Januarii, apud Avinionem Clemens Papa quintus fecit tertiam ordinationem novem Cardinalium, quos aſſumpſit; qui fuerunt, Archiepiſcopus Aquenſis Guillelmus de Mandogato, item Epiſcopus Avenionenſis Jacobus de Oza* [ſeu de Oſſa, poſtea Papa ſub nomine Joannis XXII] *&*

Be-

Berengarius Biterrenſis, ac *Arnaldus de Auxio Pictavienſis, Epiſcopi; item frater Guillelmus Petri de Godino Bajonenſis, Magiſter in Theologia, Lector Curiæ, de Ordine Prædicatorum; & frater Vitalis de Furno Vaſatenſis, Magiſter in Theologia de Ordine Fratrum Minorum; item Michael de Becco Gallicus, Decanus Sancti Quintini; item Abbas Sancti Severi* (qui vocatur Raymundus in quadam ſcheda à Joſepho Maria Suareſio Epiſcopo Vaſionenſi ex archivio Avenionenſi accepta, in qua & dicitur ex Abbate S. Severi Torbienſis diœceſis Ordinis S. Benedicti renunciatus Presbyter Cardinalis Sanctæ Pudentianæ) *& Guillelmus Teſta Condomienſis*, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci. Quo ex loco, ut notavit Baluzius in Vitis Paparum Avenionenſium conſtat, hallucinatum eſſe Auguſtinum Oldoinum cùm ſcripſit, Guillelmum de Mandagoto, mortuo Clemente, dictum eſſe anno 1316 Archiepiſcopum Ebredunenſem, & hinc poſtremò ad Archiepiſcopatum Aquenſem translatum. Iſte enim Guillelmus jam erat Archiepiſcopus Ebredunenſis anno 1298, quo Boniſacius VIII compoſiturus librum ſextum Decretalium, ejus in hoc operâ uti voluit, ut ſuperiùs in Bonifacii Pontificatu diximus. Inde translatus eſt ad Archiepiſcopatum Aquenſem ante annum 1311, quo frater Joannes de Podio Ordinis Prædicatorum electus eſt Archiepiſcopus Ebredunenſis. Cùm autem Guillelmus renunciatus eſt Cardinalis, factus eſt Epiſcopus Præneſtinus, tunc exiſtens Archiepiſcopus Aquenſis, ut teſtantur omnes Vitæ Clementis Scriptores.

LXIV. *S. Petrum Cœleſtinum canonizat.*

Anno milleſimo trecenteſimo decimo tertio, quinta die menſis Maji Clemens Pontifex Sanctum Petrum de Murrone Cœleſtinum V in Pontificatu dictum, canonizavit; & Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit, ut fusè in ejus Vita jam diximus. Licèt autem ſub nomine Sancti Petri Confeſſoris fuerit canonizatus, per quod viſus eſt Clemens ratificaſſe renunciationem ejus, ut ait Ptolomæus Lucenſis ibidem laudatus; hodie tamen in tota Eccleſia ejus officium eſt de communi Confeſſoris Pontificis. Bullam canonizationis, in qua præcipua ſanctiſſimæ vitæ exempla, editaque miracula perſtringuntur, referunt Bollandiani ad diem 19 menſis Maji, & Raynaldus ad annum 1313 num. 40. Ex ea patet Joannem Villanium in iis, quæ extra Italiam geſta ſunt, ſæpe deceptum eſſe, ut jam num. 62 oſtendi; nam lib. 10 cap. 90 diſertè aſſerit, Joannem XXII anno 1328 Sanctum Petrum Cœleſtinum canonizaſſe, quod certè à vero multum abeſt. Idem tamen jam ſcripſerat Villanius lib. 8 cap. 5.

LXV. *Cardinales V Romam mittit pro coronatione Henrici VII in Imperatorem.*

Cùm Clemens Papa Henrico Romanorum Regi electo literis, de quibus ſuperiùs, datis Avenione ſeptimo Kalendas Auguſti anni 1309 promiſiſſet Imperialem coronam, & Henricus eum urgeret, ut Cardinales Romam dirigeret ad eam coronationem peragendam, Pontifex ejus preces admittendas ratus, hanc provinciam delegavit quinque Cardinalibus, ſcilicet Arnaldo de Falgueriis Sabinenſi, Leonardo Albanenſi, Nicolao Oſtienſi, Epiſcopis; Franciſco Sanctæ Luciæ in Silice, & Lucæ Sanctæ Mariæ in Via lata, Diaconis Cardinalibus, ut conſtat ex diplomate ab ipſo hanc in rem dato *in prioratu de Grauſello prope Malauſanam Vaſionenſis diœceſis XIII Kal. Julii anno ſexto*, ſeu menſe Junio anni 1311, quod refertur à Raynaldo num. 7 & ſeqq. qui tamen in eo deceptus eſt num. 7, quòd hunc Arnaldum Sabinenſem confundat cum Arnaldo de Pelagrua, qui nunquam fuit Cardinalis Epiſcopus, ſed Diaconus S. Mariæ in Porticu. Cùm autem diſceptatio orta eſſet inter Epiſcopos Oſtienſem & Sabinenſem, quis eorum deberet coronare Imperatorem; *allegante Oſtienſi, quòd cum Papam coronare ſuum eſſet, ſic & conſequenter Imperatorem; Sabinenſis ex adverſo dictabat, certum eſſe, ut Imperatorum coronationibus, Sabinenſis ſemper Papæ proximior coronam erigat officioſior aliis, illic præſertim: ſicque Papa pronunciante obtentum eſt, ut Sabinenſis illo fungatur officio, ceteriſque præſit*, Inquit Albertinus Muſſatus in Vita Henrici VII lib. 4 cap. 1.

LXVI. *Henricus coronatur à Sabinenſi, & inungitur ab Oſtienſi Epiſcopo.*

Hîc autem obſervandum venit, Cardinalem Sabinenſem non ideo obtinuiſſe à Clemente, ut coronaret Imperatorem, quòd jus illud ſibi competeret, ſed quia cùm eſſet princeps legationis ipſam Pontificis perſonam repræſentabat; quod eruo ex ipſo Clementis diplomate, in quo apud Raynaldum num. 16 ait Pontifex: *Verba verò dicenda in impoſitione diadematum, ſcilicet:* Accipe gladium gloriæ, *quoad Regem; item:* Accipe coronam Imperialis excellentiæ, *quoad Reginam, dicas tu Sabinenſis; licèt enim ratione prioratus hoc tibi non competat, quia tamen in legatione noſtram repræſentas perſonam, hoc per te volumus adimpleri*. Ex quo patet jus coronandi Imperatorem & Imperatricem abſente Pontifice competiiſſe Oſtienſi Epiſcopo, & illud tranſlatû fuiſſe hac vice ad Sabinenſem, quia ipſum Pontificem, utpote legationis princeps, repræſentabat. Obſervandum ſecundò, ad eumdem Oſtienſem Epiſcopum pertinuiſſe etiam Imperatorem inungere, & de facto Nicolaum Oſtienſem inunxiſſe Henricum VII, quod conſtat ex eodem diplomate, in quo apud eumdem Raynaldum num. 9 Pontifex ſcribit: *Quocirca diſcretioni veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus*

tenus Vos ad dictam Urbem die Aſſumptionis prædictæ perſonaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, Tu frater Oſtienſis Epiſcope Miſſam celebres, & Regem inungas eumdem. Et infra num. 15: *Tu verò frater Oſtienſis, ut præmittitur, Miſſam celebres, & Regem prædictum inungas, prout in ordinario continetur. Quòd ſi Te impediri contingat, hoc Tu facias Albanenſis, & ſi ambo impedirimini, hoc facias Sabinenſis, Epiſcopi*. Secundùm hæc Henricus anno 1312 die 29 Junii in feſto ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in Eccleſia Lateranenſi inunctus & coronatus eſt, quia ipſi ab Baſilicam ſancti Petri non patuit aditus. Antequam autem coronaretur, præter fidei profeſſionem, juramentum etiam fidelitatis ſecundùm formam in decretis diſt. 63, cap. 33, quæ incipit *Tibi domino* comprehenſam, aliudque in Pontificali Romano contentum, quod incipit *Ego N. Romanorum Rex* ediderat. Porrò à Friderico ſecundo ad Henricum VII nullus ex Germaniæ Regibus Imperatoriæ majeſtatis inſignia Romæ ſuſceperat; ideoque à Friderico II ad hunc Henricum qui interceſſerunt, à multis non reponuntur in numero Imperatorum, ſed tantùm Regum Germaniæ, uti revera non aliter indicitari potuerunt, cùm coronatio Aquiſgranenſis Candidatum duntaxat faceret Imperii, non Imperatorem, qui nonniſi benedictione fiebat Pontificiâ.

LXVII. *In coronatur in Eccleſia Lateran.*

Ideo autem Henricus in Baſilica Lateranenſi, non in Vaticana juxta morem, coronatus & inunctus eſt, quia cùm Romam pergeret, Robertus Rex Siciliæ cernens eum omnibus viribus & artibus in Guelforum perniciem vehi, timenſq; ne prætextu coronationis Romæ ſuſcipiendæ, Urbem occupare, & Pontificiam auctoritatem minuere præſumeret; pro munere quo fungebatur Vicarii ſtatûs Eccleſiaſtici & Guelforum protectoris, eò miſit fratrem ſuum Joannem cum copiis, ſpecie quidem pompam coronationis Henrici ornatiorem reddendi; reverà autem ut unà cum Urſinis, aliiſque Guelfis conatus Henrici infringeret. Henricus Ludovicum Sabaudum Senatorem Romam etiam præmiſerat cum copiis; unde multa intra Urbem inita fuerunt certamina cum Columnenſibus, qui Guelfos Urbe pellere contendebant. Manſit tamen potior Urbis pars penès Guelfos; civitas nempe Leonina, unà cum Eccleſia & palatio Vaticano ſancti Petri; reliquam Urbis Gibellinis occupantibus unà cum Eccleſia Lateranenſi, in qua idem Henricus inunctus & coronatus eſt. Hæc conſtant ex Villanio lib. 9 cap. 38, & ſeqq. S. Antonino tit. 21, cap. 2, & aliis.

LXVIII. *Negat ſe feciſſe fidelitatis juramentum præſtitiſſe.*

Cùm certior factus eſſet Clemens Pontifex de diſſidiis inter Henricum Imperatorem & Robertum Siciliæ Regem ortis, ut ea dirimeret, & pacem Italiæ, qui fuerat præcipuus Clementis finis, conſtabiliret, ſcripſit Cardinalibus Romæ exiſtentibus, ut id diligenter attenderent; inter alia inſinuans, eoſdem Principes, Henricum ſcilicet & Robertum, quòd ſpecialiſſimi eſſent Romanæ Eccleſiæ filii, eique *juramento fidelitatis*, & aliàs multipliciter adſtricti, ejuſdem debere eſſe propenſiſſimos defenſores. Quæ verba Henricus Imperator indignè ferens, protervè nimis multis tabellionibus acceritis, qui de ſua reſponſione publica inſtrumenta conficerent, palam profeſſus eſt ſe non eſſe cuiquam *fidelitatis juramento* adſtrictum, neque unquam ſe illud præſtitiſſe, neque ſcire fuiſſe unquam à ſuis deceſſoribus Imperatoribus præſtitum. Sed falſitatis convincitur Henricus ex propriis verbis & literis ad Clementem datis, quæ extant apud Raynaldum anno 1312 num. 40, & ſeqq. quibus conſtat, eum cùm ornamenta Imperialia depoſceret à Clemente, ſacramenta olim præſtita repetiviſſe, eorumque formam ſuis conceptam verbis, adeptis jam Auguſtalibus inſignibus conſignaſſe literis *dat. Romæ apud S. Sabinam II Nonas Julii anno Domini* 1312, *regni* ſui *anno* 4, *Imperii verò anno I*.

LXIX. *Clemens PP. Conſtitutionem edit de fidelitate Imp. erga Eccleſiam.*

Clemens itaque Papa his commotus, zeloque conſervandorum Eccleſiæ Romanæ jurium accenſus, ne foret ei aliquando ejuſmodi Henrici procacitas præjudicio, Conſtitutionem edidit, quam & in corpus Juris *Clem. Romani principes de jurejur.* redigi voluit; qua planè oſtendit, Henricum & ante inaugurationem, & in ipſa, & poſt, juramentum illud fidelitatis & obedientiæ præſtitiſſe, iteraſſe, & literis ſuis publicè confirmaſſe; idque ipſum ſuos ipſius deceſſores Romanorum Reges & Imperatores Romanis Pontificibus pro tempore exiſtentibus præſtitiſſe: fuiſſeque illa indubitanter veræ fidelitatis juramenta, non ut Henricus prætexebat, nudos verborum ſonos. Extat ea conſtitutio in ſeptimo Decretalium libro, ſive in Clementinis cap. *Romani principes de jurejur.*

LXX. *Excommunicat invaſores Regni Siciliæ, vel Regis Roberti.*

At Henricum ita ira & vindictæ aviditas commoverunt, ut Siciliæ regnum invadere tentarit, ſententiamque in Robertum Regem tulerit, qua ipſum ad certum diem vocatum nec comparentem, ob illa quæ in ipſum tam per reliquam Italiam, quàm Romæ patraſſet, ac machinatus eſſet, uti majeſtatis reum & Imperii proditorem, regno ceteriſque quibuſcumque ditionibus privatum proſcripſerit, pœnâ capitis, ſi quando intra fines Imperii repertus fuiſſet, plectendum. Hanc ſententiam promulgavit Piſis VII Kal. Maji, regni anno quinto, Imperii verò primo,

ejus-

ejuſque partem refert Raynaldus anno 1313 num. 12, & ſeqq. Philippus Franciæ Rex audiens Henricum Imperatorem Siciliam Roberto Regi eripere velle, ſcripſit ad Clementem Papam literas, à Raynaldo num. 20 relatas, & datas *Pariſiis 12 Maii*, ut celeriter tanto malo occurreret. *Summus Pontifex*, inquit Anonymus Venetus Auctor coætaneus in quinta Vita Clementis apud Baluzium, *Philippi Franciæ Regis literis excitatus excommunicationis tulit ſententiam in quemlibet invaſorem regni, etiamſi Pontificali, Imperiali, vel Regali præfulgeat dignitate.* Hæc Pontificis ſententia extat apud eumdem Raynaldum num. 21, diciturque data *apud Caſtrum novum Avenionenſis diœc. in palatio ipſius Caſtri II Idus Junii, Pontificatus anno 8.* Sed quia aliqui ſuggeſſerant Imperatori, quod non incideret in excommunicationem, ſi iret contra perſonam Roberti, & non contra regnum, Imperator à cœptis non deſtitit: quare *circa principium menſis Septembris Papa Clemens fecit conſtitutionem, in qua promulgat ſententiam excommunicationis contra omnem hominem, qui armata manu & hoſtiliter intraret regnum Apuliæ, ſive ratione terræ capiendæ, ſive lædendæ, ſive ratione Regis Roberti & ſuorum. Hæc autem ſententia ſic lata eſt, quia aliqui opinati ſunt, & conſuluerunt Imperatori, quòd non incidebat in ſententiam, ſi iret contra perſonam & non contra regnum*, inquit Ptolomæus Lucenſis in ſecunda Clementis Papæ Vita. Hanc etiam ſententiam recitat Raynaldus num. 23, datam *in prioratu de Grauſello, VIII Idus Septemb. anno VIII*, quo ideo die Clemens Imperatoris mortem, quæ die 24 Auguſti ejuſdem anni 1313 apud Bonconventum, XII millibus à Senis diſtantem, contigit, adhuc ignorabat.

LXXI. *Sententiam in Robertum Regem ab Imp. latam abrogat.*

Quod ſpectat ad ſententiam in Robertum Regem ab Henrico Imperatore latam, ejus vanitatem, etiamſi vera forent, quæ Regi objiciebantur, oſtendit poſtea & declaravit Clemens Pontifex poſt mortem Imperatoris, conſtitutione ea de re edita, quæ extat in Clementinis cap. *Paſtoralis de ſent. & re judic.* tam ex eo quòd à judice armato, hoſteque infenſiſſimo, qui per Regem tutè adiri ad ſuam defenſionem non poterat; & in loco pariter non tuto, ob mortale odium, quo Piſani Regem proſequebantur, in abſentem nec citatum legitimè, præcipitata fuiſſet: quam præcipuè quòd tametſi prædicta ceſſarent, non eſſet Rex, vel ratione perſonæ, vel regni, juriſdictioni Imperatoris ſubjectus; verùm & ortu & domicilio & dignitate homo ligius & vaſſallus Eccleſiæ Romanæ ſupremæ dominæ regni Siciliæ. Quibus, aliiſque rationibus à ſe deductis, idem Clemens prædictam Henrici Imp. ſententiam, & proceſſus omnes circa eam factos, & quidquid eorum occaſione ſecutum eſt; tam, ut ait, ex ſuperioritate quam ad Imperium haberet, quam ex poteſtate, qua, vacante Imperio, Imperatori ſuccederet; & nihilominus ex illius plenitudine poteſtatis, quam Chriſtus Rex Regum & Dominus Dominantium ipſi Pontifici in perſona beati Petri conceſſiſſet, irritos & inanes, nulliuſque roboris & auctoritatis declaravit. Hujus Conſtitutionis pars legi poteſt apud Raynaldum num. 16, & ſeqq.

Eodem anno milleſimo trecenteſimo decimo tertio, non multò poſt mortem Imperatoris, Clemens Pontifex eumdem Regem Siciliæ, Romanæ urbis Senatorem creavit, ut teſtatur Ptolomæus Lucenſis in ejuſdem Clementis Vita: *Eodem tempore*, inquit, ſcilicet poſt datam octavo Idus Septembris ſententiam, *poſt mortem Imperatoris, dominus Clemens Regem Robertum Senatorem conſtituit Urbis.* Anno verò ſequenti 1314, cùm Romanum Imperium capite orbatum eſſet, ne res Italiæ aut à vi externa, aut ab inteſtinis ſeditionibus periclitarentur, eumdem Robertum Vicarium Imperii in Italia, Genuenſi ditione excepta, conſtituit, ut terras Imperio obnoxias ſuâ prudentiâ moderaretur, objecta tamen graviorum cenſurarum religione ipſum obſtrinxit, ut bimeſtri elapſo, poſtquam creandus Romanorum Rex a ſede Apoſtolica fuiſſet in Cæſareo faſtigio confirmatus, accepta gubernacula deponeret. Sed exorta in Imperio diſſenſione civili, cùm electi Reges recuſarent controverſiam æquitate dirimendam Pontifici permittere, accidit, ut Robertus Vicariatum in Italia diutiſſimè armis ſibi aſſerere contenderit. Diploma creationis hujus recitat Raynaldus anno 1314, num. 2, & ſeqq. *datum Montiliis Carpentoractenſis diœceſis II Idus Martii anno 9*; ideoque Ptolomæus Lucenſis mox laudatus rectè ſcribit: Clemens *conſtituit dictum Regem Vicarium in Italia in tota terra Imperii.*

LXXII. *Robertum Urbis Senatorem, & Imperii in Italia Vicarium creat.*

Cùm Clemens Papa anno 1314 die vigeſima prima Martii Montiliis exiſtens Conſtitutiones Clementinas dictas publicaſſet, ut ſuperiùs oſtendimus, Caſtrum Novum diœceſis Avenionenſis petiit, indeque aërem nativum quæſiturus ratione infirmitatis, Burdegalam versùs iter ſuſcepit, quod nos diſertè docet Ptolomæus Lucenſis in ejus Vita ad annum 1314: *Eodem tempore*, inquit, *XI die Aprilis Clemens V occaſione ſuæ infirmitatis, de Caſtro novo, quod eſt Epiſcopi Avenionenſis, receſſit, & verſus Burdegalam ſe diſponit.* Sed mortuus eſt apud Rupem Mauram ſuper Rhodanum duodecimo Kalendas Maji, ut ſcribit

LXXIII. *Clemens PP. moritur.*

Digitized by Google

bit idem Auctor: *Eodem anno die 12 Kalendas Maji Clemens V moritur in quodam caſtro Regis Franciæ, quod dicitur Rocha-maura. Fuerat autem multo tempore infirmus de tortionibus, ex quibus perdidit appetitum. Immò interdum patiebatur fluxum, & per ipſum mitigabantur tortiones. Interdum verò patiebatur vomitum. Et ſic de talibus paſſionibus moritur.* Bernardus Guidonis in ejus itidem Vita aſſerit eum obiiſſe apud Rupem Mauram *in nocte præcedenti diei ſabbati ſubſequentis, quod fuit XII Kalendas Maji*, cùm ſediſſet *annis VIII, menſibus X, diebus XV, à die creationis ſuæ uſque in diem ſui obitus computando*, electus enim fuerat die quinta Junii anni 1305.

LXXIV. *Corpus transfertur Uzeſtam ad ſepulturam.* Clementis corpus tranſportatum eſt Carpentoractum, ubi tunc Curia reſidebat, indeque menſe Auguſto ejuſdem anni, non verò anni 1316, ut ſcribit Spondanus, delatum eſt Uzeſtam, ignobilem & ſterilem Vaſatenſis diœceſis vicum, ſed nobilem miraculis Beatiſſimæ Virginis, in cujus honorem Eccleſiam ibi ædificaverat, in qua ſepulturam elegerat: *Fuitque inde reportatum*, inquit Bernardus Guidonis laudatus, *corpus ejus ultra Rhodanum extra regnum Franciæ apud Carpentoratem civitatem, ubi Cardinales cum alia Curia reſidebant. Sequenti verò menſe Auguſti de Carpentorate tranſvectum fuit corpus ejus in Vaſconiam patriam ſuam; fuitque ſepultum, ſicut elegerat, in Eccleſia, quæ appellatur Beatæ Mariæ de Uzeſta diœceſis Vaſatenſis, ubi paulò prius Canonicos inſtituerat regulares in villula minus inſigni, ſatis ſterili & exili.* Eadem ferè ſcribit Amalricus Augerius in ſexta ejus Vita, cum hoc tamen diſcrimine, quòd ait eum ſepultum *in Eccleſia collegiata Canonicorum ſæcularium*, cùm Bernardus Guidonis apud Baluzium diſertè dicat Clementem in ea Eccleſia inſtituiſſe Canonicos regulares. Apud Raynaldum legitur, Canonicos ſæculares.

LXXV *Ejus ſepulchrum & epitaphium.* Bertrandus Vicecomes Lomeniæ Clementis nepos, reponendis ejus oſſibus arcam argenteam auro & lapidibus pretioſis ornatam, pretio ſupra quinque millia nummûm aureorum comparaverat; ſed morte præventus, ſuper tumulum patrui ſui reponere non potuit. Quam cùm Joannes Comes Armeniaci Bertrandi hæres obtinuiſſet, & diutiùs per occaſionem bellorum detinuiſſet, admonitus eſt à Joanne XXII, ut prædictam arcam ſuper ſepulturam Clementis deponere non differret, ut refert Bzovius ad annum 1330 num. 61 ex regeſto ejuſdem Joannis Papæ. Clementi ſuis ſumptibus ſepulchrum ex marmore & alabaſtrite lapide magnificentiſſimè conſtruxit Gaillardus de Mota, ejus ex nepte nepos, Diaconus Cardinalis S. Luciæ in Silice à Joanne XXII creatus, quod tamen anno 1356, quo mortuus eſt Gaillardus, nondum abſolutum erat, ut conſtat ex ejus teſtamenti fragmento à Papirio Maſſono in Vita Clementis relato: *Volo & ordino*, inquit, *executoreſque meos attentè rogo, ut tumulus, quem ad ſepeliendum corpus felicis recordationis Clementis Papæ V avunculi mei fabricari feci in Eccleſia Beatæ Mariæ de Uſeſta diœceſis Vaſatenſis, compleatur & abſolvatur ſtipendiis meis, prout eiſdem executoribus, aut uni ex ipſis videbitur faciendum.* Perfectum eſt tandem ſepulchrum anno 1359, eique tunc appoſitum ſequens epitaphium, ex quo pleraque ex dictis confirmantur.

Hic jacet fel. rec. D. Clemens Papa V
Fundator Eccleſiarum collegiatarum
De Uzeſta & de Vinhendraudo, qui
Obiit apud Rupem Mauram Nemanſenſis
Diœc. die 20 April. Pont. ſui anno IX
Portatus verò ad iſtam Eccleſiam
B. Mariæ de Uzeſta
Anno Domini 1314, 27 die
Auguſti tunc proxima & ſepultus
Die..... Anno Domini 1359

Poſt longa verò tempora, anno nempe 1577, hæretici Calviniani, diruto Clementis ſepulchro, pretioſa ornamenta, quibus conditum fuerat, diripuêre, ac corpus hæretica rabie flammis addixêre.

Non ſolùm Uzeſtæ Eccleſiam & Canonicos inſtituerat Clemens, ſed & in loco de Villandrado, avito & natali patrimonio, aliam conſtruxit Eccleſiam, in qua Canonicos ſæculares inſtituit, ea conditione ſatis inſueta, ut Uzeſtenſes diœceſis Vaſatenſis viſitarentur ab Archiepiſcopo Burdegalenſi, Villandradii verò diœceſis Burdegalenſis ab Epiſcopo Vaſatenſi; ſic tutius diſciplinam religioſiùs in utraque Eccleſia conſervatum iri, cùm ab alienis Antiſtitibus quaſi per æmulationem regerentur. Ita refert Spondanus ad annum 1314 num. 1, qui & num. 2 inter calumnias numerat, quæ à Joanne Villanio, quem bona fide exſcripſit S. Antoninus, narrantur de Clementis libidine, ac rerum Eccleſiaſticarum venundatione, & curioſa per malam artem inveſtigatione ſtatûs animæ cujuſdam nepotis ſui defuncti; invidia namque, inquit Spondanus, tranſlatæ Sedis & Templariorum extinctionis, hæc imprudenter fingere ſuaſit; auctore fortè Dante exule Florentino, Pontificum oſore & Galliæ; cui, uti Poëtæ ac fabulatori, permiſſum fuerit quoſcumque voluit in infernum ſuum præcipitare. Eadem exſcribit Raynaldus; ſed Baluzius utrumque in eo reprehendit pag. 683 notarum ſuarum in Vitas Paparum Avenionenſium, quòd ſcripſerint has ineptias ſcriptas eſſe etiam a Viris piis, cùm à nullo alio ſcriptæ ſint, quam à Villanio, & qui eum deſcribere ſolet, Anto- LXXVI. *Calumnia in ipſum conficta.*

SÆC. XIV. CLEMENS V. nino. Certè nihil tale ſcripſerunt ſex Clementis Vitæ Auctores apud eundem Baluzium; imò Amalricus Augerii hoc ipſo tempore vivens, prorsùs contrarium inſinuat, dum ſcribit in ſexta Vita Clementem *XII Kal. Maji ad Chriſtum* migraſſe.

LXXVII. *Quæ ſcripſit.* Scripſit Clemens Sermones ad populum habitos, Epiſtolarum librum unum, Conſtitutiones vulgò Clementinas dictas, quæ à pluribus antiquis dicuntur liber ſeptimus Decretalium: quas conſtitutiones publicavit quidem Clemens anno 1314 in conſiſtorio publico, ut ſuperiùs oſtendimus, ſed quia eas morte præventus non miſit ad ſtudia generalia, ſic publicatæ remanſerunt uſque ad Pontificatum Joannis XXII ejus ſucceſſoris, qui eas executioni mandari juſſit. Auguſtinus Oldoinus ſcribit, extare in Parnaſſo Mariano, Duaci per Bellerum anno 1624 excuſo, Hymnos ſacri officii de compaſſione B. Mariæ Virginis ex hortulo animæ depromptos, auctore Clemente Romano Pontifice hujus nominis quinto, teſte Hippolyto Marracio in Pontificibus Marianis; ſed Marracius, Lucenſis Italus, è Congregatione Lucenſi Clericorum Regularium Matris Dei Sacerdos eſt Auctor valdè recens, cùm vixerit anno 1642 ſub Urbano VIII juxta Ludovicum Jacob in Bibliotheca Pontificia lib. 2, qui & ibidem lib. 1 in Clemente V obſervat, extare in bibliotheca Vaticana volumina novem ejuſdem Pontificis Regeſti. Sed Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium pag. 687 ait periiſſe omninò Regeſta trium priorum annorum Pontificatûs Clementis, niſi quòd in codice 9919 Bibliothecæ Regiæ extant plurima excerpta illo tempore facta ex Regeſto anni primi. Fortè illa Regeſta perierunt poſt mortem Clementis, cùm tempore interpontificii Cardinalibus in conclavi Carpentoracte incluſis, ignis in palatio poſitus eſt, per quem combuſta eſt maxima pars civitatis: Chriſtophorus enim Brouverus lib. 4 Antiquitatum Fuldenſium num. 52 docet ex fide veterum monumentorum tunc exuſta fuiſſe Regeſta ejuſdem Curiæ.

LXXVIII. *Annorum ejus Pontificatus initium.* Clementem in annis Pontificatûs ſui exordiendis ſtylum communem tenuiſſe, eos ſcilicet incipiendo à die benedictionis ſuæ, jam num. 25 probavimus, idque etiam conſtat ex ejus Epiſtola a Baluzio Tomo 2 Vitarum Paparum Avenionenſium col. 73 relata & data *in prioratu de Lugudiaco Pictavienſis Diœceſis IX Kal. Septembris, Pontificatûs anno ſecundo.* Cùm enim in ea loquatur Pontifex de Eduardo Angliæ Rege ejus nominis primo ab adepta per Normannos Anglia, & quarto à primo ejuſdem nuncupationis anteriorum temporum Rege, eumque vocet *claræ memoriæ*, ſequitur eam ſcriptam poſt mortem ejuſdem Regis, quæ contigit nonis Julii anni 1307, ideoque menſe Auguſto ejuſdem anni numeraſſet annum Pontificatûs tertium, ſi annos ſuos exorſus eſſet a die ſuæ electionis. *Quare* cùm Baluzius, ex ignorantia hujus principii, plures Clementis Epiſtolas, aliis annis quam quibus datæ ſunt, conſignaverit, ex hoc eodem principio corrigendus. Certè duæ priores Clementis Epiſtolæ apud eundem Baluzium ibidem, datæ *Burdegalis Nonis Julii anno Pontificatûs primo*, pertinent ad annum 1306, non verò 1305, hoc enim ultimo anno Nonis Julii Philippus Rex vix ſciebat electionem Clementis, qui conſenſum tantùm præbuit ſuæ electioni IX Kal. Auguſti, & eâ publicatâ ſolemniter Clementis nomen tunc tantum ſumpſit, ut conſtat ex Bernardo Guidonis num. *6* laudato, & ex Ipſius Clementis altera Epiſtola apud eundem Baluzium col. *61*; & tamen Clemens in duabus prædictis Epiſtolis diſertè aſſerit, Philippum Regem jam ſibi tanquam Pontifici commendaſſe per ſuas literas cauſam Augerii de Maloleone. Verum quidem eſt in dicta Epiſtola columnæ *62* Clementem loqui de ſua benedictione & coronatione tanquam futura, & tamen eam dici datam *III Idus Octobris Pontificatus noſtri anno primo*; ſed exiſtimo ibi legendum eſſe, non *Pontificatus noſtri*; ſed *Apoſtolatus noſtri anno primo*, qua formula conſignabantur Epiſtolæ ſcriptæ ante Benedictionem, ut in Gregorio X num. *9* oſtendi. Ex hac obſervatione aliæ quædam Clementis Epiſtolæ ſuis annis tutò reddi poſſunt, ſicuti & quædam aliæ ex tempore quo Lugduno Burdegalam, Burdegalâ Pictavos, indeque Avenionem petiit.

JOANNES XXII *Pontif. CXCVI.*

Anno Domini MCCCXVI.

I. *Cardinales in Conclavi recluſi pro electione Pontificis.* CUM Conſtitutione Gregorii X cautum eſſet, ut Cardinales ad eligendum Romanum Pontificem Comitia haberent ubi Pontifex cum ſua Curia reſidens, cauſarumque & literarum Apoſtolicarum audientiam habens, mortuus fuerit; defuncto tamen Clemente V apud Roccam mauram, Carpentoracte convenerunt, quia tunc Curia ea in Civitate reſidebat. Id conſtat ex Bernardo Guidonis,

qui

qui in Chronico Pontificum Rom. ſcribit: *Defuncto Clemente Papa Cardinales numero XXIII, qui apud Carpentoractenſem Civitatem cum alia Curia reſidebant, intrantes Conclave in Epiſcopali palatio pro electione Summi Pontificis facienda, cùm ibidem aliquandiu perſtitiſſent, non valentes concordare, ſuborta gravi & grandi turbatione inter familias eorundem, ipſum circa feſtum S. Mariæ Magdalenæ concorditer exiverunt, ſtatuentes tempus, infra quod redire deberent ad eundem locum ad electionem Summi Pontificis celebrandam.* Amalricus Augerii tunc etiam vivens in ſexta vita Clementis V apud Baluzium diſertiùs id exprimit: *Defuncto*, inquit, *iſto Clemente, Cardinales numero viginti tres, qui erant apud Civitatem Carpentoractenſem, ubi dictus Clemens ſuam Curiam tenebat, in Palatio Epiſcopali ſecundùm juris formam in Conclavi incluſi fuerunt, & pro electione Romani Pontificis uſque ad feſtum ſubſequens S. Mariæ Magdalenæ ibi pacificè & quietè interfuerunt.* Refert poſtea eos è Conclavi exiiſſe propter diſcordias, quæ inter familiares Cardinalium exortæ ſunt. Verùm Joannes Canonicus Sancti Victoris Pariſienſis apud eundem Baluzium in prima Joannis XXII vita, aſſerit Cardinales concordare non potuiſſe, quia in duas factiones diviſi erant: *Italici* enim *talem eligere intendebant, qui ad Romanam Sedem Curiam revocaret, quod Cardinales Gaſcones facere formidabant: quia cùm ſui de Gaſconia Italicis multas injurias irrogaſſent, certi erant, quòd ſi in manibus Romanorum inciderent, æquipollentiam ſuſtinerent.* Italicis Cardinalibus junctos fuiſſe Gallos aſſerit S. Antoninus part. 3 tit. 21 cap. 4 ex Joannis Villanii libro 9 cap. 79. *Multi*, inquit, *ex iis erant Guaſcones, & ii quærebant Guaſconem habere Pontificem: Qui verò erant ex Francia, Provincia, & Italia Cardinales, illis non acquieſcebant, alium quærentes, ſive qui eis videretur Eccleſiæ Dei utilior, ſive qui foret eis favorabilior.*

II. Cardinalis Prænestinus licèt Gallus fruſtrà ab Italis poſtulatus pro Pontifice.

Cardinales Itali ipſo Conclavis initio ad Pontificatum evehere volebant Guillelmum de Mandagoto, quem ex Archiepiſcopo Aquenſi à Clemente V Epiſcopum Cardinalem Prænestinum creatum diximus, ſed Vaſcones hujus electioni reſtitêre. Id conſtat ex Epiſtola, quam Neapoleo de Urſinis Diaconus Cardinalis tit. S. Hadriani ſcripſit ad Philippum Regem Francorum poſt diſſolutionem Conclavis, quæ extat Tomo 2 pag. 290 Vitarum Paparum Avenionenſium Baluzii: *Nominavimus*, inquit loquens de Cardinalibus Italis, *a principio, & in eo ſumus firmi, Cardinalem bonæ famæ, rectæ, ut credimus, conſcientiæ, excellentis ſcientiæ, probatum in multiplici regimine, & in omnibus ſuis actibus à Clero & populo commendatum, & qui eſt de Regno, & zelator honoris Regis & Regni, corde ſincero, non vacuo verbo, & per defunctum Pontificem ad Archiepiſcopatum Aquenſem, & poſtmodum ad Cardinalatum aſſumptus eſt, & aliis Cardinalibus eſt amicitia multa conjunctus, ita quòd quaſi omnibus erat unus ex eis. Nos in eo nihil habemus aut quærimus niſi creditam bonitatem. Hic Dominus Guillelmus Dei gratia Epiſcopus Peneſtrinus, de quo nos, populus & Clerus credidimus, quòd ſtatim Vaſcones acceptarent. Propter quod tantam reſiſtentiam reperientes ſtupuimus, nec apud nos hujuſmodi reſiſtentiæ reperire poſſumus cauſam, niſi fortè, quod abſit, crederent aliqui proximos defuncti continuare defectus.* Mirum porrò eſt, id obſervatum non fuiſſe à Dionyſio Sammarthano in Nova Gallia Chriſtiana, dum de Guillelmo iſto loquitur in Archiepiſcopis Aquenſibus. Hic eſt ille Guillelmus, cujus tunc Archiepiſcopi Ebredunenſis operâ uſus eſt Bonifacius VIII compoſiturus librum ſextum Decretalium, ut ſuperiori Tomo diximus: ex quo patet eum fuiſſe Virum doctiſſimum. Vide dicta de eo in Clemente V num. 63.

III. Cardinales è Conclavi exeunt re infecta, & quare.

Cardinales itaque Vaſcones non valentes eligere Papam Vaſconem, & multa prætereà in incluſione incommoda patientes, eò quòd cibaria eis ſubtraherentur, & domus eorum diſſiparentur, poſt trium circiter menſium incluſionem hæc non ferentes die 24 Julii, ut ſcribunt Cardinales Italici in Epiſtola encyclica de incendio urbis Carpentoractenſis, Valentiæ die 8 Septembris data, apud Baluzium Tomo 2 pag. 286, ignem in palatio Carpentoractenſi poſuerunt, quo incenſa eſt magna pars Civitatis, ſicque ad diverſa loca diſperſi ſunt: *Fuerunt ergo diu in tali diſcordia*, ſubdit Joannes Canonicus S. Victoris Pariſienſis loco laudato, *licèt incluſi multa incommoda ſuſtinerent, quia cibaria eorum ſubtrahebantur, & domus eorum deſuper diſſipatæ. Tandem hæc Waſcones non ferentes ignem in Palatio poſuerunt, per quem combuſta eſt pars maxima Civitatis. Et ſic diſperſi Cardinales*, ſteterunt diviſi loco & propoſito annis amplius quàm duobus, ob varias exortas quæſtiones inter ipſos, *licèt enim, ſecundùm ſtatutum, in urbe, qua moritur Papa, debeat electio celebrari, tamen Italici omnino diſcordabant, volentes quòd electio ad Curiam Romanam transferretur, & alii alibi. Ideo ſunt diſperſi.*

IV. Itali pro loco electionis Lugdunum poſtulant.

Quamvis in id conſenſiſſent Cardinales, ut præſcripto tempore in locum deſignatum, ſeu Carpentoractem versùs convenirent; nihilominus ad Principum ac piorum Virorum hortationes obſtinatè ſurdi, non ſine magno Reipublicæ Chriſtianæ

damno & ſcandalo non ſolùm annum 1314, ſed totum annum 1315 in eo ſtatu permanſerunt; Cardinalibus enim Italis, tàm Avenionenſis, quàm Carpentoractenſis civitates ſuſpectæ erant juſtis ac legitimis rationibus: ideoque inter alia multa loca pro electione faciendâ offerebant Civitatem Lugdunenſem, in qua duo Concilia Generalia celebrata fuerant, & in qua nullius impreſſionis vel violentiæ eſset periculum formidandum. Id diſertè aſserit Philippus ipſe Rex Francorum in Epiſtola, quâ Berengarium Epiſc. Tuſculanum & Arnaldum S. Mariæ in Porticu diaconum, Cardinales, hortatus eſt ad maturandam electionem Summi Pontificis apud eundem Baluzium Tomo 2 pag. 293, in qua ſubdit: *Amicitiam veſtram quanta poſſumus affectione rogamus, hortamur attentiùs, & requirimus confidenter, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti, quatinus in præmiſſis... efficaciter occurrentes, ad proviſionem celerem & ſalubrem Eccleſiæ cum cæteris Cardinalibus unanimiter & concorditer faciendam veſtros dirigatis greſſus & amicos cohortetis ad præfatam Lugdunenſem civitatem pro loco apto & accommodo in regno noſtro, vel alibi convenientes cum eis* [Italis] *aut ſaltem veſtrum præſtantes aſſenſum, quòd tres prædicti* (ſcilicet unus Cardinalis ex parte Italorum, alter ex parte Vaſconum, & Nicolaus tit. S. Euſebii Presbyter Cardinalis) *locum eligant, ſicut ſuperiùs eſt expreſſum. Mirarentur etenim non immeritò & ſtuperent nationes & gentes, & inhonorabile cenſeretur nobis, vobis & regno, ſi præfatis alienigenis Cardinalibus loca petentibus regni noſtri, & protectioni noſtræ committentes ſe & ſua, per vos naturales indigenas ejuſdem regni loca ipſa abſque notabilis ſuſpicionis & diffidentiæ ſcrupulo contingeret recuſari.* Sed mortuo eodem anno 1314, exeunte Novembri, Philippo Rege, toto anno 1315 convenire non potuerunt.

V. *Cardinales omnes Lugduni conveniunt.* Tandem anno 1316 Ludovicus X Franciæ Rex Philippi IV ſucceſsor Philippum Comitem Pictavienſem fratrem ſuum Lugdunum miſit, qui ſpecie negotiorum regni ſingulos Cardinales ſeorsùm in eam Civitatem accivit, eoſque congregavit in Conclavi *hoc pacto, quòd nulla eis violentia inferretur, nec cogerentur ad eligendum carcerem introire.* Cùm autem nonis Junii ejuſdem anni obiiſset Ludovicus Rex, Philippus Comes *admodum fuit ſtupefactus. Non enim utile videbatur ulteriùs trahere moram in Lugduno, nec electionis Papæ negotium dimittere imperfectum. Conſilio igitur habito judicatum extitit per prudentes, quòd de non includendis Cardinalibus erat illicitum quod fecerat juramentum, & adeo non ſervandum. Quibus dixit, quòd inde non recederent, donec de Papa Eccleſiæ providiſſent. Poſitis ergo cuſtodibus, qui eos exire non permitterent, ipſe in Franciam eſt reverſus,* inquit Auctor primæ Vitæ Joannis XXII apud Baluzium jam laudatus. Incluſi ſunt autem die vigeſima octava menſis Junii, ſeu in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ut mox ex Bernardo Guidonis dicetur.

VI. *Joannem XXII eligunt.* Diſſidentes tamen adhuc per quadraginta dies, die tandem ſeptima Auguſti ejuſdem anni in ſabbato elegerunt concorditer & unanimiter Jacobum de Oſsa, ſeu potiùs de Euſa, Epiſcopum Cardinalem Portuenſem, qui dictus eſt Joannes hujus nominis XXII, ut ſcribit laudatus ejus Vitæ Auctor, cui conſentit Bernardus Guidonis loco laudato: *Quadrageſimo die ab incluſione ipſorum*, inquit, *quæ facta fuit in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli, ipſis tum, quòd tunc deberent includi, penitus neſcientibus pariter & invitis, tandem tractatu præhabito, in præfatum Dominum Joannem, omnes pariter conſenſerunt. Erat autem Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, & Jacobus vocabatur: Sed Joannes exinde vocatum eſt nomen ejus.* Omnes alii Vitæ Joannis XXII Scriptores apud Baluzium conſentiunt etiam eum à Cardinalibus electum, ſicuti & Ptolomæus Lucenſis Hiſt. Eccleſ. lib. 24 cap. 42, à quibus non diſcrepat MS. Vaticanum apud Raynaldum anno 1316 num. 2: *In Dominum Joannem conſenſerunt, ipſum eligentes anno Domini* 1316, *menſe Auguſti die* 7. Electus eſt autem à XXIII Cardinalibus, ut legitur in Auctoribus quartæ, quintæ & ſextæ Vitæ ejus apud Baluzium. Fallitur itaque Auguſtinus Oldoinus, qui numerat tantùm XIX Cardinales viventes quando electus eſt.

VII. *Falſum eſt Joannem ſe ipſum elegiſſe.* Quidam Antiqui, inter quos Henricus Rebdorfius, & Joannes Villanius lib. 9, cap. 79, ſcribunt Joannis electionem factam *per compromiſſionem*, id eſt factum eſſe compromiſſum de illo recipiendo, quem Jacobus de Oſſa Epiſcopus Cardinalis Portuenſis nominaſſet, huncque Neapoleonis Urſini Cardinalis Diaconi ſuaſu ſe ipſum nominaſſe juxta modum, qui præſcriptus eſt in Decretalibus. Verùm Odoricus Raynaldus laudatus num. 3, Villanii narrationem falſam eſſe contendit, quia ſi conſtitiſſet Joannem his artibus ad Summum Pontificatum perveniſſe, Ludovicus Bavarus, aliique hoſtes ejus, qui nihil eorum omittebant, quibus exiſtimabant ſe illi poſſe creare invidiam, ei hunc actum objeciſſent, quod tamen non fecerunt in acerbiſſimis invectivis, quas adversùs eum ſcripſerunt, facturi haud dubiè ſi id aliqua veritate nixum fuiſſet. Præterea qua fronte Joannes, ſi ſe ipſe elegiſſet, auſus eſſet ſcribere ad Reges & Principes & ad uni-

verſos Chriſti fideles, ſe a Pontificatu ſibi oblato omnium ſuffragiis conſentientibus abhorruiſſe, atque admodum ancipitem hæſiſſe an humeros oneri ſubduceret. Extant enim apud eumdem Ravnald. n. 8. literæ Joannis ad Robertum Regem Siciliæ poſt ſuam coronationem datæ, in quibus ait: *Nos, tunc Portuenſem Epiſcopum, ad ſuſcipiendum onus, nobis ex humano defectu importabile, curam videlicet univerſalis gregis Dominici, concorditer, nemine diſcrepante, in Summum Pontificem elegerunt. Nos autem difficultatem officii paſtoralis, continuus laboris anguſtias, & præexcellentiam dignitatis Apoſtolicæ infra noſtra præcordia recenſentes, noſtrarumque metientes virium parvitatem, timore ac tremore concuſſi, vehementer hæſitavimus, nec indignè*, &c. Rectè itaque Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium pag. 717, ait, vix credibile videri, Joannem 22 Virum doctum & ſapientem, & bonæ famæ, adeò impudentem fuiſſe, ut ſi vera eſſent quæ Villanius ſcribit de ejus aſſumptione, auſus fuiſſet ſcribere, dubitaſſe ſe prima fronte, an conſenſum daret electioni de ſe factæ, quam omnes ſciſſent non ex concordibus Cardinalium ſuffragiis in eum concurrentibus ortam eſſe, ſed ex maxima & effrænata cupiditate ſummi faſtigii, ſummæque dignitatis. Quare cenſet dubitari non immeritò poſſe de veritate rerum, quæ circa hanc electionem à Villanio tradita ſunt memoriæ literarum; præſertim cùm etiam Alvarus Pelagii Epiſcopus Silvenſis, tum vivens, libros ſuos de planctu Eccleſiæ ordiatur ab his verbis: *Certum & notorium toti mundo eſt, quòd dictus Dominus Joannes Papa electus fuit concorditer à Cardinalibus omnibus*. Putat ergo Baluzius primò propoſitam fuiſſe viam compromiſſi in electione facienda, atque id fando auditum ſcripſiſſe Henricum Rebdorfum; ſed eâ poſtea dimiſsâ, proceſſum fuiſſe per viam ſcrutinii, quod colligit ex Ordine Romano, quem Mabillonius edidit ſub nomine Jacobi Gajetani Tom. 2 Muſei Italici, in quo pag. 247 extat forma ſcrutinii facti in ejus electione.

VIII. *Quomodo eluſit promiſſum Romam eundi.*

Spondanus & Raynaldus iiſdem rationibus moti rejiciunt pariter quod à Ciaconio aſſeri credunt abſque auctore, Joannem ſcilicet Neapoleoni Cardinali, dum de ipſius electione ageret, jurejurando ſe adſtrinxiſſe, nunquam ſe equum vel mulam conſcenſurum quin Romam accederet; nihilominus tamen poſt coronationem de Romana peregrinatione ab eodem ſolicitatum, ut ſacramento ſuo ſatisfacere videretur, Lugduno Avenionem navigio petiiſſe, neque unquam poſteà equum aut mulam conſcendiſſe. Addit Spondanus falſitatem illius narrationis ex eo convinci, quòd Joannes in die ſuæ coronationis, quæ facta eſt Lugduni die quinta Septembris publicè de more in equo proceſſerit, regentibus frænum equi Carolo Marchiæ Comite Regis fratre, & Ludovico Ebroicenſi patruo, ut diſertè aſſerit Continuator Chronici Nangii Tomo 11 Spicilegii Dacheriani pag. 667. Sed his non obſtantibus non video hanc narrationem in dubium revocari poſſe; nam in quinta Joannis 22 Vita apud Baluzium Ptolomæus Lucenſis tunc vivens pag. 178, aſſerit Joannem paulo ante mortem omnes Cardinales vocaſſe, ſed Neapoleonem, licèt exiſtentem tunc Avenione & vocatum noluiſſe venire, nec intereſſe obſequiis, nec teſtamento Papæ, & poſteà ſubdit: *Præſumitur quòd ex eo fecerit, quia Papa in ſua electione, quæ apud Lugdunum celebrata fuit, juravit ſe nunquam aſcenſurum equum vel mulam niſi iret Romam. Quod & ſervavit, quia navigio ivit uſque ad Avenionem, & pedes aſcendit Palatium, de quo poſtea niſi, intrando Eccleſiam majorem, quæ contigua palatio eſt, non exivit. Et ſic ſuum ſacramentum ſervavit, quia poſt ſacramentum præſtitum, ſicut fecit, nunquam equitavit.* Ex quo patet Ciaconium hæc non ſcripſiſſe *abſque auctore*. Bzovius citat etiam hanc in rem non ſolùm Ciaconium ſed & Maſonium, quos dicit id hauſiſſe ex pluribus hiſtoriis. Neque obſtat, quòd in coronatione ſua equum aſcenderit, cùm ſacramentum de non conſcendendo equo vel mulo extenderetur tantùm ad tempus, quo omnia requiſita ad exercendam dignitatem Pontificiam accepiſſet, quæ omnia habuit tantùm poſt coronationem; antea enim nihil arduum potuiſſe decernere Pontificem videbitur numero poſt ſequentem; unde cùm Robertus Siciliæ Rex duo millia unciarum auri Joanni Papæ ante coronationem ſuam perſolviſſet, non Joannes Pontifex, ſed Nicolaus Epiſcopus Oſtienſis, Nicolaus tit. S. Euſebii Presbyter, & idem Neapoleo Diaconus, Cardinales, Syngrapham de accepta vectigalis parte ad Robertum tranſmiſere his verbis conſignatam apud Raynaldum num. 5, *Dat. Lugduni XVII Kal. Septembris ſuſcepti à Domino Joanne Apoſtolatûs anno I.* Quam formulam ab aliis Pontificibus Romanis adhibitam ante coronationem ſuperiùs vidimus; poſtea verò annum Pontificatus apponebant, quod & fecit Joannes; eodem enim ſuæ coronationis die ſcripſit ad Robertum Regem, & ad Ludovicum Ducem Bavariæ Epiſtolam datam *Lugduni Non. Septembris Pontificatûs noſtri anno I*, apud Raynaldum num. 9, & ſeq.

IX. *Joannes benedicitur, & coronatur.*

Ex data hujus Epiſtolæ conſtat deceptum eſſe Joannem Villanium, cùm lib. 9, cap. 79, ſcripſit, Joannem coronatum eſſe

die

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

die octava Septembris, cùm die quinta ejuſdem Menſis annum Pontificatus primum jam auſpicatus eſſet. Præterea Bernardus Guidonis & Amalricus Augerii in ſecunda & ſeptima vita Joannis apud Baluzium, diſertè aſſerunt, Joannem coronatum die quinta Septembris, quæ cum Dominica concurrebat: *Fuitque coronatus*, inquit Bernardus, *more Pontificum Romanorum, Lugduni in Eccleſia cathedrali Nonis Septembris, dominica prima ejuſdem menſis*, quod idem habet Amalricus Augerii, & idem Bernardus in Chron. Rom. Pontificum. Joannes Andreæ in Prologum Clementinarum ſic de Joanne 22 ſcribit: *Incepit Nonis, id eſt quinto die Septemb. anno Dom. 1316, qua die conſecratus fuit, benedictus, & coronatus*. Ad quæ verba Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Aven. pag. 718 ait, mirari ſe iſta ſcribi potuiſſe à Joanne Andreæ. Etenim, inquit, qui jam Epiſcopus erat, non indigebat conſecratione. Sed alibi oſtendimus conſecrationem & benedictionem quæ fiebat, cùm Electus jam erat Epiſcopus, ſæpe confundi; ideoque cùm Joannes Andreæ ait Joannem conſecratum, confundit conſecrationem, cum benedictione, quæ fiebat loco conſecrationis. In Ordine Romano 14, Auctore Jacobo Gajetano apud Mabillonium Tomo 2 Muſæi Italici, pag. 254 legitur: *Epiſcopus qui in Papam electus eſt, non conſecratur denuò, ſed benedicitur aliquo die dominico, quo & coronatur*. Unde cùm benedictio fieret loco conſecrationis, ideo benedictionis & conſecrationis nomina inter ſe aliquando confundebantur, cujus rei inſigne exemplum attuli in Leone 9 num. V, ex Wiberto ejus Archidiacono, teſte oculato, qui in ejus vita lib. 2, cap. 2, juxta editionem Mabillonii Sæc. VI Benedict. part. 2, ait: *Itaque divina favente gratia cunctis applaudentibus conſecratur* Pontifex Romanus: quæ verba intelligi non poſſunt aliter quàm de benedictione quæ fiebat loco conſecrationis; Leo enim multò antea conſecratus fuerat Epiſcopus Tullenſis, ſeu Leucorum.

X. *Cur coronationem ſuam diſtulerit.*

Ideo porrò Joannis XXII coronatio dilata eſt uſque ad diem quintum Septembris, quia Philippus Franciæ & Navarræ Regens ab eo petierat, ut eam celebritatem prorogaret, quò illius pompam ſpectare poſſet; ſed cùm prorogationem 15 dierum obtinuiſſet, & poſtea aliam octo dierum, tertiamque tandem poſtularet, negata eſt ei ob cauſas, quas juſſu Pontificio Arnaldus Cardinalis Philippo expoſuit, quæ extant apud Raynald. num. 3, & ſeqq. *Quantumcumque*, inquit Arnaldus, *Pontifex etiam veſtrâ cuperet lætificari præſentiâ, abſque tamen ſcandalo plurium, præſertim Dominorum Cardinalium, qui apud Avenionem, ubi erat ex indictione publica in proximis Kalendis Octobris audientia Romanæ Curiæ reſumenda, rerum ſuarum præmiſerant partem non modicam, ſine quibus amplius nequibant commodè remanere Lugduni, & multorum etiam Prælatorum, Magnatum quoque & Nobilium in Curia ipſa ſiſtentium, & avidè coronationem expectantium antedictam, & inſuper abſque totius Reipublicæ gravi diſpendio coronationem ipſam non poterat ulteriùs prorogare: quoniam ante illam ardua, quæ incumbunt, negotia expediri; nuncii qui ad partes varias ſunt mittendi, interim deſtinari non poterant; cùm nec ante uti bullâ conſueverint Romani Pontifices, & jam inſtabat tempus audientiæ, ut præfertur, apud Avenionem indictæ, quod abſque damno intolerabili mutari, vel differri non poſſet*. Rationem poſtea reddit Arnaldus cur ipſe, non Pontifex, hæc ad ipſum ſcribat: *Hæc ſcribimus vobis, quia dominus noſter ante ſuæ coronationis ſolemnia non poſſet juxta morem Eccleſiæ Romanæ laudabilem vobis, vel alii cuiquam aliquid ſcribere, cùm nec antea bullâ integrâ poſſit uti. Datum Lugduni IV Kal. Septembris*, octo diebus ante coronationem, quæ, ut diximus, die quinta Septembris in die dominica peracta eſt.

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

XI. *Joannes XXII Patria, genus, & primordia ante Pontificatum.*

Joannes de Caturco civitate oriundus erat, filius non Arnaldi de Oza, ut legitur in ejus ſeptima Vita apud Baluzium ab Amalrico Augerii ſcripta, ſed Arnaldi de Euſa, vel d' Euſa, ut pluribus oſtendit idem Baluzius in Notis, in quibus etiam obſervat deceptos eſſe tam Joannem Villanium lib. 9, cap. 79, ubi ait eum fuiſſe hominem infimæ ſortis & filium cauponis, quàm S. Antoninum, qui tit. 21, cap. 4, ſcribit eum extitiſſe filium ſutoris veteramentarii, nam Albertus Argentinenſis, qui huic Pontifici coævus fuit, pag. 125 diſertè aſſerit eum *de militari progenie* natum fuiſſe, id eſt, ex priſca nobilitate. Vocabatur autem Jacobus. Dictus fuerat primò Epiſcopus Forojulienſis in Provincia ad inſtantiam Roberti Siciliæ Regis, cujus erat Cancellarius, deinde ad Epiſcopatum Avenionenſem tranſlatus, tandemque ad Portuenſem, unde dicebatur Jacobus Cardinalis Portuenſis. Vir non quidem magnus in ſtatura, ſed in ſcientia magnus, & habens teſtimonium bonæ vitæ dicitur a Joanne Canonico S. Victoris Pariſienſis in prima ejus vita. quod idem ſcribunt Joannes Andreæ in procœmium Clementinarum, & S. Antoninus loco laudato. Albertinus Muſſatus in Epiſtola ad filium pag. 3, de eo agens ait: *Altæ eloquentiæ ſcientiæque præditus erat*. Certè, inquit Baluzius, Joannem XXII fuiſſe ſtudiis doctrinisque deditum, teſtis eſt locuples Franciſcus Petrarcha in l. 2 rerum memorandarum his verbis:

Homo

Homo perſtudioſus & vehementioris animi, hinc lectioni librorum inhiabat, illinc ſimultates acerbas & inextricabiles agens cum Imperio Romano, alteram vitæ partem huic ſtudio devoverat. Ceterùm cùm à legendo & ſenium & curarum varietas retardaret, gratiſſimus erat illi quiſquis defloratos, ut propriè dicam, libros ſub breviloquio perſtringeret, referretque in eas quas vocant tabulas. De ejus doctrina & virtutibus in ejus morte fuſiùs agetur.

XII. *Imperii competitoribus diem dicit ad judicium litis.*

Henrico Lucemburgenſi Imperatore hujus nominis ſeptimo, menſe Auguſto anni 1314, ut ſuperiùs dictum eſt, demortuo, diſcordarunt Electores Imperii in ſucceſſore ſufficiendo; duo enim fuerunt electi, Ludovicus nempè Comes Palatinus Dux Bavariæ, & Fridericus Auſtrius cognomento Pulcher, indeque ortum graviſſimum ſchiſma, ex quo damna multa obvenerunt univerſæ Eccleſiæ & toti propemodum Chriſtiano Orbi. Joannes Pontifex nihil antiquius habuit poſt ſuam coronationem, quàm ut ſchiſma illud extingueretur, eâdem enim die quintâ Septembris, poſtquam encyclicis literis totius orbis Chriſtiani Præſules de ſuſcepto Pontificatu certiores fecit, Ludovicum Ducem Bavariæ paternis monitis mulcere, atque ad pacem ineundam cum Friderico Auſtriæ Duce, controverſiamque non ferro, ſed æquitate judiciorum dirimendam adducere conatus eſt literis datis *Lugduni Nonis Septembris, Pontificatus anno I*, aliiſque tam ipſum Ludovicum, quàm Fridericum ureit, ut pacem inter ſe conciliarent. Verùm cùm hæc nihil profeciſſent, anno ſequenti 1317 utrique diem apud Sedis Apoſtolicæ ſubſellia deſignavit; ut, uter potiore electionis jure niteretur, uti vetus & legitimus totius controverſiæ judex, in favorem potioris electionis ſententiam ferret; & interim utrumque nomen Regium literis præſcribentem benignè toleravit, quod Clemens IV in æquali cauſa ſtatuerat. Ita ſcribunt Bzovius & Spondanus.

XIII. *Avenionem petit, & octo Cardinales creat.*

Exeunte Menſe Septembri anni 1316, Joannes Pontifex navigio Avenionem pertexit, ad eamque urbem pervenit ſecunda die Menſis Octobris, ad tenendam ibi Curiam ſuam, quam antea publicè præconizari fecerat, ut ſcribunt ferè omnes ejus Vitæ Scriptores: qui addunt, eum in ſequentibus Quatuor temporibus Adventus Domini, ſcilicet XVI Kalendas Januarii feria ſexta, feciſſe ordinationem octo Cardinalium, qui erant omnes ferè Vaſcones. Fuerunt autem Bernardus de Caſtaneto, tunc Epiſcopus Anicienſis, quem Amalricus Augerii in Vita Innocentii V, & Bernardus Guidonis in Chronico ſcribunt fuiſſe civem Montiſpeſſulani, quemque Joannes fecit Epiſcopum Portuenſem, *& nihilominus Epiſcopatum Anicienſem tenendum commendavit eidem, anno XLI Epiſcopatus ſui tunc ferè completo*, ut ait idem Bernardus in tertia Joannis Papæ Vita: qui anni XLI referendi non ſunt ad Epiſcopatum Anicienſem, ſed ad Albienſem, ad quem promotus fuerat ab Innocentio V anno 1276, ut ex Amalrico Augerii laudato conſtat, nam anno 1293, dominica infra octavas Apoſtolorum Petri & Pauli, adhuc erat Epiſcopus Albienſis, ut conſtat ex verbis ejuſdem Bernardi Guidonis in Catalogo Priorum Conventus Albienſis Fratrum Prædicatorum, quæ referuntur a Baluzio in notis pag. 719. Imò Auguſtinus Oldoinus ait eum tenuiſſe Epiſcopatum Albienſem uſque ad annum 1308, ſed nullum teſtem adducit. Ex aliis ſeptem quatuor dicti fuerunt Presbyteri Cardinales, ſcilicet Jacobus de Vita de Caturco, nepos Papæ ex ſorore, electus Avenionenſis Epiſcopus, Gaucelmus Joannis de Caturco, tunc Vicecancellarius, Bertrandus de Pojeto de Caſtro novo Raterii diœceſis Caturcenſis, & Petrus de Reblayo Gallicus, Cancellarius Regis Franciæ. Reliqui autem tres, ſcilicet Bertrandus de Montefaventio de prædicto Caſtro novo Raterii diœceſis Caturcenſis; Gaillardus de Mota, Vaſco natione, Clementis Papæ V ex nepte nepos, & Joannes Gajetani de Urſinis natione Romanus, dicti ſunt Diaconi Cardinales.

XIV. *Ludovicum Epiſcopum Toloſanum Sanctorum faſtis adſcribit.*

Ludovicum Epiſcopum Toloſanum & primum Appamienſem, quem adhuc viventem Deus miraculis illuſtrare voluerat, & defunctum tot ac tantis tam ad ejus ſepulchrum, quàm alibi ad ejus invocationem, decorare dignatus eſt, ut ſtuporem afferant ea legentibus in ejus Vita à Sedulio ſcripta apud Surium die 19 Auguſti, Joannes Pontifex, qui ejus fuerat Magiſter, ſeptimo Idus Aprilis anni 1317 in Sanctorum numerum retulit, viginti ab ejus obitu annis, qui Brincolæ in Provincia accidit, nondum completis; ex dictis enim Tomo ſuperiori, anno 1297 ad cœleſtem patriam migrarat. *Eodem anno*, ſcilicet 1317, inquit Ptolomæus Lucenſis in quinta Joannis Papæ Vita, *canonizavit Ludovicum Fratrem Ordinis Minorum Epiſcopum Toloſanum, cujus fuit Magiſter, ex continua converſatione cum eo de ipſius ſanctitate certior, puta quòd ejus geſta & Acta vir ſubtilis indaginis & oculis vidit, & experientiæ manibus contrectavit.* Alii Vitæ Joannis Scriptores diem canonizationis addunt, nempe ſeptimum Idus Aprilis, qui concurrebat cum die Jovis poſt feſtum Reſurrectionis Dominicæ. Canonizationis bulla eodem die Avenione data, quæ vitæ ejus & miraculorum compendium continet, refertur à Wadingo in Annalibus Minorum anno 1317, num. 48.

XV. *Sanctus Ludovicus in Provincia natus, & defunctus.*

De hoc Sancto vide dicta Tomo ſuperio-

tiori; iiſque adde, Sanctum Ludovicum in Provincia Provinciæ, non vero in regno Neapolitano, ut volunt aliqui, inter quos Waddingus anno 1275 num. 4, natum eſſe: quod diſerte aſſerit Franciſcus de Mayronis Ordinis Minorum, dictus Doctor Illuminatus, tempore Joannis XXII vivens, in ſermone quem habuit de hoc Sancto, qui anno 1493 impreſſus eſt Venetiis cum aliis pluribus de Sanctis ejuſdem Mayronis, in quo loquens de privilegiis nativitatis ejus, ait: *Quartum fuit de loco nativitatis in terra quam Dominus ſanctificavit præ cæteris mundi locis illis ſanctis qui viderunt faciem Chriſti corporalibus oculis. In regione ſiquidem ſua nativitatis inveniuntur ſeptem de quibus fit mentio in ſacra Scriptura vidiſſe Chriſtum, ſcilicet Lazarus cum duabus ſororibus. Et duæ ſorores matris Domini. Et Theophilus* (legendum Maximinus) *& cæcus natus*, quos omnes in Provinciam veniſſe, ibique mortuos fuiſſe jam erat traditio ineunte ſæculo octavo. Dixi loco *Theophilus*, legendum eſſe *Maximinus*, quod conſtat ex ſermone tertio de Sancta Maria Magdalena ejuſdem Mayronis, in quo de ea ſic legitur: *Poſtquam venit Maſſiliam cum ſororibus dominæ noſtræ & Lazaro fratre ſuo, qui fuit primus Epiſcopus Maſſiliæ, Maximino, Martha* &c. ubi nulla mentio eſt Theophili, ſed Maximini tantùm, cujus memoria recolitur Aquis Sextiis, non verò Theophili, cujus in Tabulis Eccleſiaſticis ne levis quidem mentio eſt. Quod attinet ad locum ejus nativitatis in Provincia, non poteſt alius aſſignari quàm Brincola; cùm enim in confeſſo ſit apud omnes eum obiiſſe die 19 Auguſti anno 1297. Brincolæ, ubi eodem die condidit teſtamentum, quod editum eſt ab Antonio Paglo in calce ſermonum S. Antonii Paduani, & ex eodem Franciſci Mayronii ſermone habeamus eum natum in eadem domo in qua defunctus eſt, manifeſtè ſequitur eum natum Brincolæ. *Sexta contemplatio*, inquit paulò pòſt Mayronius, *eſt quantùm ad ſtatum ſuæ conſummationis, quia in eodem loco penitus & quantum ad domum ubi fuit natus, ibi fuit defunctus ad modum circuli, qui terminatur ubi incipit*. Certa itaque eſt Brincolenſium traditio, ſcilicet S. Ludovicum Brincolæ & natum & mortuum. Ceterùm ex primo Franciſci de Mayronis loco, ut id obiter notem, quis colligere poſſet, tempore Franciſci Mayronii, id eſt circa annum 1325, Provincialium traditionem non tuliſſe Sanctæ Annæ Reliquias Aptæ Juliæ aſſervari: id enim non tacuiſſet Mayronius, imò potiùs S. Annæ Matris Virginis Mariæ, quàm aliorum meminiſſet.

XVI. *Eccleſiam Toloſanam in Metropolim erigit.*

Eodem anno 1317 Joannes Pontifex Eccleſiam Toloſanam non ſolùm S. Ludovici canonizatione, ſed & Metropolica dignitate illuſtravit. Superiori ſæculo Fulco Epiſcopus Toloſanus ab Innocentio III flagitarat, ut Epiſcopatum divideret, cùm paſtorales curas in diœceſim ita diffuſam ac populis frequentem diffundere non poſſet. Negarat verò ea de cauſa Innocentius, ut Fulco & ſucceſſores ingentibus illius Eccleſiæ opibus ad comprimendos Albigenſes uterentur. Verùm Joannes XXII videns populorum numerum excreviſſe, nec amplius ſacras opes adversùs hæreticos, ſed ad inanem luxûs pompam ab Epiſcopis Toloſanis converti, eam Eccleſiam ab omni juriſdictione Metropolis Narbonenſis, cui ſuberat, exemit, ac in quinque Diœceſes divisit, nempe *Toloſanam*, quam in Archiepiſcopalem ſeu Metropolitanam erexit, conſtitutis ei ſuis propriis certis terminis; *Montis-Albani*, pridem Cadurcenſis diœceſis; *S. Papuli*, *Rivorum* & *Lumbertorum*, quæ prius erant dictæ diœceſis Toloſanæ. Haſque ſic erectas ſubjecit eidem Metropoli Toloſanæ; addita etiam civitate Appamiarum, quæ jam olim, ut diximus in Bonifacio VIII, avulſa ab eadem Toloſana, Metropoli Narbonenſi contributa fuerat. Denique *Vaurum* & *Mirapicum* in civitates erectas eidem Toloſanæ Metropoli ſubjecit, ut ejuſdem eſſent ſeptem ſuffraganeæ. Eidem Metropoli præfecit Joannem de Convenis fratrem Comitis Convenarum, quem eò ex Sede Magalonenſi tranſtulit, qui poſtea dictus eſt Cardinalis Epiſcopus Portuenſis, & poſt mortem Joannis XXII delatum ſibi Pontificatum Romanum ea lege, ut Romam non iret, conſtanter recuſavit. Epiſcopum verò Toloſanum nomine Gaillardum de Preſſaco filium ſororis Clementis quinti, ex ea Eccleſia ejecit Joannes Papa, quod magnam partem redituum inutilibus expenſis oppigneraſſet, qui ſine Epiſcopatu remanſit, Regenſem enim, quem Pontifex ei conferre volebat, noluit acceptare. Hæ porrò Toloſanæ Eccleſiæ in Metropolim, & aliarum urbium in Cathedrales, erectiones factæ ſunt *idus in menſe Julii, quidam Auguſti*, ut aſſerit Bernardus Guidonis in tertia Joannis Papæ Vita.

XVII. *Multas Eccleſias dividit, & in alios Epiſcopatus erigit.*

Plures alias in Galliis eodem anno Diœceſes divisit Pontifex, & in iis alios Epiſcopatus inſtituit, ſcilicet in Narbonenſi Electenſem, & S. Pontii, quem ſubjecit Narbonenſi; in Albigenſi Caſtrenſem, quem ſubjecit Bituricenſi; in Agennenſi Condomienſem, quem ſubjecit Burdegalenſi; in Lemovicenſi Tutelenſem, quem ſubjecit Bituricenſi; in Petragoricenſi Sarlatenſem, quem ſubjecit Burdegalenſi; in Claromontenſi Sanfloranum, quem ſubjecit Bituricenſi, in Ruthenenſi Vabrenſem, quem ſubjecit Bituricenſi; in Pictavenſi Mallea-

cen-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

cenſem & Luconenſem, quos ſubjecit Burdegalenſi, Epiſcopatus condidit; ſuiſque limitibus circumſcripſit, ut ſcribunt Bernardus Guidonis laudatus, & ceteri ferè omnes Vitæ Joannis Scriptores apud Baluzium; qui addunt, eum non modò eos Epiſcopatus erexiſſe, ut animarum ſaluti conſuleret; verùm etiam ad augendum divinum cultum plura Canonicorum collegia in Eccleſiis, in quibus ſolemni ritu divina res perageretur, ac Dei laudes perſonarent, excitaſſe. Ex Malleacenſi porrò urbe anno 1649 Sedes Epiſcopalis ab Innocentio X Rupellam tranſlata eſt.

XVIII. *Cadurcenſem Epiſc. deponit, & quare.*

Hugo Geraldi Epiſcopus Cadurcenſis, cujus præclaram apud Regem Philippum Pulchrum & Clementem V Pontificem gratiam, ac commendandam aliquo tempore Epiſcopatûs adminiſtrationem deſcribit Gullielmus Crucius in Hiſtoria Epiſcoporum Cardurcenſium, lapſus eſt in pravos mores, & omnis impietatis barathrum, ex eodem Auctore; unde à Joanne Pontifice condemnari metuit eodem anno 1317. *Depoſuit*, inquit Bernardus Guidonis laudatus, *à Pontificali ordine & dignitate Epiſcopum Caturcenſem Hugonem Geraldi, ablatis ab eo omnibus Pontificalibus inſignibus, videlicet annulo, atque mitra, & capa, cum Romana camiſia & birreto; ſicque relictus primò in ſimplici habitu clericali, fuit adjudicatus perpetuo carceri quarta die menſis Maji apud Avenionem anno Domini* 1317. *Poſtmodum verò exiſtit in forma à jure tradita actualiter degradatus per Cardinalem Epiſcopum Tuſculanum* (nempe Berengarium Fredole, quem Tomo ſuperiori vidimus fuiſſe unum ex compilatoribus libri ſexti Decretalium ſub Bonifacio VIII); *ſicque ultimò degradatus fuit traditus Curiæ ſeculari; per cujus judicium fuit tractus publicè, & in aliqua ſui parte corporis excoriatus, & demum combuſtus in menſe Julii ſubſequentis, quia, ſicut dictum fuit, in mortem Summi Pontificis fuerat machinatus*. Idem ſcribit Amalricus Augerii in ſeptima Joannis Vita. Spondanus tamen obſervat, in ſententia ejus depoſitionis ac perpetui carceris à Pontifice lata, quæ inſerta eſt Juri canonico inter Extravag. com. cap. *Divinis de pœnis*, qua recenſentur multi variique ejus exceſſus, nullam fieri mentionem conjurationis in Pontificem; niſi fortè comprehendatur generali additione plurium aliorum ejus nefandorum exceſſuum. Præter Bernardum Guidonis, & Amalricum Augerii hoc tempore viventes, qui id ex vulgi rumoribus ſcribunt, Thomas Walſinghamus, qui anno 1440 florebat, ad annum 1316 ait, Hugoni Geraldi *impoſitum* fuiſſe, *quòd in mortem Joannis Papæ* fuerat machinatus, & in Chronico Monaſterii Grandimontenſis, cujus verba refert Baluzius in Notis pag. 737, adnotatum eſt, Hugonem compoſuiſſe imagines cereas, cum quibus occidit Jacobum de Via nepotem Papæ Cardinalem: *Anno Domini* 1317 *menſe Maii fuit Avinioni depoſitus Hugo Geraldi Epiſcopus Caturcenſis. Et eodem anno die revelationis Sancti Stephani Confeſſoris idem Hugo Epiſcopus propter potiones, quas Domino Papæ paraverat, & imagines cereas, cum quibus Dominum Jacobum de Via nepotem Papæ Cardinalem occiderat, fuit degradatus, & traditus Curiæ ſeculari, ac tractus Avinioni per villam vivus excoriatur, & in pallo levatus vivus comburitur*. Ad eandem conjurationem forſan pertinet, inquit Spondanus num. 5, Joannis Pontificis edictum anno 1317 promulgatum Epiſt. 134 contra Necromanticos & divinatores. Sed num. 4 jam dixerat Pontificem Epiſtolâ 81 inquiſitionem commiſiſſe contra quoſdam, qui in necem ipſius & Cardinalium potiones venenatas, & imagines, aliaque maleficia paraverant, ex quo Chronici Grandimontenſis narratio confirmatur. De potionibus Joanni Papæ præparatis & dæmonum incantationibus legendus Raynaldus anno 1317 à num. 51 ad 55, ubi oſtendit quoſdam impios in tantum ſcelus prorupiſſe, ut magicis artibus, Dæmonumque operâ Pontificem & nonnullos Cardinales morte afficere moliti fuerint, contra quos Pontifex juſſit inquiri. Sed in literis Pontificiis nulla Hugonis Geraldi mentio. In locum porrò Jacobi de Via, qui obiit circa diem 24 Junii, ſeu *circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ*, ut ſcribit Amalricus Augerii, Pontifex *poſt octo dies* Cardinalem Diaconum creavit Arnaldum de Via ejuſdem Jacobi germanum fratrem, ut ipſemet aſſerit in literis ad Philippum IV Regem Francorum, quas refert Raynaldus anno 1316 num. 20, datis VI Idus Julii anni 1317.

XIX. *Conſtitutiones Clementinas ad Studia generalia mittit.*

Conſtitutiones *Clementinas* dictas in Concilio Viennenſi editas, & à Clemente V poſt Concilium fuiſſe promulgatas, ſed morte ejus interveniente ad Studia generalia non fuiſſe tranſmiſſas diximus in ejus Pontificatu. Quare Joannes Pontifex eodem *anno* 1317 *in menſe Novembris, Pontificatus ſui anno ſecundo, fecit publicari & cum bulla Papali ad Studia generalia deſtinari Conſtitutiones, quas Clemens prædeceſſor ejus fecerat, quæ Clementinæ vocantur, & nondum fuerant ad generalia Studia deſtinatæ, ſed uſque tunc ſteterant in ſuſpenſo*, inquit Bernardus Guidonis in ſecunda Joannis Vita. Amalricus verò Augerii in ſeptima Vita ideo eas ad Studia generalia miſſas ſcribit, ut *in ſcholis & judiciis* legerentur. Odoricus Raynaldus ad eum annum num. 15 ait extare Joannis literas ad Pariſienſes Academicos Kalen-

ÆRÆ. XIV. JOANNES XXII.

lendis Novembris exaratas, quibus præcepit, ut iis Conſtitutionibus in judiciis ac publicis ſcholis uterentur, quæ etiam Bononienſibus tranſmiſſæ, & Clementinis præfixæ ſunt.

XX. Sanctius, & curioſas quæſtiones in Theologia prohibet.

Cùm autem Joannes in ſcientiis eſſet apprimè verſatus, rem literariam in Academia præſertim Pariſienſi ceterarum principe reſtituere ſategit, datâ ad Viros Academicos Epiſtolâ, quam ex parte refert idem Raynaldus loco laudato, quâ Theologos perſtrinxit, quòd artes liberales imperfectas traderent & ſupervacaneis ſubtilitatibus & philoſophicis quæſtionibus Theologiam adulterarent. *Quidam etiam Theologi*, inquit, *poſtpoſitis, vel neglectis neceſſariis, utilibus, & ædificativis Doctrinis, curioſis, inutilibus & ſupervacuis Philoſophiæ quæſtionibus & ſubtilitatibus ſe immiſcent; ex quibus ipſius ſtudii diſciplina diſſolvitur, luminis ejus ſplendor offunditur, ſtudentium utilitas impeditur.* Et infra: *Niſi veſtra diſcretio emendatione celeri præmiſſa correxerit & præteritæ deformationis exceſſus in melius reformarit, illa per alios, in hac parte, Apoſtolica auctoritate ſuffultos, non abſque debita cenſura juſtitiæ, in eos, qui ſuper præmiſſis culpabiles fuerint, exercenda infallibiliter, emendari & corrigi faciemus. Dat. Avinione VIII Idus Maji, anno* I Pontificatûs.

XXI. Grandimontanum Ordinem reformat.

Eodem anno 1317, cùm gravis eſſet turbatio in Ordine Grandimontenſi circa electiones Priorum, Joannes Pontifex ad eam ſedandam ordinavit, & ſtatuit, ut Prioratus Grandimontenſis, qui totius Ordinis noſcitur eſſe caput, Abbatia deinceps cenſeretur, & Abbatis ejuſdem electio pertineret ad Conventum. De reliquis verò domibus totius Ordinis ordinavit, ut triginta novem Prioratus collegiati in locis ſeu domibus potioribus fierent, in quorum ſingulis eligerentur Priores ſinguli à Collegio, & ad Abbatem Grandimontenſem, tanquam ad Superiorem ſuum, eorum confirmatio pertineret: reliquæ verò domus fuerunt unitæ ſingulis Prioratibus & ſubjectæ, nonnullis tantùm Abbati & Abbatiæ Grandimontenſi reſervatis. Denique tribus Viſitatoribus Ordinis ab antiquo inſtitutis unum ſuperaddidit, & quatuor eſſe deinceps decrevit. Hæc autem cum quibuſdam aliis circa dictum Ordinem ad ejus reformationem ſunt proviſa, ut obviaretur frequentibus ſcandalis & in diſtribuendis domibus & inſtituendis rectoribus, & ut partialitas vitaretur. Hæc referunt Bernardus Guidonis & Amalricus Augerii in Joannis XXII Vita apud Baluzium. De fundatione Ordinis Grandimontenſis, & de Sancto ejus fundatore Stephano de Mureto, vide dicta Tomo ſuperiori in Clemente III.

ÆRÆ. XIV. JOANNES XXII.

XXII. Conſtitutionem edit adverſus Vicarios Imperii in Italia.

Joannes Pontificatu ſuſcepto audiens plurimos Italiæ proceres Gibellinæ factionis Imperii Vicarios ſe indigitare, eoque prætextu Guelfos à parte Romanæ Eccleſiæ ſtantes totis viribus perſequi non ceſſare; & perſpiciens ſic jura Sedis Apoſtolicæ auctoritatemque imminui ac violari, pridie Kalendas Aprilis anni 1317 Conſtitutionem graviſſimam edidit, quæ extat inter Extravag. commun. cap. *Si fratrum*, *ne ſede vac.* quâ declarans vacante Imperio ejus juriſdictionem & diſpoſitionem tam jure, quam conſuetudine ad Summum Pontificem devolvi, omninò prohibuit, ne quis, quacumque dignitate Eccleſiaſtica aut ſæculari, etiamque Patriarchali aut Regia fulgens, ejuſmodi Vicarii, ſeu cujuſvis alterius officii Imperii nomen, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, quamdiu Imperium vacaret, retinere aut uſurpare præſumeret: neve aliquis eis obediret ſub pœna excommunicationis in perſonas & interdicti in terras. Non multò poſt tamen, ne abſque ullo legitimo regimine Italia fluctuaret, idem Pontifex confirmans Conſtitutionem Clementis V deceſſoris ſui ſuper his editam, Robertum Siciliæ Regem, Imperii Vicarium in Italia, Genuâ exceptâ, conſtituit, donec Imperator inauguraretur. Ita Spondanus.

XXIII. Agit contra quoſdam Minoritas ſegreges.

Circa ſuperioris ſæculi finem variæ turbæ excitatæ ſunt in Ordine Minorum à quibuſdam cervicoſis fratribus, qui ſe *fratres ſpirituales* appellabant, quorum præcipua erat contentio, quod veſtes ſtrictas, breves, viles, & caputia parva ferentes, alios damnarent, qui laxioribus, longioribus & mundioribus veſtibus, ac majoribus caputiis utebantur: itemque dicerent germanæ mendicitati Fratrum minorum contrarium eſſe, frumentum in horreis, & vinum in cellis tempore meſſis & vindemiæ ex eleemoſynis collecta recondere. Hi itaque fratres ſpirituales ſpecie ſtrictioris obſervantiæ & cultus paupertatis, a ceteris ſegregari, & ſequiorem habitum ſibi formarunt, & quicquam ad victum in granariis & cellariis quacumque neceſſitate reſervari poſſe pertinaciter negabant, interpretationes Regulæ S. Franciſci a Nicolao III & Clemente V factas aut rejicientes, aut in pravum ſenſum detorquentes. Horum Joannes Papa cæca ſcrupuloſitate, ac ipſorum quodammodo indocta ſcientia, & veluti irreligioſa, vana & ſuperſtitioſa religione, ut ipſe loquitur, motus, Idibus Aprilis anni 1317 Conſtitutionem edidit, qua declaravit, tàm vilitatem habitus, quàm rerum ad victum neceſſariarum reſervationem, relinquendam arbitrio Superiorum: nec fore aliquo modo tranſgreſſores Regulæ, qui in horum determinatione obſequerentur Superioribus: hortans

tans eos, & ſub pœna excommunicationis præcipiens, præſtare eis obedientiam, quam paupertati præferendam eſſe docet. Extat hæc Conſtitutio apud Wadding. an. 1317, & inter Extravag. cap. *Quorundam*, tit. de verb. ſig.

XXIV. *Rhodiis Equitibus Hieroſolymitanis Magiſtrum præficit.*

Cùm Fulco de Villareto Hoſpitalariorum Equitum Magiſter anno 1310 Rhodum expugnaſſet, ut in ſuperiori Pontificatu oſtendimus, voluptatibus indulgere cœpit, præteritiſque inſoleſcens victoriis, privatæ rei intentus, publicas curas ſpernebat; quare Equites communicato inter ſe conſilio, eum ex inſidiis adorti ſunt, ut narrat Boſius part. 2 lib. 1 Hiſt. Equitum Hoſpitalariorum; ſed cùm Fulco eas inſidias effugiſſet, inſtituto judiciorum ordine, ab iis exauctoratus eſt, & Mauritius è Pagnaco in ejus locum ſubrogatus. Ad hanc diſſenſionem ſopiendam Joannes Pontifex anno 1317 internuncios miſit, à quibus Fulconi & Mauritio indicta dies, ut Apoſtolico tribunali ſe ſiſterent. Anno autem 1319, ne hæ diſſenſiones rei Chriſtianæ exitium afferrent, Fulcone Magiſtratu ſe abdicante, & Mauritio exauctorato, Pontifex Franciæ, Toloſæ, Campaniæ, Alverniæ, Caſtellæ, ac Legionis, Portugalliæ, Navarræ & Venetiarum Priores in Curia Pontificia exiſtentes excivit, ut ipſorum conſilium exquireret, in quem tranſfundenda eſſet tanta dignitas; cùmque omnes unanimi conſenſu vota conjeciſſent in Helionum, qui tum vitæ religioſæ pulcherrimis exemplis fulgens, tum præclaris adversùs Saracenos belli facinoribus pares tanto oneri virtutes habebat, Joannes Pontifex dictorum Priorum precibus adductus, eum totius Ordinis ſupremum Magiſtrum inſtituit, atque ad munus capeſſendum Apoſtolicis literis inſtruxit, quas laudat Raynaldus ad annum 1319 num. 11. Spondanus tamen ad annum 1317 num. 3 dicit, ſciſma extinctum eſſe non ex auctoritate Mauritii de Pagnaco, ſed ejus morte & ſpontanea Fulconis renunciatione, novaque electione Helionis de Villanova Prioris Sancti Ægidii, eamque in rem citat etiam Boſium ibidem.

XXV. *Cæſaraugustanam in Metropolim erigit.*

Anno 1318 Joannes Pontifex menſe Auguſto Archiepiſcopatum Tarraconenſem in regno Aragoniæ in duos diviſit, Sedem Cæſarauguſtanam in Archiepiſcopalem erigens, quinque illi ſuffraganeis Epiſcopis deſignatis ex undecim, qui parebant Archiepiſcopo Tarraconenſi, cui ſex reſervavit. Tuncque Pampilonenſis Eccleſia, de qua Tomo ſuperiori hujus Operis locuti ſumus, ſubdita fuit Cæſarauguſtanæ Metropoli. Poſt Maurorum enim invaſionem, quæ ineunte ſæculo octavo contigit, Auſcienſis Archiepiſcopus in univerſo Navarræ regno Metropolitani munere functus eſt; quia civitas Tarraconenſis, à cujus Metropolita Sedes Pampilonenſis pendebat, civibus nudata fuerat, & Sedes Epiſcopalis Pampilonenſis in Leirenſe Monaſterium tranſlata. Sed Sede Epiſcopali è Leirenſi Monaſterio anno 1028 Pampilonem tranſlatâ, hæc Eccleſia paruit Auſcienſi Archiepiſcopo ut Metropolitano, nam Joannes Brizius Martinezius in Hiſtoria Monaſterii S. Joannis Pennatenſis lib. 2 cap. 22 prodit, Auſtindum Archiepiſcopum Auſcienſem ſeu Auſcitanum Aragoniæ & Navarræ Metropolitam agnitum fuiſſe circa annum 1040. Apud San-Marthanos in utraque Gallia Chriſtiana dicitur Bernardum Archiep. Auſcienſem circa annum 950 Epiſcopos in Hiſpania inſtituiſſe; & apud Sandovallium legitur, Sanctio Aragoniæ Rege hujus nominis primo, qui Navarræ etiam præerat, regnante, Petrum à Roda ad Epiſcopatum Pampilonenſem promotum, Regulam S. Auguſtini in ſuam Eccleſiam cathedralem introduxiſſe poſt annum 1083, *aſſentiente Archiepiſcopo Auſcienſi*, qui ideo ejus Metropolitanus erat. In Regno etiam Aragoniæ ut talis agnitus erat; idem enim Auſtindus Auſcienſis Archiepiſcopus præfuit Concilio Jaccetano in Regno Aragoniæ anno 1063, ut probat Annotator Baronii, celebrato, quod extat Tomo IX Concil. pag. 1111. Ex quibus patet, conſuetudinem, ut, Saracenis in Hiſpania dominantibus, Epiſcopi Navarræ & Aragoniæ Auſcienſi Metropolitæ ſubderentur, non ſolùm interruptam non fuiſſe, ſed etiam cum utroque regno incepiſſe dici poſſe.

XXVI. *Pulſationem campanæ ſub veſpertinum crepuſculum firmat.*

Sanctum Bonaventuram Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum in Capitulo generali Piſis anno 1263 celebrato, inſtituiſſe, ut Fratres populum hortarentur ad ſalutandam Beatiſſimam Virginem Mariam ſigno campanæ, quod poſt completorium datur vergente in noctem die, quòd creditum ſit eandem ea hora ab Angelo ſalutatam, legitur in ejus Officio, quod extat in Breviario Minorum. Hunc piumuſum ab Eccleſia Xantonenſi ſuſceptum Joannes Pontifex anno 1318 confirmavit, conceſſa decem dierum indulgentia iis, qui piè ſalutationem Angelicam ter flexis genibus funderent, ſi verè eos criminum pœniteret. Epiſtola data eſt Avenione III Idus Octobris anno tertio Pontificatus, in eaque ampliſſima Deiparæ elogia exarantur. Hic pius mos poſtea ab omnibus aliis Eccleſiis ſenſim ſuſceptus eſt; ipſemet enim Joannes anno ſui Pontificatus decimo, ad omnes ad pietatem & preces pro Eccleſiæ neceſſitatibus fundendas excitandos, Vicario Urbis mandavit, ut ad pulſationem campanæ in quolibet noctis crepuſculo juberet BB. Virg. recitata ſalutatione Angelica venerari, conceſſa decem dierum indulgentia.

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

XXVII. *Academiam Cantabrigienſem erigit.* Eodem anno 1318, Joannes Pontifex ad preces Eduardi Anglorum Regis Academiam Cantabrigiæ erexit, ac privilegiis ampliſſimis exornavit, ut datæ ab eo ad ejuſdem Univerſitatis profeſſores literæ num. 1230, oſtendunt, in quibus ait apud Raynaldum anno 1318, num. 46: *Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut in prædicto loco Cantabrigiæ ſit de cætero ſtudium Generale, illudque ibidem vigeat perpetuis futuris temporibus in qualibet facultate; volentes auctoritate prædicta, & etiam decernentes, quòd collegium Magiſtrorum & ſcolarium ejuſdem ſtudii Univerſitas ſit cenſenda, & omnibus juribus gaudeat, quibus gaudere poteſt & debet qualibet Univerſitas legitimè ordinata*, &c. *Dat. Avenione V Idus Junii anno ſecundo*, non verò tertio, ut per errorem typographi legitur apud Natalem Alexandrum in Vita Joannis 22.

XXVIII. *Montis Oliveti Congregationem approbat.* Congregatio ſeu Ordo Montis Oliveti, à Bernardo Ptolomæi nobili Senenſi miraculosè inſtituta anno 1317, à Joanne XXII anno 1319 approbata eſt. Bernardus enim egregius legum profeſſor, ob lumen oculorum amiſſum, & ſibi per invocationem Beatiſſimæ Virginis reſtitutum, ex voto relictis omnibus, rudi amictu indutus, ut ſoli divino cultui vacaret, cum duobus nobilibus Senenſibus, Ambroſio Piccolomineo & Patricio Patricio, montem quindecim milliaribus Senis diſtantem, cui ab Oliveto nomen, ſeceſſit, ibique vitam eremiticam aſperamque colere cœpit. Ibi ædiculâ, cellulisque extructis, Ordinis ſui fundamenta jecit. Sed cùm multi in dies ad eum diſcipuli confluerent, quidam æmuli ſanctos Viros ad Joannem Pontificem quaſi hæreticos detulerunt, qui eos illicò ad ſe acceſſivit. Verùm cum Pontifex ab iis, quos Bernardus miſerat, omnem vitæ eorum rationem intellexiſſet, illos tanquam innocentes ad Guidonem Epiſcopum Aretinum, in cujus diœceſi erat locus, remiſit, ut ab eo Regulam & habitum decentem reciperent. Hic ex revelatione beatiſſimæ Virginis Regulam S. Benedicti & habitum album ipſis aſſignavit *die 21 Martii, anno ſalutis* 1319, & Congregationi *Sanctæ Mariæ Montis Oliveti nomen* indidit, inquit Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Chronicis Olivetanis: quod idem ſcribunt Paulus Morigia, Silveſter Maurolycus in Hiſt. Relig. & Onuphrius Panvinius in Chronico ad annum 1319, qui uno tenore & Ordinis hujus inſtitutionem & approbationem à Joanne XXII referunt: inſtitutionem enim pertinere ad annum 1317, certò eruitur ex codice MS. Vaticano, à Raynaldo 1319 num. 50 laudato, in quo legitur: *Anno eodem* (ſcilicet 1317) *in Italia, in Comitatu Senenſi & diœceſi Aretina cœpit Ordo Montis Oliveti ſub Regula ſancti Benedicti per Bernardum de Ptolomæis, & duos ſocios Senenſes.*

XXIX. *Caſſinenſe Monaſterium ad dignitatem Epiſcopalem evehit.* Eodem anno 1319 Joannes Papa Abbatiam Montis Caſſini ob reverentiam & honorem ſancti Benedicti Abbatis, omnium Monachorum Occidentis patris & inſtitutoris, in Eccleſiam Cathedralem æſtatis tempore ſublimavit, eidem de primo Epiſcopo tempore ſuo proviſurus, ut ſcribit Bernardus Guidonis in tertia Joannis XXII Vita, cui ſuffragantur quatuor alii ejuſdem Pontificis Vitæ ſcriptores. Anno poſtea 1322 Epiſcopi deſignandi jus Conventui Monachorum Caſſinenſium attribuit, eamque Eccleſiam ab omni alterius, quam Romani Pontificis, imperio liberam renunciavit diplomate VI Nonas Maii, Pontificatûs Joannis anno VI, conſignato, & à Raynaldo anno 1319, num. 33 laudato. Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium pag. 701 ſcribit, in Conciliorum Tomis reperiri antiquitus mentionem Epiſcoporum Caſſinenſium; imò in Bulla Nicolai III de cenſibus Romanæ Eccleſiæ debitis in Regno Siciliæ & in Campania Maritima, quæ habetur in libro Arnaldi Camerarii, ita legi: *In Epiſcopatu Caſſinenſi Eccleſia Sanctæ Mariæ de Cavillano duos ſextarios.* Ex quo ſequeretur, Eccleſiam Montis Caſſini tempore Nicolai III fuiſſe Epiſcopalem. Ibidem tamen Baluzius ait, ſe non dubitare, quin Caſſinenſe Monaſterium tum primùm, ſcilicet tempore Joan. XXII, evectum ſit ad dignitatem Epiſcopalem. Urbanus poſtea Papa hujus nominis V, ut in ejus Vita dicemus, Eccleſiam Caſſinenſem in antiquum ſtatum reduxit, & Abbatialem tantùm eſſe juſſit.

XXX. *Ordinem militiæ Chriſti in Luſitania inſtituit.* Dionyſius Portugalliæ & Algarbi Rex ad Joannem XXII miſit Petrum Petri Canonicum Colimbrienſem, & nobilem Joannem Laurentii, procuratores & familiares ſuos ſuper nova fundatione Ordinis, qui Ordo militiæ Jeſu Chriſti nuncupatur, ut legitur in libello Arnaldi Camerarii apud Baluzium in Notis ad ejus Vitam pag. 741. Inſtitutus eſt itaque equeſter ille Ordo à Joanne Papa ſub nomine Militiæ Chriſti, cruce rubra linea candida interſecante diſtincta decorus, ad comprimendas Saracenorum incurſiones, eique bona Templariorum ejuſdem regni attributa. Hujus Ordinis caput, ſeu domus conſtituta eſt principalis Caſtrum Marini Silvenſis diœceſis, quod Dionyſius Rex regia munificentia contulit eidem Ordini; ita tamen quòd Magiſter dicti Ordinis teneatur in ſua nova creatione de caſtris, bonis & terris, & aliis quæ poſſidebit in dictis regnis Portugalliæ & Algarbi, præſtare Regi juramentum fidelitatis. Hæc conſtant non ſolùm ex Bernardo Guidonis, aliiſque Scriptoribus Vitæ Joannis Papæ, ſed & ex bulla ejuſdem

Pon-

Digitized by Google

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

Pontificis data Avenione Idibus Martii anno Pontificatus tertio, ideoque anno 1319, quæ edita eſt Ulyſſipone anno 1628, ſimul cum literis Dionyſii Regis, quibus eam inſtitutionem approbat & confirmat. Joannes Mariana lib. 15 de rebus Hiſpanicis cap. 16, ſcribit ſacram illam militiam è Caſtro Marino poſtea Tomarium migraſſe, & Boſius part. 2, lib. 1 Hiſt. Hoſpitalariorum tradit, bona Templariorum, quæ huic Ordini à Joan. XXII conſentiente Rege donata fuerant, factâ certâ compoſitione conceſſa poſtea fuiſſe Hoſpitalariis ſeu Rhodiis Equitibus.

XXXI. *Bertrandum de Pojeto legatum in Lombardiam mittit.*

Cùm interea Inſubria hoc tempore à Gibellinis plurimùm infeſtaretur, Joannes Pontifex hoc eodem anno 1319, literis X Kalendas Auguſti datis Bertrandum de Pojeto Cadurcenſem Presbyterum Cardinalem tit. S. Marcelli, quem quidam Auctores, Joan. XXII inimici, ejus filium fuiſſe ſcribunt, licèt ejus tantùm nepos fuerit, ut ſcribit Joannes Villanius lib. 11, capp. 6 & 19, Virum ſapientiſſimum & magnanimum, juſtitiæ & literarum amatorem, Legatum Apoſtolicum in eam Provinciam deſtinavit; qui res contra Gibellinos civitatum tyrannos & Ludovici Bavari aſſeclas, Eccleſiæque contumaces, ſive armis proſequeretur, ſive tractatibus componeret. Eidem Legato inter cætera injunxit, ut Iſnardum, quem Clemens V anno 1311, ex Archiepiſcopo Thebano, Patriarcham Antiochenum & Papienſis Eccleſiæ adminiſtratorem creaverat, Avenione publicè à ſe damnatum, & omni Sacerdotali ac Patriarchali dignitate privatum & excommunicatum 3 Kalendas Auguſti ejuſdem anni 1319, quòd multa impia & ſacrilega apud Papiam egiſſet, ſed & Pontifici maledixiſſet, ſummamque plenitudinis poteſtatem in univerſam Eccleſiam penes illum eſſe negaſſet, ac denique Avenione contra jusjurandum datum aufugiens in Italiam Gibellinos in Pontificem animaret, in ſuam poteſtatem quocumque modo redigeret pro meritis caſtigandum. Bertrandus Legatus ſtrenuam adeò operam navavit, ut anno ſequenti 1320 Iſnardus comprehenſus fuerit, & Joanni Beccariæ Ticinenſis Eccleſiæ adminiſtratori à Joanne Pontifice injunctum, ut ipſum fideliſſimis ſtipatum cuſtodibus ad Sedem Apoſtolicam mitteret. Eum tamen poſtea ſupplicem, ſatis ſuperque virga eccleſiaſticæ diſciplinæ jam emendatum, Pontifex non tantùm Sacerdotali officio, verùm etiam dignitati Patriarchali, Eccleſiæque Antiochenæ reſtituit, literis datis *Avenione Kalendis Auguſti, Pontificatus anno IX*, ut refert Bzovius ad annum 1325, num. 12.

XXXII. *Tria in Curia Rom. officia conjungit, & Auguſtinianis tribuit.*

Pamphilus in Chronicis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini ad annum 1319 tradit, Joannem Pontificem illi Ordini tria in Romana Curia officia quæ conjunxerat, conceſſiſſe, videlicet munus cuſtodiendi ſacrarii Pontificii, Bibliothecæ Pontificiæ, & confeſſionis Pontificis, pro tempore exiſtentis, audiendæ: primumque iis officiis præfectum fuiſſe Joannem Lemovicem Theologum, qui ſimul fuit Bibliothecarius, Sacriſta & Confeſſor ſub Joanne XXII, Benedicto XII, & Clem. VI, quique juxta Onuphrium Panvinium in libro de Eccleſia Lateranenſi MS. quem laudat Waddingus anno 1303, num. 5, obiit anno 1346. Ibidem poſtea Onuphrius enumerat omnes, qui ex eodem Ordine ad illa tria officia aſſumpti ſunt uſque ad Sixtum IV, qui nova in Vaticano Bibliotheca conſtructa, officium Bibliothecarii à Sacriſtæ munere diſtinxit. Licèt autem tria illa officia uni eidemque uſque ad Sixtum IV commiſſa fuerint, jam tamen tempore Alexandri V officium Confeſſoris erat ad libitum Pontificis; Angelus enim Rocca in libro de Apoſtolico Sacrario laudat Cæremoniale Alexandri V, in quo expreſsè habetur: *In eodem palatio eſt officium Confeſſoris, quem Summus Pontifex ſolet eligere pro libito ſuæ voluntatis, qui debet in palatio cameram habere.* Cæremoniale item Sixti IV ita habet de Confeſſore: *Nec conſuetudo aſtringit ad aliquem Ordinem Religioſorum, ut aliqui aliquando dixerunt.* Quare cùm Angelus Rocca loco laudato disertè dicat, idem fuiſſe Confeſſarium eſſe Pontificis & Sacriſtam, ex utroque Cæremoniali ab eo laudato conſtat liberam fuiſſe ſaltem à tempore Alexandri V penes Pontificem perſonarum electionem, nec conſuetudinem præſcripſiſſe, ut neceſſariò ex hoc vel illo Ordine aſſumeretur. Semper tamen munus Cuſtodiendi Sacrarii Pontificii ſeu Sacriſtæ Pontificii retinuerunt & adhuc retinent Auguſtiniani Eremitæ; munera verò Cuſtodis Bibliothecæ Vaticanæ & Confeſſarii ſunt ad libitum Pontificis, qui ad hæc munera eligit, modò Abbates, modò Auguſtinianos modò alios Religioſos; nam noſtris temporibus vidimus doctiſſimum Laurentium Brancatum de Laurea Ordinis Minorum Conventualium, Bibliothecæ Cuſtodem, poſtea Cardinalem; deinde Emmanuelem à Schelſtrate doctis ſuis operibus ſatis notum, & poſt hunc Henricum Noriſium ejuſdem inſtituti Auguſtiniani virum ſtupendæ eruditionis, ad ſacram etiam purpuram evectum. Catalogus porrò eorum, qui à tempore Joannis XXII ad Sixtum IV ex ordine S. Auguſtini ad illa munera aſſumpti ſunt, legi poteſt apud Waddingum laudatum, qui illum refert ex prædicto Onuphrii libro MS. de Eccleſia Lateranenſi, quem apud ſe extare ait.

XXXIII. *Polonorum Legatos ſuſcipit, & ut illorum Principem Regio diademate coronari…*

Boleſlaum II Poloniæ Regem a Greg. VII Regio titulo privatum vidimus in ejus Ponti-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

tificatu num. 76 Tomo ſecundo hujus Operis, à quo tempore uſque ad ſæculum decimum tertium exeuntem Poloniam Reges non habuiſſe fatentur ipſimet Auctores Poloni: & quidem rectè, nam anno Chriſti 1295, Poloni pertæſi malorum, quæ Poloniam, diſcerpto in multos Principatus regno, miſerandum in modum afflixerant, celebratis Gneſnæ Comitiis, Premiſlaum majoris Poloniæ Principem, nova Pomeraniæ acceſſione auctum, ſolemni ritu die vigeſima ſexta Junii Regem inunxerunt; intermiſſum ab anno 1079 Regium nomen in Poloniam revocantes. Premislao octavo regni menſe immatura morte prævento, unicâ filiâ relictâ, anno ſequenti 1296 celebratis nono Kalend. Maji Poſnaniæ regni Comitiis ſuffectus eſt Premislao Wladislaus frater Leſci Nigri, minoris Poloniæ olim Principis, Lokticus dictus: in cujus verba cùm omnes magno conſenſu juraſſent, diſtulit tamen is ſolemnem Regibus inunctionis & coronationis ritum, nec Regis nomen, ſed hæredis regni Polonici ſumpſit, eò quòd à Wenceſlao Bohemiæ Rege quædam loca occuparentur, quæ ipſe prius recuperare cogitabat. Verùm cum ſe totum delitiis applicaret, ac ſuos milites impunè graſſari tàm in bona Eccleſiaſticorum, quam Laicorum permitteret, Poloni Proceres apud Poſnaniam anno 1300 iterum convenientes, regnum ipſi abrogarunt, illudque ad Wenceslaum Bohemiæ Regem detulerunt, qui ſplendida accitus legatione, Gneſnæ de more inunctus, ac Regio diademate ornatus eſt, ductâ in uxorem Rixâ Premiſlai defuncti Regis filiâ. Wenceſlao anno 1305 mortuo, Wladiſlaus Lokticus olim pulſus, Rex iterum renunciatus eſt à majori parte regni. Tandem Poloni exiſtimantes Premislaum inauſpicatò injuſſu Romani Pontificis Regium ſibi nomen ſumſiſſe, anno 1316 Legatos ad Joannem XXII miſerunt, ut Wladislao Loktico jam in Regem a toto regno accepto diadema & nomen Regium imperrarent. Joannes Bohemiæ Rex Wenceslai ſucceſſor ſuam dignitatem infringendam ratus, ſi Poloni Regium decus recuperarent, Oratores etiam miſit, nonnulla jura in Polonia obtendens. Pontifex ne Joannem Bohemiæ & Philippum Franciæ Regem ejus affinem offenderet, deciſionem in aliud tempus diſtulit, Gneſnenſem Archiepiſcopum atque Epiſcopos ſuffraganeos per literas, quas refert Raynaldus anno 1319, num. 2, datas Avenione 13 Kalendas Septembris ejuſdem anni certiores faciens, Polonorum jura eâ morâ non labeſactatum iri; ſecretò tamen Legatis ſignificaſſe haud ſe impedire, quominus Poloni jure ſuo uterentur, ſcribit Spondanus anno 1320, num. VI. Verùm id in ipſis etiam literis Pontificiis continetur, ſic enim deſinunt: *Nos volentes unicuique jura ſua ſervari ab hujus promotione petita, ad præſens providimus abſtinendum, non intendentes per hoc juri veſtro & aliorum ſupplicantium prædictorum præjudicium aliquod generari, quin illo ſic uti, ſi & quando vobis expedire videbitur, valeatis; quod tamen cujuſvis alterius non lædatur.* Ex his Pontificiis literis & ex aliis Gerardi Epiſcopi Wladislavienſis, Polonorum apud Pontificem Legati, cui Joannes XXII ex arcano mentem aperuerat, quid ſibi agendum incumberet intelligentibus Polonis, confeſtim Comitiis Cracoviæ indictis, Archiepiſcopus Gneſnenſis Poloniæ Primas Wladislaum unà cum uxore Heduige in Baſilica Cracovienſi anno 1320, die Dominica, vigeſima Januarii, ritu ſolemni diadematibus coronavit. Atque ex eo tempore jus coronandi Reges, atque ipſa regni inſignia, Gneſnâ Cracoviam propter amplitudinem & ſplendorem urbis translata ſunt. Hæc omnia conſtant ex Auctoribus Polonis, Cromero, Michovio & aliis.

Eodem anno 1320 Joannes Pontifex Thomam de Cantilupo Herefordenſem quondàm in Anglia Epiſcopum non minùs doctrina & generis nobilitate, quàm miraculis clarum Sanctorum Catalago adſcripſit 15 Kal. Maji, anno à tranſitu ejus trigeſimo octavo, ut Bernardus Guidonis & alii Joannis XXII Vitæ Scriptores tradunt, ejusque feſtum ſolemniter celebrari præcepit die VI Nonas Octobris. Hic ſanctus Vir fuerat primò Cancellarius regni Angliæ; dictus poſtea Epiſcopus, cum Romam petiiſſet pro defenſione jurium Eccleſiæ ſuæ, in reditu morbo oppreſſus apud Faliscos obiit ſexto Nonas Octobris anni 1281, non verò 1287, ut Baronius in Notis ad Mart. Rom. die 2 Octob. Spondanus & Raynaldus in Annal. Eccleſ. ad eum annum ſcribunt, quod inde certò eruitur, quòd omnes Vitæ Joannis Papæ Scriptores aſſerunt eum Cœlitum honoribus donatum anno 1320, *à tranſitu ejus anno* 38. Id confirmatur ex Excerpto canonizationis ejus apud Baluzium Tomo 2 Vitarum Paparum Avenionenſium pag. 366, in quo legitur: *Tempore fel. rec. Papæ Martini IIII acceſſit ad Curiam Romanam apud Urbem veterem in vigilia beati Barnabæ Apoſtoli anno Domini milleſimo 281, cauſa proſequendarum appellationum, quæ pro parte ſua à bo. me. fratre I Archiepiſcopo Cantuarienſi & eius Officiali propter diverſa gravamina fuerant interjectæ. Et ibi à Domino Papa M. & à Cardinalibus cum oſculo pacis benignè receptus. Et tandem in ipſa Curia in infirmitate correptus, perceptis Eccleſiaſticis Sacramentis, ad Dominum feliciter tranſmigravit.* Obiit ergo ſub Martino IV, non ſub Honorio IV, & quidem anno 1282, à quo

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

XXXIV. *Thomam Herefordenſem Epiſc. Sanctorum honoribus donat.*

ad

ad annum 1320, quo canonizatus eſt, ſunt anni triginta octo à laudatis Auctoribus memorati. Corpus ejus in patriam relatum infinitis claruit miraculis: *Cujus præclara & ingentia merita*, inquit Bernardus Guidonis laudatus, *ingens fama virtutum tàm præcedentium, quàm ſequentium miraculorum longè latèque declarat, non ſolùm in beneficiis & remediis ſanitatum, verùm etiam in pluribus mortuis ejus meritis ſuſcitatis, in quibus mirificavit Dominus ſanctum ſuum, & colendum eum exhibuit univerſis.* Idem referunt alii Vitæ Joannis XXII Scriptores. Tot & tam crebra fuere ea miracula, ut Nicolaus Weſtmonaſterienſis in Hiſt. intra paucos annos centum & ſexaginta tria ejus meritis patrata fuiſſe aſſerat.

XXXV. *Septem Cardinales creat.*

Tertiam eodem anno 1320, die vigeſima Decembris, feria ſexta quatuor Temporum, ordinationem fecit ſex Presbyterorum Cardinalium & unius Diaconi Joannes Pontifex, quos Bernardus Guidonis in ejus Vita enumerat, ſcilicet Raynaldum La Porta de Alaſſaco, vico in inferiori Provincia Lemovicenſi ſito, tunc Archiepiſcopum Bituricenſem, cui dedit titulum SS. Nerei & Achillei, & anno ſequenti Epiſcopum Oſtienſem dixit; Bertrandum de Turre de Cambolico diœceſis Caturcenſis, de Ordine Fratrum Minorum, tunc Archiepiſcopum Salernitanum, cui dedit titulum S. Vitalis, factum poſtea Epiſcopum Tuſculanum; Petrum de Prato diœceſis Caturcenſis, quem ex Epiſcopo Regienſi in Provincia poſt annum 1317 ad Archiepiſcopatum Aquenſem tranſtulerat, cui titulum dedit S. Potentianæ, & poſtmodum Epiſcopum Præneſtinum creavit; Simonem de Archiaco diœceſis Santonenſis, electum Archiepiſcopum Viennenſem, cui datus eſt titulus S. Priſcæ; Pilum Fortem de Rapiſtagno de ſancto Georgio, propè fluvium Tarni diœceſis Albienſis, Epiſcopum Rivenſem, cui datus eſt titulus S. Anaſtaſiæ; Petrum Textoris de Sancto Antonino, ſeu Priorem S. Antonini in diœceſi Cadurcenſi, Vicecancellarium Curiæ Romanæ, cui datus eſt titulus S. Stephani in Cœlio monte; & Raimundum Rufi de Caturco, quem unicum dixit Cardinalem Diaconum ſanctæ Mariæ in Coſmedin, & quem Onuphrius Panvinius & alii ajunt fuiſſe Joannis XXII nepotem.

XXXVI. *Univerſitatis Dublinenſis erectionem confirmat.*

Licèt ad inſtantiam Joannis Lechi Archiepiſcopi Dublinienſis in Hibernia Clemens V diplomate dato in prioratu de Grauſello tertio Idus Julii anni ſeptimi Pontificatus ſui, ſeu anno 1312, quod extat in Regiſtro Vaticano Epiſtolâ 935, conceſſiſſet, ut in Civitate Dublinii inſtitueretur Univerſitas, in qua Scholares in qualibet ſcientia & facultate ad Doctoratus honorem aſſumi poſſent; quia tamen ad hujus Univerſitatis creationem requirebatur conſilium & conſenſus ſuffraganeorum Archiepiſcopi Dublinienſis, dum talis conſenſus expectaretur, ſtabilirentur annui redditus, & præpararentur quæ ad hanc fundationem erant neceſſaria, elapſi ſunt octo anni; & Univerſitas erecta tantùm eſt anno 1320 ſub Joanne XXII, cujus privilegio & auctoritate creatos eſſe primos Magiſtros, qui cathedras moderarentur, docere ad eumdem annum Annales Hiberniæ ſcribit Waddingus ad annum 1320, num. 16, qui & jam anno 1312, num. 12, dixerat, cauſam hujus conceſſionis aſſignari in Clementis V diplomate, quod ſcilicet, licèt plures Doctores, ſeu Baccalaurei ſaltem in Theologica facultate, aliiſque, & Grammatica, ſive artibus Magiſtri legeates eſſent in Hibernia, tamen neque in eadem, neque in Scotiæ Marinæ, neque Norvegiæ partibus, quæ Hiberniæ erant viciniores, Univerſitas ulla aut Studium generale tunc haberetur. Prædicta itaque Univerſitas erecta, ut in illo regno florerent Viri decori ſcientiâ Litterarum, & gradibus magiſterii, ut legitur in prædicto diplomate, quod ad Eduardi Regis inſtantiam datum eſſe perperam ſcribit Bzovius anno 1312, num. 10, ut obſervavit idem Waddingus.

XXXVII. *Joannis de Poliaco errores de confeſſione damnat.*

Anno ſequenti 1321 Joannes Pontifex periculoſos errores de Sacramento pœnitentiæ à Joanne de Poliaco Doctore Theologo Pariſienſi in ſcholis & prædicationibus vulgatos, auctoritate Apoſtolica damnavit. Hic enim diſciplinæ ſanciendæ ſpecie, ſed revera livore in Religioſos, docebat primò, eos qui peccata confeſſi fuiſſent Religioſis Viris, teneri eadem peccata iterum confiteri proprio Parocho. Secundò, ſtante decreto Concilii Lateranenſis ſub Innocentio III, *Omnis utriuſque ſexûs*, Romanum Pontificem non poſſe facere quin fideles omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti, id eſt Parocho, confiteri tenerentur; quin imò nec Deum poſſe hoc facere, quod implicaret contradictionem. Tertiò denique, Papam non poſſe dare poteſtatem generalem audiendi Confeſſiones, imò nec Deum, quin confeſſus habenti licentiam teneatur eadem confiteri proprio Sacerdoti, hoc eſt Parocho. Hos articulos à Joanne Papa diligenti examine diſcuſſos, & ab ipſo Joanne de Poliaco contrariis rationibus convicto Avenione revocatos, *tanquam falſos & erroneos, à doctrina ſacra devios*, Apoſtolica auctoritate condemnavit & reprobavit, inhibens ne quis ipſos & contenta in eis vel aliquo ipſorum, *utpotè à Catholicis mentibus reſpuenda*, tenere, defendere vel docere auderet: declarans eos qui Religioſis facultatem habentibus ſemel confeſſi fuerint

rint

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

rint, non magis teneri eadem peccata confiteri iterùm, quam ſi ea aliàs confeſſi fuiſſent proprio Sacerdoti ſeu Parocho, juxta Concilium generale, edito de hoc Decreto octavo Kalendas Auguſti; quod extat lib. 5 Extravag. comm. tit. de hæreticis cap. *Vas electionis*: ex quo & conſtat, Joannem Papam juſſiſſe eidem Joanni de Poliaco, Pariſiis in Scholis & ſermone hanc doctrinam publicè docere & prædicare, & præteritam revocare. Quod & eum præſtitiſſe, pluribus probat Raynaldus anno 1321, num. 37. Quæ mirum eſt aut ignorari, aut contemni à quibuſdam, qui ſe plus ceteris ſapere profitentur, nec Joannis de Poliaco exemplo fieri ſapientiores.

XXXVIII. *Diſſolvit matrimonium Caroli IV Francorum Regis cum Blancha initum.*

Cum Philippus quintus Franciæ Rex ineunte anno 1322 obiiſset, ei in regnum ſucceſſit Carolus frater Marchiæ Comes, qui Blancham filiam Odonis Ducis Burgundiæ & Mathildis Attrebatenſis Comitiſsæ in uxorem duxerat, quam cum parum pudicam exiſtimaſset, repudiare conſtituit. Cauſam tamen divortii honeſtiorem prætulit, quòd nempe Mathildis Blanchæ mater Carolum è ſacro fonte ſuſcepiſset. Causâ ad Joannem Pontificem delatâ, is commiſit Epiſcopis Pariſienſi & Bellovacenſi, ac Gaufrido de Pleſſiaco Notario Romanæ Curiæ, & Decano Pariſienſi, ut de hoc matrimonio inquirerent, quam *inqueſtam*, inquit Joannes Canonicus S. Victoris Pariſienſis in prima Joannis XXII Vita apud Baluzium, *diligenter factam Summo Pontifici tranſmiſerunt. Et anno 1322 in vigilia Aſcenſionis Papa ſufficienter informatus, quòd dicta Comitiſſa Attrebatenſis dictæ Blanchæ mater de fonte levaverat dictum Regem... Papa ſententiavit in publico Conſiſtorio nullum eſſe* matrimonium. Idem ſcribit Continuator Nangii pag. 696, & ſeq. Tomo XI Spicilegii, qui continuationem ſuam terminat anno 1340. Sententia divortii data eſt Avenione XIV Kalendas Julii anno ſexto Pontificatus, eaque Regi & Reginæ impertiit licentiam ad vota alia tranſeundi, præſato matrimonio non obſtante. Quare Carolus duxit in matrimonium Mariam de Luxemburgo, Henrici VII nuperi Imperatoris filiam, Joannis Bohemiæ Regis ſororem, Blancha vero ſanctimonialis effecta eſt apud Malbuiſſonum, ubi mortua & ſepulta eſt.

XXXIX. *Coram Joanne PP. agitatur quæſtio Minoritarum de proprio.*

Anno 1321 cùm quidam Beguinus ſeu Fraticellus, aſserens Chriſtum Dominum cum ſuis Apoſtolis nihil proprium in communi aut particulari poſsediſse, ſed vitam omninò pauperem abſque ullo peculio duxiſse, cuſtodiæ traditus eſset per Archiepiſcopum Narbonenſem & Joannem de Beune Ordinis Prædicatorum hæreticæ pravitatis Inquiſitorem, qui in eum tanquam in hæreticum agere decreverat; Berengarius Taloni Lector in Conventu Narbonenſi Fratrum Minorum, ſuſcepto illius Beguini patrocinio, aſseruit dogma illud tantùm abeſse ab hæreſis ſuſpicione, ut etiam inter Catholicæ fidei articulos numerari deberet; maximè cùm Decretalis Nicolai Papæ III *Exiit qui ſeminat*, de qua in ejus Pontificatu locuti ſumus, id affirmaret. Berengario palinodiam cùm Inquiſitor indiceret, is ad Sedem Apoſtolicam ſolemniter appellans Avenionem petiit, & rem totam Joanni Pontifici expoſuit; qui ne temerè quicquam in re tanti momenti ſtatueret, omnibus Academiis & doctiſſimis Viris ubique terrarum ad diſceptandum propoſuit, Utrùm pertinaciter aſserere Chriſtū & Apoſtolos non habuiſse aliquid in ſpeciali, neque in communi, foret hæreticum cenſendum. Et ne obſtaret prædicta Decretalis Nicolai III *Exiit*, Menſe Auguſto anni 1322 ſuſpendit ſententiam excommunicationis ac pœnas alias contentas in ea, prohibens omnem Regulæ Minorum interpretationem, donec de hac nova quæſtione deliberatum eſset, cap. *Quia nonnunquam* inter Extravag. de Verborum ſignificatione. Hæc conſtant ex Nicolao Minorita tunc vivente, à Raynaldo 1322 num. 13, & à Baluzio in Notis ad Vitas Paparum Aven. col. 598 laudato, & ex Bernardo Guidonis in ſecunda & tertia Vita Joannis XXII apud eundem Baluzium.

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

XL. *Determinatur à fratribus Minoribus in Capitulo generali Peruſino.*

Eadem tempeſtate, anno ſcilicet 1322, cùm Fratres Minores ſub Michaele Cæſenate Miniſtro Generali Perusii Capitulum generale celebrarent, tractatâ in eo controverſiâ, declaratum eſt ab eis, inhærere ſe decreto Eccleſiæ Romanæ per Nicolaum III cap. *Exiit*, promulgato, per ipſum Joannem XXII in decretali *Quorumdam exigit* commendato, quo Nicolaus determinavit, Chriſtum & Apoſtolos nihil jure proprietatis & dominii, ſeu juris proprii, neque in ſpeciali, neque in communi habuiſse; hancque propoſitionem non eſse hæreticam, ſed ſanam, catholicam & fidelem. Duplices ea de re Capituli Peruſini literas ex Alvari Pelagii de Planctu Eccleſiæ lib. 2 cap. 62 refert Waddingus, datas Idibus Julii ejuſdem anni, quas reliqui ferè omnes Magiſtri Theologiæ ejuſdem Ordinis in Anglia & ubique locorum approbarunt & confirmarunt divulgatis ſcriptis; addentes inſuper, paupertatem Fratrum Minorum majoris eſse perfectionis, quàm aliorum Mendicantium, propter abdicatum dominium, nec niſi ſolum nudum uſum eis exemplo Chriſti reſervatum. In quo ſanè damnanda erat illorum Minorum audacia, qui controverſiam, in Sedis Apoſtolicæ diſcuſſione tunc temporis actu pendentem, præjudicare auſi ſunt adversùs ipſammet Nicolai III conſtitutionem, qua ſe tueri profitebantur.

Digitized by Google

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

tur; in ea enim dixit Nicolaus: *Si quid penes aliquem in his ambiguitatis emerſerit, ad culmen prædictæ Sedis Apoſtolicæ deducatur, ut ex auctoritate Apoſtolica, ſua in hoc manifeſtetur intentio; cui ſoli conceſſum eſt in his ſtatuta condere, & edita declarare.* Unde Michaele Cæſenate exauctorato, Geraldus eorundem Minorum Miniſter Generalis ejus & aliorum fratrum audaciam & temeritatem caſtigat in Tractatu, quem ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ laudat Odoricus Raynaldus, ejuſque fragmentum deſcribit anno 1322 num. 55.

XLI. *Joannes PP. hanc determinationem cajetat quoad paupertatem Fratrum Minorum.*

Hæc cum Joannes Papa intellexiſſet, eodem anno, ſexto Idus Decembris quoad paupertatem Fratrum Minorum conſtitutionem edidit, quæ incipit *Ad conditorem canonum*, & extat inter Extravag. tit. De Verborum ſignificatione, quâ declaravit, Decretalem *Exiit*, quâ Nicolaus III dominium & proprietatem rerum tàm in communi, quam in ſpeciali Fratribus Minoribus abrogaverat, ſimplicem duntaxat uſum facti eis reliquerat, dominio ac proprietate Eccleſiæ Romanæ ſervatis, non intelligi de rebus, quæ uſu conſumuntur, in quibus dominium ab uſu facti ſeparari non poſſe multis probat: ideoque dominium illud ipſis reſtituit, ac prohibet ipſorum procuratoribus, ne Sedis Apoſtolicæ nomine cuiquam litem inferrent, reſciſſo quoad hoc Martini quarti privilegio. *Quis ſanæ mentis credere poterit*, inquit inter alia Joannes XXII in ſua conſtitututione, *quòd intentio fuerit tanti patris* (ſcilicet Nicolai III) *unius ovi, ſeu caſei, aut fruſti panis, & aliorum uſu conſumptibilium, quæ fratribus ad conſumendum è veſtigio conferuntur, dominium Romanæ Eccleſiæ, & uſum fratribus retinere.* Renunciavit itaque dominio illi peculiari rerum, quæ penes Minores habebantur, aut illis offerebantur, prohibuitque eis ampliùs habere ſyndicos aut procuratores, qui nomine Sedis Apoſtolicæ res illas exigerent, aut curarent. Et poſtea alia conſtitutione edita IV Idus Novembris anni 1324, de qua mox, inhibuit: *Ne quis contra diffinita, ordinata, ſeu facta per ipſum verbo vel ſcripto ſcienter approbet aliquid vel defendat. Si quis verò contra præſumpſerit, tanquam contumax & rebellis Romanæ Eccleſiæ ab omnibus habeatur.*

XLII. *Eandem damnat quoad paupertatem Christi & Apoſtolorum.*

Quod attinet ad quæſtionem de Chriſti & Apoſtolorum paupertate, Joannes Papa poſt accuratiſſimum ejus examen, pridie Idus Novembris anni 1323 conſtitutionem edidit, quæ etiam extat inter extravag. cap. *Cùm inter nonnullos*, qua hanc propoſitionem, *Chriſtus & Apoſtoli in ſpeciali non habuerunt aliqua, nec in communi*, ejuſque aſſertionem pertinacem, *erroneam & hæreticam* declaravit, eo quòd ſacræ Scripturæ contraria eſſet; nec non & illam qua quis pertinaciter affirmare audet et Chriſtum & Apoſtolos in iis, quæ ipſos habuiſſe Sacra Scriptura teſtatur, nequaquam jus ipſis utendi, ſeu conſumendi, aut ea vendendi, ſeu donandi, vel ex ipſis alia acquirendi habuiſſe. Has Joannis XXII conſtitutiones cùm Michael Cæſenas Miniſter Generalis, aliique quidam Minoritæ pertinaciter oppugnarent, Joannes nova conſtitutione, IV Idus Novembris anni 1324, ut jam dixi, edita, quæ incipit, *Quia quorumdam mentes*, ſuperiores Conſtitutiones vindicavit & confirmavit, & ab omnibus tanquam hæreticos haberi ac vitari juſſit eos, qui verbo, vel ſcripto defendere vel approbare proſcriptam illam propoſitionem præſumerent; *Quod Chriſtus & Apoſtoli in iis quæ habuiſſe leguntur, tantum habuerint, abſque jure aliquo, ſimplicem uſum facti. Ex quo*, inquit, *ſi verum eſſet, ſequeretur uſum Chriſti fuiſſe non juſtum, quod blaſphemiam continet*. Extat hæc conſtitutio inter Extravag. Tit. de Verborum ſignificatione. Ceterum de contradictione, quæ videtur eſſe inter Conſtitutiones Joannis XXII & Nicolai III de paupertate Chriſti & Apoſtolorum, ac Fratrum Minorum legendi Bellarminus lib. 4 de Romano Pontifice cap. 14, Wadingus, Raynaldus in Annalibus, & alii; eam enim, ſi quæ appareat, conſultò prætermitrimus, quia eam ſolvere Theologi, non Hiſtorici partes ſunt.

XLIII. *S. Thomam de Aquino canonizat.*

Sanctum Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum ad Concilium Generale Lugdunenſe ſecundum Gregorii decimi juſſu pergentem, anno 1274 in Monaſterio Foſſæ novæ Ordinis Ciſtercienſis Diœceſis Terracinenſis, Nonis Martii, anno ætatis quinquageſimo ſanctè obiiſſe, ſuperiori Tomo diximus. Hunc miraculis in vita & poſt mortem clariſſimum Joannes XXII anno milleſimo trecenteſimo vigeſimo tertio, decimo quinto Kalendas Auguſti, poſt duplicem de vita ejus & miraculis præviam diligentem inquiſitionem, in Conſiſtorio cum ſolemnitate debita canonizavit, ut referunt omnes ferè Vitæ Joannis XXII Scriptores apud Baluzium, & Guillelmus de Thoco in ejuſdem Sancti Vita, quæ extat Tomo I Sanctorum Martii Bollandiani. Hunc Sanctum poſteà Sanctus Pius quintus Pontifex anno 1567 tertio Idus Aprilis quintum Eccleſiæ Doctorem dixit, ac feſtum ejus eodem ritu cultuque ac aliorum quatuor Doctorum celebrari juſſit. Urbanus autem V ſacrum ejus corpus Ordini Prædicatorum dedit, quod Toloſam anno 1368 translatum eſt. Omitto hic egregia de ejus doctrina & ſanctitate Pontificum teſtimonia, tantum enim Doctorem nominaſſe, prolixè laudaſſe eſt. Sanctum por-

rò Thomam non fuiſſe Monachum Caſſinenſem, ſed tantùm in Caſſinenſi Monaſterio inter nobiles pueros piis moribus, primiſque literarum rudimentis inſtitutum probat Natalis Alexander Tomo VII novæ editionis pag. 143, & Baluzius col. 751 ex Thoma Walſinghamo obſervat S. Thomam habitum Prædicatorum ſuſcepiſſe, *invitis parentibus, qui eum monachari volebant*, ex quo ſequitur eum non fuiſſe Monachum Caſſinenſem.

XLIV. *Monitorium publicat contra Ludovicum invitum in Regem Rom. electum.*

Anno 1322 Ludovicus Bavarus & Fridericus Auſtrius Romanorum Reges deſignati, controverſiam Romani Pontificis æquitate dirimi detrectantes, exeunte menſe Septembri eam ferro decidere tentarunt. Initum eſt inter eos prælium quarto Kalendas Octobris in Vigilia Sancti Michaelis juxta oppidum Muldorfium Bavariæ inferioris, quod Fridericus invaſerat: & ab ortu ſolis uſque ad occaſum varia fortuna, ſed tandem Fridericus captus à Ludovico cuſtodia ferè triennali detentus eſt. Statim Ludovicus de parta victoria Pontificem certiorem fecit, qui literis datis XV Kalendas Januarii anno ſeptimo Pontificatus, quas refert Raynaldus eodem anno 1322 num. 15, paratum ſe obtulit ad tractandam & procurandam inter ipſos pacem. Sed Ludovicus oblato ſibi à Pontifice ſtudio uſus non eſt, regnum ſibi armis aſſerere poſſe arbitratus, de quo hæc tradit Ptolomæus Lucenſis in Hiſt. Eccleſ. MS. lib. 24 cap. 41 apud Raynaldum laudatum: *Dux prædictus Auſtriæ captus fuit per ducem Bavariæ & detentus: & ſic ipſe Ludovicus dux Bavariæ jus imperii ſibi vendicans uſurpavit*. Quare cùm Ludovicus Imperii adminiſtrationem corripuiſſet, antequam ea controverſia dirimeretur à Sede Apoſtolica, & alia parte Galeatii Vicecomitis, quem hoſtem & hæreſi contaminatum Joannes Pontifex pronunciarat, ac Ferrarienſium aliorumque perduellium patrocinium ſuſcepiſſet, Pontifex octavo Idus Octobris anni 1323 monitorium ad eum miſit, ac proceſſum contra ipſum confectum publicavit. Quo eum ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ monuit & auctoritate Apoſtolica injunxit, intra trium menſium ſpatium à defenſione prædictorum abſtinere, & ab omni Regni & Imperii adminiſtratione ceſſare; non ampliùs eam reſumpturum, niſi poſt approbationem ejus perſonæ a Sede Apoſtolica factam; prohibens inſuper omnibus cujuſcumque conditionis aut dignitatis tàm Eccleſiaſticæ quàm ſæcularis, ſub pœna quoad Eccleſiaſticos ſuſpenſionis ab ordinibus & beneficiis; quoad ſæculares verò excommunicationis in perſonas & interdicti in terras, ac privationis privilegiorum quorumcumque & feudorum, quæ ab Eccleſia & Imperio obtinerent, eidem Ludovico in præmiſſis ſeu aliis regimen Imperii tangentibus, obedientiam, auxilium, vel favorem præſtare. Huncque proceſſum ubique promulgandum miſit ad univerſos Archiepiſcopos & Epiſcopos Germaniæ, Italiæ, Galliæ, Angliæ, Hungariæ, & aliorum regnorum Chriſtianorum. Extat illud monitorium apud Raynaldum anno 1323 num. 30, & Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum col. 644, diciturque *datum Avenione in palatio Epiſcopali VIII Idus Octobris, Pontificatus noſtri anno octavo*.

XLV. *Ejuſdem Ludovici Oratores ſuſcepit.*

Ludovicus recepto Pontificiæ ſententiæ nuncio Albertum de Strazburg Hoſpitalariorum Equitum in Germania magnum Præceptorem, Magiſtrum Erneſtum de Sebech Archidiaconum Herbipolenſem, & Magiſtrum Henricum de Throno Canonicum Pragenſem Oratores ad Joannem Pontificem miſit, ut cauſas latæ ſententiæ cognoſcerent, diemque extrahi depoſcerent, literis datis *apud Nuremberg II Idus Novembris anno Domini 1323, regni verò noſtri anno IX;* ſed videtur Ludovicus his prorogationibus, eludere voluiſſe quæ in eum a Pontifice gerebantur, cùm, ex mox dicendis, antequam Oratores Avenione Pontifici ſe præſentaſſent, quod factum eſt tantùm quarto Nonas Januarii anni 1324, ad Concilium Generale appellaverit. Pontifex nihilominus ut omnem conquerendi Ludovico occaſionem tolleret, duos adhuc menſes à ſeptimo Idus menſis Januarii anni 1324 computandos conceſſit, non quidem ad reſpondendum, ſed ad reſipiſcendum, & obtemperandum iis, quæ in monitorio continebantur; iiſque exactis publicatum eum ſe pœnas ejus exceſſibus debitas declaravit. Dicta conſtant ex aliis Joannis Pontificis literis, quæ extant apud Bzovium anno 1324, & Tomo 2 Theſauri Anecdotorum col. 647, in quibus etiam dicta Ludovici Bavari continentur. Hanc porrò duorum menſium dilationem cum gratiarum actione acceptarunt Oratores, & Joannes Pontifex cuncta Avenione geſta publicis literis, quas refert idem Bzovius, univerſis per orbem Prælatis ſignificavit.

XLVI. *Ludovicus appellat ad futurum Concilium.*

Sed hæc omnia illuſoriè à Ludovico facta exiſtimare eſt, non ſolùm ex eo, quòd poſt hæc à præteritis non abſtinuit, neque apud Pontificem aliquid ampliùs promovere curavit; ſed præcipuè ex eo quòd antequam Oratores, quos ad Pontificem deſtinaverat, Avenionem appuliſſent, ut tradunt Villanius lib. 9 cap. 227, S. Antoninus tit. 21 cap. 5 §. 6, & Nauclerus generat. 45, habito ſuorum conſilio appellaverit ad ipſummet Papam malè informatum, benè informandum, & ad Concilium Generale quando eſſet Romæ in Sede Petri; miſiſſeque alios Oratores ad ſe excuſan-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

ſandum cum promiſſione ſe non fore contrarium Eccleſiæ. Extat ipſum exemplar provocationis factæ ab eo apud Hervartum anno 1323 Tomo 1, & quidem die Dominica decima quinta Kalendas Januarii, ſeu die 18 Decembris, quæ eo anno concurrebat cum Dominica, diebus 36 poſt ſuorum Oratorum ad Joannem Pontificem diſceſſum, & antequam hi ad Pontificis audientiam admiſſi eſſent. Ex quo conjicere eſt Ludovicum illuſoriè hac in cauſa egiſſe, vel improborum conſiliis ſubornatum dictam provocationem publicaſſe ante Pontificis reſponſum. Quidquid ſit, in ea Ludovicus poſt narratas accuſationes Pontificis ſibi impactas, videlicet, quòd titulum regium ſibi illicitè uſurpaſſet; adminiſtrationi Imperii in Romanæ Eccleſiæ injuriam ſeſe immiſcuiſſet; hæreticorum & Eccleſiæ rebellium defenſionem ſuſcepiſſet; eaſdem diluere ſtudens, ac ſe ritè electum & coronatum, regnum adminiſtrare etiam abſque Eccleſiæ approbatione potuiſſe, & quinam illi hæretici, vel rebelles Eccleſiæ eſſent ignoraſſe ſe declarans; demum obtulit ſe coram Cardinalibus non ſuſpectis aut in Concilio Generali, vel aliàs ubi opportunum foret, legitimè probaturum, ipſum Joannem eſſe defenſorem atque fautorem hæreticæ pravitatis, ejus quæ à confeſſione retrahit pœnitentes, & poteſtatem ſæcularem ſuffocat: ac propterea ſe uti propugnatorem & cuſtodem fidei Catholicæ, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ advocatum, & ſacri Imperii Regem, à gravaminibus iniquis injuſtè illatis & comminatis, & à proceſſibus dicti Joannis manifeſtè iniquis & injurioſis contra ſe factis, Sanctam Sedem Apoſtolicam nomine ſuo & omnium adhærere volentium appellare, ac petere ad prædicta diſcutienda Concilium Generale quantocyùs ad locum communem, & aptum congregari. Ita Spondanus ad annum 1323 num. 3 ex ipſa provocatione refert.

XLVII. *Joannes PP. monitorii in Ludovicum Bavarum tempus ad tres menſes prorogat.*

Licèt Pontifex elapſis duobus menſibus, quos Ludovico Bavaro conceſſerat ad reſipiſcendum, pœnas in monitorio latas in eum publicare potuiſſet, uti comminatus fuerat; eligens tamen adhuc manſuetudinis redundantià cum illo agere; ipſum quidem declaravit in excommunicationis ſententiam incidiſſe, ideoque ab omnibus evitandum præter caſus exceptos; verùm quoad reliquas pœnas in monitorio expreſſas trium adhuc aliorum menſium ſpatium à decimo Kalendas Aprilis ejuſdem anni 1324 computandum indulſit, intra quod abſtineret à titulo Regis Romanorum, & ab omni adminiſtratione ejuſmodi Regni & Imperii, necnon à patrocinio Vicecomitum Mediolanenſium, & Ferratienſium, ſeu filiorum Marchionis Eſtenſis Ferrariam occupantium, atque aliorum rebellium Eccl. Rom. ipſeq; per ſe ipſum, vel per idoneos procuratores ſiſteret ſe coram Pontifice ad reſpondendum ſuper exceſſibus à ſe commiſſis, ſub pœna privationis omnis juris, quod ſibi ex ſua electione quoquomodò competere poſſet, incurrenda ipſo facto. Prælatos quoque & Eccleſiaſticos omnes, qui contra monitionem menſis Octobris anni proximè præteriti feciſſent, declaravit pœnam ſuſpenſionis ab officio & beneficio eà latam incurriſſe; & quicumque adhuc perſeverarent, excommunicationem & privationem beneficiorum ac dignitatum ipſo facto incurſuros. Ac pariter Sæculares, qui impoſterum inobedientes forent, iiſdem pœnis excommunicationis, interdicti, ac privationis eadem monitione expreſſis ſubjecit ipſo facto: non obſtantibus quibuslibet juramentis fidelitatis, ſocietatis, confœderationis & aliis, à quibus eos diſpenſavit & relaxavit. Hæcque publicis ſuis literis quæ extant apud eundem Bzovium, & prædicto Tomo 2 Anecdotorum col. 652 decimo Kalendas Aprilis anno VIII Pontificatus Avenione datis, univerſis per orbem Prælatis ſignificavit, & per eos ubique promulganda mandavit.

XLVIII. *Profert in eum ſententiam.*

Verùm cùm durante trium illorum menſium ſpatio, Ludovicus nec per ſe comparuiſſet, nec alius pro eo, neque prædicta in monitorio impleſſet, ſed illis potiùs pejora ſtuduiſſet cumulare, Joannes Pontifex demum in eum ſententiam protulit quinto Idus Julii ejuſdem anni 1324, qua ipſum declaravit contumacem, & omni jure Regni & Imperii, ſi quod ſibi ex ſua electione competere potuiſſet, privatum: reſervatis aliis pœnis in eum infligendis, ſi deinceps ſe Regni vel Imperii adminiſtratione immiſcere, vel ſupradictos hæreticos & rebelles fovere præſumeret. Ipſi inſuper diem dixit in Kalendis Octobris, ſententiā ſuper aliis pœnis audituro. Omnibus Imperii ſubditis tàm Eccleſiaſticis quàm ſæcularibus ei quocumque modo obedire, aut opem vel favorem præſtare, Imperatoremque dicere vel nominare, graviſſimis pœnis prohibens. Eam ſententiam Avenione V Idus Julii Pontificatus anno VIII publicatam alibi etiam ubique per Germaniam, Italiam, aliaque regna promulgandam Prælatis direxit. Extat etiam apud Bzovium, & Tomo 2 Anecdotorum. Hanc & ſuperiores Joannis Papæ ſententias à quibuſdam in Germania ſtrictiſſimè ſervatas, ab aliis verò invalidas reputatas fuiſſe, ſcribit Joannes Nauclerus Generatione 45 ex Hermanno illius temporis Auctore.

XLIX. *Purgat ſe ab hæreſi ſibi à Ludovico impoſita.*

Percuſſus prædicta ſententia Ludovicus ſibi aliquos pſeudo-doctores mercede & favore conduxit, & ſtatim ex Joannis

Janduni Peruſini, & Marſilii de Menandrino Patavini, hæreticorum hominum ſenſu, ut ſcribunt Rebdorfius in Annalibus,& Joannes Villanius lib. 9 capp. 265,& 275, virulento calamo Epiſtolam vulgavit, qua Joannem Papam uti injuſtum innocentium perſecutorem, clavium ſubverſorem, canonum violatorem, diſcordiarum ſeminatorem, Imperii deſtructorem, legum prævaricatorem, doctrinæ orthodoxæ de paupertate Chriſti & Apoſtolorum convulſorem, Sacramentorum profanatorem, Terræ Sanctæ deſertorem, Eccleſiæ temeratorem, denique incorrigibilem, & hæreticum notorium impetiit, & nefando auſu univerſo Orbi declaravit. Sed hæc omnia contra ſe dicta tanquam frivola & nullius momenti contempſit Pontifex; id ſolùm quòd ſe de hæreſi ob edictum de paupertate Chriſti inſimulari vidit, haud diſſimulandum ratus, ad demonſtrandam æquitatem Conſtitutionum *ad conditorem*, & *cum inter* à ſe editarum, aliam prolixiorem, quæ incipit, *quia quorumdam*, quarto Idus Novembris edidit, de qua ſuperiùs jam locuti ſumus, qua præmiſſis gravibus reſponſionibus ad ſingulas detractorum objectiones, inſerta ampla de clavibus ſcientiæ & poteſtatis diſputatione ab hæreſi ſe purgavit.

L. Ludovicus iterum appellat ad futurum Concilium contra Joannem PP.

His non contentus Ludovicus aliam ſcripturam non tam prolixam vulgavit, qua ad futurum Concilium contra Joannem Pontificem iterum provocavit, & proteſtationem de nullitate proceſſus judiciarii & ſententiæ contra ſe prolatæ interpoſuit, hiſque verbis poſtulationem in fine concepit, quam refert Bzovius anno 1324 num. 7 ex MS. 4008 Bibliothecæ Vaticanæ: *Ad prædictum Generale Concilium, quod inſtanter cum inſtantia repetita, loco tuto, nobis & noſtris convocari petimus & congregari, & ad verum & legitimum futurum Summum Pontificem, & ad Sanctam matrem Eccleſiam,& ad Apoſtolicam Sedem, & ad alium, vel alios, ad quem, vel ad quos fuerit appellandum provocamus, appellamus in ſcriptis, & appellationes à nobis factas alibi, innovamus; & Apoſtolos teſtimoniales, à Vobis Principibus noſtris Eccleſiaſticis & mundanis & Notariis publicis hic præſentibus cum inſtantia poſtulamus, & proteſtamur expreſsè de innovando provocationes & appellationes & proteſtationes prædictas, ubi, & quomodo, & ſicut, & coram quibus viſum fuerit expedire, & de jure tenebimur, & tenemur, pro tutela & ſecuritate Sacri Imperii & noſtra & ſingulorum omnium prædictorum. Acta & publicata fuit hæc appellatio anno Domini 1324 menſe Octobri.* Eandem appellationem refert Baluzius Tomo 2 Vitarum Paparum Avenionenſium col. 378.

LI. Joannes PP. Marſilium de Padua, & Joannem Jandunum, eorumque hæreſes damnat.

Eodem anno 1324 Marſilius de Padua, ſive mercede conductus, ſive abutens facilitate Ludovici Bavari, huic librum de juriſdictione Imperiali & Pontificia, ſub titulo *Defenſor pacis* nuncupavit, cui etiam conſarcinando operam impendit Joannes Jandunus, qui & ipſe tractatum de poteſtate Eccleſiaſtica edidit, in quibus, inter alios, ſequentes errores propugnarunt. Primò, Chriſtum Dominum quando ſolvit tributum Cæſari, neceſſitate feciſſe, & ex debito, non ex pietate, propterea quòd etiam res ejus temporales Imperatori ſubeſſent: unde & inferebant res Eccleſiæ temporales eſſe Imperatori ſubjectas, eumque poſſe ipſas repetere ut ſuas. Secundò, Chriſtum aſcendentem in Cœlum nullum in Eccleſia viſibile caput conſtituiſſe, nullum Vicarium reliquiſſe, nec S. Petrum plus auctoritatis quàm ceteros Apoſtolos habuiſſe. Tertiò, ad Imperatorem ſpectare Papam inſtituere, deſtituere, ac punire; Pilatum quippe crucifixiſſe Chriſtum tanquam ſibi ſubjectum. Quartò, omnes Sacerdotes, ſive ſit Papa, ſive Archiepiſcopus, ſive Sacerdos ſimplex, ex inſtitutione Chriſti eſſe æqualis auctoritatis & juriſdictionis: quòd autem unus alio ampliorem poteſtatem habeat, hoc eſſe ab Imperatore, qui ſicut liberaliter concedit, ita revocare poteſt pro libito. Quintò, totam Eccleſiam ſimul junctam nullum hominem quantumcumque delinquentem punire poſse punitione coactiva, niſi Imperator id conceſserit. Plures aliorum eorundem errores refert Natalis Alexander, quos Joannes Pontifex, unà cum eorum aſſertoribus Marſilio de Padua, & Joanne Janduno damnavit, ſententiâ contra eos promulgatâ decimo Kalendas Aprilis anno Pontificatus duodecimo, ideoque anno 1327, quâ Marſilium & Joannem tanquam hæreticos damnat, eorumque errores præcipuè fusè ac doctè refutat. Extat ea ſententia apud Bzovium, & Raynaldum anno 1327, ac Tomo 2 Anecdotorum col. 704. Adversùs eaſdem hæreſes ſcripsêre etiam plures alii, quos citant Spondanus, Raynaldus laudatus, & Natalis Alexander.

LII. Improbat concordiam factam inter Ludovicum Bavarum, & Fridericum Auſtrium Romanorum Reges electos.

Fridericus Auſtrius electus Germaniæ Rex, quem ſuperiùs diximus in prælio à Ludovico Bavaro victum & captum fuiſse anno 1325, ut refert Joannes Villanius lib. 9 cap. 194, & 315, concordiam iniit cum eodem Ludovico, ea conditione ut Ludovicus tranſiret in Italiam, & cum eo Leopoldus Friderici frater titulo Vicarii Generalis, & Fridericus Germaniam regeret. Et Cuſpinianus in ſua Auſtria profert quædam diplomata Germanicè ſcripta, quibus conſtat Fridericum regium nomen retinere permiſsum. Quæ quamvis impugnet Hervartus, Joannes tamen Hocſemius de

de Geſtis Pontificum Leodienſium tit. 2 cap. 10 diſertè ait, Ludovicum & Fridericum pacificatos fuiſse ad invicem, ita quòd ambo ſe mutuò Reges nominarent; quod idem ſcribere Auctorem Chronicæ Aulæ Regiæ tunc viventem, qui extat cap. 15 Tomi rerum Boëmicarum aſſerit Henricus Spondanus anno 1325 num. 5, qui exiſtimat, nudum titulum de Regis appellatione Friderico fuiſse relictum, cùm inter conditiones liberationis Friderici Albertus Argentinenſis & Rebdorfius tunc viventes ponant, unam ex his fuiſse, ut Fridericus omni jure Imperii Regnique cederet, & tantummodò adminiſtrationem Germaniæ per abſentiam Ludovici gereret, abſque ullis regiis inſignibus. Sed quidquid ſit de iſtis conditionibus, certum eſt non ſolùm Electores Imperii Pontificis exhortationibus admonitos ejuſmodi pacta rejeciſse; aſſerentes utrumque ab electione decidiſse, quòd neutri liceret vota ſibi ab Electoribus collata in alterum transferre abſque nova electione, & præſertim quòd Ludovicus omnino incapax Imperii eſset ex ſententia Eccleſiæ; ſed etiam Joannem Pontificem prædicta pacta conventa reſcidiſse, & Fridericum ac Leopoldum ab illicito juramento de iis præſtito immunes declaraſse, idque eidem Friderico ſignificaſse literis datis *Avenione IV Nonas Maji anno IX* Pontificatus, à Raynaldo eodem anno 1325 num. 2 relatis.

LIII. *Romam à Senatoribus vocatur.*

Anno ſequenti milleſimo trecenteſimo vigeſimo ſexto Romani, ejectis cunctis ferè nobilibus, conſtituerunt quinquaginta duos viros, quaternos videlicet ex ſingulis Regionibus Urbis, qui rerum curam gererent unà cum Præfecto ſibi Sciarra Columna: miſeruntque legationem ad Joannem Papam ſupplicantes quatenus ipſe ad Urbem ſe transferret ad reſidendum ibidem, ſicut alii Pontifices prædeceſſores ſui fecisſent, alioquin comminantes ſe rebus ſuis, prout expedire judicarent, conſulturos, hoc eſt, admiſſuros Ludovicum Bavarum, qui ſe Regem Romanorum dicebat: imò ſe Sedi Apoſtolicæ prout neceſſitas exegerit & univerſali Eccleſiæ expedierit, de ſummo Pontifice, loco & tempore congruis, quantum in ſe foret proviſuros. Ad quæ reſpondit Joannes libentiſſimè ſe eorum deſideriis ſatisfacturum, quandocumque foret debitis circumſtantiis communitus, videlicet habilitatis temporis, ſecuritatis itineris, & quietis loci ad quem vocabatur: quibus omnibus deficientibus, excuſari ſe ſatis ab eorum petitionis effectu. Qui & alioqui per ætatem octoginta & amplius annorum longo conficiendo itineri minùs idoneus Jacobo Sabello & Stephano Columnæ Imperium conſulare Urbis tradidit, & animos Romanorum hortationibus ad concordiam inter ſe, & repulſionem Ludovici Bavari hæretici & perſecutoris Eccleſiæ excitavit. Hæc conſtant ex Joanne Villanio lib. 10, cap. 20, Nauclero generat. 45, & ex Chronico MS. Bibliothecæ Vaticanæ à Spondano laudato. Villanius lib. 9, cap. 343, addit Joannem Papam, Robertum Siciliæ Regem iterum declaraſſe Vicarium Imperii per Italiam Imperio vacante.

LIV. *A Ludovico Bavaro hæreticus declaratur.*

Eodem tempore Romani ſcripſerunt Ludovico Regi, eumque pariter in Italiam & Urbem invitarunt, qui brevi ſe adfuturum promiſit; & menſe Februarii anni ſequentis milleſimi trecenteſimi vigeſimi ſeptimi Tridentum in confiniis Germaniæ & Italiæ venit parvo & contemptibili comitatu, ac planè indigus, ſed pro magnis divitiis, ſplendidoque apparatu, habuit quidquid inter Epiſcopos & Religioſos Ordines tota ferè Chriſtianitate fuit rebellium, apoſtatarum, hæreticorum, ſchiſmaticorum & excommunicatorum, quorum conſilio dementatus auſus eſt denunciare Joannem Papam hæreticum & indignum Pontificem, tum ob alia, tùm maximè ob ſententiam de paupertate Chriſti latam: quem & faceti homines Presbiterum Joannem vocabant. Tridento Mediolanum die decima tertia Maji pervenit, ibique in die Pentecoſtes, ſeu die trigeſima prima Maji coronatus eſt corona ferrea, quod Muœtiæ fieri depoſuiſſe alias diximus, à Guidone Petramala pſeudo-Epiſcopo Aretino, anathematе damnato, & dignitate depoſito. Inde poſt accepta à Mediolanenſibus ceteriſque Gibellinis ducenta millia florenorum aureorum, multùm ſolicitatus à Romanis adventum accelerare, priuſquam Robertus Siciliæ Rex Urbem occuparet, decimo quinto die Decembris iter Romam verſus inſtituit, & Viterbium tandem die ſecunda Januarii anni milleſimi trecenteſimi vigeſimi octavi per multiplicia hiberni temporis incommoda pervenit.

LV. *Ultimam excommunicationis, & depoſitionis ſententiam in eum profert.*

Eodem ipſo tempore, quo Ludovicus tam nefanda in Joannem Pontificem palam omnibus committebat, Mediolano tamen Avenionem Oratores ad eum miſit, rogans ut more Majorum Imperialia inſignia ſibi benignè conferret, ſciens moris eſſe Pontificem ad ea tradenda interpellare. Id diſertè ſcribit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, ubi ad annum 1328, poſtquam dixit Ludovicum ineunte Januario à Romanis magno cum honore ſuſceptum eſſe, ſubdit: *Scripſerat antea Papæ Joanni XXII in Avenione commoranti rogans, quatenus aut ipſe Romam veniret perſonaliter, aut mitteret ex cœtu Cardinalium duos, qui coronationis ejus juxta morem implerent officium. Sed Papa nec Romam venire perſonaliter*

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

liter voluit, nec aliquem ex Cardinalibus miſit. Sed ignominioſè rejectis Oratoribus Joannes Pontifex die vigeſima tertia Octobris anni milleſimi treceenteſimi vigeſimi ſeptimi, non die vigeſima, ut tradit Villanius lib. 10, cap. 27, ultimam in eum ſententiam excommunicationis & depoſitionis, velut in perſecutorem Eccleſiæ & fautorem hæreticorum publicavit, ipſumque omni dignitate privatum declaravit. Extat hæc ſententia Tomo ſecundo Anecdotorum col. 698, data *Avenione X Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri anni duodecimo*. Rebdorfius in Annalibus ait, eodem tempore Joannem Pontificem miſiſſe in Germaniam Priorem Toloſanum Hoſpitalariorum ad Electores Imperii, ut alium Regem eligerent: & cùm Archiepiſcopi Moguntinus & Colonienſis ad id procedere vellent, Trevetenſem ac Regem Boëmiæ obſtitiſſe.

LVI. *Decem Cardinales creati.*

Antequam geſta a Ludovico Bavaro anno 1328, proſequamur, obſervandum eſt Joannem Papam, ut ſuſtinendæ incumbentium rerum moli par eſſet, atque Eccleſiam a Ludovico quatiendam firmaret, decem novos Cardinales exeunte anno 1327, anno Pontificatus ſui duodecimo, feria ſexta quatuor Temporum Adventus, videlicet XV Kalendas Januarii creaſſe: *Pontificatus ſui anno duodecimo* inquit Bernardus Guidonis in ſecunda Joannis Vita apud Baluzium, *Dominicæ Incarnationis 1327 feria ſexta in jejuniis quatuor Temporum Adventus, videlicet XV Kalend. Januarii, fecit tertiam ordinationem decem Cardinalium*, (hæc ordinatio dicenda eſt quarta; ſed Bernardus Guidonis eam vocat tertiam, quia non meminit ſecundæ ordinationis, in qua unicum Cardinalem creavit, ſcilicet Arnaldum de Via, ut diximus num. XVIII.) *quos aſſumpſit, videlicet Joannem de Convenis Archiepiſcopum Toloſanum; Anibaldum Gaitani Romanum Archiepiſcopum Neapolitanum* (qui ædificavit locum de Gentiliaco juxta pontem Sorgiæ prope Avenionem, in quo conſtituit & fundavit cœnobium Cœleſtinorum, ut aſſerit Auctor primæ Vitæ Clementis VI, ſub quo obiit anno 1350, cum eſſet Epiſcopus Tuſculanus), *Jacobum Ciſtercienſis Ordinis, Magiſtrum in Theologia, Epiſcopum Mirapiſcenſem* (Eſt is Jacobus Furnerii, poſtea Papa ſub Benedicti XII nomine) *Raimundum Ruthenenſis diœceſis, Epiſcopum Sancti Papuli, Petrum de Mortuomari Lemovicenſis diœceſis, Epiſcopum Autiſſiodorenſem; Petrum de Capis Epiſcopum Carnotenſem; Fratrem Matthæum de Urſinis Romanum, de Ordine Prædicatorum, Magiſtrum in Theologia, Archiepiſcopum Sipontinum, Petrum de Toleto Hiſpanum, Epiſcopum Carthaginis vel Murciæ; Joannem de Columna Romanum; Ubertum de Puteo de Montepeſſulano.*

SÆC. XIV JOANNES XXII.

LVII. *Coronationem Ludovici Mediolani, & Romæ factam irritat.*

Cum Ludovicus Bavarus die ſecunda Januarii anni 1328 Viterbium perveniſſet, à quibuſdam Romanis vocatus, cum quatuor millibus equitum Romam ingreſſus eſt die ſeptima ejuſdem menſis, exceptus gratanter a ſuis, ſed reliquis adeo exoſus, ut Urbe excedere maluerint, quàm cum eo communicare; & maximè Clerus, qui quòd Urbs interdicto ſuppoſita a Joanne Papa, ipſiuſque Legato Joanne Cardinali Urſino fuiſſet, nullis minis induci potuit, ut officia divina celebraret coram Ludovico excommunicato, qui ſecum plurimos adduxerat Prælatos & Clericos ac religioſos apoſtatas, excommunicatos, & depoſitos. In hac rerum confuſione Sciarra Columnius à 52 viris a Romanis electis deſtinatus eſt ad Ludovicum coronandum Imperatorem; quare idem Ludovicus die dominica decima ſeptima Januarii, quantà potuit in illa excommunicatorum colluvie fieri celebritate, una cum conjuge, à duobus pſeudo-Epiſcopis ob ſua demerita excommunicatis & depoſitis, Jacobo videlicet Epiſcopo Caſtellano, hoc eſt Venetiarum, & Elerenſi in Corſica Epiſcopo Ordinis S. Auguſtini, execratus eſt potius, quàm conſecratus in Baſilica Sancti Petri; & à prædicto Columnio coronatus. Moxque ut omnes ſibi conciliaret, tria decreta promulgavit, de fide catholica, de Clericis honorandis, ac de viduis & pupillis defendendis. Cum verò jam antea creatus fuiſſet à populo Senator Urbis & Dux populi in annum, eam tunc dignitatem in Caſtrucium Caſtracanis Lucæ tyrannum, jam antè a Joanne XXII excommunicatum tranſtulit. Quæ, cum intellexiſſet Joannes Papa coronationem Ludovici tum Mediolani, tum Romæ in Baſilica Sancti Petri factam, aliaque ab ipſo ibidem geſta caſſavit & irritavit literis datis ſecundo Kalend. April. ejuſdem anni, quæ extant Tom. 2 Theſaur. novi Anecdotorum col. 727.

LVIII. *A Ludovico Bavaro Pontificatu privatus declaratur.*

Sed Ludovicus majora moliens die decima octava menſis Aprilis Imperatorio cultu ſedens in throno majeſtatis ſuæ ſupra gradus Eccleſiæ Sancti Petri, indicto ſilentio fecit per fratrem Nicolaum Fabrianenſem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, fugitivum è carcere, cui fuerat a Generali ſuo in perpetuum damnatus, trina vociferatione percontari, num aliquis eſſet, qui vellet ſuſcipere defenſionem Presbyteri Jacobi Cadurcenſis, qui ſe Papam Joannem vigeſimum ſecundum dicebat. Cùmque nullus reſpondiſſet, Abbas quidam ex Germania, quem Ciaconius Fuldenſem eſſe exiſtimat, concionem habens; poſt multa in laudem ac zelum Ludovici, & infamiam ac dedecus Joannis Pontificis deblaterata, ſententiam ex ſcripto valdè prolixam legit, qua ſignificavit, Joannem inter no-

to-

Digitized by Google

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

torios hæreticos ſeſe conſtituiſſe, adeoque ſe ipſum Pontificatu privaſſe; quapropter Ludovicum Imperatorem ſententiam depoſitionis in eumdem Jacobum pronunciare, omnique beneficio atque Eccleſiaſtici ordinis & ſecularis auctoritatis prærogativa ſpoliatum declarare, & ſæculari cuilibet Judici puniendum objicere: conſcios ac complices omnes, fautoreſque, ſive Reges aut Principes eſſent, privatione dignitatis, publicatione bonorum, & capitis pœna damnare: Pontificemque maximum ſe brevi Eccleſiæ Romanæ & catholicæ tanto culmine dignum daturum. Hanc depoſitionis ſententiam, utpote ab incompetenti Judice latam nullam fuiſſe ſcribit Alvarus Pelagii lib. 1, de Planctu Eccleſiæ cap. 36: *Qualem ergo ſententiam,* inquit, *dare potuit in Imperio intruſus contra Papam Catholicum, cui tota Eccleſia, ſicut tenetur, obedit, & tenet eum pro Papa, non auditum, non confeſſum, non convictum, non rei evidentia hæreticum?* Ejus ſententiæ ſummam magis quàm verba ipſa ſtylo ſuo virulentiſſimo confecit Aventinus, & in librum 7 Annalium ſuorum Boicorum tranſtulit; Raynaldus anno 1328, num. 11, ait nolle ſe eam referre, ne in immenſam molem ejus confutatio aſſurgat; ſed Baluzius Tomo 2. Vitarum Paparum Avenionenſium col. 512 eam integram exhibet.

LIX. *Defenditur à Jacobo Columna.*

Ad hanc Infernalem ſententiam cùm omnes probi & primores Romanorum obſtupeſcerent, ſolus tamen Jacobus Columnius Stephani Columnæ filius, adoleſcens zelo incenſus, quarto pòſt die, nempe vigeſimo ſecundo Aprilis, ut ſcribit Joannes Villanius lib. 10, cap. 71, in publica platea Baſilicæ ſancti Marcelli, pluſquam mille viris civibus Romanis congregatis, ſententiam à Joanne Summo Pontifice contra eumdem Ludovicum Bavarum latam, quam nemo hactenus in Urbe promulgare auſus fuerat, integram perlegit, atque perlectam illicò oſtiis Baſilicæ affixit. Atque inſuper impoſturas in Ludovici ſententia contentas, ac præcipuè de Syndicatu Cleri Romani contra Joannem Papam apertè retexit & confutavit: Joannem verò verum atque legitimum Romanæ & Catholicæ Eccleſiæ Pontificem eſſe demonſtravit; Ludovicum autem non Imperatorem, ſed excommunicatum, pariterque Senatores Romæ & Quinquaginta duos electos, ceteroſque omnes, qui ei adhæſiſſent, hæreticos eſſe & excommunicatos aſſeruit: hæcque omnia non tantùm verbis, verùm etiam exerto gladio cuicumque contra ſentienti probaturum: quo peracto, conſcenſo equo, unà cum quatuor comitibus abiit Præneſte ad domum paternam; celeritate equitandi manus effugiens armatorum, quos ſumma diligentia Ludovicus ad eum comprehendendum immiſit. In hujus egregii facinoris præmium Jacobus Columna Avenionem à Pontifice vocatus, ac laudibus, quas virtus ejus merebatur, cumulatus, Lombarienſis Epiſcopus ab eodem Pontifice renunciatus eſt, idque ante legitimam ætatem, ſola virtutis admiratione diſpenſante; qua de re legendus etiam Petrarcha Epiſt. 6, famil. lib. 4.

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

LX. *Ludovicus Bavarus conſtituit leges de futuris Pontificibus Rom.*

Poſtridie ejusdem diei, nempè vigeſima tertia Aprilis, quæ cum ſabbato concurrebat, Ludovicus Bavarus unà cum populo Romano quaſdam leges de futuris Pontificibus ſanxit, ſcilicet non alibi futuros quàm Romæ, neque inde ultra tres meſes ſingulis annis abfuturos; neque ultra bidui iter ſe elongaturos abſque permiſſu populi Romani: abſentes tertiò vocatos, ſi non redirent, Pontificatu exciderent, aliumque ſufficere fas eſſet. Conſtituit inſuper, ut hæretici pœna Majeſtatis violatæ punirentur. Edictum Ludovici, cujus partem recitat Raynaldus ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ anno 1328, num. 21, quodque dicitur datum *Romæ apud S. Petrum ſub ſigillo majeſtatis noſtræ anno Domini* 1328, *die* 23 *menſis Aprilis, indictione* XI, *regni noſtri anno* 14, *Imperii verò I,* fuit præludium electionis Antipapæ, quam meditabatur Ludovicus, non verò depoſitionis Joannis, poſtquam Petrus de Corbario dictus eſt Antipapa, ut ait Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 703: edictum enim depoſitionis Joannis à Ludovico datum erat die decima octava Aprilis, & nullum aliud poſtea reperitur, quo iterum Joannes Papatu depoſitus ſit à Ludovico Bavaro poſt intruſionem Antipapæ. Verum quidem eſt Raynaldum loco laudato num. 23, ſcribere, Ludovicum recurrente quinto die à memoratis legibus die vigeſima tertia Aprilis promulgatis, capitali ſententia Joannem Papam damnaſſe, eamque in rem citat Nicolaum Minoritam ſchiſmaticum MS. in Bibliotheca Vaticana num. 4008; ſed hæc ſententia eſt illa, quam dedit Ludovicus die 18 Aprilis, ut conſtat ex ejuſdem Raynaldi numero 11, vel ſi dicamus hanc ſecundam ſententiam diverſam eſſe, datamque quinto die poſt Promulgatas illas leges, dicendum eſt eam datam eſſe ante electionem Antipapæ, contra quod cenſuit Baluzius. Certè Petrus de Corbario in ſua Confeſſione facta Avenione anno 1330, quæ extat apud eumdem Baluzium col. 545, unius ſententiæ à Ludovico Bavaro latæ meminit: *Proceſſus & depoſitionis ſententiam,* inquit, *Ludovici prædicti hæretici contra vos, Sanctiſſime Pater, habitam & etiam fulminatam,* &c. Ex quo ſequi videtur plures quidem proceſſus à Ludovico Bavaro contra Joannem Papam habitos,

ſed

ſed unicam depoſitionis ſententiam ab eodem promulgatam, quam refert Baluzius Tomo ſecundo, datam die 18 Aprilis, & iterum correctam & emendatam publicatam in civitate Piſana die 12 menſis Decembris ejuſdem anni 1328, quæ ſententia correcta & emendata ab eodem Baluzio ibidem col. 522, & ſeqq. ex codice MS. Bibliothecæ Colbertinæ integra recitatur.

LXI. *Antipapam conſtituit ſub Nicolai V nomine.*

Poſt hæc Ludovicus ſive proprio motu in odium Joannis Pontificis, ſive petentibus importunè Romanis, ac plurimis ex Clero, ut ſcribunt quidam, die duodecima Maji ejuſdem anni 1328, in die Aſcenſionis Domini convocato in area Vaticana univerſo populo, in throno eminentiore conſpicuus, paludamento aureo indutus, diadema in capite Petrum Raynalducii de Vico Corbario, gente Aprutinum, Ordinis Minorum, qui tunc in Urbe ad S. Mariæ de Aracœli habitabat, è ſolio aſſurgens, veneratus aliquantulum, infra ſe collocavit. Subinde Nicolaus Fabrianenſis Eremita Auguſtinianus, qui ſententiam depoſitionis in Joannem Papam promulgarat, verba ad populum habuit propoſito themate: *Reverſus Petrus ad ſe dixit: Nunc ſcio verè quia miſit Dominus Angelum ſuum & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Judæorum* [Act. 12, v. 11.] Bavarum quidem Angeli nomine deſignans, Joannem autem Pontificem vocabulo Herodis, Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, reliquos Prælatos, Clerum, Religioſos Joanni adhærentes plebis Judaicæ titulo irridens. Concione blaſphemiis finita, Jacobus Epiſcopus Venetus ſeu Caſtellanus, qui Ludovicum Bavarum Imperatorem inunxerat, è loco eminentiore promiſcuam plebem, num fratrem Petrum de Corbario pro vero & legitimo Pontifice cognoſcere vellet, ſemel ac iterum & tertiò interrogavit; illa confuſis vocibus aſſirmante, ſurgens Ludovicus Bavarus ejuſdem Petri deſignationem electionis canonicæ vocabulo exornans, in libellum publicum eam acclamationem redactam, ex ſcripto recitari imperavit, eumque Pontificem declaravit, indito nomine Nicolai quinti, annuloque digito illius impoſito, mox purpuram ei propriis manibus injecit, & ad dexteram ſuam in ſolio collocatum, poſtea in Baſilicam divi Petri introduxit, ubi mox à ſupra dicto Jacobo Caſtellano Epiſcopo, & aliis Schiſmaticis Epiſc. conſecratus, ſeu potius execratus, & à Ludov. coronatus omnia Pontificia munera uſurpavit.

LXII. *Antipapæ genus, & primordia.*

Petrum de Corbario nobili loco natum ſcribit Ciaconius, & Auctor Chronici Aulæ Regiæ hoc tempore vivens refert opinionem tunc viguiſſe, eum de cognatione fuiſſe Columnenſium, ſed Bernardus Guidonis in ſecunda Joannis XXII Vita apud Baluzium eum ex ignobili familia natum aſſerit: *Petrus Ratualluctt de Corbario*, inquit, *à patre ſuo ruſtico & paupere ſic cognominatus*. Immediatè autem antea ſcripſerat: *Antequam habitum ejuſdem Ordinis* (nempè Minorum) *aſſumeret, uxorem habebat Joannam Matthæi de Corbario, cum qua cohabitaverat conjugaliter annis quinque, & rupto fœdere conjugali, ipſa vivente & invita, ſpreta fide conjugii, ad Fratres Minores ſe contulit, & habitum eorum ſumpſit*. Et paulò poſt: *Præfata autem Joanna uxor ejus ipſum repetiit in judicio coram Epiſcopo Reatino oblato libello: pro qua Joanna contra prædictum Petrum per Dominum Joannem Epiſcopum Reatinum lata fuit ſententia publicè, ſervato juris ordine, penultima die menſis Novembris anno Dominicæ Incarnationis 1328, ſicut in tranſumpto ſententiæ plenius legimus contineri*. Bernardo autem Guidonis tutò hac in re fides adhiberi poteſt, cùm ipſemet ibidem aſſerat, ſe id ſcribere anno Chriſti milleſimo treceteſimo vigeſimo nono. Idem aſſerit Joannes ipſe Pontifex in proceſſu contra dictum Antipapam habito *Avenione decimo Kalendas Junii, Pontificatus anno tertio decimo*, ſeu anno 1329, quo eum hæreticum & ſchiſmaticum pronunciavit, quique extat Tomo ſecundo, Theſauri novi Anecdotorum col. 763. Quare ſapienter & eruditè Wadingus exclamat: *O ridiculum ſenem, qui è ſupremo faſtigio effectus Pontificatus in tremula ſenectute, effœto corpore, & frigeſcentibus membris, jubetur ad conjugales redire complexus!* Sententia enim ab Epiſcopo Reatino lata eſt ſex menſibus cum dimidio poſtquam Petrus ad pſeudo-Pontificatum evectus eſt. Totius rei geſtæ & ſententiæ Reatini Epiſcopi autographa ad Joannem XXII miſſa eſſe, quorum varia exemplaria ad Principes Catholicos tranſmiſit, ex Regeſto Vaticano conſtare ſcribit Wadingus anno 1328, num. 8.

LXIII. *Ejus hypocriſis.*

Magno pietatis & religionis nomine apud omnes audiebat in Urbe Petrus Corbarienſis, uti illius temporis candidus Scriptor B. Odoricus de Forojulio teſtatur in Chronico MS. apud Wadingum laudatum num. 4, in quo teſtatur eum laudabiliter inter Minores ultra annos quadraginta converſatum, magnum fuiſſe Prædicatorem, & Apoſtolicum Pœnitentiarium in Urbe, virum miræ abſtinentiæ, paupertatis Evangelicæ, & religioſæ obedientiæ, qui multos in viam ſalutis reduxit. Sed exiſtimandum eſt B. Odoricum de Forojulio hæc tantùm famâ vulgante accepiſſe, nam Alvarus Pelagius, qui cum ipſo in eodem conventu de Aracœli vixerat, lib. 5 de Planctu Eccleſiæ cap. 27, has in Petro virtutes non agnoſcit, cuncta referens ad ſimu-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

mulationem & hypocriſim: *Dominum Papam Joannem XXII*, inquit, *in cujus tempore ſcribo hunc librum, depoſuerunt in Urbe, & ſibi ſubſtituerunt de facto pſeudoreligioſum de Ordine Minorum, quem cognovi in Urbe, verum hypocritam, quum Conventualis ibi eſſem Romæ in Ara-cœli, decimantem mentam & anetum in quibuſdam abſtinentiis exterioribus, & in aperto, & in abditis loculos compilantem, & inter mulierculas Romanas quaſi continuè reſidentem, & gloriam aucupantem, &, ſicut mihi teſtimonium perhibuerunt Miniſter illius provinciæ Romanæ & Cuſtodes, tunc quum eſſemus in magno conſilio de facto ejus & aliorum, qui Eccleſiæ & Ordini rebellaverant Ananiæ, minus habentem, ſcilicet in caſtitate, & ſic fidem paupertatis & munditiæ & obedientiæ, quæ ſunt legis graviora, relinquentem*. De eodem Petro Antipapa Joannes XXII agens in bulla, quæ extat apud Contelorium pag. 36 ait: *Quique propter inobedientias, culpas graves, contumacias & ſcandala per ipſum in Ordine ſupradicto commiſſa, per ſuum immediatum ſuperiorem* [ſcilicet Miniſtrum provinciæ Romanæ] *excommunicationis innodatus extitit ſententia, & declaratus carceri mancipandus*. Id quidem poſt ejus intruſionem factum Anagniæ docet Waddingus num. 6; ſed literæ encyclicæ Geraldi Odonis, qui dictus eſt Miniſter Generalis anno 1329, quæ extant apud Nicolaum Minoritam fol. 271, oſtendunt, Petrum Corbarienſem ante intruſionem fuiſse excommunicatum, & ad carceris pœnam damnatum: *Petrus etiam de Corbaria*, inquit, *Ordinis noſtri profeſſor fictus & falſus, antichriſtiana impietate in Antipapam intruſus, & per dilectum in Chriſto filium Joannem Miniſtrum in provincia Romana priùs pro ſuis demeritis excommunicationis innodatus extitit ſententia, & declaratus carceri mancipandus*. Ex ſententia itaque Geraldi Odonis, ſententia in Petrum lata fuerat, *priùs*, ſeu antequam Antipapa crearetur.

LXIV. *Nicolaus Antipapa pſeudo-Cardinales creat.*

Ludovicus Bavarus poſt intruſum in Sedem Sancti Petri die duodecima Maji Petrum Corbarienſem, ſeu Nicolaum V, Tibur ſeceſſit die decima quarta ejuſdem menſis, Antipapa verò Nicolaus die decima quinta ſeptem creavit pſeudo-Cardinales, nimirùm prædictum Jacobum Epiſcopum Caſtellanum ſeu Venetum, Nicolaum Fabrianenſem, & Abbatem Fuldenſem, de quibus ſuprà: item Abbatem S. Ambroſii Mediolanenſis, olim ob crimen hæreſis exauctoratum; Epiſcopum Mutinenſem, & duos Populares Romanos ſchiſmaticos & Eccleſiæ rebelles: nominatis etiam quibuſdam aliis Romanis, qui renuerunt hoc vituperio commaculari. Septem autem illos Ludovicus Imperatoria auctoritate confirmavit. Omnes illi pſeudo-Cardinales omnibus Sacerdotiis & dignitatibus exauctorati erant à Joanne Pontifice, ſed mox ampliſſimis ſtipendiis à Ludovico donati ſunt: & quamvis Corbarius ſententiam tenuiſſet, Chriſtum & Apoſtolos nullius rei dominium proprio vel communi nomine poſſediſſe, atque id vitæ genus ſervandum à Clero; ipſe tamen & pſeudo-Cardinales ſui mox luxum, opes, & delicias conſectari cœperunt, ac ſacerdotia dignitateſque auro divendere. Hæc conſtant ex Joanne Villanio lib. 10 cap. 75 & 76.

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

LXV. *Tiaram à Ludovico accipit, eumque coronat.*

Cùm interea non deeſsent qui Ludovicum non Imperatorem eſse pronunciarent, quòd inſignia Imperii non de manu Summi Pontificis, ſed Veneti Epiſcopi recepiſset, in pervigilio ſolemnitatis Pentecoſtes Romam reverſus, apud S. Laurentium in agro Verano divertit. Die ſubſequenti, ſeu die vigeſima ſecunda Maji Pſeudo-Pontifex unà cum ſuis, Pontificalem Sacerdotalemque cultum indutus, Ludovico venienti uſque ad Lateranenſem Baſilicam obviam proceſſit, atque in Divi Petri deduxit, ubi Ludovicus purpureum pileum Antipapæ impoſuit; is verò Diademate aureo caput Ludovici inſigniit, & Imperatorem tum renunciavit, tum approbavit, ut teſtatur idem Villanius: quod idem diſertiùs aſserit Joannes ipſe XXII, Ludovicum nempe ab Antipapa iterum fuiſse coronatum, in Epiſtola ad Joannem Regem Bohemiæ data 2 Kalendas Auguſti anni Pontificatus XIV, quam Bzovius anno 1330 num. 1 refert: *Patet igitur*, inquit Pontifex, *ipſum Bavarum jus aliquod non habere, quia non à vero Summo Pontifice, ſed ab Antipapa recepiſſe dicitur & noſcitur ſupradicta, ſcilicet inunctionem, conſecrationem, & coronationem*. Unde Donatus Boſſius in Chronico, loquens de iſto Antipapa, ait: *A quo iterum ſe coronari jubet*, ſcilicet Ludovicus. Sic Bavarus Tiaram Pontificiam pſeudo-Pontifici, iſque Bavaro diadema Imperiale imponendo, tanquam in ſcenico ludo, fictæ dignitatis jura ſibi mutuò contulere, magna tum majoris partis Romanorum, ceterorumque qui aderant Italicorum, tum ipſorummet Germanorum irriſione ſimul, atque indignatione & deteſtatione. Ceterùm cùm in prædicta ad Joannem Bohemiæ Regem Epiſtola Pontifex ſcripſiſset, Ludovicum Bavarum à Corbario conſecratum, multi inde deducebant, Joannem Corbarii Pontificium agnoviſse, quòd Imperatoris conſecratio ad ſolum Pontificem Romanum pertineret, ac proinde & Bavarum legitimum eſse Imperatorem, quòd à Pontifice conſecrationem accepiſset: Joannes aliis literis, quas in ejus Regeſto contineri aſserit Spondanus anno 1330 num. 9, neceſse habuit explicare, con-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

conſecrationis vocem per errorem irrepſiſſe in prædictam Epiſtolam, cum non conſecratus, ſed execratus Bavarus fuiſset à Corbario. Et adverſus quoſcumque diplomata Pontificia vitiantes, vel vitiatis ſcienter utentes, pœnas graviſſimas decrevit.

LXVI. *Joannem Papam condemnat.*

Conſtituit poſt hæc Corbarius Legatos variis provinciis, & Rectores Civitatum Eccleſiæ Romanæ vectigalium: Epiſcopos item creavit ſui conſimiles. Neque expavit ſacrilega edicta proferre, quibus latam à Ludovico contra Joannem XXII depoſitionis ſententiam, a ſe corroboratam profitebatur, prohibens ne amplius Pontifex, ſed Jacobus de Cadurco a quoquam nominaretur; eos qui ſecus feciſsent, quive aſsumptionem ſuam illegitimam dicere auderent, anathemate notans & inter hæreticos numerans. Duas hac de re pſeudo-Pontificis literas refert Raynaldus anno 1328 num. 44, & ſeq. datas *Romæ apud Eccleſiam S. Mariæ de Aracœli VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno primo*. Secundùm hæc multos ex Clero, qui ſibi adhærere renuebant, beneficiis & dignitatibus exuit, & tanta perſecutio excitata eſt, ut non multò pòſt Romæ a Ranerio Uguccionis Fagiolani filio Senatore, duo, quorum unus erat Etruſcus, alter Inſuber, intrepidè & conſtanter aſserentes, Joannem verum eſse Pontificem, Corbarium verò apoſtaticum, flammis traditi fuerint, ut ſcribit Villanius lib. 10 cap. 76.

LXVII. *Joannes Papa preces publicas indicit.*

Joannes Pontifex cùm primum audivit ſchiſma Petri Corbarii, cùm orationes & ſacrificia præſentiſſimum in omnibus calamitatibus remedium eſse ſciret, ad ſedandos fluctus, quibus Eccleſia laniabatur, ſolemnes preces indixit univerſis Chriſtianis, ac præſertim in Miſſis ad Deum effundendas, ut vel dignaretur corda hæreticorum, ſchiſmaticorum, aliorumque rebellium ad Eccleſiæ unitatem ac devotionem inclinare; vel ſi pertinaces intenderent perſiſtere, ipſorum ſuperbiam elidere & malitiam conterere: conceſsâ cunctis fidelibus id exequentibus viginti dierum indulgentiâ. Conſtituit itaque literis datis XII Kalendas Julii anno Pontificatus XII, quæ extant Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum col. 748, ut in ſingulis Miſsarum celebrationibus, poſt dictum à celebrante *Pater noſter*, illud Canticum, *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi*, totum cum *Gloria Patri* &c. à Religioſis, Clericis & aliis literatis præſentibus cum devotione diceretur, & poſtea quidam verſiculi & Collecta pro pace. Idem ſtatuiſse Nicolaum Tertium jam ſupra diximus. Poſtea Joannes alias literas dedit Kalendis Juliis ejuſdem anni ad Capitulum Ciſterclenſe, quibus iſtius Ordinis Abbates hortatur, ut præfatas preces in ſuis Monaſteriis recitari curent, eaſque in publicis ad populum concionibus commendent. De indictis publicis his precibus meminit Albertinus Muſſatus in Ludovico Bavaro, ac repentè divinitus converſas res, & hæreticorum ac ſchiſmaticorum potentiam concidiſse obſervat: *Mirum quid*, inquit, *poſt edicti hujus decantationem notatur, evenit enim ut ejus virtute ſigna poſt eos dies ſubſecuta ſint*. Subdit Auctor, præcipuos Gibellinos Proceres, qui Ludovicum Bavarum armis fulciverant, brevi miſerè periiſse.

LXVIII. *Romam recuperat.*

Inter hæc Ludovicus videns ſe deluſum à Friderico Trinacriæ Rege, & Gibellinis Italiæ, qui promiſerant ad certum tempus jam elapſum cum copiis & pecuniis affore, & inviſum ſe Romanis cerneret; ceterorum omnium conſiliorum inops, decrevit in Etruriam & Longobardiam, indeque in Germaniam regredi. Fugientis autem ferè in modum, una cum ſuo Antipapa Corbario, ejuſque infami curia, Romà die quarta Auguſti abeuntem populus jam totus in alium mutatus, diris & maledictis inceſsit, hæreticos & excommunicatos vocans, mortemque illis, vitam Eccleſiæ ac Joanni Pontifici conclamans; lapidibuſque etiam multos ex eorum comitatu impetens & aliquos occidens. Nocte autem ſequente Bertholdus Urſinus ingreſſus eſt Urbem cum manu valida, mane verò Stephanus Columna; fueruntque ambo creati Senatores Romæ. Octavo item Auguſti, qui erat dominicalis, Joannes Sancti Theodori Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus adveniens, cuncta reformavit; proceſſus, edicta & acta Bavari & Antipapæ publico comitio recitavit & igne combuſſit. Tantuſque fuit ardor omnium, ut etiam pueri cadavera Germanorum, aliorumque Ludovici aſſeclarum effoderent, & uncis in Tiberim traherent. Ita Villanius lib. 10 cap. 98. Idem Legatus Sanctum Chriſti Sudarium, quod adveniente Romam Bavaro a Baſilica Sancti Petri ablatum, ne tot excommunicatorum viſu contaminaretur, in Eccleſia B. Mariæ Rotundæ abſconditum fuerat, ubi magno cum tremore per Romanos aliquos ſervabatur, ad Baſilicam Principis Apoſtolorum in vigilia feſti Sancti Laurentii magna cum devotione Cleri & populi reportavit, & in loco ſolito collocavit, ut ipſemet Joannes Pontifex ait in literis ad Philippum VI Regem Franciæ V Kalend. Septembris datis, quæ extant apud Raynaldum num. 50.

LXIX. *Iterum à Ludovico Bavaro depoſitus publicatur.*

Ludovicus Romà Viterbium, inde Tudertum, tandemque Piſas pervenit, totamque hyemem in ea civitate tranſegit, ubi & magna pars equitatus Germanici eum deſeruit ob defectum ſtipendiorum. Qui nihilominus ut inter has rerum ſuarum confuſiones majeſtatem ſuam aucto-

rita-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

ritatem oſtentaret, die duodecima menſis Decembris ſententiam depoſitionis in Joannem Papam, quam Romæ die 18 Aprilis pronunciarat, iterum publicavit. Sic enim deſinit apud Baluzium Tomo 1 Vitarum Paparum Avenionenſium col. 545. *Et ne aliquis de præmiſſis ſe per ignorantiam valeat aliqualiter excuſare, has literas bullatas, ut prædicitur, ad fores majoris Eccleſiæ Civitatis Piſanæ publicè appendi, & appenſas per multos dies in conſpectu omnium ibidem juſſimus permanere. Datum in Civitate Piſana anno Domini 1328, indictione 11, die 12 Decembris, regni noſtri anno 14, Imperii verò primo.* Eodem tempore Joannes Papa in quatuor Temporibus Adventus ſententiam excommunicationis & depoſitionis in eundem Ludovicum Bavarum renovavit, teſte Joanne Villanio lib. 10 cap. 115.

LXX. *Ab hoc papa anathematizatur, ejusque imago comburitur.*

Ludovico Piſas ſe recipiente, Petrus Corbarius Antipapa toto anno milleſimo treceteſimo vigeſimo octavo Viterbii perſtitit, annoque tantùm ſequenti Piſas appulit, & quidem die tertia Januarii, ut ſcribit Joannes Villanius lib. 10 cap. 116, & 119. Corbarius Piſas adveniens obvios habuit tàm Ludovicum Bavarum, quam Clerum & populum ſolemni proceſſione. Die octava ſermonem habuit, & indulgentias conceſſit omnibus, qui Joannem Papam averſarentur. Die decima nona, ut probat Baluzius col. 707, non verò vigeſima nona, ut ait Villanius cap. 119, Joannem Vicecomitem Canonicum Eccleſiæ Mediolanenſis, Piſis præſentem, Ludovici Bavari commendatione pſeudo-Cardinalem, & ſuum in Lombardia Legatum creavit, ad quam dignitatem Joannem Vicecomitem ſexaginta millia florenorum auri Ludovico dediſſe ſcribit Ripamontius lib. 9 Hiſt. Mediol. Deinde die decima nona Februarii prædictus Corbarius, præſente Bavaro, publico conventu Joannem Pontificem, Robertum Siciliæ Regem, & Florentinos anathemate damnavit. Legiturque in magno Chronico Belgico ex Petro Chronographo, factam tunc fuiſſe ab impiis illis imaginem Joannis Papæ de ſtraminibus, indutamque Pontificalibus publicè degradatam, ac poſtea crematam. Quando & mirabiliter accidit, ut ſcribit Villanius laudatus cap. 123, ut tanta ſubitò tempeſtas grandinis, imbris, ac procellarum cœlitùs ceciderit, quanta nunquam alias. Cùmque eà teterriti Piſani ſceleratum comitium adire horrerent, miſiſſetque Bavarus Mareſcallum ſuum per urbem, qui eus ire compelleret, is ea intemperie aëris acerbo frigore correptus, cum veſperi balneum aquæ vitæ ad refocillanda membra ſibi parari juſſiſſet, admoro caſu igne vivus ibi arſit: quod certo indicio fuit, ut ait Villanius, proceſſus à Corbario & Bavaro factos inviſos fuiſſe divinæ Majeſtati. Joannis Papæ imaginem fuiſſe combuſtam, ut legitur in Magno Chronico Belgico, diſertè etiam aſſerit Albertinus Muſſatus in Ludovico Bavaro, ubi ſcribit eum *ſimpliciſſimorum puerorum more Joannis Papæ ideam ſeu imaginem ex ſtramine formari paſſum eſſe, ipſamque imaginem Joannis Papæ nomine igni adjudicatam cremaſſe.* Sed Joannes Pontifex ſacrocœnæ Dominicæ die ejuſdem anni 1329 eccleſiaſticum fulmen jecit, ac Ludovicum Bavarum & Petrum de Corbario, novis flagitiis vetera cumulantes, Apoſtolica ſententia damnavit, quam Præſulibus Eccleſiæ ſignificavit. Extat hæc ſententia Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum col. 771, diciturque data duodecimo Kalendas Maji, anno Pontificatus tertio decimo, die ſcilicet vigeſima Aprilis, quæ anno 1329 concurrebat cum die cœnæ Domini, cùm Paſcha die 23 ejuſdem menſis ſit celebratum.

LXXI. *Ludovicus Bavarus ignominiosè in Germaniam redit.*

Eodem tempore, nempe menſe Aprili, Ludovicus expilatis Piſanis & Lucenſibus, relicto Piſis Petro Corbario, poſitiſque Vicariis & præſidiis iiſdem Civitatibus, abiit in Lombardiam, ubi excluſus Modoetiâ & Mediolano, jam omnium ferè contemptu laborans, utramque civitatem fruſtrà obſedit, & reliquam anni partem inutili ferè exercitio, præterquam excurſionum prædatoriarum, in Lombardia tranſegit. Menſe etiam Junio Piſani ab eo defecerunt, & Corbarium miſſum fecerunt, & quæſita Joannis Pontificis gratia, veniam præteritorum poſtularunt, & impetrarunt menſe Septembri. Cùm vero præterea Legatus Joannis Pontificis in Etruria Viterbium, totumque patrimonium, ut vocant, & univerſam Marchiam ad ſubjectionem Eccleſiæ Romanæ redux iſſet; itemque Legatus Lombardiæ aliquot urbes Gibellinorum occupaſſet: his & aliis vehementiſſimè conturbatus Bavarus, ſeque copias & pecunias deficere cernens; demum menſe Decembri Tridentum petens occaſione colloquii cum nonnullis Principibus Germanis & Tyrannis Lombardiæ, accepto ibi nuncio de morte Friderici Pulchri Romanorum Regis ipſius competitoris, hac arreptâ ſpecioſâ occaſione, ignominia & confuſione onuſtus, ut Blondus loquitur, rediit continuò in Germaniam, ingenti omnium tam Gibellinorum, quam Guelforum lætitia, cùm æquè omnibus rapinis ſuis gravis & odioſus factus eſſet. Hæc paulò fuſiùs ex Villanio lib. 10 cap. 116, & 130 uſque ad 150, & ex Corio part. 3 Hiſt. Mediol. narrat Henricus Spondanus ad annum 1329 num. 3.

LXXII. *Joannes PP. Petr. Corbarii Antipapæ literas recepit, & ad eum reſcribit.*

Ludovicus Bavarus in Germaniam revertens, Piſis Tarlatum quemdam nomine, Vi-

Vicarium loco ſui conſtituit: ſed hic cogitans ſibi appropriare dominium Civitatis, cœpit tractare de pace cum Eccleſia. Quare Antipapa à prædicto Tarlato ſecurum conductum petiit, donec perveniret ad Bavarum adhuc in partibus Lombardiæ exiſtentem; ſed Tarlato illum denegante, Antipapa dedit ſe ipſum in manibus Boniſacii Comitis Novelli de Donaratico Piſani, qui occultè fecit eum duci ad quoddam caſtrum ſuum triginta quinque milliaribus a civitate Piſana diſtans, ubi latuit circiter per tres menſes; verùm cùm Florentini versùs partes illas exercitum duxiſſent, fecit eum quantò potuit occultiùs reduci ad domum ſuam in civitate Piſana, ubi tenuit eum occultum, quouſque negotio detecto, actum eſt cum Boniſacio per Epiſcopum Lucenſem, ut acquieſceret eum reddere. Corbarium annis gravem, & jam corde compunctum ad veritatis ſemitam retrahere haud operoſum fuit, cùm præſertim longiùs abeſſet à Ludovico, ſchiſmatis auctore. Statuit itaque ſe Joannis Papæ clementiæ committere, ideoque literis datis in confinibus Lucanorum, quas refert Waddingus ad annum 1330, Pontificem certiorem reddidit, qui lectis in Conſiſtorio Cardinalium Corbarii Literis, Archiepiſcopo Piſano & prædicto Lucenſi Epiſcopo facultatem fecit ampliſſimam, ut Corbarium errores confitentem & publicè deteſtantem à cenſuris abſolverent; ad eumque literas dedit tertio Idus Julii anni 1330, quibus eum Avenionem vocavit, quas idem Waddingus refert.

LXXIII. *Promittit ſe benignè cum eo acturum.* Comes Boniſacius (quem communiter alii vel brevitatis ergo, vel corrupto vocabulo *Factum* vocant) Corbarium, quem in ſuam fidem & tutelam ſuſceperat, noluit adeo facilè prodere, niſi priùs paciſceretur cum Pontifice de vita ei conſervanda, de eo ab omni poteſtate præter Pontificiam eximendo, deque præſcribendo annuo redditu, quo vitam honeſtè poſſet tranſigere. Hæc omnia peculiari diplomate Joannes Papa promiſit; aſſignatiſque redditibus, ſi pauca hæc videbantur, majora ſe daturum adjecit: ultrò ſpondens Petrum in Joanne non ſeverum judicem, ſed pium patrem & benevolum amicum experturum. Porrò Pontifex Corbario ad ſuſtentandam vitam tria aureorum millia ex ærario Pontificio ſingulis annis pendenda conſtituit: ex quibus illi attribuendis Piſano Archiepiſcopo & electo Lucano data imperia, donec ipſi uberiùs conſultum eſſet.

LXXIV. *Petrus Corbarius culpam deteſtatur, & abſolvitur Piſis.* His pactis prodiit in apertum Corbarius, & Piſis coram miſſo à Pontifice Raymundo Stephani, Cameræ Pontificiæ Clerico, Apoſtolico Nuncio, necnon coram Simone Archiepiſcopo Piſano & Guillelmo Lucenſi Epiſcopo, ſpecialiter à Pontifice delegatis, atque præſentibus quamplurimis aliis Prælatis, Religioſis, Nobilibus, omniſque conditionis hominibus, ſponte & cum ingenti cordis amaritudine errores agnovit & deteſtatus eſt, juramentumque præſtitit de ſtando & parendo mandatis Apoſtolicis. Quibus præmiſſis, beneficium abſolutionis a prædictis delegatis accepit, & abjurationis ſuæ ſchedam ad Pontificem miſit: quod contigiſſe die vigeſima quinta menſis Julii ejuſdem anni 1330, feſto Sancti Jacobi ſacra, aſſerit ipſemet Joannes Pontifex in literis ad Philippum Regem Franciæ datis, quæ extant apud Raynaldum eodem anno num. 26.

LXXV. *Avenionem pergit, & errores publicè abjurat.* Poſt hæc Corbarius, acceptis duabus Provincialium triremibus, die quarta Auguſti Piſis ſolvens cum decenti comitatu, die ſexta ejuſdem menſis Nicæam ad Varum fluvium, qui Italiam à Gallia ſeparat, pervenit, in qua publica enunciatione ſuos condemnavit errores, quod etiam in omnibus Provinciæ Civitatibus, per quas tranſibat, effecit. Occurrerunt ei Nicææ Miniſtri Pontificii Avenione miſſi, ut ſecuriùs & decentiùs iter proſequeretur, quibus ille ſe ultrò commiſit. Tandem nono Kalendas Septembris Avenionem intravit, & in craſtinum in publico conſiſtorio proſtratus ad pedes Pontificis reſtem collo geſtans, ex ſcheda à ſe conſcripta errores ſuos ſponte confeſſus eſt ac deteſtatus; ſubjiciens ſe judicio Pontificis & Eccleſiæ cum imploratione veniæ & reſtitutionis ad communionem Eccleſiæ. Hæc conſtant ex Continuatore Guillelmi Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani, & ex Villanio lib. 10 cap. 164, qui ſcribunt Pontificem etiam cum lachrymis Petrum Corbarium amplexum eſſe, ſed ne verbum quidem habent de abſolutione tunc ipſi à Pontifice confirmata, quæ ipſi die tantùm ſexta Septembris conceſſa eſt.

LXXVI. *Prolixiorem abjurationem facit in privato conſiſtorio.* Cùm enim die vigeſima quinta Auguſti in ſua abjuratione propter tumultum aſſiſtentium & alia impedimenta non potuiſſet omnia, quæ abjuraverat, exprimere, nec ea Pontif. & Cardinales intelligere, die 6 Septemb. novam abjurationis formam protulit in privato conſiſtorio coram eodem Pontifice & Cardinalibus, aliiſque teſtibus & Clericis Cameræ Apoſtolicæ, quâ præfatus ſe in illa diei vigeſimæ quintæ Auguſti fatigatum ex labore, debilitatum in vigore, anguſtiatum in dolore, confuſum ex rubore, contractum ex timore, impeditum ex clamore, extinctum in devotione, mortuum in amore, minimè potuiſſe omnia exprimere ſicut decebat; nec ipſum Pontificem & Cardinales propter dicta impedimenta & tumultus aſſiſtentium bene intelligere: ideo reſumptis poſt ex

beni-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

benignitate, qua ipſum Pontifex ſuſcepiſſet, viribus, reſtituto vigore, lenito dolore, remoto rubore, corroborato timore, clamoris ſui raucitate ſanata, devotione inflammata, amore vivificato, cum pacificæ & benignæ ſecuritatis confidentia, decreviſſe eadem latiùs in privato conſiſtorio abjurationem ſuam, proponere, conteri, publicare & legere in ſcriptis, ut certiùs pateret univerſis. Tuncque novam abjurationis formulam edidit, quæ inſerta eſt integra literis, quas eodem die, ſcilicet octavo Idus Septembris, Pontifex ſcripſit ad Joannem Bohemiæ Regem, quæ extant Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum col. 800 & ſeqq.

LXXVII. *Palinodiam texit, & Ludovicum Bavarum deteſtatur.*

Hujus porrò confeſſionis & palinodiæ Corbarii ſummarium a Spondano ex ea excerptum hic referre viſum eſt, quia præcipua ejuſdem Antipapæ geſta continet. Eâ imprimis Petrus Corbarius immaniſſimum ſe ac ſceleratiſſimum omnium peccatorum ob nefandiſſima a ſe commiſſa ſcelera agnoſcens, narratis quæ jam antè Fuis coram Delegatis à Pontifice prædixiſſet, quæ ſuperius breviter recitavimus; ſeu ab initio reſumens ait: Cùm ſeductor hæreticus & ſchiſmaticus manifeſtus Ludovicus de Bavaria ad Urbem Romam imbutus diabolico ſpiritu perveniſſet, ac Miniſter Fratrum Minorum Romanæ provinciæ, atque Joannes Cardinalis Legatus, pro majori obſervatione interdicti, cui tunc per Summum Pontificem Urbs erat ſuppoſita, ejuſdem Ludovici adventu percepto, ipſi Petro de Corbario, aliiſque Fratribus ibi commorantibus ſub virtute obedientiæ & excommunicationis pœnis publicè injunxiſſent, ut omnes exirent: ipſum tamen Petrum, licèt omnes ferè ceteri Fratres obediſſent, in eadem Urbe, præſente dicto hæretico peſſimo Ludovico, & aſſiſtentibus plurimis aliis hæreticis & ſchiſmaticis condemnatis per Summum Pontif., pertinaciter remanere præſumpſiſſe. Deinde cum idem perfidus Ludovicus datus in reprobum ſenſum ſe feciſſet in Imperatorem a ceteris perfidis Romanis coronari, & contra Joannem Pontificem diabolicam & iniquiſſimam depoſitionis ſententiam promulgaſſet; ipſumque Petrum, ad quorundam infidorum principalium Romanorum Clericorum & Laicorum inſtantiam, in Papam, imò veriùs Antipapam damnatum & peſtiferum elegiſſet: eumdem Petrum ſeductum ejus & multorum tam Clericorum quàm Laicorum ejus ſequacium pernicioſis inſtantiis, falsò & erroneè aſſerentium Imperatorem poſſe deponere Papam, & loco depoſiti alium ordinare; ſua ſuperbiſſima electione, more Luciferi, ambitioneque damnabili, hujuſmodi nefandæ electioni conſenſum temerarium, omnique pœna digniſſimum, non erubuiſſe adhibere, ac ſubſequenter conſecrari, immo execrari ab hæretico & ſchiſmatico Jacobo dudum Caſtellanenſi Epiſcopo excommunicato & depoſito, & coronari à dicto Ludovico hæretico permiſiſſe; licèt ad eum, etiamſi verus fuiſſet Imperator, ipſeque Petrus verus Papa (ſicut revera non erant, ſed potiùs hæretici & ſchiſmatici) nequaquam, talis coronatio pertineret.

LXXVIII. *Prava ſua geſta enumerat.*

Subdit poſtinde (ſemperque cum execratione perſonarum ac rerum de quibus agit, ſuique ipſius accuſatione ac deteſtatione) ſe Cardinales & omnes officiarios, quos verus Papa habere eſt ſolitus, ordinaſſe; bullamque, ſeu ſigillum fieri feciſſe, atque eo uſum eſſe: proceſſus & depoſitionis ſententiam à Ludovico Bavaro contra Summum Pontificem fulminatam, ut pravam opinionem Michaelis de Cæſena de paupertate Chriſti, & Apoſtolorum fortius ſtabiliret, ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis confirmaſſe; atque etiam de novo id ipſum per ſuam propriam ſententiam promulgaſſe: litteras ſuas ad diverſos Reges & Principes, dictantibus iiſdem Ludovico & Michaele, contra Joannem Pontificem deſtinaſſe: Tam in Urbe, quam pluribus aliis civitatibus & locis per Summum Pontificem interdictis, tam Clericos ſæculares quam regulares divina celebrare compuliſſe: Tallias tam in Urbe, quam alibi impoſuiſſe, ac pro illis Eccleſias calicibus, ornamentis, aliiſque rebus ſpoliaſſe: Nonnullos fideles Prælatos & alios Eccleſiaſticos dignitatibus & beneficiis privaſſe, eaque hæreticis vel ſchiſmaticis etiam cum pravitate ſimoniaca contuliſſe; atque illis tam per ſe quam per alios munus conſecrationis impenuiſſe: Contra Fratres Minores non parentes Michaeli tanquam Generali Miniſtro, & contra ſervantes interdicta per Summum Pontificem, vel Legatos ſeu Officiales ejus promulgata, utroque, ſpirituali videlicet & temporali, gladio procedere, non expaviſſe: Indulgentias & diſpenſationes Sedi Apoſtolicæ reſervatas conceſſiſſe: Nonnullos, qui pro Pontificibus ſe gerebant, commiſiſſe ut ſacros Ordines celebrarent: De patrimonio beati Petri ad tempus vel in perpetuum nonnullis locis diſpoſuiſſe: Aliaque plura contra Deum, Sanctamque Eccleſiam & Joannem Pontificem verum & unicum Chriſti Vicarium peccaſſe: Eaque omnia & ſingula confiteri ſe ac pronunciare nulla eſſe & inania, ſeque malè, temerè & iniquè ea perpetraſſe & aſſeruiſſe.

LXXIX. *Fidem ſuam exponit, & ...*

Confeſſus eſt denique ſe credere & tenere fidem illam, quam Sancta Romana Eccleſia, & Joannes verus ejus Pontifex teneret, prædicaret & doceret: ac ſpecialiter hæreticum reputare, ad Imperatorem

per

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

pertinere deponere vel inſtituere Pontificem; itemque Chriſtum & ejus Apoſtolos non habuiſſe, quæ eos habuiſſe Scriptura ſacra teſtatur, in materia proprii & communis, juris ac dominii in rebus temporalibus; juxta ea, quæ continerentur in Conſtitutionibus ea de re ab ipſo Joanne Pontifice promulgatis, quas jam ipſe approbaret in omnibus & per omnia, & contraria quæcumque reputaret hæretica & falſa: hiſque ad ſancta Dei Evangelia corporaliter ac mentaliter à ſe tacta fideliter & toto corde juratis, petere ſuppliciter veniam & abſolutionem, ac reincorporationem unitati Eccleſiæ: paratum omnem pœnam, ſeu pœnitentiam ſibi pro præmiſſis imponendam, cum omni obedientia ſuſtinere & adimplere: ac de omnibus ad æternam rei memoriam pro ſalute ſua & publica, petere ſe unum & plura, & quotquot expedierit fieri publica inſtrumenta, quod & factum eſt eadem die ſexta Septembris.

LXXX. *Abſolvitur à Pontifice, & honeſtè habetur.*

Hac Petri de Corbario confeſſione audita & accepta, Joannes Pontifex miſericordia in eum motus, confirmata imprimis abſolutione & reincorporatione ejus à Delegatis, quos diximus Piſis, facta, inſuper auctoritate Apoſtolica ipſum abſolvit & Eccleſiæ unitati reincorporavit, diſpenſando ſuper irregularitatibus, quas propter præmiſſa contraxerat; expreſſè nihilominus ibi reſervans declarationem pœnitentiæ dicto Petro imponendæ, quando & quoties ſibi expedire videretur, ut ipſemet aſſerit in fine prædictarum literarum ad Joannem Bohemiæ Regem. Ceterùm ne Petri Corbarii occaſione rurſum Eccleſia turbaretur, ſi liberè permitteretur evagari, eum Pontifex Avenione retinendum cenſuit, datis ei in Palatio libris, ſociis, omnibuſque rebus ad vitam honeſtè traducendam neceſſariis; hac unica cautela adhibita, ne quiſpiam Pontifice inſcio ipſum alloqueretur, ne ad vomitum redire poſſet, ac novum in Eccleſia ſchiſma conflare, unde Bernardus Joannis XXII Vitam his verbis claudit apud Baluzium: *Præfatus Petrus fuit clementer & miſericorditer ſuſceptus ad pœnitentiam, & poſitus in decenti cuſtodia ad cautelam, ut probaretur an ambularet in tenebris vel in luce. Ibique hodie, quo hæc ſcribimus, tractatur ut familiaris, ſed cuſtoditur ut hoſtis*, anno ſcilicet 1331, quo Bernardus Guidonis obiit, ut oſtendit Spondanus anno 1330, num. 7.

LXXXI. *Sponte Pontificatum abdicavit.*

Corbarium tamen ſponte & ex propria voluntate, non ſeductum à Piſanis, nec coactum a Bonifacio Comite, Pontificatus umbram depoſuiſſe, erroreſque retractaſſe, ubique in omnibus literis ad Reges & Principes ſcriptis, Joannem Papam palam teſtatum eſſe, aſſerit Waddingus laudatus num. 9, unde in dictis ad Joannem Bohemiæ Regem literis, quæ, ut dixi, Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum recitantur, col. 806, ait de Corbario: *Dictus Petrus non vi, non metu proceſſit, ſed propria, ſpontanea, & à Spiritu Sancto tamen mota, ut firmiter credimus, voluntate*. Idem Pontifex hanc rationem objecit Joannæ Reginæ Franciæ, dum deprecaretur veniam cuidam Conrado in hæreſim lapſo, ſed demum reſipiſcenti & miſericordiam poſtulanti: quam ut faciliùs impetraret, crimen Corbarii maximum, ſed miſericorditer remiſſum oppoſuit: cui tamen Pontifex ita reſpondet, apud Wadingum laudatum: *Nec quod de Antipapa proponitur juvat iſtum, Antipapa quidem non captus, ſed liber errorem ſuum recognovit, & per ſuas literas à nobis humiliter veniam poſtulavit, offerens ſe paratum per omnia loca, de quibus nobis videretur expediens, confiteri ſcelera ſua, & quæ contra nos fecerat, vel dixerat revocare; iſte autem è contra* &c.

LXXXII. *Moritur poſt triennium.*

Vixit Corbarius in illa honeſta & religioſa cuſtodia annos tres & menſem unum; ibique mortuus eſt, & honorificè ſepultus in Eccleſia Minorum Avenione in habitu Franciſcano, juxta Villanium lib. 10, cap. 164, &, ut in libro de Vita ſua ſcribit Carolus IV Imperator, *mortuus fuit in pœnitentia*. Obiit itaque exeunte circiter Septembri anni milleſimi trecenteſimi trigeſimi tertii. Cùm autem ſepultus fuerit in ſimplici habitu Religioſi, conjectura eſt ſepulchrum ejus non fuiſſe diverſum à communi ſepultura Fratrum, ideoque Epitaphium ipſi poſitum perperam quæreretur. Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum ſcribit prodiiſſe Romæ anno 1667 *Conjecturam de libris de imitatione Chriſti, eorumque auctoribus*, ubi Conjectator in dubio relinquit, an tres priores libri attribuendi ſint Joanni Vercellenſi, an Ubertino de Ilia Caſalenſi, vel Petro Corbarienſi poſt abdicationem; & quoad Petrum, nititur Mariano Florentino, qui in Chronico ſuo MS. ipſi tribuit *de Imitatione Chriſti librum primum*, putatque Marianum iſtum floruiſſe anno 1430; ſed vehementer errat, inquit idem Papebrochius: ad calcem enim Chronici, quod Romæ ad S. Iſidorum ſervari ait, additur: *Dionyſius Pulinarius in proœmio ſui Chronici provinciæ Tuſciæ, refert Marianum obiiſſe anno 1523, 20 Julii in Ceppo, qui locus prius eſt, in quo peſtilentia correpti curabantur*. Huic teſtimonium addi poteſt Waddingi in libro de Scriptoribus Minorum, ubi licet Mariani mortis annum non exprimat, ſcribit tamen eum obiiſſe Florentiæ in magna contagionis lue inſerviens univerſæ urbis infirmis, qui ſine dubio in loco illo curabantur. Ad alias Auctoris conjecturas reſpondet deinde

Pa-

Papebrochius, tandemque oſtendit ſtylum Petri de Corbario, qualem habemus in inſtrumento ejus confeſſionis in privato conſiſtorio factæ, longè diverſum eſſe à ſtylo librorum de Imitatione Chriſti. Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia ait, Corbarium ſcripſiſſe *Gloſſulam ſuper Chriſti Imitatione lib.* 1; ſed neminem hanc in rem citat.

LXXXIII. *Cùm Joannes PP. agitatur quæſtio de viſione animarum ſeparatarum ante reſurrectionem.* Cùm Joannes Papa anno 1331, in Dominica tertia de Adventu, & anno 1332, in Vigilia Epiphaniæ publicè in ſermonibus, quos fecit iis diebus, dixiſſet, quòd Sancti in cœlo non vident nec videbunt uſque ad diem generalis Judicii & futuram corporum reſurrectionem faciem Dei, ſive divinam eſſentiam; ſed tantummodò vident & videbunt uſque ad futurum univerſale judicium humanitatem Chriſti, eaque opinio Principibus, Academiis & Doctoribus, pleriſque præſertim Pariſienſibus, ac Philippo VI Franciæ Regi diſpliceret, qui catholicæ fidei ſuccenſus ardore hujus erroris aſſertores durioribus verbis increpuerat: Joannes datis ad Regem literis, quas ex Vaticano codice deſcripſit Odoricus Raynaldus ad annum 1333, num. 46, ei ſignificavit, nihil ſe ex proprio ingenio hac in controverſia protuliſſe, ſed ex Scriptura ſacra & ſanctis Patribus, & eam Virorum eruditorum diſceptationi permiſiſſe, ut in apertam lucem veritas diſcuſſa prodiret. Data eſt Epiſtola XIV Kalend. Decembris anno Pontificatûs XVIII. Verùm cùm dicta ac ſacra divinarum literarum oracula, atque argumenta Theologica, quæ utrique parti favebant, allata ſæpius atque excuſſa fuiſſent à Pontifice, qui in partem negativam propendere videbatur, indeque malevolis porrecta eſſet occaſio aſpergendæ ipſi calumniæ aliquid fidei contrarium ſenſiſſe, anno 1334, die tertia Januarii, in publico conſiſtorio conteſtatus eſt, nunquam ſibi fuiſſe in animo credere, aſſerere, aut credendum aliquid proponere, quod Scripturæ ſacræ, vel fidei orthodoxæ contrarium eſſet; ac ſi quid ſibi in collationibus & Sermonibus de Viſione animarum excidiſſet, id ut præter mentem dictum revocare. Id præter Ptolomæum Lucenſem in Hiſt. Eccl. MS. lib. 24, cap. 42, apud Raynaldum anno 1334, num. 29, teſtatur ejuſdem Pontificis hoſtis infenſiſſimus Bonagratia Minorita apud eumdem Raynaldum ibidem. Teſtatur tandem & Benedictus XII ipſius ſucceſſor in diplomate, quo Joannem à calumnia purgavit, quod refert idem Raynaldus num. 35.

LXXXIV. *Joannes PP. omnia ſua dicta, vel ſcripta ſubmittit determinationi Eccleſiæ.* Lethali demum ægritudine correptus Joannes, convocatis Cardinalibus & Prelatis die tertia Decembris ejuſdem anni 1334, tabellionibus publicis etiam præſentibus, hanc edidit fidei ſuæ declarationem Pontificio diplomate tertio Nonas Decembris exarato: *Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Ne ſuper iis, quæ de animabus ſeparatis à corpore & purgatis ante reſumptionem corporum divinam eſſentiam viſione illa videlicet quam vocat Apoſtolus facialem videant, tam per nonnullos alios in præſentia noſtra recitando & allegando ſacram Scripturam, ac originalia, & dicta Sanctorum illis aliàs ruminando ſæpius dicta ſunt, aliter per nonnullos quàm per nos dicta & intellecta auribus fidelium inculcabantur. Ceterum noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum ſeparatarum habemus & habuimus, ſerie præſentium declaramus. Fatemur ſiquidem & credimus quòd animæ ſeparatæ & purgatæ à corporibus ſint in cœlo cœlorum regno, & paradiſo cum Chriſto in conſortio angelorum congregatæ, & vident Deum facie ad faciem, & divinam eſſentiam clarè in quantum conditio & ſtatus patitur animæ ſeparatæ. Si verò alia & alia contra materiam hujuſmodi per nos dicta & prædicta vel ſcripta fuerunt, quæ quoquomodo illa prædicavimus vel ſcripſimus contra præmiſſa, vel alia quæ fidem concernant catholicam ſacramque Scripturam aut bonos mores, illa abnegamus & determinationem Eccleſiæ & ſacræ Scripturæ approbamus. Aliàs autem dicta vel ſcripta illa habemus & habere volumus pro non dictis & ſcriptis, eaque revocamus expreſſè, ac prædicta omnia & quæcumque dicta & prædicata fuerunt vel ſcripta per nos de quacumque materia ubicumque, & in quocumque loco, & in quocumque ſtatu, quem habuimus & habemus vel habuerimus, omnia ſubmittimus determinationi Eccleſiæ, ac ſucceſſorum noſtrorum. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis infringere, vel eam auſu temerario contraire. Datum Avenione III Nonas Decembris, Pontificatus noſtri anno 19.* Hoc Joannis diploma refertur à Petro de Herentals in ſexta ejuſdem Pontificis Vita apud Baluzium, & à Joanne Villanio illius temporis Scriptore Italico idiomate lib. 11, cap. 19. Sed cum Joannes obiiſſet die ſequenti quarta Decembris ſummo mane, diploma illud Pontificia Bulla munitum non fuit, ideoque Benedictus XII ejus ſucceſſor laudato numero ſuperiori diplomati inſeruit.

LXXXV. *Excuſatur ab hæreſi.* Jure itaque merito Henricus Spondanus, & alii Joannem Pontificem de hæreſis ſuſpicione excuſant, tum quòd ſuperiora non aſſertivè, ſed diſputativè protulerit, ut magis veritas innoteſcere poſſet, tum quòd ſi quid contra fidem diſputatum fuiſſet, omninò revocaverit, conteſtatus nunquam ſe habuiſſe in animo aliquid tenere, quod eſſet fidei catholicæ contrarium, ut ex ejus laudato diplomate conſtat. Sicuti ergo S. Cyprianus ab hæreſi excuſatur, cùm hæreticos

ticos rebaptizandos cenſuit, quia nondum id ab Eccleſia reprobatum fuerat: ita & Joannes XXII, quòd illa opinio à nullo hactenus Pontifice, aut Concilio rejecta fuiſſet, prout fuit poſtea à Benedicto XII ejus ſucceſſore, & in Synodo Florentina inter Armeniorum errores. Cùm receptum ſit, eos qui ſententiam ſuam quamvis falſam, atque perverſam nulla pertinaci animoſitate defendunt, corrigi parati cùm veritatem invenerint, nequaquam eſſe inter hæreticos deputandos. Ita Spondanus anno 1333 n. 3; ubi & refellit mendacia Calvini dicentis Joannem aſſeruiſſe animas eſſe mortales, unâque cum corporibus uſque ad reſurrectionem interire, & neminem Cardinalium huic ſe tantæ inſaniæ oppoſuiſſe. Nam quoad primum, non ſolùm Joannes, ſed nemo unquam Chriſtianorum aſſeruit animas eſſe mortales; neque de eo quæſtio erat, ſed tantùm utrùm Sanctorum animæ uſque ad extremum judicii diem certo in loco contineantur, ubi humanitatis Chriſti præſentiâ gaudentes, ſuorum corporum reſurrectionem expectant. Quam quidem ſententiam noluit Calvinus in Joanne damnare, quoniam ipſe eam mordicus tenet, ac propterea maluit aliam impietatem in eum comminiſci, quàm inſontem declarare. Quod verò ſecundum Calvini mendacium attinet, contrarium aſſerit Joannes Villanius tunc vivens lib. 10, cap. 229, diſertè ſcribens, propoſitionem Joannis majori parti Cardinalium diſplicuiſſe, eique illos repugnaſſe: quod & alii æquè teſtantur.

LXXXVI. *Moritur.* Cùm Joannes Pontifex prædictum diploma edidiſſet die tertia Decembris anni 1334, poſtridie profluvio ventris exitiali captus; ſuſceptis devotè Eccleſiæ Sacramentis, orans & pſallens animam reddidit in Palatio Avenionenſi, nonagenario major, poſtquam ſediſſet annos octodecim, menſes quatuor, minus duos dies. Diem mortis ejus notarunt Villanius lib. 11 cap. 19, & Ptolomæus Lucenſis in quinta ejus Vita apud Baluzium: *II Nonas Decembris*, inquit, *poſt auditam Miſſam in aurora diei, & communione percepta, orando migravit de hoc ſæculo hora tertia, & dominica die, quæ erat tunc II Nonas Decembris. Sepultus eſt autem Avenioni in Eccleſia Cathedrali Nonis Decembris. Sedit autem annis 18, & menſibus quatuor, minus duobus diebus*, computando à die ejus electionis, quæ contigit die ſeptima Auguſti anni 1316, ut ipſemet Ptolomæus Lucenſis aſſerit: qui ideo & diem electionis & diem mortis computat, ut numeranti patet. Sepultum eſſe in Eccleſia Cathedrali Beatæ Mariæ de Donis magna funeris pompa, refert etiam additio facta Vitæ ejus à Bernardo Guidonis ſcriptæ apud Baluzium pag. 170. Sepulchrum ejus ibidem viſitur. Verùm eum ibi ſepultum non eſſe integrum, ſed vel totum corpus, vel partem ejus à propinquis delatam eſſe ad Cadurcos, ſcribit Villanius lib. 11 cap. 20, quod reprehendit Sebaſtianus Fantonius lib. 2 cap. 3, § 4 Hiſtoriæ Avenionenſis.

LXXXVII. *Annos Pontificatus ſui à die coronationis numeravit.* Licèt porrò Ptolomæus Lucenſis & alii communiter annos Pontificatus Joannis XXII auſpicentur à die ſeptima Auguſti, qua electus eſt, ipſe tamen annos ſuos ordiebatur à die ſuæ coronationis, ſeu à die quinta Septembris anni 1316, ut probat Papebrochius ex Epiſtola ejus data Ladislao Archiepiſcopo Colocenſi in Hungaria *XVIII Kalend. Septemb. anno I*, quæ refertur à Waddingo in Regeſto Tomi 3 pag. 52. In ea enim, inquit, non ſignatur menſis Auguſtus anni 1316, quo electus eſt, ſed anni 1317, maximè quia per illam ipſi dirigitur Pallium, utique non niſi à jam coronato Pontifice mitti ſolitum. Prætterquam quòd in ea fit mentio *Raymundi bonæ memoriæ tit. S. Potentianæ Presbyteri*, cui, dum viveret, negotium iſtius Eccleſiæ idem Pontifex commiſiſſe ait. Quibus addo, eam Epiſtolam datam eſſe menſe Auguſto anni 1317 ex eò certò deduci, quòd data ſit Avenione, ad quam urbem non pervenit Joannes Pontifex ante diem ſecundum menſis Octobris anni 1316. Quare cùm die decima quinta menſis Auguſti anni 1317, adhuc numeraret Pontificatûs annum primum, hic neceſſariò deducendus eſt à die coronationis ſuæ. Aliam Epiſtolam, nempe 102 pag. 129 refert Waddingus datam *XII Kalend. Septembris anno Pontificatûs VI*, quâ Stephanus ab Epiſcopatu Uliſſiponenſi transfertur ad Conchenſem. Hæc autem pertinet ad annum 1322, ut ait Rodericus Acuñia Archiepiſcopus Uliſſiponenſis in Annalibus ſuæ Eccleſiæ. Quòd ſi Joannes annos Pontificatûs inchoaſſet à die ſuæ electionis, eo anno die 19 Auguſti annum Pontificatûs ſeptimum, non ſextum, numeraſſet.

LXXXVIII. *Ejus virtutes, & ſcripta.* Joannis XXII virtutes non ſolùm Joannes Andreæ, ſed & ipſe Villanius laudatus, parum alioqui ipſi benevolus, celebrant: *Eſt autem ſciendum*, inquit Joannes Andreæ in procemium Clementinarum, *quòd iſte Dominus Joannes Pontifex induſtrioſus & mundus, ſimoniam fugans, ſcientia magnus, ſtatura puſillus, conceptu magnanimus*, &c. Villanius verò ait Joannem modeſtum fuiſſe ac ſobrium, communibus cibis vulgò utentem, de delicatis parum ſollicitum, minimè ſumptuoſum in iis quæ ad perſonam ipſius ſpectabant, doctum, acuti ingenii, magnanimum, ſingulis ferè noctibus ſurrexiſſe ad recitandum officium Eccleſiaſticum, & ad ſtudendum, tum Miſſam ſummo mane celebraſſe, & mox audiſſe ſupplicantes; denique in reſpondendo & exequendo promptum ac ſtrenuum fuiſ-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

fuiſſe. Initio ejus Pontificatûs oſtendimus Joannem fuiſſe Virum doctum, quod confirmant ejus ſcripta; edidit enim libellum *de contemptu mundi*, lucubrationibus ſpiritualibus illuſtratum a Patritio Fattorio Turritano, ſcripſit quoque latino ſermone *Artem metallorum tranſmutatoriam*, quod opus prodiit Gallicè incerto translarore Lugduni anno 1557 in 8. *Sermones de Beata Virgine*, quos MSS. aſſervari apud Gabrielem Naudæum aſſerit Jacobus à S. Carolo in Bibliotheca Pontificia. Sermones item alios de viſione beatifica, qui cuſtodiuntur MSS. Cantabrigiæ in Bibliotheca publica. Retractationem de quæſtione, *num animæ Sanctorum non fruantur Dei viſione ante judicium extremum*, quam ſuperiùs retulimus; ac tandem *Conſtitutiones viginti Apoſtolicas*, quas appellare decrevit *Extravagantes*.

LXXXIX. *Ejus inſtitutio de feſto SS. Trinitatis ubique [illegible].*

Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis in Eccleſia Romana tardiùs celebrari cœpit, licèt in aliis Eccleſiis celebraretur vel in octava Pentecoſtes, vel dominica prima ante adventum Domini, ut conſtat ex decreto Alexandri Papæ II, quod citatur extra. de feriis cap. *Quoniam* ſub nomine Alexandri Papæ III: *Feſtivitas*, inquit, *SS. Trinitatis ſecundùm conſuetudines diverſarum regionum à quibuſdam conſuevit in Octavis Pentecoſtes, ab aliis Dominica prima ante Adventum Domini celebrari. Eccleſia ſiquidem Romana in uſu non habet quòd in aliquo tempore hujuſmodi celebret ſpecialiter feſtivitatem, cùm ſingulis diebus Gloria Patri & Filio & Spiritui Sancto, & cetera ſimiliter dicantur ad laudem pertinentia Trinitatis*. Illud Decretum eſſe Alexandri II ex eo probat Edmundus Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina in celebrandis divinis officiis pag. 545, quòd Auctor Micrologi, de quo in Benedicto VIII num. 13 locuti ſumus, qui vixit ſub Gregorio VII cap. 60, illo utatur ad improbandam inſtitutionem feſti SS. Trinitatis, quod Durandi etiam tempore ubique adhuc receptum non erat, ut ipſemet docet in libro 6, Rationalis cap. 114. Sed Joannes XXII, ut tanti myſterii memoria expreſſior recoleretur, inſtituit illud *ſolemniter celebrari* debere ſingulis *diebus dominicis poſt feſtum Pentecoſtes, licèt Eccleſia Romana hoc feſtum antea ſingulari officio non conſueverit celebrare, ut extrà. de feriis*, inquit Ptolomæus Lucenſis in quinta Joannis Vita apud Baluzium col. 177. De hoc feſto vide Edmundum Martene loco laudato.

XC. *Theſaurus ejus.*

Reliquiſſe dicitur Joannes in ærario tantam vim auri, quantam nullus ante eum Pontifex. Joannes Villanius lib. 11 cap. 20 ait, pecuniam cuſam fuiſſe octodecim millionum florenorum auri, valorem gemmarum ac vaſorum Eccleſiaſticorum ſacræque ſupellectilis ſeptem millionum, in univerſum viginti quinque millionum & ampliùs. Sed hanc ſummam valde alii imminuunt, quibus & nos libenter adhæremus, inquit Spondanus num. 3, cùm nullibi reperiatur quid de ea factum fuerit. Habemus tamen ex Auctore tertiæ Vitæ Benedicti XII, hunc inito Pontificatu centum millia florenorum dediſſe Cardinalibus, quinquaginta millia pro reparatione Eccleſiarum Urbis, & ingentem pecuniæ vim in extructione palatii Avenionenſis inſumſiſſe. Sed quantamcumque ſummam reliquit Joannes, eam præcipuè coacervaverat ex reſervationibus fructuum primi anni omnium Eccleſiarum vacantium, & frequentibus collationibus, mutationibus, & translationibus beneficiorum Eccleſiaſticorum, in opus, ut affirmabat, Terræ Sanctæ, quod promovère percupiebat, & contra ceteros hoſtes Eccleſiæ; cùm alioqui, ut jam diximus ex eodem Villanio, eſſet ipſe in menſa & ſtatu, atque omni vita modeſtus ac frugalis. Sed Joannem ante mortem reſervationes prædictas Eccleſiarum irritas impoſterum feciſſe, ita ut non haberent locum poſt ſuum obitum, tradit idem Villanius in fine capitis 19 lib. 11.

XCI. *Utrùm Rotam Rom. & Abbreviatores inſtituerit.*

Polydorus Virgilius de rerum inventoribus lib. 6 cap. 12, & Alphonſus Ciaconius in Joanne XXII ſeribunt hunc Pontificem Tribunal duodecim Capellanorum Papæ, quos Rotæ Auditores vocant, inſtituiſſe, ad quos ex omnibus Orbis Chriſtiani regionibus provocatio eſſet. Sed Jacobus Cohellius in Notitia Cardinalatus cap. 19, Ciaconii opinionem admitti non poſſe probat, ſi de primæva ejuſdem Tribunalis inſtitutione intelligatur; eam enim antiquiorem eſſe contendit, bene verò ſi intelligatur de forma procedendi in eo. Ibidem aſſerit Cohellius, antiquis temporibus viginti unum & eo ampliùs Auditores Rotæ extitiſſe, qui diviſi erant in Auditores primi gradûs, & in Auditores ſecundi gradûs, qui ultimi cùm eſſent quatuordecim, Sixtus IV eos ad duodecim redegit Conſt. 2 § 2, in qua ait: *Statuimus & ordinamus, quòd dictorum Auditorum & Locumtenentium eorundem numerus, qui ad præſens quatuordecim eſſe perhibentur, de cætero duodenarius dumtaxat exiſtat*. Putat autem, in locum Auditorum primi gradus fortaſse ſucceſſiſſe Auditorem, quem hodie Generalem Cameræ Apoſtolicæ vocant, & Auditorem quem dicunt contradictoriarum. Denique Auditores Rotæ ita dictos, quia cùm Summi Pontifices non poſſent omnes cauſas per ſe cognoſcere, eas delegare cœperunt per verbum *Audiat N. juſtitiam faciat*; ideoque communi vocabulo dictos eſſe Auditores Rotæ, quia in Or-

SÆC. XIV. JOANNES XXII.

orbem ſedentes rotant & examinant, teſte Gregorio Toloſano in Syntag. Jur. univ. lib. 15 cap. 42 num. 14, & ſeq. Abbreviatorum etiam, ſive Aſſidentium Vicecancellario in literarum Apoſtolicarum expeditionibus, antiquior mentio non reperitur, quam in Extravaganti Joannis XXII, quæ incipit, *Cùm ad Sacroſanctæ*, ſub titulo *de ſententia excommunicationis*, quam integram recitat Joannes Ciampinus in Diſſert. Hiſtorica de origine Abbreviatorum de Parco majori, Romæ anno 1691 edita, ubi & de eorum erectione, munere, dignitate, prærogativis ac privilegiis agit, & ex dicta Extravag. arguit, ante Joannem XXII Abbreviatores extitiſſe.

XCII. *Non eſt ſtatim dicendi in Miſſa ad tertium Agnus Dei dona nobis pacem.*

Angelus Roccha, ſeu Rocca lib 1 cap. 18 de Campanis, à Joſepho Maria Suareſio in Libello de baptiſmate Paſchali, & origine conſecrandi Agnos Dei pag. 98 laudatus, ſcribit Joannem XXII edixiſſe, ut in Miſſa tertia reſponſio ad Agnus Dei verteretur in *Dona nobis pacem*, præſertim ad ſedandum & extinguendum atrox & cruentum bellum, quod inter Anglos, Galloſque recruduerat. Sed fallitur Angelus Rocca; nam in Sergio primo num. 23 oſtendi hunc Pontificem inſtituiſſe, ut ter diceretur, *miſerere nobis*; ſed multis poſtea ingruentibus Eccleſiæ adverſitatibus, ut ait Innocentius III lib. 6 de Myſteriis Miſſæ cap. 6, ſive ad tollendum ſchiſma, ut alii ſcribunt, ſtatutum fuiſſe, ut poſt tertium *Agnus Dei*, diceretur, *Dona nobis pacem*, quod ideò ante Innocentium III inſtitutum fuerat. Vide dicta in Sergio.

BENEDICTUS XII *Pontif. CXCVII.*

Anno Domini MCCCXXXIV.

I. *Benedictus XII eligitur Pontifex Rom.*

POST Joannis XXII obitum, qui die quarta Decembris anni 1334 contigit, celebratis de more novem diebus ipſius exequiis, Cardinales numero viginti quatuor, Idibus Decembris à Comite Novallo, Roberti Siciliæ Regis Seneſcallo, hoc eſt Præfecto provinciæ, in Palatio Avenionenſi, in quo Joannes deceſſerat, incluſi, ut legitur in tertia Benedicti XII Vita apud Baluzium, & apud Villanium lib. 11 cap. 21, non verò in cœnobio Dominicanorum, ut ex Bzovio & Ciaconio ſcribit Spondanus anno 1334 num. 6, ex eo deceptus, quòd in eo cœnobio coronatus fuerit Benedictus: mox in duas partes ſciſſi ſunt, quarum majoris partis princeps erat Taillarandus frater Comitis Petracoticenſis, ex Epiſcopo Autiſiodorenſi ad Cardinalatum evectus ſub titulo Sancti Petri ad Vincula anno 1331 die 24 Maji feria ſexta Quatuor Temporum poſt Pentecoſtem, ut legitur in fine tertiæ Vitæ Joannis XXII apud Baluzium; minoris vero Joannes de Columna Romanus, Diaconus tituli Sancti Angeli. Hæ duæ partes, teſte Joanne Villanio laudato, Pontificatum obtulerunt Joanni de Convenis fratri Comitis Convenarum, qui ex Archiepiſcopo Toloſano anno 1327 ad Portuenſem Epiſcopatum evectus fuerat, Viro prudenti & pio, ea conditione, ut Romam non iret. Sed eo recuſante, & aſſerente id cedere in Eccleſiæ detrimentum, ſeque potius Cardinalatum dimiſſurum, quam tali lege Paparum acceptaret, utraque pars propoſuit quaſi perfunctoriè omnium Cardinalium infimum, Jacobum ſcilicet Furnerium, ſive de Furno, aliàs cognominatum *Novelli*, Cardinalem tituli S. Priſcæ à Joanne XXII anno 1327 creatum, vulgo Cardinalem *Album*, ſive Blancum nuncupatum, quia ex Ordine Ciſtercienſi ad Epiſcopatum evectus fuerat, qui confeſtim veluti divinitus ab omnibus receptus & electus eſt die vigeſima menſis Decembris in pervigilio Sancti Thomæ Apoſtoli, ut idem Villanius & omnes ferè ejus vitæ Scriptores apud Baluzium diſertè aſſerunt, qui Benedicti XII nomen ſumpſit.

II. *Ejus genus, patria, & primordia ante Pontificatum.*

Jacobum Furnerium in Caſtro Savarduno diœceſis tunc Appamiarum, nunc Rivenſis, ad Aurigeram amnem ſito, ex patre Guillelmo natum aſſerunt omnes Vitæ ejus Scriptores; & Auctor octavæ Vitæ addit eum fuiſſe oriundum *ex humili genere*: unde Ciaconius ait, conſtantem famam fuiſſe eum natum ex patre Molitore; quod ſi verum eſt, conjicere licet errare eos qui volunt eum natum ex ſorore Joannis XXII, qui, ut in ejus Vita diximus, *de militari progenie*, id eſt ex priſca nobilitate natus erat. Sed quidquid ſit, Jacobus in juventute ſua monachum induit in Monaſterio Bolbonæ Ordinis Ciſtercienſis diœceſis Mirapiſcenſis, deinde Pariſiis factus Magiſter in ſacra Theologia, dictus eſt Abbas Monaſterii Fontis frigidi, diœceſis Narbonenſis, quod per ſex annos religioſè gubernavit. Poſtea factus Epiſcopus Appamiarum, illum Epiſcopatum prudenter rexit annis novem: à quo tranſlatus ad Mirapiſcenſem, ipſi præfuit menſibus viginti duobus. Deinde per Joannem XXII factus eſt Presbyter Cardinalis tit. S. Priſcæ XV Kalend. Januarii

rii anni 1327; tandemque, ut dictum eſt, Pontifex Romanus electus die vigeſima menſis Decembris anni 1334, qui electionem de ſe inopinatè factam admiratus, publicè dixit Cardinales Aſinum Papam feciſſe, ſive quòd præ humilitate ſe tantæ dignitati impatem ſentiret, ſive quòd nunquam civilia atque aulica negotia tractaſſet: cum alioqui Vir apprimè doctus piuſque eſſet. Ferdinandus tamen Ughellus in Additionibus ad Ciaconium id inter fabulas recenſet. Ex his porrò patet, inquit Baluzius col. 1420, erratum eſſe vehementer ab auctore proteſtationis ambaſſiatorum Regis Franciæ, oblatæ Concilio Conſtantienſi, editæ in Tomo XII Concil. pag. 1729, ubi Benedictus XII dicitur fuiſſe natione Burdegalenſis.

III. *Ejus electio cuidam Epiſcopo Italo in ſomnis præmonſtratur.*

Benedicti electionem occulto Dei judicio ordinatam divinitùs, agnoviſſe Italum quemdam Epiſcopum, dum Avenionem pergeret, ſcribit Albertus Argentinenſis in Chronico his verbis: Erat quidam vicinus Epiſcopus Romæ in via eundi ad Curiam Avenionenſem ad Papam, cui in nocte mortis Papæ in ſomno apparuit quidam, dicens: *Papam quæris? Non eſt. Et poſt puſillum. Vis videre Papam? Ecce iſte eſt, monſtratâ ſibi perſonâ magnâ incognitâ.* (Erat enim Benedictus corpore maximus, cum Joannes ejus deceſſor fuiſſet ſtatura puſillus, ut idem Argentinenſis ait). *Hic Epiſcopus procedens in itinere audivit de morte Papæ Joannis. Veniens autem Avenionem ivit in Conſiſtorium, ingredientes diligenter inſpiciens ſingulos Cardinales; & cum non vidiſſet perſonam ſibi monſtratam, quæſivit à quodam, utrumquid omnes Cardinales ingreſſi fuiſſent? & reſponſo accepto quòd omnes, excepto Cardinali Blanco Ordinis Ciſtercienſis; illum quæſivit in domo ipſius, ipſumque inſpiciens, faciem perpendit monſtratam, ſibique ſoli in camera ſua dixit: Pater Vos eritis Papa futurus. De quo cùm ille riſiſſet (nulla enim fuit ſpes promotionis ejus, cum eſſet humilior & pauperior inter omnes) Epiſcopus expoſito ſibi ſomnio adjecit: Pater, ille, qui mihi monſtravit faciem veſtram, introduxit me ad ſtabulum immundiſſimum, ſtercoribus plenum, ubi vidi Arcam marmoream altiſſimam ſed vacuam. Vos eritis illa Arca, quam debetis in officio veſtro virtutibus implere & ſignis*, &c. Albertus porrò Argentinenſis eſt Auctor ejuſdem ſæculi, cui conſonare videtur Villanius tunc vivens, loco laudato ſcribens, Benedictum *quaſi divinitus* omnium Cardinalium ſuffragiis electum.

IV. *Solemniter coronatur.*

Benedictus poſtridie ſuæ electionis, ſeu die vigeſima prima Decembris, in primo ſuo Conſiſtorio ante Coronationem habito, ut ait tertiæ ejus Vitæ Auctor, quem Raynaldus citat ſub nomine Ptolomæi Lucenſis, diſtribuit Cardinalibus centum millia florenorum ad ſubveniendum neceſſitatibus ſuis. Diſtulit autem ſuam coronationem uſque ad diem octavum Januarii anni ſequentis 1335. Idem enim Auctor loco laudato ſcribit: *Anno autem Domini 1335 Benedictus XII deſcendit de palatio, in quo electus fuit, & ivit aſſociatus cum Cardinalibus, ut moris eſt, ad locum Fratrum Prædicat. VII Idus Januar. & VI Idus Januar. in craſtinum ibidem coronatus eſt per Dominum Neapolionem Cardinalem Diaconum. Et V Idus Januarii reaſcendit ſuum palatium, & petitiones ſibi oblatas primo die poſt Coronationem recipere recuſavit: voluit enim noſſe conditionem perſonæ ſupplicantis & ſummam redditnum, & ſi impetrans antè fuerit beneficiatus.* Eundem diem ſolemni ejus coronationi aſſignant Auctores ſecundæ & quartæ ejus Vitæ; dies enim octava Januarii concurrebat cum Dominica, quâ juxta morem hæc ceremonia fiebat. Erravit itaque Auctor primæ Vitæ Benedicti ſcribens, eum electum die 16 menſis Decembris, & coronatum die 20, qui anno 1334 concurrebat cum Feria tertia. Erravit & Onuphrius Panvinius, ejus coronationem conjungens cum die tertia Januarii anni 1335, quæ etiam concurrebat cum feria tertia.

V. *A die coronationis annos exordiuntur.*

Poſtridiè ſuæ coronationis, ſeu die nona menſis Januarii, Encyclicas de ſua electione ad Præſules & Principes literas dedit, quarum exemplar ad Remenſem Archiepiſcopum, ejuſque ſuffraganeos miſſum profert Raynaldus ad annum 1334 num. 3, *dat. Avin. V Idus Januarii anno I.* Benedictum porrò à die ſuæ coronationis annos Pontificatus ſui exorſum eſſe docet Anonymus ſcriptor MS. in Bibliotheca Vaticana ſignatus num. 3989 apud Raynaldum laudatum num. 1, in quo legitur: *Fuit electus iſte Dominus Benedictus Papa XII anno Incarnationis Domini 1334, 20 die Decembris, & coronatus & benedictus eodem anno Incarnationis 8 die Januarii, qua die incipit primus annus ſui Pontificatûs.* Waddingus referens Epiſtolas datas à Benedicto pro Franciſcanis anno primo Pontificatûs, ponit eam ultimam ordine XIX, quâ permittit conſtitui cœnobium Minoritarum in Villa de Yvodio, datam *VIII Kalend. Decembris anno primo*: ex qua Papebrochius infert, Benedictum initium annorum ſuorum duxiſſe a die ſuæ ordinationis; ſed hoc nihil probat, quia licèt numeraret à die ſuæ electionis, ſemper numeraſſet annum primum die 24 Novembris anno 1335, quia electus fuerat die 20 Decembris anni præcedentis.

VI. *Prælatos ad ſuas Eccleſias redire jubet.*

Die decima Januarii ejuſdem anni 1335, *Prælatos omnes ad eorum Eccleſias redire coegit, volens eorum ambitioſis prævitationi obviare*, inquit Auctor ſecundæ

ejus Vitæ, Id autem contigiſse die decima Januarii in Conſiſtorio, diſertè docet Auctor tertiæ Vitæ laudatus: *Item IV Idus Januarii*, inquit, *in conſiſtorio ſuo, quod habuit, licentiavit omnes Prælatos & Curatos, ut poſt feſtum Purificationis irent ad ſua beneficia; alioquin juris remediis uteretur erga eos, niſi cauſam legitimam ſtandi haberent in curia, quam inſuper ſcire voluit ab eis.* Auctor quintæ Vitæ Benedicti addit, eum id præcepiſse non ſolùm Prælatis & Curatis, ſed etiam Abbatibus & omnibus obtinentibus Prioratus, Dignitates, Perſonatus, & Curata beneficia, quos in Curia commorantes *compulit de ipſa Curia recedere, mandavitque eoſdem etiam invitos in eorundem Eccleſiis & beneficiis reſidere.* Idem poſtea præcepiſse Innocentium ſextum ſub pœna excommunicationis ſuo loco videbimus. A' die XI Kalend. Februarii uſque ad tertium Kalendas ejuſdem menſis vacaſse Benedictum circa petitiones Cardinalium expediendas, aſserit ibidem Ptolomæus Lucenſis. Ex quo, ſicut ex eo quod ſuperiùs diximus, Pontificem Benedictum ipſo ſequenti die poſt ſuam electionem centum millia florenorum donaſse Cardinalibus, apparet falsò ſcripſiſse Auctorem octavæ ejus Vitæ, ipſum crediſiſse *omnes Dominos Cardinales fore deceptores ſui*, ideoque *rarò ſupplicationes ipſorum recipere voluiſſe, ipſoſque non modicùm ſuſpectos* habuiſse. Revera enim, inquit Baluzius in Notis col. 829, octava vita amarulenta eſt, & ab eo ſcripta, qui palam inimicus erat hujus Benedicti.

VII. *Commendas, & Expectativas revocat.* Non ita malè de Cardinalibus ſenſiſſe Benedictum ex eo etiam eruitur, quòd cum eodem anno Commendas revocaſset, excepit ab ea revocatione Cardinales. *Pridie Kal. Junii*, inquit Ptolomæus, ſeu tertiæ Vitæ Auctor, *Benedictus Papa revocavit in Conſiſtorio omnes Commendas per ſuos Prædeceſſores factas, exceptis Cardinalibus, quorum nondum Commendas revocavit.* Ab hac revocatione non ſolum Cardinales, ſed & Patriarchas excepit Benedictus: *Revocavit omnes Commendas factas per Prædeceſſores ſuos de Eccleſiis Cathedralibus & Abbatiis, quibuſcumque perſonis, Cardinalibus & Patriarchis duntaxat exceptis*, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ: & ſecundæ Auctor addit, eum non ſolùm Commendas, ſed & Expectativas revocaſse: *Commendas*, inquit, *Eccleſiarum, præterquam Dominis Cardinalibus factas, expectationes omnes ſecundùm formam juris canonici revocavit, & fugavit realiter ſimoniam, & aures ad poſſe mendacibus obturavit.* Auctor etiam quintæ Vitæ idem aſserit de Expectativis: *Et quia Eccleſiæ*, inquit, *erant de multis expectantibus auctoritate dicti Prædeceſſoris ſui quampluriminùm oneratæ, omnes revocavit ſecundùm juris formam, extr. de conceſſ. præb. cap. ult.* Porrò conſtitutio, qua Commendas revocavit, extat in Bibliotheca Colbertina, dataque eſt *Avenioni XV Kalend. Junii anno primo*, ut aſserit Baluzius col. 798, publicata tamen tantum eſt pridie Kalend. Junii, ut ſcribit Ptolomæus Lucenſis.

VIII. *Conſtitutiones edit de viſione animarum.* Antequam Commendas revocaret, ipſoque die Purificationis beatæ Virginis, ſeu die ſecunda Februarii, Benedictus Papa celebrem fecit ſermonem, in quo publicè dixit, quòd Sancti ante diem judicii vident clarè eſſentiam Dei, contra opinionem Prædeceſſoris ſui, qui de eo dubius fuerat, ut ſupra dictum eſt: die quarta ejuſdem menſis ad ſuum Conſiſtorium vocavit omnes illos, qui prædicaverant opinionem Joannis XXII circa hanc materiam, volens ſcire ipſorum motiva. Poſt hæc pridie nonas menſis Julii Pontifex ivit ad pontem Sorgiæ civitati Avenionenſi vicinum, & duxit ſecum plures Magiſtros in Theologia, coram quibus & Cardinalibus, quibus placuit intereſſe, fecit legere librum, quem ipſe Benedictus compoſuit de viſione, & auctoritates ibi poſitas per dictos Magiſtros examinari, an eſſent pertinentes, & ibi quæſtionem viſionis examinavit. Eruditum illum librum, ſeu Tractatum extare MS. in Bibliotheca Vaticana ſcribit Raynaldus ad annum 1335, ex quo multa in ſuos Annales derivavit. Controverſiam tamen illam non finivit ante annum 1336, quo, quid demum de re tota, nondum ab Eccleſia deciſa, ſentiendum eſſet definiens, quarto Kalendas Februarii in Palatio Avenionenſi Conſtitutionem edidit, quâ declaravit animas Sanctorum omnium, qui ante Chriſti paſſionem deceſſerunt, nec non Sanctorum Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, & aliorum fidelium poſt Baptiſmum defunctorum, in quibus nihil purgabile fuit quando deceſſerunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel poſt mortem ſuam purgaverint; itemque animas puerorum baptizatorum ante uſum liberi arbitrii decedentium; mox poſt mortem ſuam, aut purgationem prædictam, etiam ante corporum ſuorum reſumptionem & Judicium Generale; à tempore Chriſti in cœlum aſcenſionis fuiſſe, eſſe & fore in Paradiſo cum Chriſto Sanctorum Angelorum conſortio aggregatas, videntes immediatè Divinam eſſentiam clarè & apertè ſeſe eis manifeſtantem: pariterque animas decedentium in actuali peccato mortali mox poſt mortem ſuam ad inferna deſcendere, ibique pœnis infernalibus cruciari; Ac nihilominus in die Judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus compariturос, reddituros de factis propriis rationem, ut recipiat unuſ-

quiſ-

quiſque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Hanc porrò definitionem ab omnibus fidelibus ita eſſe tenendam, ut quicumque deinceps contrarium ſcienter & pertinaciter tenere, docere, aut defendere verbo vel ſcripto præſumeret, contra eum velut contra hæreticum proceſſum iri. Hæc Decretalis quæ incipit *Benedictus Deus*, integra legitur apud Bzovium ad annum 1336. Hoc dogma poſtea firmius ſtabilitum eſt in Conciliis œcumenicis, Florentino ſeſſione ultima, & Tridentino ſeſſione 25.

IX. *Cur curiam in Italiam non transtulerit.*

Antequam Benedictus anno 1335 Pontem Sorgiæ Avenionenſis diœceſis pergeret, Legatos Romanorum audivit, instanter petentium, ut Romam ſe conferret, quod expreſſe teſtatur idem Ptolomæus Lucenſis, ſeu tertiæ Vitæ Auctor: *Legati Romanorum petebant instanter, ut iret ad Urbem: quibus reſpondit ſe iturum, ſed diem certum ſuper hoc eis non aſſignavit*. Odoricus Raynaldus ad annum 1335, num. 3, & ſeqq. ſcribit Benedicti Papæ reditum in Urbem impeditum fuiſſe artibus Philippi Francorum Regis. Sed Auctor primæ Vitæ Benedicti apud Boſquetum & Baluzium aliam longè diverſam cauſam adducit cur, Papa remanſerit Avenione, & Curiam in Italiam non tranſtulerit, poſtquam enim dixit Papam in ſui Pontificatûs initio miſiſſe nuntios ſuos ad Ludovicum Bavarum, ſubdit: *Ipſe etiam Papa eodem tempore deliberavit transferre Curiam ſuam ad partes Italiæ, moramque ſuam facere in civitate Bononienſi, dummodo ipſum debitè & honorificè ejus incolæ & cives vellent recipere & tractare, ſibique obedientiam vellent præſtare, & fidelitatem ſervare. Et hoc ipſe dixit in publico conſiſtorio, voluitque ut divulgaretur & publicaretur ubique, præſertim in partibus Italiæ ſupradictis. Volenſque experire & ſcire an ita facere vellent, miſit ad dictam Civitatem certos nuntios ſuos ad eis intimandum hujuſmodi voluntatem, intentionem, & deliberationem ſuam; deditque eis in mandatis, ut ſi viderent dictorum civium voluntatem conformari pro manſione ſua, ibi Palatium præpararent, libratuſque pro Cardinalibus dividerent & ordinarent*. (Per libratas intelliguntur palatia. Nam Joſephus Maria Suareſius in Præneſte antiqua pag. 244, teſtatur Guidonem de Maleſicco Cardinalem Pictavienſem dictum inhabitaſſe Palatium intra fines Parochiæ S. Agricoli, quod Cardinalis Pictavienſis *Librata* vulgò nuncupabatur; & Baluzius in Notis ad hunc locum, eruit ex monumentis antiquis unamquamq; libratam fuiſſe compoſitam ex variis domibus, viridariis & hortis.) *Nuntii verò hujuſmodi illuc accedentes invenerunt Civitatem prædictam ad hoc fore male diſpoſitam, cùm adhuc cives ipſius eſſent in rebellione & inobedientia contra Romanam Eccleſiam, prout etiam erant tunc ferè omnes aliæ terræ ad eamdem Eccleſiam in illis partibus pertinentes, quæ non diu ante (ſcilicet tempore Joannis Papæ XXII) ſuum Legatum vituperosè & violenter expulerunt de civitate memorata. Quod dicti Nuntii videntes, redierunt Avenionem, Papæque retulerunt. Qui de hoc doluit. Sed videns quia tunc aliud facere non poterat, mutato propoſito deliberavit manere in Avenione cum dicta Curia ſua*. Major itaque fides adhibenda huic Auctori, quàm ambiguis Raynaldi conjecturis.

X. *Avenionense Palatium ædificat.*

Videns Benedictus Italicorum rebellionem impedire, quominus Curiam transferret, ideoque neceſſitatem ſibi impoſitam Avenione remanendi, ſtatuit conſtruere à fundamentis Palatium Epiſcopale, in quo ipſe cum Curia habitaret; & ordinavit, quòd Epiſcopus Avenionenſis pro manſione ſua haberet domum, quæ nunc Epiſcopalis appellatur, quæque eſt valde ſplendida & ſumptuoſa, munificentiâ præſertim Excell. Franciſci Mauritii Guntherii Archiepiſcopi hodierni. Superiori numero narratis, addit Auctor: *Incepitque ibi à ſolo ædificare palatium in loco, ubi tunc erat domus Epiſcopalis, & tandem hujuſmodi ædificium quaſi quandiu vixit continuavit, in tantum quòd ſuo tempore & per ejus miniſterium factum eſt dictum palatium valde ſolemne miræque pulchritudinis in manſionibus, & immenſæ fortitudinis in muris & turribus, prout hodie luculenter apparet. Demum pro tempore ordinavit quòd Epiſcopus Avenionenſis haberet pro manſione ſua, ac in recompenſam alterius, in cujus loco & ſolo dictum palatium erat ædificatum, domum, quæ nunc Epiſcopalis appellatur, quæ eſt valde notabilis & ſolemnis*. Auctores ſecundæ, quartæ, & ſextæ Vitæ Benedicti idem aſſerunt; & ultimus addit, viridarium in palatio factum eſſe: *Fieri fecit*, inquit, *totum magnum palatium ubi ipſe reſidentiam faciebat cum turribus circumcirca atque viridario benè fabricatis cum veronibus circumcirca*. Illud poſtea palatium à Clemente ſexto multùm fuiſſe amplificatum, ſuo loco dicemus. Ex his patet falli Sebaſtianum Fantoninm, dum in Hiſt. Eccleſ. Avenionenſis pag. 103, ſcribit, Arnaldum de Via Epiſcopum Avenionenſem Cardinalem, Joannis XXII ex ſorore nepotem domum Epiſcopalem Evenionenſem hodiernam conſtruxiſſe, cum ſub Benedicto tantùm XII hæc domus data fuerit Epiſcopo Avenionenſi *in recompenſam* palatii, quod pertinebat ad Epiſcopum, ut loquitur Auctor primæ Vitæ, vel ut Auctor ſecundæ *per modum permutationis*; Arnaldus autem de Via mortuus ſit anno 1335, primo anno Pontificatûs Benedicti, cum tenuiſſet Epiſcopatum Avenionenſem

ab

SÆC. XIV. BENEDICTUS XII.

ab anno 1317, ad 1318, quo Joannes XXII eum ad manum ſuam tenuit uſque ad mortem ſuam, quæ contigit anno 1334, quod & fatetur ipſe Fantonius, qui & Joannis de Cojardano Epiſcopatûs initium conjungit cum anno 1335, ideoque Epiſcopalis domus hodiernæ conſtructio huic Joanni adſcribenda; Epiſcopatum enim tenuit uſque ad annum 1349, quo translatus eſt ad Mirepiſcenſem à Clemente VI.

XI. *Ludovicum Bavarum monet ut ad Eccleſiæ unitatem redeat.*

Quod attinet ad cauſam Ludovici Bavari, ſcribunt Auctores quidam Itali & Germani, Benedictum inito Pontificatu ſtatim poſt ſuam coronationem nihil antiquius habuiſſe, quam promulgatas à Joanne XXII in eum cenſuras, ut in uſurpatorem Imperii, repetere & confirmare; ſed Auctores octo, qui Benedicti Vitam ſcripſerunt apud Baluzium, nihil tale dicunt, imò contrarium expreſsè aſſerere videntur plures ex illis. Nam Auctoris primæ hæc ſunt verba: *Hic etiam Papa in ſui pontificatus principio miſit Nuntios ſuos ad Ludovicum Ducem Bavariæ rebellem & inobedientem Romanæ Eccleſiæ, occupatoremque Imperii, qui ipſum monerent & exhortarentur ſui parte, ut ab inceptis & attentatis deſiſtendo, ad dictæ Eccleſiæ obedientiam humiliter redire vellet; credens & ſperans erga eum potiùs proficere tali modo, quàm ſi continuaret proceſſus contra ipſum inchoatos per Dominum Papam Joannem XXII prædeceſſorem ſuum. Tamen nec ſic cum ipſo profecit, cùm induratus & pertinax permanſerit ſicut priùs. Non tamen aliter Papam perſecutus eſt, nec etiam Papa ipſum, ſed ſic in tali quali quiete ſuo tempore remanſerunt.* Auctor ſecundæ Vitæ etiam ſcribit, Benedictum *errorem Bavaricum emendandum* exiſtimantem palliaſſe: iſte autem Auctor vixit tempore Benedicti, ut conſtat ex iis, quæ habet numero penultimo apud Baluzium col. 219. Sed Auctor quartæ Vitæ expreſſiùs loquitur ibidem col. 227: *Iſte* (nempe Benedictus) *ſententias per Dominum Joannem prædeceſſorem ſuum contra Ludovicum Ducem Bavariæ ſe pro Imperatore gerentem nunquam aggravavit; ſed ei Legatos ſuos miſit, monens & hortans, ut ad Eccleſiæ rediret unitatem.*

XII. *Cur illi abſolutionem denegarit.*

Auctor quidem tertiæ Vitæ Benedicti loquitur de duplici legatione Ludovici Bavari ad Benedictum Papam petentis abſolvi à proceſſibus contra ſe factis per Joannem Papam, & offerentis ſe ſatisfacturum Eccleſiæ. Sed nihil obtinere potuit Ludovicus; quia cùm hæc apud Pontificem ageret, ex alia parte unà cum Eduardo Rege Angliæ & Belgarum Principibus bellum moliebatur contra Philippum Regem Galliæ, quo turbanda foret Reſpublica Chriſtiana, & ſacra expeditio Orientalis, quam Philippus parabat, deſerenda, qua ſine dubio exterminati eſſent in Oriente Saraceni, ſi, quod in Europa ſanguinis impenſum eſt, ex Palæſtina defluxiſſet. Huic rationi aliam quidam addunt, ſcilicet, quòd cùm in Germania Joannes Bohemiæ Rex unà cum Hungaro & Polòno contra eundem Ludovicum colligati, dicerentur tractare de alio in Imperium evehendo, omnes prædicti Principes ac plerique Cardinales ab iis ſollicitati, atque etiam minis impulſi, obſtiterunt ne Ludovicus à Pontifice, quantumvis in eum valde proclivi abſolveretur. Ceterùm non audiendi Scriptores illi Germani, & alii, qui hanc denegatæ reconciliationis culpam refundunt in Philippum Francorum Regem, ita de his agentes, ut velint Papam, quaſi captivus detineretur, vix auſum fuiſſe loqui de Ludovico; nam præterquam quòd Platina tradit Benedictum tantæ conſtantiæ fuiſſe, ut dimoveri à recto vel vi, vel precario, vel pollicitationibus nunquam poſſet, Raynaldus ad annum 1336, num. 29, refert literas Benedicti ad Ludovicum Bavarum, quibus illum objurgat conjuraſſe in Philippum Regem, & promiſſa violaſſe. Idem Raynaldus anno 1337, num. 3, alias Benedicti ad eundem Bavarum literas refert, ex quibus evidenter conſtat, cauſam de eo Eccleſiæ non reconciliato detorqueri non poſſe in Philippum Regem, neque in Cardinales, ſed præcipuè in Ludovici inconſtantiam, ſeu ulciſcendi cupiditatem.

XIII. *Regeſtum ſupplicationum ſignatarum inductum.*

Benedictum XII ipſo primo ſui Pontificatûs anno revocaſſe omnes gratias de Beneficiis Eccleſiaſticis à ſuis anteceſſoribus quibuſcumque perſonis factas, quibus nondum jus pacifica poſſeſſione acquiſitum fuerat, aſſerit tertiæ ejus Vitæ Auctor his verbis: *Item XV Kal. Januarii Papa Benedictus revocavit omnes gratias factas à ſuis prædeceſſoribus illis, qui nondum jus in re habebant.* Quia verò quando per Papam gratiæ ſeu ſupplicationes gratiarum ſignabantur, ipſæ ſupplicationes præſentabantur per Camerarios Papæ, aut per alios de ipſorum mandato, unde frequenter quæſtus illicitos ab eis fieri contingebat, ordinavit quòd petitiones hujuſmodi ſignatæ per eum in Palatio Apoſtolico regeſtrarentur per regeſtratorem ad hoc ſpecialiter deputatum, & ſupplicationes originales per Clericum juratum portarentur ad Cancellariam ſub ſigillo ſuo in ſacculo clauſo & ſignato, ut ait Auctor quintæ ejus Vitæ; per quod obviavit multis fraudibus, quæ antea fiebant, ut aſſerit Auctor ſecundæ: *Hic quoque primus*, inquit, *Regeſtum ſupplicationum ſignatarum induxit, multas removens fraudes quæ fiebant.*

XIV. *Bononienſes ad obſequium reducti.*

Sed ut ad Bononienſes revertamur, hi Eccleſiæ Romanæ rebelles Bertrandum de Pojeto Cardinalem Oſtienſem, Joannis XXII Legatum, Bononiâ expulerant anno

1334.

Digitized by Google

1334, ut ſcribit Auctor quintæ Vitæ ejuſdem Pontificis: quare Benedictus videns eorum contumaciam, anno tertio ſui Pontificatus, Chriſti 1337, contra eoſdem proceſſus fecit, & Civitatem Academiâ, & privilegiis Apoſtolicis & Imperialibus privavit, quod diſertè aſſerit Auctor quintæ Vitæ Benedicti: *Anno tertio Pontificatûs*, inquit, *fecit proceſſus contra Bononienſes, & privavit civitatem Studio & privilegiis Apoſtolicis & Imperialibus propter expulſionem Domini Bertrandi Cardinalis, olim in partibus illis Legati*. Poſtea tamen cùm Bononienſes Oratores ad eum miſiſſent, qui Bononiam juris eſſe Pontificis profiterentur, culpam deprecantes & ſatisfactionem præteritorum, ac cenſum, omnemque ſubjectionem obtùliſſent, cenſuris, quibus irretiti fuerant, ſoluti ſunt; ſubdit enim idem Auctor: *Et tandem, aliquibus pactis præmiſſis, reſtituit dictam Civitatem ad gratiam Apoſtolicæ Sedis. Et conſtituit Thadæum de Pepulis Rectorem ibidem ad tres annos pro Sancta Romana Eccleſia ſub annuo cenſu, videlicet octo millium florenorum auri, non abſque admiratione multorum*: idque factum eſt anno 1340, quo Benedictus ad conventa perficienda Beltraminum Novocomi Epiſcopum Apoſtolicæ Sedis Internuncium mittit, ut Bononienſium ſacramenta exciperet, Urbis iniret poſſeſſionem, conſtitueret Magiſtratus, cives cenſuris ſolveret, eos priſtinis reſtitueret juribus, Academiam ſuæ aſſereret dignitati, Præturam denique Thadæo Pepulo Pontificio nomine conferret. Diploma hac de re datum eſt Beltramino *Avenione XVII Kal. Junii, anno 6*, quod extat apud Raynaldum anno 1340, num. 60. Magna cum laude demandato munere perfunctus eſt Beltraminus, ob idque à Benedicto Papa ad Bononienſem Sedem translatus eſt.

XV. *Decimas Franciæ Regi conceſſas revocat.* Philippus hujus nominis VI Franciæ Rex, cognomento Valeſius, extremis Joannis XXII temporibus Cruce ſignatus fuerat à Petro Rogerio tunc Archiepiſcopo Rotomagenſi, poſtea Papa ſub nomine Clementis VI, ad hoc auctoritate Apoſtolica delegato, qui ejuſdem Pontificis juſſu expeditionem ſacram indixerat ad recuperationem Terræ Sanctæ. Cùm itaque Philippus expeditionem illam proſequi promiſiſſet, à Joanne, poſt multas inſtantias, Decimas Regni ſui obtinuit. Sed cùm Benedictus XII, videns expeditionem illam evaneſcere, eam decimarum conceſſionem revocaſset, idem Rex cum Filio ſuo Joanne Normanniæ Duce ea de cauſa Avenionem ad Pontificem acceſſit menſe Martio anni 1336. Verùm ſuperveniente bello Aquitanico inter Francos & Anglos, Philippus ab expeditione in Terram Sanctam penitus deſtitit, ne Regnum ſuum expoſitum relinqueret occupationi Regis Angliæ: ſicque etiam revocatio Decimarum permanſit in ſuo robore. Hæc conſtant ex Auctoribus primæ & tertiæ Vitæ Benedicti Papæ, & ex Continuatore Guilielmi Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani. Quo in colloquio Pontificis cum Rege accidit quod legitur in eadem prima Vita, dixiſse nempe Pontificem Regi antequam quicquam peteret, ſe quidem tanto affectu erga Regem deferri, ut ſi haberet duas animas, unam libenter pro ipſo expoſiturus eſset: ſed non habere niſi unam, quam unicè diligebat, cupiebatque conſervare: quare ſuas petitiones ſic Rex limitaret, ut nihil in eis contineretur, quod Deum offenderet, & animam læderet, quia in hujuſmodi rebus nequaquam ipſum exauditurus foret. Hocque licèt Regi prima facie durum viſum fuiſset, tamen re benè ponderata, gratum habuiſse, quoniam ſciebat Pontificem rectiſſimæ in omnibus intentionis eſse.

Semel tantùm toto ſui Pontificatûs tempore Cardinales creavit Benedictus numero ſex, eoſque viros ad tantam dignitatem egregios anno 1338, die decima octava menſis Decembris feria ſexta quatuor Temporum, quorum hæc ſunt nomina. Gocius de Arimino de Marchia Anconitana, Juris utriuſque Doctor, Conſtantinopolitanus Patriarcha: Bertrandus de Deucio, Diœceſis Uticenſis, tunc Archiepiſcopus Ebredunenſis: Petrus Rogerii, Diœceſis Lemovicenſis, Ordinis S. Benedicti, tunc Archiepiſcopus Rotomagenſis, qui poſteà fuit Clemens Papa ſextus: Bernardus de Albia, Diœceſis Appamiarum, tunc Epiſcopus Ruthenenſis: Guilelmus Curti, Diœceſis Tolosanæ, Ordinis Ciſtercienſis, tunc Abbas Bolbonenſis, & Epiſcopus Albienſis: Guilelmus de Aura, Diœceſis Carcaſsonenſis, tunc Abbas monaſterii Montiſolivi Ordinis S. Benedicti. Qui omnes dicti ſunt Presbyteri Cardinales, *& erant famoſi & profundi Doctores in jure Canonico vel Civili, aut Magiſtri in Theologia*, ut ait Auctor primæ Vitæ: dicente Benedicto, *cetera condonari poſſe Pontificibus, id unum ſcelus venia carere, ſi in Senatu legendo & Pontificum ſeminario ampliando peccaverint; nam cùm ii Capita ſint, per quæ Eccleſia regitur, quam Spiritu Sancto auctore natam, eodemque gubernari oportere, ſcimus; culpis aliis in parentem, filiumve peccari: hîc uno in Spiritum Sanctum*, verba ſunt Ægidii Viterbienſis in Hiſt. MS. apud Ciaconium in Notis Andreæ Victorelli. XVI. *Viros inſignes Cardinales creat.*

Franciſcus Boſquerus in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium, & poſt eum Frizonius & Ferdinandus Ughellus, imò & Auguſtinus Oldoinus ſcribunt, Guillelmum Curti fuiſse Benedicti Papæ propinquum, & ex fratre nepotem: quam opinio- XVII. *Conſanguineos deſpexit.*

nionem meritò rejicit Stephanus Baluzius in Notis col. 816 & ſeq. nam Auctor primæ Vitæ Benedicti de ipſo ſcribit: *Ipſe de ſuis conſanguineis vel propinquis exaltandis, vel promovendis nullatenus curavit.* Non *enim invenitur quòd aliquem de genere ſuo ad quamcumque Prælaturam promoverit, niſi unum ſolum, quem præfecit Eccleſiæ Arelatenſi, qui tamen ad hoc aliàs erat benè dignus & ſufficiens: & hoc fecit etiam quodammodo precibus & inſtantia Cardinalium devictus.* Auctor ſecundæ Vitæ idem ſcribit de Benedicto: *Huic autem ſanguis & caro non revelavit amorem. Vix namque nepotem ſuum Archiepiſcopum Arelatenſem effecit. Alios autem vel non habuit, vel non novit.* Saxius hunc Benedicti nepotem vocat Joannem cognomento Bauzianum. Tutò autem fides adhiberi poteſt duobus his Auctoribus, præſertim ſecundo, qui tunc vivebat, ut conſtat ex verbis ejus immediatè ſequentibus: *Cuidam civi Toloſano, quem & ego videram in Toloſa divitem mercatorem, neptem ejus, ut aſſerebat, habenti, ad conſulem Pontificis gratiam cum eadem uxore venienti reſpondit, ſe Jacobum illos agnoſcere, ſed Papam conſanguineos non habere. Sed quoniam ut eum viderent ad Curiam venerunt, juſſit eis pro adventu & reditu de ſumptibus provideri, & cum ſua dumtaxat benedictionis gratia Benedictus hic Pontifex remiſit.* Paulò aliter rem narrat Auctor primæ Vitæ; poſtquàm enim dixit Benedictum nullum *de Laicis* propinquis exaltaſse, ſubdit: *Unicam neptem, quam habebat, per plures Magnates pro conjugio petitam eis dare expreſſè negavit, dicens in vulgari ſuo, quòd non decebat talem equum hanc habere ſellam; ſed demum ipſam nuptui tradidit filio unius mercatoris ſimplicis Toloſæ, dotem ſibi ſecundùm ſtatum ejuſdem mercatoris conſtituendo.* Denique Benedictum nihil dare voluiſſe alicui de ſuo genere vel conſanguinitate, aſserunt etiam Auctores quartæ & ſextæ Vitæ, quorum ultimus eſt Ptolomæus Lucenſis tunc vivens; & Ægidius Viterbienſis Cardinalis mox laudatus ſcribit, eum dicere ſolitum fuiſse, *Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſi verus futurus ſit, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſſe oportere.* Denique Albertus Argentinenſis tradit, cùm urgeretur à multis ut ſuos promoveret, ſubintuliſse illud Davidicum carmen, quod pro inſigni argumento gerebat: *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (Pſalm. 18). Similes hac in re Benedicto XII Pontifices deinceps optavit Eccleſia, nonnunquam per affines & parentes Pontificum dilapidata.

XVIII. *Magnam in conferendis beneficiis cautionem adhibet.*

Benedictus fuit *adeò juſtus & durus, ut beneficia diſpoſitioni Apoſtolicæ reſervata vix conferre vellet, timens ne conferret indignis*, inquit Ptolomæus Lucenſis in ſexta ejus Vita; ut enim beneficia vacantia viris conferrentur idoneis, qui præeſſe & prodeſſe valerent, ſuæ diſpoſitioni reſervavit, *cap. ad regimen Extravag. Comm. de Præb. & dignit.* Omnia quæcumque & cujuſcumque dignitatis vel nuncupationis in Curia vel extra Curiam bidui itinere vacantia, ne indignis darentur; ſæpe dicens, teſte Oldrado inſigni ejus temporis Juriſconſulto, *nolle ſe lutum exornare.* Unde & contigiſse ait primæ ejus Vitæ Auctor, ut multa Beneficia diu ſub ipſo vacaverint, quòd ſatius & ſecurius eſſe diceret illa vacare, quàm indignis conferri: *bonos enim nimis dilexit, & malos odio habuit*, inquit Ptolomæus Lucenſis laudatus. Denique Aymericus de Peyrato Abbas Moyſſiacenſis in Chronico MS. apud Baluzium col. 824 de eodem Papa loquens ait: *Valde probus fuit, & de rebus Eccleſiæ largiendis parentibus ſuis parciſſimus, & in Beneficiis vacantibus conferendis tenax. Et ideo depingitur cum pugillo clauſo.* Quam ejus aſperitatem, inquit Baluzius ibidem, perſtringere videtur Petrarcha in libro variar. Epiſt. 38, ubi loquens de Gregorio XI ait: *Non eſt enim, ut opinor, Dominus noſter in illa duritie, qua fuerunt aliqui in diebus noſtris, negare omnia parati, dum nonniſi perfectis viris dare aliquid volunt. Quod ſi fiat, aut omnia beneficia vacabunt, aut pauciſſimis omnia conferentur.* Sed Benedictus licèt beneficia Viris dignis conferret, non tamen plura eidem conferebat; nam, ut inquit quintæ ejus Vitæ Auctor, habentibus beneficia congrua, alia conferre denegavit; & quando habentibus alia majora contulit, eoſdem compulit priora dimittere. Pueris quoque minoribus quatuordecim annis non contulit Canonicatus in Cathedralibus Eccleſiis, nec cum minoribus in Dignitatibus & Prioratibus diſpenſavit, ut ait ejuſdem Vitæ Auctor.

XIX. *Baſilicam Vaticanam inſtaurat.*

Antequam Benedictus coronaretur, ut ait tertiæ ejus Vitæ Auctor, Vaticanam S. Petri Eccleſiam, Lateranenſem, & Palatia ibidem deſolata mandavit reparari, quod etiam ſcribit primæ Vitæ Auctor de Vaticana Baſilica: *Eccleſiam inſuper Beati Petri de Urbe pro tunc in tectis valde demolitam & deſtructam fecit miro & ſumptuoſo opere reparari, prout ad ejus perpetuam memoriam in ea literis groſſis & patentibus ſcriptum reperitur.* Quod opus perfectum tantùm eſt ſub finem Pontificatûs ejus, anno nempe 1341, ut inſcriptio in ea poſita demonſtrat, quam hîc ex Ferdinando Ughello in Additionibus ad Ciaconium exhibeo.

Benedictus. Papa. XII.
Toloſanus.
fecit. fieri. de novo Tecta. hujus Baſilicæ
Anno. ab Incarnatione. Domini 1341.

Be-

Benedictus. Papa. Duodecimus.
Magiſter. Paulus. de Senis. me. fecit.

Miſiſse Benedictum hanc in rem quinquaginta aureorum millia ſcribit Albertus Argentinenſis; ſed Auctor tertiæ Vitæ, quinquaginta millia florenorum.

XX. *Ordinum reformationi incumbit.*

Ordinum etiam reformationi attendens Benedictus Pontifex multas ea de re fecit Conſtitutiones, ac præcipuè de reformatione duorum celeberrimorum Ordinum Sancti Benedicti, & Ciſtercienſis, a primævæ ſanctitatis vigore declinantium, necnon Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini; quæ extant in Bullario valde prolixæ, diverſis annis ejus Pontificatûs datæ. Et niſi mors eum prævenifset, ceteros mendicantium Ordines, in pluribus negligentia deformes, ſua juſta judicii lima ſimiliter reformaſset, ut inquit Auctor ſecundæ ejus Vitæ, qui addit: *Eorundem tamen Ordinum fratres ſine ſpeciali & juſta cauſa limina curiæ Romanæ tenentes non redituros abſque Sedis Apoſtolicæ licentia vel mandato juſſit recedere de eadem.*

XXI. *Conſtitutiones edit pro Fratrum Minorum regimine.*

Sed Auctor ille ignoravit Benedictum anno 1336, ſecundo ſui Pontificatus, quarto Kalendas Decembris ampliſſimas edidiſſe conſtitutiones pro regimine Fratrum Minorum & Monialium Sanctæ Claræ, quæ admiſsæ & receptæ ſunt in Capitulo Generali anno ſequenti 1337 à Gerardo Generali Miniſtro, Caturci celebrato, quarum exemplar MS. habeo in parvo codice eodem tempore ſcripto, in quo extant Acta Capituli Generalis anno 1340 Aſſiſii ab eodem Gerardo habiti, quæ Waddingus ad annum 1340 num. 12 periiſſe credit: ex quibus conſtat Gerardum compoſuiſse officium ſacrorum Stigmatum S. Franciſci, quorum Feſtum ab univerſo Ordine Franciſcano deinceps fieri ſub ritu duplici ſtatutum eſt in eodem Capitulo Aſſiſienſi, cujus hoc eſt initium: *In nomine Domini, amen. Hæc ſunt acta Generalis Capituli Aſſiſii celebrati anno Domini* 1340 *in Pentecoſte.* Sequuntur plura ſtatuta, & poſtea: *Item ſtatutum fuit quòd commemoratio S. Claræ fiat per totum Ordinem, ſicut de aliis Sanctis noſtris. Item ordinatum fuit quòd officium, quod edidit Reverend. Pater Generalis de ſtigmatibus Sacris, habeatur & fiat in toto Ordine, & legantur lectiones legendæ Fratris Bonaventuræ, capitulo de ſtigmatibus ſacris, & fiat officium duplex die* 17 *Septembris.* In capitulo Caturcenſi data cura fuerat Gerardo Miniſtro Generali officium concinnandi de Sacris Stigmatibus: quod cùm ipſe perfeciſſet, receptum eſt in Capitulo Generali Aſſiſienſi anni 1340, & decretum ut deinceps recitaretur ſub ritu duplici in toto Ordine; ex quo & deſtruitur quod Waddingus anno 1337 num. 4 probabilius crediderat, feſti nempe Sacrorum Stigmatum originem potiùs Benedicto XII, quàm XI tribui debere; minus quippe, inquit, probabiliter diceretur à Benedicti XI tempore uſque ad Benedictum XII univerſum ſodalitium Minorum honorificum Pontificis Benedicti XI indultum neglexiſſe, & ſui inſtitutoris laudes contempſiſſe, vel lentè & gradatim in ſingulis provinciis introductum feſtum Stigmatum abſque proprio officio, quod communi ſuffragio ſub Benedicto XII præceptum fuerit, ut hæc feſtivitas omnium cultu celebraretur & proprio commendaretur officio; ex hoc enim objectæ rationis vim eludi potiùs, quàm ſolvi poſſe exiſtimat, Waddingus, qui ideo probabilius exiſtimat feſti Stigmatum originem potiùs Benedicto XII, quàm XI tribuendam. Sed in hoc certè fallitur, nam ante Benedictum XII feſtum Stigmatum celebratum fuiſſe, ex eo probatur, quòd Franciſcus de Mayronis, qui ipſo fatente Waddingo, obiit ante Benedicti XII Pontificatum, compoſuit Sermonem de feſto eorundem Stigmatum, quod ideo ante Benedictum XII celebrabatur, ſed ſine officio proprio, quod præceptum eſt in Capitulo Generali Aſſiſienſi, & additum ut fieret ſub ritu duplici, quod antea erat ſub ſemiduplici. Extat hic ſermo Mayronii inter alios ab eodem Doctore compoſitos, ac Venetiis anno 1493 impreſſos. Poſtea idem Waddingus ad annum 1340 num. 12 dubitat de Capitulo Generali, quod Marianus & Marcus Ulyſſiponenſis eo anno Aſſiſii celebratum ſcribunt à Gerardo, quem, inquit, ex Italia diſceſſiſſe ſub finem anni 1339, vel ſub initium anni 1340 conſtat, cùm tamen Comitia Generalia in Pentecoſte celebrarentur. Sed ex dictis hæc omnia evaneſcunt, conſtatque ex ipſius Capituli Actis Gerardum huic Capitulo in Pentecoſte Aſſiſii celebrato adfuiſſe; nam poſt ſuperiora verba, hæc in eo leguntur: *Item facta fuit ordinatio quæ ſequitur. In nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen. Ordinat Reverendus P. Generalis Miniſter, quòd pro pace Principum Chriſtianorum & populi Chriſtiani & pro defenſione ac victoria Chriſtianorum, qui per infideles impugnantur, in ſingulis conventibus & locis Fratrum Minorum & Sororum, dicatur poſt Miſſas Conventuales & horas canonicas, antequam Fratres vel Sorores exeant Chorum, Salve Regina cum orationibus de Domina* &c. & hoc *uſque ad ſequens Capitulum Generale*, quod ibidem indicitur in Conventu Maſſiliæ his verbis: *Ordinatus fuit locus ſequentis Capituli Gener. in Conventu Marſiliæ provinciæ Provinciæ*, ubi re ipſa celebratum eſt anno 1343, ipſomet Waddingo teſte. Denique in eodem Capitulo Aſſiſienſi anni 1340 legitur: *Numerus Fratrum defunctorum à Ca-*

Capitulo præterito Generali Caturcenſi duo millia 272. Ex quibus illuſtrari poſſunt Annales Minorum; & conſtat verum eſſe quod in prima Parte hujus Tomi ſcripſi pag. 193, Benedictum undecimum conceſſiſſe celebrationem Feſti Stigmatum S. Franciſci Religioſis ejus Ordinis, & poſtea Paulum V ejuſdem feſti officium ab omnibus fidelibus, qui ad horas Canonicas tenentur, recitari præcepiſſe.

XXII. *Ad Deum tranſit.* Tandem Benedictus *paſtor bonus ex quadam antiqua tibiarum infirmitate fluenti cœpit plus ſolito infirmari; & volentibus medicis infirmitatis fluxum hujuſmodi refrænare, ſupervenerunt & alia, propter quæ in die Beati Marci Evangeliſtæ de menſe Aprilis XXV die, anno nativitatis Domini* 1342 *migravit ad Chriſtum in palatio quod fundaverat, & ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali beatæ Mariæ Avenionenſis in ſepulcro quodam pro eodem conſtructo, ubi nondum quiſquam poſitus fuerat*, inquit Auctor ſecundæ ejus Vitæ tunc vivens. Iiſdem anno & die obiiſſe Benedictum ſcribunt reliqui vitæ ejus Scriptores. Sedit itaque à die coronationis annos ſeptem, menſes tres, dies octodecim. Auctor primæ Vitæ addit: *Fuit ſepultus in Eccleſia Majori Avenionenſi, in qua adhuc jacet in capella pro ipſo ſpecialiter fabricata, etiam miraculis coruſcando.* Epitaphium quod ipſi poſitum refert Oldoinus, & ex eo Georgius ab Eggs, recens eſſe, & à centum circiter annis ſcriptum in pergameno & parieti affixum, oſtendit Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico.

XXIII. *Ejus in Deum pietas.* Nec mirum videri debet, totam curiam & Chriſtianitatem de ejus morte condoluiſſe, ut aſſerit Ptolomæus Lucenſis in ſexta ejus Vita, inſignia quippe ſunt & memoratu digna elogia, quæ in eum, ob pietatis in Deum ſtudia, confert primus ipſius Vitæ Auctor, quæ hîc prætermittenda non ſunt: *Ipſe inſuper*, inquit, *mente, verbo & opere totus extitit intentus ad ea, quæ Dei erant, poſſe tenus exequenda. Non tamen propterea illa, quæ etiam mundiale regimen ſibi commiſſum concernebant, neglexit; immo in ipſis bene & utiliter agendis & gubernandis debitam adhibuit diligentiam, proindeque ſe geſſit, nihil de contingentibus omittendo. Mundanam pompam & vanam gloriam in ſe & in ſuis omninò contempſit. Sicque fuit re & nomine Benedictus, benedictus, inquam, à Deo, & benedictus, hoc eſt, bene nominatus & reputatus à mundo, cùm ferè omnes, ſaltem boni, qui in mundo erant, de ipſo bene dicerent & æſtimarent, & meritò. Nam ſine cujuſque præjudicio loquendo, conſiderando omnes alios ſui nominis, qui ipſum in ſtatu Papali præceſſerunt, non reperitur quòd ipſum in meritis exceſſerint, immò nec per ea, quæ de ipſis ſcribuntur, attigerint; & ſi fas ſit ſcribere, poſt Martyres & alios, quos Eccleſia veneratur & colit ut Sanctos, inter meliores ipſe unus fuit, & eſt meritò reputandus. Qui plenus magnis meritis, poſt multaque opera virtuoſa & laude digna, ſpiritum reddidit Salvatori anno Domini* 1342, *die* 25 *menſis Aprilis, Pontificatûs ſui anno octavo.* Ex quibus & ex aliis mox dicendis, & tot aliis omnium gentium Auctorum de Benedicti pietate & virtutum cultu præconiis, facilè eluuntur quorundam calumniæ, quæ à Coquæo in Anti-Mornæo detectæ nova confutatione non indigent.

XXIV. *Miraculis claret.* Certè præter hunc primæ Vitæ ejus Auctorem mox à nobis num. 22 laudatum, qui aſſerit eum miraculis coruſcaſſe, Chryſoſtomus Henriques in faſciculo Sanctorum Ordinis Ciſtercienſis lib. 2, diſt. 4, id expreſsè etiam ait contineri in Hiſtoria Gallica Romanorum Pontificum, quæ in Bibliotheca Patrum Minimorum Bruxellenſium aſſervatur, cujus tamen antiquitatem non ſignat. Trithemius in Chronico Hirſaugienſi eum vocat hominem rectum in omnibus operibus ſuis, & Dominus de Fergues apud Papebrochium laudatum, Benedictum *Beatum* nominat in Indiculo MS. Sanctorum ac Beatorum Avenionenſium, ex auctoritate Scriptorum Ciſtercienſium, ſeu, ut exiſtimo, Chryſoſtomi Henriques. Sauſſayus in Martyrologio Gallicano vocat eum Pontificem *ſanctæ memoriæ, qui rerum in Sede Apoſtolica à ſe geſtarum pietate, ac magnificentia, & patriam & univerſam Eccleſiam adeò mirificè illuſtravit, ut verè de ipſo dici poſſit, eum fuiſſe, quem feliciter Gallia peperit, quem Lutetia aluit, quem Roma coluit, quem Sion Cæleſtis coronavit.* Fallitur tamen Sauſſayus, dum ſcribit corpus ejus Toloſæ quieſcere. Ejus quoque ſanctitatem commemorare Martyrologium Benedictinum Arnaldi Wionis & Hugonis Menardi aſſerit Ludovicus Jacob in Biblioth. Pontif.

XXV. *Ejus opera, & munificentia in Viros literatos.* Non minùs doctrinâ, quàm integritate emicuit Benedictus XII, ut invictè probant Opera non contemnenda quæ reliquit. Scripſit enim, teſte Ciaconio, de Statu Animarum ante Generale judicium Tomos duos: Quæſtiones undecim ejuſdem argumenti: Sermones per anni feſtivitates; quæ omnia ſervantur in Bibliotheca Vaticana, cum Vita ſancti Joannis Gualberti, quæ extat apud Surium ad diem 12 menſis Julii. Sed magna mihi ſuſpicio eſt, Benedictum XII non eſſe Auctorem hujus vitæ, cùm in ea nulla ſit mentio canonizationis ejus, quam non omiſiſſet Benedictus, utpote jam multò antè factam à Cœleſtino tertio. Scripſit inſuper de Statu Canonicorum: Decretalem Religioſorum: De reformatione Benedictinorum: De Statu Nigrorum Monachorum: & carmina quædam poëtica.

His

SÆC. XIV. BENEDICTUS XII.

His addit Auguſtinus Oldoinus Commentaria adverſus Fratricellos: Commentaria in pſalmos Davidicos, & quædam alia opuſcula, ob quæ inter Scriptores Eccleſiaſticos enumerandus eſt. Viros etiam literatos & dilexit, & beneficiis cumulavit; inter quos præcipuè coluiſſe dicitur Gregorium Ariminenſem & Thomam Argentinenſem, inſignes Theologos Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini. *Libenter contulit beneficia Viris literatis, etiam abſentibus à Curia, interdum etiam ignorantibus, de quibus ſibi laudabile teſtimonium perhibebatur*, inquit Auctor quintæ ejus Vitæ.

XXVI. *Utrum fuerit Carmelita.*

Quidam recentiores ſcribunt, Benedictum XII antequam Ciſtercienſium inſtitutum arriperet, fuiſſe Carmelitam: & Petrus Lucius ut hanc ſententiam confirmet, affert præcipuè epitaphium ſepulchro ejus adſcriptum, ut teſtatur Claudius de Ville in libro ſecundo Heroicorum Epitaphiorum, quod ſic habet: *Hic iacet Benedictus, quem Carmelus protulit, Caſſinus aluit, Vaticanus coronavit*. Sed, ut notavit Baluzius in Notis ad ejus Vitam, epitaphium illud merum commentum eſt, in quo nihil veri; & præterea certum eſt illud, nec aliud quodquam ſepulchro ejus adſcriptum fuiſſe. Quare Auctores ſecundæ & quintæ ejus Vitæ pag. 213, & 229, diſertè ſcribunt, eum tempore pubertatis ſuæ ingreſſum eſſe Monaſterium Bolbonenſe Ciſtercienſis Ordinis, & ibidem feciſſe profeſſionem. Sed teſtimonium ipſius Benedicti eſt omni exceptione majus; ipſe autem in literis quas Idibus Julii anni primi Pontificatus ſcripſit ad Abbatem Ciſtercii, ait: *Hujus quoque Ordinis ab adoleſcentia noſtra perſeveranter jugum ſuſtulimus, & in eo alumni effecti per temporum curricula diuturna crevimus tam in illo, quàm extra ipſum ſucceſſivis Prælationis honoribus, & tandem conſcendimus, quanquam immeriti, Summi Cathedram Paſtoratus*. Expreſſiùs adhuc loquitur in aliis literis ſtatim poſt ſuam coronationem Abbatibus Ciſtercienſis Ordinis, quas primus in lucem edidit Ferdinandus Ughellus Tomo primo Italiæ Sacræ, & ex eo Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciacconium: *Nos igitur* inquit, *qui juventutis noſtræ tempora in Ordine veſtro peregimus, ſub ſanctæ obedientiæ imperio, & obſervantia regulari, ac in eo effecti alumni in dignitatis & adminiſtrationis ſtatu fuimus operoſi, nec non de illo per Apoſtolicæ Sedis providentiam ad Pontificalis eminentiæ titulum, & deinde ad apicem Cardinalatus* &c. Data eſt Epiſtola Avenione V idus Januarii, Pontificatus anno primo, ideoque die nona Januari, poſtridie ſuæ coronationis. Denique Nicolaus Specialis lib. 8, cap. 5, ait, Benedictum fuiſſe nutritum in Ordine Ciſtercienſi, *quem Ciſtercienſis Ordo nutriverat*. Ex quibus Baluzius certò colligi poſſe putat, eum admodùm juvenem fuiſſe Monachum Ciſterc. adeoque non fuiſſe Carmelitam.

CLEMENS VI *Pontif. CXCVIII.*

Anno Domini MCCCXLII.

I. *Clemens VI eligitur Papa.*

BEnedicto XII die vigeſima quinta Aprilis anni 1342 defuncto, & celebratis de more novemdialibus, die dominica, quinta menſis Maji, Cardinales numero XVII, ut Auctores ſecundæ & tertiæ Vitæ Clementis VI diſertè aſſerunt apud Baluzium col. 267 & 282, non verò XXII, ut referunt Frizonius, Onuphrius & alii, vel XIX, ut ſcribit Auguſtinus Oldoinus, Conclave intraverunt, ſolo dumtaxat Bertrando de Montefaventio Diacono Cardinali Sanctæ Mariæ in Aquiro propter morbum podagræ extra illud remanente, & ſtatim, die nempe Martis, ſeptima ejuſdem menſis Maji ante Vigiliam Aſcenſionis, concordia mirabili Petrum Rogerium Presbyterum Cardinalem SS. Nerei & Achillei tit. Faſciolæ, in Romanum Pontificem elegerunt, qui nomen ſibi Clementis aſſumpſit.

II. *Ejus genus, baptiſmus, nativitas.*

Natus erat Petrus Rogerii ex Guillelmo Rogerio circa annum 1291 in Caſtro Malimontis Lemovicenſis diœceſis, & ibidem in Eccleſia parochiali Sanctæ Crucis de Roſeriis baptizatus, ut ſcribunt Auctores ſecundæ & tertiæ ejus Vitæ. Annus ejus nativitatis eruitur ex collatione per eum facta in recitatione proceſsûs pro Canonizatione S. Yvonis, quæ extat Tomo 4 Maji Bollandiani pag. 578, in qua ait: *Iſte Dominus Yvo anno ætatis ſuæ quinquageſimo, & XIX die Maji coronatur in cœlis; ego autem anno ætatis meæ quinquageſimo ad ſtatum iſtum, licet invitus, aſſumptus, die XIX menſis Maji coronatus fui*. Quòd ſi anno 1342 menſe Majo, quo electus eſt Pontifex, annum ætatis quinquageſimum ageret, certè natus erat circa annum 1291, & quidem, ut ſcribit Albertus Argentinenſis, *ex progenie militari*, id eſt, ex equeſtri nobilitate Rogeriorum Malomontenſium, quorum genealogiam texit Baluzius col. 830 & ſeq.

III. *Ejus primordia ante Pontificatum.*

Anno ætatis decimo habitum Sancti Benedicti induit in Monaſterio Caſæ-Dei in Arvernia ſito, & in diœceſi Claro-

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

monteuil; ipſe enim Pontifex dictus bulla data 3 nonas Julii anno primo, qua Abbatem, Monachos & Monaſterium Caſæ-Dei exemit a quacumque ordinaria poteſtate & juriſdictione cujuſcumque Diœceſani, teſtatur ſe in eodem monaſterio ſub regulari habitu ab annis teneris militaſſe, & in eo profeſſionem emiſiſſe regularem. Joannes autem de Cardalhaco Patriarcha Alexandrinus in ſermone habito in exequiis ejuſdem Clementis apud Baluzium col. 835 ait: *Nam à principio ſuæ puerilis juventutis Deum habuit in memoria, puer decem annorum religionem Sancti Benedicti ingrediendo.* Studiorum causâ Pariſios deſtinatus tantum profecit, ut in trigeſimo primo anno ætatis ſuæ, non per precum inſtantiam, aut per bullæ Papalis tempus anticipantis gratiam, ſed ſolùm virtutis merito Magiſter in ſacra pagina dictus fuerit, ut ait Auctor ſecundæ ejus Vitæ. Primùm a Joanne XXII, eodem Auctore & aliis teſtantibus, Prioratum Sancti Baudilii (non Baſilii, ut legitur apud Spondanum & alios) Nemauſenſis Ordinis S. Benedicti obtinuit, deinde Abbatiam Fiſcannenſem in Normannia, & ſubſequenter Atrebatenſem Epiſcopatum, dictus eſt etiam Regiorum Sigillorum Cuſtos & Cancellarius. Ex Attrebatenſi Eccleſia ad Senonenſem, & tandem anno 1330 die 19 Kal. Januarii ad Rothomagenſem translatus eſt, cum tunc eſſet etiam proviſor domus Magiſtrorum & Scholarium de Sorbona, ante palatium de Thermis Pariſiis ſita, ut legitur in veteri inſtrumento illius anni Tomo 4 Hiſtoriæ Univerſitatis Pariſienſis pag. 230. Denique mortuo Joanne XXII, à Benedicto XII anno 1338 dictus eſt Cardinalis, & demum poſt ejus mortem Pontificatum Romanum obtinuit: quem fuiſſe illi olim prædictum a quodam Stephano Aldebrando monachorum facultatum Presbytero, teſtatur Papirius Maſſonius in ejus Vita, ex tabula appenſa in Eccleſia Monaſterii S. Illidii Claromontenſis, cujus inſcriptionem ſe olim edidiſſe ait Baluzius. Hiſtoria autem illa talis eſt. Cum Petrus adhuc Monachus rediens Pariſiis ad ſuum Monaſterium Caſæ-Dei, ac ſpoliatus in via a latronibus, nuduſque relictus, ab eodem Stephano veſte & neceſſariis donatus interrogaſſet: *Et quando acceptum beneficium referre ego potero?* reſponſum ab eo accepit: *Tunc cùm eris Papa.* Cujus rei memor, ubi Pontifex factus eſt, Aldebrandum evocatum primò Cubicularium Pontificium, deinde Archiepiſcopum Arelatenſem, ac tandem Toloſanum creavit, quam Eccleſiam rexit uſque ad annum 1363.

IV. *Solemniter coronatur.*

Sic igitur electus Petrus die decima nona ejuſdem menſis Maji in feſto Pentecoſtes in Eccleſia Fratrum Prædicatorum cum maxima ſolemnitate coronatus eſt, aſtantibus & ſervientibus ei, ut ſcribunt Auctores ſecundæ & tertiæ ejus Vitæ, Joanne Duce Normanniæ, Philippi VI Francorum Regis primogenito, & poſtea ſucceſſore, Jacobo Duce Borboni, Philippo Duce Burgundiæ, Imberto ſeu Humberto tunc Dalphino Viennenſi, & multis aliis tam Franciæ, quam Vaſconiæ, ac partium aliarum Comitibus, innumeriſque Baronibus; & eiſdem omnibus adextrantibus ſequenti die Lunæ ad palatium Apoſtolicum honorificè reductus eſt. Quem liberalem ſe in omnes, comem & perhumanum exhibuiſſe ſcribit Platina, adeo ut Auctor tertiæ Vitæ teſtetur, familiare illi fuiſſe Cæſarianum illud memorabile verbum, *Quempiam non decere de præſentia Principis non contentum abire.* Adeoque quantò Benedictus XII ejus deceſſor ob morum aſperitatem aulicis invíſus fuerat, tantò Clemens gratus ob innatam clementiam & humanitatem. Eundem diem 19 Maji ſuæ coronationi aſſignat ipſemet Clemens num. 2 à nobis laudatus.

V. *Legatos mittit pro pace inter Franciæ, & Angliæ Reges.*

Clemens Pontificià Tiarâ redimitus, ſtatim, ſcilicet die vigeſima prima Maji, per literas Encyclicas de more omnium Pontificum, de Benedicti obitu, ſuſceptiſque à ſe Eccleſiæ gubernaculis cunctos Principes & Antiſtites admonuit, univerſorumque fidelium preces pro impetranda ſibi a Deo recta Eccleſiæ adminiſtratione imploravit. Cumque vehementer optaret bellum inter Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges ſedare, miſit ad ipſos legationis officio fungentes Petrum de Pratis Preneſtinum, & Hannibaldum Tuſculanum Epiſcopos Cardinales, pro reformanda inter eos pace, ſed cum ad eam poſt multos labores pervenire non potuiſſent, eos inclinaverunt ad treugas, quas pro tunc inierunt ad quatuor annos ſecuturos, ut ait Auctor primæ Vitæ Clementis, vel, ut ait Auctor tertiæ, ad tres annos. Literæ Legationis datæ XI Kal. Julii anno primo, extant apud Raynaldum num. 9 & ſeqq.

VI. *Cardinales X creat.*

Eodem primo Pontificatûs anno, die vigeſima menſis Septembris, quæ concurrebat cum feria ſexta quatuor Temporum, Clemens Papa creationem fecit decem Cardinalium, inter quos fuerunt octo Presbyteri & duo Diaconi. Presbyteri Helias de Nabilianis Ordinis Minorum diœceſis Petragoricenſis, tunc Archiepiſcopus Nicoſienſis: Guido de Bolonia frater Comitis Bolonienſis, Archiepiſcopus Lugdunenſis: Aymericus de Caſtrolucii diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Carnotenſis, profundiſſimus Juris utriuſque Doctor: Andreas de Florentia Italus, tunc Epiſcopus

Tor-

Tornacenſis, Juris etiam utriuſque Doctor: Stephanus Alberti, diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Claromontenſis, qui Clementi VI ſucceſſit ſub Innocentii VI nomine: Hugo Rogerius, Monachus Sancti Benedicti, tunc electus Tutelenſis, ipſius Clementis Papæ frater germanus, qui poſt mortem Innocentii VI Pontificatum recuſavit, ut ſuo loco dicemus: Ademarus Roberti, diœceſis Lemovicenſis, tunc Sedis Apoſtolicæ Notarius, Juris utriuſque Doctor: & Geraldus de Guardia, Magiſter Generalis Ordinis Prædicatorum, conſanguineus ejuſdem Clementis Papæ. Diaconi verò, Bernardus de Turre de Arvernia, diœceſis Claromontenſis, tunc Subdiaconus Papæ: & Guillelmus Judicis Legum Doctor, diœceſis Lemovicenſis, ejuſdem Pontificis ex ſorore nepos. Hæc conſtant ex Auctoribus primæ, tertiæ, & quartæ Vitæ Clementis: ex quibus corrigendi Panvinius, & Ciaconius, eoſque ſecurus Oldoinus, qui undecimum ab eodem Pontifice creatum volunt Cardinalem, Petrum nempe Cyriacum tituli S. Chryſogoni Lemovicenſem, quod hauſerunt ex Vita Nicolai Laurentii, ſeu Renzii, Tribuni Urbis Romæ anno 1347 & ſeqq. quæ vita multa continet prorſus a veritate aliena, ut advertit Baluzius col. 838: Certum prætereà eſt, inquit, nullum ea tempeſtate fuiſſe Cardinalem tit. S. Chryſogoni; & Panvinius ſcribens Petrum Cyriaci Lemovicenſem, Epiſcopum Attrebatenſem, in hac prima creatione dictum eſſe Cardinalem, loquitur ſine dubio de Petro Bertrandi juniore, Epiſcopo Atrrebatenſi, qui in ſecunda creatione, dictus eſt Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Suſannæ, ut ſuo loco dicemus.

VII. *Romanorum nuncios ſuſcepit.* Romanos, audita Clementis electione, Nuncios ſuos ad eum ſtatim miſiſſe, ut ei obedientiam præſtarent, & de tribus potiſſimùm ſupplicarent, teſtatur Auctor tertiæ ejus Vitæ, qui aſſerit populum Romanum decem & octo cives ad Pontificem miſiſſe, ſex videlicet de quolibet Urbis ſtatu, majori, medio, & minori; per quos ipſi obtulerunt ut Petro Rogerio, non ut Clementi VI Summo Pontifici, totius regiminis Romani adminiſtrationem generalem, ad ejus dumtaxat vitam. Secundò, ejus acceſſum in Urbem, & denique Jubilæi celebrationem ad annum quinquageſimum depoſcerent. Idem confirmat ipſe Clemens Pontifex; extat enim inter ejus ſermones Reſponſio ab eo facta Romanorum Nunciis, in qua apud Baluzium col. 862 ſic eos alloquitur: *Vos Romani veniſtis & propoſuiſtis coram nobis & fratribus noſtris ſex pro parte omnium Romanorum. Primò veniſtis ad exhibendum reverentiam filialem, ſecundò, ad petendum veniam paternalem, tertiò, ad notificandum lætitiam univerſalem, quartò, ad poſtulandum noſtram præſentiam corporalem, quintò ad impetrandum indulgentiam plenam & ſalutarem, ſextò, ad offerendum totius Romani regiminis dominationem generalem.* Idem tertiæ Vitæ Auctor aſſerit Pontificem poſt duos menſes gratè reſpondiſſe, *Præterquam ad viſitationem Urbis, quam multis & coloratis rationibus prolongavit, vel veriùs denegavit. Urbis enim officia, quòd non præjudicaret eidem, conditionaliter acceptavit. Acceſſum ejus ad Urbem non poſſe tunc, licèt velle ſe aſſerens, ad tempus poſſibile reſervavit.* Unus porrò ex his Oratoribus erat Franciſcus Petrarcha, cujus egregium extat nomine Urbis & Eccleſiæ Romanæ carmen, ut ipſemet, ad Urbanum V ſcribens, teſtatur.

VIII. *Jubilæum ad annum quinquageſimum reducit.* Quod ſpectat ad reductionem Jubilæi ex anno centeſimo ad quinquageſimum, Clemens Pontifex tum rogatus à Romanis, tum conſiderans propter vitæ hominum brevitatem paucos ad annum centeſimum pervenire, quo Bonifacius VIII ſacrum Jubilæum conſtituerat, cupienſque quamplurimos hujus Indulgentiæ fieri participes, ut fidelium augeretur devotio, fides ſplenderet, ſpes vigeret, charitas vehementiùs incaleſceret, ut ipſe loquitur in ſua Conſtitutione, ad exemplum Jubilæi Moſaici, ad annũ quinquageſimum, quo numero tam in Veteri, quam novo Teſtamento multa myſteria comprehenduntur, fiebantque in Synagoga debitorum relaxationes, reducendum indixit, Conſtitutione, quam edidit *VI Kal. Februarii, anno primo* Pontificatus, ſeu die 27 Januarii anni 1343, quæ incipit: *Unigenitus Dei filius*, & extat inter Extravagantes communes, & apud Raynaldum anno 1349 num. 11. Cum autem Bonifacius VIII eam Indulgentiam conceſſiſſet viſitantibus ſolas Baſilicas Apoſtolorum Petri & Pauli, Clemens eadem Conſtitutione addidit Lateranenſem Eccleſiam, & poſtea Gregorius XI Eccleſiam S. Mariæ majoris, ut ſuo loco dicemus. Hanc gratiam conceſſiſſe Clementem ad preces Romanorum id enixè poſtulantium ipſemet aſſerit in Sermone mox laudato, in quo ait: *Quintò, veniſtis ad impetrandum Indulgentiam plenam & ſalutarem, videlicet, quòd annus Jubilæus, qui fuit ordinatus per Papam Bonifacium VIII Prædeceſſorem noſtrum, ſcilicet de centeſimo in centeſimum annum, fiat & ordinetur de quinquageſimo in quinquageſimum. Et nobis videtur quòd debeat exaudiri talis petitio.* Unde & in dicta Conſtitutione ait: *Nos autem attendentes, &c. & clamorem peculiaris populi noſtri, Romani videlicet, hoc humiliter ſupplicantis.* Fallitur itaque Boninſegnius pag. 282, ſcribens hanc Indulgentiam à Clemente miſſam eſſe occaſione peſtis

Digitized by Google

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

ſtis, quæ paulò antè afflixerat omnem Europam. Hac Conſtitutione edita Clemens *Ambaſſiatores* Romanorum *multipliciter munificus Dominus honoravit*, inquit tertiæ ejus Vitæ Auctor.

IX. *Bulla Clementis de Jubilæi inſtitutione ſuppoſititia.*

Petrus de Herentals Prior Floreffienſis in quinta Clementis VI Vita apud Baluzium, poſtquam dixit, annum Jubilæum fuiſſe ordinatum ab eo pro anno 1350, ait: *Prout in prologo dicti Jubilæi dictus Papa aſſerit, qui ſic incipit:* Ad memoriam. Deinde aſſerit eundem Papam dediſſe bullam Romanis de dicto Jubilæo, quæ ſic incipit: *Cùm natura humana*. Has duas bullas, ſeu potiùs prologum bullæ & ipſam bullam referre Albericum à Roſate in Dictionario Juris, verbo Jubil. aſſerit Stephanus Baluzius in Notis col. 915. Sed eam ab aliquo imperito impoſtore conſcriptam fuiſſe contendit. Quis enim ſanæ mentis homo, inquit, in animum inducere queat Virum gravem, doctum, dicendi peritum, prudentem ac limati judicii, qualem fuiſſe conſtat Clementem ſextum, tam averſo a muſis animo fuiſſe, tam inſulſum ac fatuum, ut compoſitionem diſſolutam, ridiculam, abnormem auderet, aut vellet publicè proponere? Proteſtantes, qui illam Bullam ut veram ac genuinam agnoſcunt, in eam invehuntur, præcipuè quod in ea legatur: *Nihilominus prorſus mandamus Angelis Paradiſi, quatenus animam illius* (qui abſolutus in via mortuus fuerit) *à purgatorio penitus abſolutam in Paradiſi gloriam introducant*. Verùm ex his ſolis verbis falſitatem ejus deprehendere poſſunt, quam & ipſemet Albericus à Roſate ait ignorare ſe an vera fuerit, & huc inclinat, ut credat eam non fuiſſe bullatam, nec confirmatam; eamque teſtatur non fuiſſe ſervatam Romæ anno 1350, *tempore prædictæ Indulgentiæ, ad quam fuit cum uxore & tribus filiis*. Sanctus Antoninus part. 3 tit. 10 cap. 3, § 6 expreſſiùs loquitur, eamque falſam diſertè pronunciat his verbis: *Et ne quis ſumat dubia pro certis, ſciendum, quòd in copia cujuſdam bullæ, quæ dicitur eſſe Clementis, multa narrantur, quæ non videntur eſſe de ſtylo curiæ, cùm ſint levia & exorbitantia ſatis. Unde licèt adſcribantur Clementi, non videtur veroſimile illius vel alterius Summi Pontificis fuiſſe, ſed fictitiè inventa*. Ceterum hæc clauſula: *Nihilominus prorſus mandamus Angelis*, non eſt in editione, quæ extat apud Albericum à Roſate, cùm tamen extet in aliis editionibus, & in MS. codice Bibliothecæ Colbertinæ: inde colligit Baluzius illam in aliquot exemplaribus fuiſſe, defuiſſe in aliis. Falſitas hujus bullæ colligi etiam poteſt ex die & anno, quibus data dicitur, cùm enim ex Auctoribus primæ, tertiæ, quartæ & ſextæ Vitæ Clementis conſtet, eum Conſtitutionem edidiſſe pro anni Jubilæi reductione anno primo ſui Pontificatus, quo re ipſâ edita eſt Conſtitutio *Unigenitus*; hæc tamen Bulla dicitur data apud Petrum de Herentals, *Avenione IV Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno tertio*, ſeu die 28 Junii anni 1344, cùm Conſtitutio *Unigenitus* dicatur data *VI Kal. Februarii anno primo*, ſeu die 27 Februarii anni 1343, *præſentibus Ambaxiatoribus Romanorum*, ut ſcribit ſextæ Vitæ Auctor.

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

X. *Clemens PP. duos Cardinales creat ad inſtantiam Reginæ Franciæ, & Collegii Cardinalium.*

Anno 1344 die vigeſima ſexta Februarii in jejuniis quatuor Temporum, ad preces Joannæ Burgundæ Reginæ Francorum, Petrum Bertrandi juniorem de Columbariis, diœceſis Viennenſis, nepotem alterius Petri Bertrandi ſenioris Cardinalis tit. S. Clementis, qui adhuc vivebat, tunc Epiſcopum Attrebatenſem in Presbyterum Cardinalem tit. S. Suſannæ aſſumpſit Pontifex, ut teſtantur Auctores, qui Vitas Paparum Avenionenſium ſcripſerunt. Eodemque, ad inſtantiam omnium Cardinalium, aſſumpſit in Diaconum Cardinalem tit. S. Mariæ in Via lata Nicolaum de Beſſia, ex Dalphina Rogeria ſorore nepotem. Hæc conſtant ex collatione, quam fecit poſtridie Pontifex, cujus hoc fuit thema: *Aſſumpſi mihi duas virgas*; in ea enim ait: *Teſte Deo, die Jovis tantùm eramus determinati ad tenendum ordines, ſicut de re, quæ non eſt nec eſſe poteſt. Sed multum tardè die Jovis de ſero venerunt literæ dilectæ filiæ noſtræ Reginæ Franciæ, quæ à principio noſtræ creationis nobis ſcripſit, quòd ſibi deberemus concedere unum Cardinalem*. Et infra: *Sed poſſet iterum quæri, quare magis aſſumpſiſtis iſtos, quàm alios? Reſpondetur. Et quantum ad Epiſcopum olim Attrebatenſem, primò, ex parte Reginæ Franciæ, quæ interceſſit ferventer, ſecundò, ex parte ſui avunculi, qui promeruit patenter, tertiò, ex parte noſtra, qui conceſſimus clementer, quartò, ex parte ſui, qui recipiet libenter. Primò, dico ex parte illuſtris Reginæ Franciæ, quæ interceſſit frequenter, & ſpecialiter ſe determinando ad iſtum Attrebatenſem Epiſcopum & per frequentes litteras, & per ſolemnes Ambaxatores, quia Dominus Ludovicus de Sabandia habuit ſuper hoc ſingularem Ambaxiatam, & Dominus Raynaudus de Molinis diu fuit in Curia ſuper iſto negotio*. De Nicolao verò de Beſſia hæc ait Pontifex in eadem collatione: *Nepos noſter eſt, filius ſororis noſtræ*. Et infra: *Incepimus eum nutrire, & fecimus eum venire Pariſios, & ibi fecimus eum ſtudere. Poſtea ſtuduit in Aurelianis, ubi modò legebat, quando fecimus eum venire ad Curiam*. De promotione autem ejus ſic ait: *Sed quid dices de iſto Lemovicenſi?* (ita eum nuncupat, quia paulò antè eum creave-

verat Epiſcopum Lemovicenſem, unde dicebatur Lemovicenſis Electus) nunquam enim conſecratus fuit): *Verè dicimus in verbo veritatis, quòd heri de mane, quando intravimus Conſiſtorium, tantùm cogitaveramus de ſua promotione, ſicut de re quæ non eſt. Sed ad petitionem totius Collegii, nullo de Collegio diſcordante, oportuit quòd ipſum aſſumeremus. Et fuerunt Cardinales qui dixerunt, quòd non conſentiebant in Atrebatenſem, niſi nos aſſumeremus iſtum Nicolaum. Et ideo eum aſſumpſimus.* Hanc promotionem factam eſſe in domibus Neapoleonis quondam Cardinalis Urſini teſtatur Auctor tertiæ Vitæ Clementis, id eſt apud Villanovam, in qua Neapoleonem palatium ædificaſſe teſtatur Scriptor Anonymus apud Raynaldum anno 1316 num. 21. Clementem autem VI in eo palatio habitare conſueviſſe teſtatur Auctor ſecundæ Vitæ Urbani V his verbis: *Moram traxit* (nempe Joannes Franciæ Rex) *apud Villanovam in domo, quam Dominus Clemens inhabitare conſuevit*. Hæc ad illuſtrationem Hiſtoriæ Cardinalium deſumpta ex Baluzio, apud quem plura de his duobus Cardinalibus.

XI. *Regibus Franciæ Eucharistiam ſub utraque ſpecie indulget.*

Eodem tertio ſui Pontificatus anno Clemens Pontifex Philippum Franciæ Regem, Joannam Reginam ejus uxorem, filiumque Joannem Normanniæ Ducem, ac poſtea ſucceſſorem, ea ſingulari prærogativa ornavit, ut quandocumque vellent, ſub utraque ſpecie ſacra myſteria ſuſciperent. Raynaldus ad annum 1344 num. 62 refert diploma Pontificium, hanc in rem Joanni primogenito Philippi Regis Franciæ, Duci Normanniæ conceſſum, *Datum Avin. 11 Kal. Julii anno III*, & laudat Epiſtolas 68 & 69 Tomi tertii Epiſtolarum ſecretarum, quibus idem privilegium eidem Philippo Regi & Joannæ Reginæ conceditur. Eâ tamen prærogativâ Reges Franciæ non utuntur, niſi in ſua inauguratione, & articulo mortis, ut id ſe poſſe ſignificent. Eodem ſacro beneficio auctam Bonam nurum Normanniæ Duciſſam, conſtare ſcribit idem Raynaldus ex Epiſtola 67 ejuſdem Tomi tertii.

XII. *Algeziram Mauris ereptam in Cathedralem erigit.*

Alphonſus Caſtellæ Rex Algeziram, prope Tariſſam, ad fretum Gaditanum nobiliſſimam urbem, ac firmiſſimum Maurorum Africæ propugnaculum, obſidere cœpit tertio nonas Auguſti anni 1342; eamque tandem poſt multos labores ac varias difficultates, Clementis Pontificis pecuniis adjutus deditione accepit die 26 menſis Martii anni 1344, qui concurrebat cum die Veneris ante Ramos Palmarum. Sequenti deditionis die, nempe ſabbato, templum maximum Mahometicæ ſuperſtitionis fuit in honorem Beatæ Virginis conſecratum; eodemque anno ad ſupplicationem ejuſdem Alphonſi Regis, in cathedralem Eccleſiam erectum eſt à Clemente Papa, ut conſtat ex diplomate erectionis, quod refertur à Raynaldo anno 1344 num. 52 dato *Avenione 14 Kal. Auguſti, anno III*, ex quo conſtat Algeziræ nomen tum mutatum eſſe Inſulæ Viridis. Ipſe Clemens in collatione facta in erectione Pragenſis Eccleſiæ in Metropolim & Algeziræ in Cathedralem, apud Baluzium col. 877, ait: *Et in memoriam tantæ victoriæ conceſſæ Chriſtianis per miniſterium clariſſimi filii noſtri Alphonſi Regis Caſtellæ illuſtris, Argizillam, quam diu obſeſſam tenuit, & Deo cooperante cepit, in civitatem erigere, ut amodo dicatur civitas ſacerdotalis & regia, civitas, inquit, David Regis, tam laborioſi Regis, tum bellicoſi Regis, tam glorioſi Regis, tam toti Chriſtianitati fructuoſi, ut loci illius qui prius erat habitatio omnium dæmonum, & in quo adorabatur ille perfidus Mahometus, nunc eliminata ab eo omni ſpurcitia, ſabbato ante Ramos Palmarum in craſtinum captionis ipſius fuit per Archiepiſcopum Toletanum & alios Prælatos aſſiſtentes in templum in honorem Beatæ Virginis conſecrata, & hodie per nos in cathedralem Eccleſiam erigitur.* Wallinghamus de ea creatione loquens ad annum 1343, ait eam Eccleſiam ſubjectam eſſe Eccleſiæ Metropolitanæ Hiſpalenſi: *Sub his diebus*, inquit, *Civitas de Algazira capta eſt per Regem Hiſpaniæ, qui eam per triennium per terram & per mare obſederat cum penè innumerabili populo Chriſtiano. Rex verò de Garnade, qui eam occupaverat cum Saracenis, devenit vaſallus Regis Hiſpaniæ, & eidem conſtituit cenſum annuum duodecim millium florenorum. Dominus Papa his auditis in dicta civitate ſedem ſtatuit Epiſcopalem, & Epiſcopum illius urbis ſubjecit tanquam ſuffraganeum Metropolitanæ Eccleſiæ Hiſpalenſi.* De hac civitatis Algeziræ erectione in cathedralem ad inſtantiam Regis Caſtellæ facta, loquitur etiam Auctor primæ Vitæ Clementis VI.

XIII. *Pragenſem Eccleſiam Metropolim ducit.*

Eodem tempore Clemens Pontifex, ad inſtantiam Joannis Bohemiæ Regis, & Caroli ejus filii, poſtea Imperatoris, Pragenſem Eccleſiam, Moguntinæ Eccleſiæ ſuffraganeam, in Metropolim erexit, eique ſubjecit Abbatiam Luthomuſſenſem Ordinis Præmonſtratenſis, quam Epiſcopalem conſtituit, & Olomucenſem Epiſcopatum, qui prius erat de Magdeburgenſi provincia, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ Clementis. Bulla, quâ Clemens pallium mittit Arneſto novo Archiepiſcopo, dicitur *data apud Villamnovam Avenionenſis diœceſis 8 Kal. Septembris anno III*, & extat apud Raynaldum num. 64. Albertus Argentinenſis pag. 135 ſcribit, hanc Pragenſis Eccleſiæ erectionem in Metropolim factam eſ-

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

eſſe *ſine ſcitu* Joannis Bohemiæ Regis à Carolo Imperatore ejus filio in odium Henrici Archiepiſcopi Moguntinenſis: ſed in hoc deceptus eſt; nam Pontifex in collatione facta in erectione civitatis Pragenſis in Metropolim, & Luthomuſsæ & Algeziræ in civitates Epiſcopales ita loquitur: *Tertium quod nos movet, eſt devota & humilis ſupplicatio ad literarum Regum Caſtella pro Argiſilla & Bohemiæ præ aliis duobus. Et certè non parum adjecit maxima devotio Karoli filii primogeniti dicti Regis Bohemiæ, cujus devotionis ſpiritum non debuimus extinguere, qui etiam de ſuo proprio valde largè dare vult pro ampliori dote illius Eccleſiæ.* Non ſolùm autem Pragenſem Eccleſiam exemit Clemens ab omni ſubjectione Eccleſiæ Moguntinæ, ſed etiam jus coronandi Reges Bohemiæ, quod hactenus ad Moguntinum Archiepiſcopum pertinuerat, contulit Archiepiſcopo Pragenſi, diplomate, quod Serarius lib. 5 rerum Moguntinarum in Henrico 3, in Bibliotheca Francofurdiana aſſervari ait. Anno poſtea 1347 diplomate dato *Avin. 7 Kal. Februarii anno* 5 Pontificatûs, in gratiam Caroli Bohemi, tunc Germaniæ Regis electi, Pragenſem Academiam inſtituit, atque Archiepiſcopo conferendæ Doctoratus lauræ jus contulit. Extat diploma apud Raynaldum eo anno num. 11. Fallitur itaque Middendorpius, eam Pragenſis Academiæ inſtitutionem tribuens Innocentio VI in Commentario ſuo de Academiis, quem ſequitur Andreas Victorellus in Additionibus ad Vitam ejuſdem Innocentii à Ciaconio ſcriptam.

XIV. *Ludovicum de Hiſpania Fortunatarum Inſularum Regem conſtituit.*

Tertiæ Vitæ Clementis Auctor loquens de ejus geſtis anno 1344 ait: *Clemens hic Pontifex in anno Domini* 1344, *Pontificatus verò ejus anno tertio, generoſum virum Dominum Ludovicum de Hiſpania Inſularum Fortunatarum de novo Principem ſtatuit.* Extat apud Raynaldum num. 39 diploma Pontificis *datum Avin.* 17 *Kal. Decembris anno III*: quo conſtat Clementem ipſi manu propria ſceptrum aureum dediſſe, & coronam auream impoſuiſse capiti, ipſum Fortuniæ Principem nominari voluiſse, impoſito ei cenſu quadringentorum florenorum auri, ſingulis annis Eccleſiæ Romanæ perſolvendo. Sitæ ſunt illæ Inſulæ in mari Oceano inter meridiem & occidentem, ſuntque numero undecim, quarum ultima Galeta vulgariter nuncupata, eſt in mari mediterraneo; omneſque prædictæ Inſulæ à Chriſti fide & Chriſtianorum dominio erant tunc prorſus alienæ: quæ omnia conſtant ex dicto diplomate. Earum prima & maxima vocatur Canaria, à multitudine canum ingentis magnitudinis. Petrarcha, qui tunc Avenione erat, de Vita ſolitaria lib. 2, ſect. 6, cap. 3, ſcribit, eo die quo Ludovicus coronâ ac ſceptro per urbem Avenionenſem ſpectandus incedebat, repentè tantum cœlo imbrem effluxiſſe, ipſumque ita madidum domum rediiſſe, ut omen eſſet incubuiſſe illi verè pluvialis & aquoſæ patriæ principatum. Conceſſit porrò illas Inſulas Pontifex Regis nomine ea lege, ut barbaris legibus Chriſtianæ religionis lumen inferendum curaret: id autem fecit in Conſiſtorio, ſumpto themate, *Faciam Principem ſuper gentem magnam*, ut ſcribit Walſinghamus in Eduardo 3, ubi & ait illarum inſularum incolas nec fuiſſe Chriſtianos, nec de ſecta Mahometis; & Petrarcha laudatus tradit, gentem illarum inſularum præ cunctis ferè mortalibus ſolitudine gaudere, moribus tamen incultam, adeoque non abſimilem belluis; ut naturæ magis inſtinctu, quàm electione ſic agentem, non tam ſolitariè vivere, quàm in ſolitudinibus errare ſeu cum feris, ſeu cum gregibus ſuis dicas: denique multa de illis inſulis ſcribi & ferri, propter quæ non plenè Fortunatarum cognomini terrarum fortuna conveniat. Ludovicus tamen Fortuniæ Princeps ſeu Rex, quamvis claſſem comparaverit, nunquam tamen ad eas Inſulas trajecit, prohibitus Creſſiaca clade, ab Anglis poſt biennium Philippo Francorum Regi illata, cui Ludovicus maximè acceptus & charus erat. Quare Auctor quartæ Vitæ Clementis rectè ſcribit: *Hic etiam Dominum Eloiſum* (ſeu Ludovicum) *fecerat atque coronaverant de regno inſularum deperditarum, ſed poſſeſſionem nunquam habuit.* Quo tempore eæ Inſulæ à Chriſtianis occupatæ ſint ſæculo ſequenti, legi poteſt in Hiſtoria à Petro Bonterio Franciſcano, & Joanne Verriero Preſbytero deſcripta linguâ Gallicâ, & in publicum edita cum Notis ac Commentariis utilibus ad ejus confirmationem, ac terrarum hactenus incognitarum per Gallorum aliorumque navigationes detectarum elucidationem.

XV. *Ludovici de Hiſpania clarum genus.*

Walſinghamus laudatus ſcribit, Ludovicum de Hiſpania fuiſſe tunc unum *de Ambaſſiatoribus Regis Franciæ*, & aliunde conſtat eum fuiſſe Comitem Claromontanum; quare clarum ejus genus explicandum: Petrarcha enim loco citato ait, Clementem Fortunatis Inſulis Principem dediſſe Hiſpanorum & Gallorum Regum mixto ſanguine generoſum. Anno 1269, Blancha, filia S. Ludovici Francorum Regis, nupſit Ferdinando cognomento de Cerda, majori filio Alphonſi X, Caſtellæ Regis eâ lege, ut liberi, qui ex hujuſmodi nuptiis procrearentur, etiam ſi Ferdinandus eorum parens ante obitum patris ſui moreretur, ſuccederent in regno Caſtellæ poſt obitum Alphonſi avi, excluſis aliis filiis Ferdinandi fratribus minoribus: iiſdemque pactis cautum, ut Ludovicus Rex ſanctus ſuo & filiorum nomine ju-

re

Digitized by Google

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

re decederet, quod in Caſtellæ regnum obtinebat ex parte matris ſuæ Biancæ. Ferdinandus Cerda anno 1275, ante Alphonſum patrem obiit, relictis duobus filiis, Alphonſo nempe & Ferdinando, quorum prior ex pactis conventis Alphonſo avo ſuccedere debebat, ſed Sanctius, ejuſdem Alphonſi X filius ſecundo genitus, quaſi Alphonſum patrem ſuperſtitem proximo cognationis gradu attingeret, regnum invaſit, excluſis à jure ſucceſſionis Alphonſo & Ferdinando nepotibus: quo factum ut Alphonſus, Exhæres vulgò nuncuparus, in Galliam perrexerit, ubi uxore ducta duos ſuſcepit filios, quorum natu minor Carolus fuit Conneſtabilis Franciæ, & major natu Ludovicus anno 1344 factus eſt Princeps Inſularum Fortunatarum. Ex quibus conſtat, violatâ à Caſtellanis primâ conditione pactorum matrimonii Blancæ S. Ludovici filiæ, ſecundam, qua idem ſanctus Rex in gratiam nepotum ex filia juri ceſſerat, quod in Caſtellæ regnum obtinebat, ſubſiſtere non debuiſſe, ideoque etiam hoc capite priſtinum hæreditariæ ſucceſſionis jus remanſiſſe denuò penès ſancti Ludovici poſteros. Quæ ex Spondano excerpra, qui addit, Ludovicum filium reliquiſſe nomine Joannem, per quem propagata dicitur illuſtris familia Cerdarum in Caſtella.

XVI. *Clement PP. Delphinum Vienn. creat Ducem exercitus Crucesignatorum.*

Crebræ & atroces Turcarum excurſiones Chriſtianos impulerunt ad transferendum in Aſiam bellum. Quare Clemens Pontifex adversùs Infideles claſſicum cecinit, propoſitis indulgentiarum præmiis, ut Chriſtianam juventutem ad piam militiam, accepto Crucis ſymbolo, profitendam accenderet. Ad comparandam verò claſſem Regem Cypri, Rhodios equites, Venetos ac Genuenſes fœdere conjunxit, ut triremes certo numero inſtruerent: Cùmque conflata eſſet claſſis validiſſima, Præfectus illi eſt Henricus Patriarcha Conſtantinopolitanus, Apoſtolicæ Sedis Legatus. Verùm cùm hic ſolemniter celebraret in campeſtri quadam Eccleſia pro reddendis gratiis de expugnatione Smyrnenſis civitatis per Crucesignatos, ab Infidelibus cæſus eſt cum multis aliis Chriſtianorum Ducibus: quare Pontifex promulgata rurſum in Turcas ſacra expeditione, exercitui præfecit Humbertum Delphinum Viennenſem, hoc jam diu cum inſtantia poſtulantem, quem propriis manibus Cruce ſignavit, eidem S. R. E. vexillum contulit diplomate, dato apud Villamnovam Avenionenſis diœceſis VIII Kal. Junii, anno IV Pontificatus, idemque anno 1345. Extat illud diploma apud Raynaldum ad eum annum num. 6.

XVII. *Hum. Patriarcham Alexandrinum conſecrat.*

Humbertus, factus Vexillifer & Capitaneus contra hoſtes Fidei, è portu Maſſilienſi ſolvit circa medium menſis Auguſti ejuſdem anni, ut dicto diplomate injunxerat Pontifex. Sub ejus auſpiciis incenſæ ſunt Turcarum naves, ſed nihil præterea memorabile ab eo geſtum. Quare Mariâ de Baucio ejus uxore in ea expeditione cum eo exiliente mortuâ, petiit à Pontifice diſpenſationem voti, quo ſe obſtrinxerat per triennium pugnandi contra Infideles, eâque obtentâ, ut conſtat ex bulla, quæ extat in Archivis Curiæ Computorum Delphinatus, in Regiſtro ſignato DD, ex ea expeditione rediit, ac regularem vitam profeſſus, Prædicatorum Ordinem Lugduni ingreſſus eſt: ac poſtea, cùm ibi diu non ſtetiſſet, ut ſcribit Continuator Nangii Tomo XI Spicilegii Dacheriani pag. 898, creatus Patriarcha Alexandrinus & Adminiſtrator perpetuus Eccleſiæ Rhemenſis, & nocte nativitatis Domini *ad omnes ſacros ordines uno contextu* ordinatus, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ Clementis, ſervatis tamen aliquo modo interſtitiis, quia, ut ait Henricus Rebdorfius in Annalibus ad annum 1351, in prima Miſſa galli cantûs ad Subdiaconatum, in ſecunda Miſſa ortûs diei ad Diaconatum, in ſumma Miſſa ad Presbyteratum promotus eſt, eodemque die Miſſam celebravit, & poſt octo dies fuit ab eodem Pontifice Epiſcopus conſecratus. Fallitur tamen Rebdorfius ſcribens, eum factum eſſe Patriarcham Antiochenum, omnes enim alii disertè ſcribunt Alexandrinum. Deceſſit autem Humbertus in Alvernia apud Claromontem die vigeſima ſecunda menſis Maji anni 1355, Corpuſque ejus delatum eſt Pariſios ad Eccleſiam Dominicanorum, in qua ejus ſepulchrum extat. Hic eſt ille Humbertus Delphinus, qui cùm liberos non haberet, Philippo VI Valeſio Francorum Regi ditionem ſuam vili pretio quadraginta millium aureorum, & annua penſione, dum viveret, decem millium florenorum, ac retentione certorum Caſtrorum ad vitam, & conſervatione privilegiorum ſubditorum, vendidit ea conditione ut Regis filius, aut nepotum aliquis, cui Rex eam Provinciam attribuiſſet, Delphini titulum atque inſignia retineret.

XVIII. *Pontifex irridetur à Ludovico Bavaro.*

Clemens Pontifex anno 1343, primo ſui Pontificatus Idibus Aprilis, ut ſcribit Auctor ſextæ ejus Vitæ, in Ludovicum Bavarum contumacem invectus, publicè coram ingenti populi multitudine omnes Joannis XXII proceſſus & cenſuras in eum latas innovavit, omnique honore & dignitate privatum declaravit: ac Trevirenſi Archiepiſcopo, aliiſque Electoribus mandavit, ut ſe ad alium Imperatorem deſignandum diſponerent. Henricum autem Archiepiſcopum Moguntinum, qui ab Apoſtolica Sede plena auctoritate contra Cleri Moguntini interceſſionem, ut ait Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 1328,

in eam ſedem fuerat introductus, Ludovico Bavaro impensè faventem anathemate damnavit, eique ad dicendam cauſam diem dixit. Ludovicus cupiens reconciliari, Legatos ad Pontificem miſit, à quo hæ ſunt propoſitæ conditiones: Ut confiteretur omnes hæreſes & errores, de quibus accuſabatur; reſignaret Imperium non reſumendum niſi ex gratia Pontificis, ſeque ac filios ſuos, bona, & univerſum Statum ſuum in manum & voluntatem Pontificis reponeret; aliaque multa de ſtatu Imperii inſolita faceret. Non ſolùm Legati, ſed & ipſe Ludovicus has conditiones acceptarunt, in contumeliam & deriſum Pontificis, nam ſtatim ad Electores, ceteroſque Imperii ac civitates eas tranſmiſit; cùmque accepiſſet ferè omnes indignationi inde commotos, conventum menſe Septembris anni 1344 Françofordiæ habuit. Quo cùm ipſe præ ſe ferret paratum ſe eſſe Pontifici obtemperare, ſi ipſis ita videretur, de plerorumque conſilio decretum eſt, prædictas conditiones nequaquam accipiendas eſſe, utpote in perniciem & deſtructionem Imperii, & contra juramentum tam ab ipſis, quam à Ludovico Imperatore præſtitum, conceptas: mittendoſque ad Pontificem & Collegium Cardinalium Legatos, rogatum ut ab iis deſiſterent: Si verò nollent, alium conventum celebratum iri in Renz ſuper Rhenum diœceſis Trevirenſis, ad deliberandum cum ipſo Ludovico quid porrò agendum, & qualiter hujuſmodi conatibus reſiſtendum eſſet.

XIX. *Eum deponit.* Miſſi ad Pontificem Legati rem retuléte, qui intelligens hæc in ſui deriſum & contumeliam geſta eſſe, anno 1345, menſe Aprili diras Eccleſiaſticas in Ludovicum denuò promulgavit; & ne diutiùs Imperium legitimo Imperatore deſtitueretur, Electores commonuit in unum quantociùs convenire ad aliquem eligendum, qui probitate, religione, atque juſtitia emineret. Sed cùm hæc nihil proficerent, tandem anno 1346, in die Cœnæ Domini, ſeu die decima tertia Aprilis, omnes prolatas eatenus in eum ſententias innovando & confirmando, ultimò diro anathemate feriit, ipſum hæreticum declaravit, omni dignitate privavit, ac fidelitatis ſacramento omnes qui ſe ei aſtrinxerant abſolvit. Indeque per Legatos & literas Electores Imperii monuit, ut tandem aliquando alium in ejus locum eligerent: quod niſi intra præſcriptum tempus egiſſent, ſe ac Sedem Apoſtolicam, à qua jus eligendi ad ipſos pervenerat, proviſurum. Sententia contra eum lata refertur à Raynaldo ad annum 1346, diciturque data *Idibus Aprilis anno 4*; literæ verò Clementis ad Electores, ibidem relatæ, datæ ſunt *IV Kal. Maji anno IV*. Albertus Argentinenſis invehitur in Pontificem ut crudelem, quòd Ludovicum hæreticum declaraverit; poſtea tamen pag. 134 ſcribit: *Anno Domini 1346 in Cœna Domini Clemens Papa contra Ludovicum Principem crudeliſſimum faciens ſermonem, contra ipſum duriſſimè procedens, & eos proceſſus Papæ Joannis innovans, ipſum hæreticum & ſchiſmaticum declaravit, in proceſſu pœnas juris hæreticorum & omnes maledictiones antiquas inferendo: in quo etiam monuit Principes Electores, ut Regem eligerent idoneum in Imperatorem promovendum infra certum tempus expreſſum, ne Eccleſia diu Advocato careat, alioquin circa hoc Sedes Apoſtolica cogitaret.* Extat ille ſermo in codice ſermonum ejuſdem Clementis, in quo poſtquam probavit hæreticum poſt unam & ſecundam correptionem devitandum, ait Ludovicum de duplici hæreſi fuiſſe condemnatum: *Primò, quia hæreſim condemnatam per Dominum Joannem de paupertate Chriſti & Apoſtolorum in decretali*, Cùm inter nonnullos, *de tanta maturitate & cum tanto conſilio, quia non ſolùm Cardinalium, ſed etiam Magiſtrorum in Theologia & etiam in jure canonico & civili digeſta, ſe tenere affirmavit, & ſe tenere, & dictam hæreſim juravit, ſicut apparet in ſua magna appellatione, quam habemus ſigillatam ſigillo ſuo magno. Secundò, fuit condemnatus de hæreſi, quam ille Marcilius de Padua & Jo. de Janduno invenerunt, ſcilicet quòd ad Imperatorem pertinet deponere Papam, conſtituere, quod ipſe de facto fecit.* De prædicta Decretali & de Marſilio de Padua ac Joanne de Janduno vide dicta in Vita Joannis XXII num. 42, & 51.

XX. *Carolum Bohemum Regem Rom. eligi curat.* Aderant tunc in Curia Joannes Bohemiæ Rex, Henrici VII quondam Imperatoris filius, & Carolus Moraviæ Dux ejuſdem Joannis filius, qui ad Imperium aſpirans tractavit cum Pontifice, ut ad illud veheretur. Promiſit Carolus, ſi eligeretur, reſciſſurum ſe omnia ab Henrico avo Imperatore contra Robertum Siciliæ quondam Regem, Florentinos ac Romanos decreta; omnes diſcordias inter Imperium & Regem Galliarum vertentes arbitrio Pontificis permiſſurum; auxilia ipſi Pontifici & Eccleſiæ adversùs Ludovicum Bavarum allaturum; omnia à quibuſcumque Imperatoribus olim Eccleſiæ Romanæ ac Sedi Apoſtolicæ donata & conceſſa confirmaturum; proceſſus contra quoſcumque ab eodem Ludovico factos irritaturum, dominia Sedis Apoſtolicæ intra & extra Italiam non invaſurum, ſed defenſurum & recuperaturum; Urbem Romam ante diem præfixum ad diadema recipiendum non intraturum, & ex ea abiturum eadem die, qua coronam acceperit; non adminiſtraturum Italiam niſi poſtquàm in Imperatorem confirmatus fuerit; ac denique omnia illa ſa-

facturum & præſtiturum quæ recèns electi Romanorum Reges Apoſtolicæ Sedi facere & præſtare tenentur; deditque de iis diploma Avenione die vigeſima ſecunda Aprilis ejuſdem anni 1346. Quæ prædicta omnia juravit in publico Conſiſtorio; quòd refert Raynaldus eodem anno num. 19, & ſeqq. Quæ omnia Joannes Bohemiæ Rex Caroli pater juravit ſe curaturum, ut Carolus omnia & ſingula promiſſa & jurata, plenè, realiter & inviolabiliter compleat. His Pontifex fretus eundem Carolum Walramo Colonienſi, & Balduino Trevirenſi Archiepiſcopis, necnon Rodulpho Saxoniæ Duci, aliiſque Electoribus commendavit, literis datis IV Kalendas Maji, in quibus ait apud Raynaldum num. 30: *Cùm multum Reip. utilitati conveniat, quòd Vir ſtrenuus, devotus, & catholicus, & fidelis, cui Nos & Eccleſia Rom. tanquam ſpeciali Advocato & defenſori ejuſdem Eccleſiæ debeamus favores & gratias impertiri, ad tanti culminis faſtigium aſſumatur; & inter ceteros Principes & Magnates earum partium dilectum filium nobilem Virum Carolum primogenitum chariſſimi in Chriſto filii noſtri Joannis Regis Bohemiæ illuſtris Marchionem Moraviæ, attentis multis virtutibus, quibus ipſum decoravit Altiſſimus, ad hoc aptum & idoneum exiſtimamus; acceptum Deo & expediens utilitati publicæ crederemus, ac Nobis & Apoſtolicæ Sedi admodum proculdubio gratum eſſet, ſi præfatus Marchio in Regem promovendum in Imperatorem Romanorum poſtmodum aſſumatur. Quapropter Fraternitatem tuam plenis affectibus deprecamur, quatenus ad electionem de ipſo Marchione celebrandam, operoſis affectibus & effectibus intendere ſtudeas diligenter, ſciturus, quòd ex hoc præter mercedem perennis præmii, quod inde mereberis, noſtram & ejuſdem Sedis gratiam tibi pleniùs & uberiùs vendicabis.* Conceptæ ſunt iiſdem penè verbis literæ ad Comitem Palatinum Rheni; ſed quia Epiſcopus Trevirenſis anathemate, qua de cauſa non exprimit Pontifex, devinctus erat, Clemens Acconenſem Epiſcopum miſit, qui eum à cenſuris abſolveret, & ipſi Balduino commiſit, reliquos Coelectores ab iis, quas per communicationem cum Ludovico Bavaro incurrerant, pariter abſolveret.

XXI. *Ejus electionem confirmat.* His acceptis literis, Walramus Colonienſis, Gerlacus Moguntinus in locum Henrici, à Pontifice, ut ſuperiùs diximus, depoſiti, ſubſtitutus, unà cum Balduino Archiepiſcopo Trevirenſi, Rudolpho Duce Saxoniæ & Joanne Rege, Bohemiæ convenientes in villa Rentz diœceſis Trevirenſis, quæ ſupra Conſtantiam ad Rhenum ſita eſt, & Imperium diu vacaſſe decernentes, prædictum Carolum Marchionem Moraviæ, annum emenſum trigeſimum, utpore natum, ut ipſe teſtatur in Vita ſua, pridie idus Maji anni 1316, in Regem Romanorum ejus nominis quartum, circa feſtum B. Margaritæ, ſeu circa diem 20 Julii elegerunt, aliis duobus Electoribus vel adeſſe nolentibus, vel fortè non vocatis, quòd Ludovico Bavaro adhærerent. Ideo porrò electio facta eſt apud Villam Rentz, quia Francofordia, ubi electio celebrari conſueverat, Ludovico Bavaro adhærebat, ut ait Auctor ſextæ Vitæ Clementis. Statim verò ac electus eſt Carolus, Legatos Avenionem miſit ad Clementem Pontificem, qui ex formula præſcripta, nomine ejus ſacramenta præſtarent, & jura omnia Eccleſiæ confirmarent, & quantum opus foret, innovarent: quæ illos ultima die Julii præſtitiſſe, ſcribit Spondanus conſtare ex Actis extantibus in Regiſtro Clementis, qui Iſembardum Protonotarium Apoſtolicum ad Carolum miſit, qui ab ejus ore & manu eorum omnium confirmationem acciperet. Ac poſt hæc peracta, idem Carolus alios Procuratores ultima die Septembris ad Sedem Apoſtolicam ire juſſit, qui ejus nomine eadem omnia, quæ coram Iſembardo pollicitus fuerat, confirmarent & ſignarent. Quæ cùm ipſi præſtitiſſent, tunc demùm Clemens octavo Idus Novembris, Pontificatûs anno quinto, hoc eſt eodem anno 1346, Decretum confirmationis electionis Caroli dedit, quod integrum extat apud Bzovium num. 9, & apud Raynaldum num. 34. Extat præterea in codice Sermonum Clementis collatio facta per eum eodem die quo electionem confirmavit, in cujus calce iſta leguntur: *De Fratrum noſtrorum conſilio dictum Karolum in ſpecialem noſtrum & Eccleſiæ filium ſuſcipimus, et noſtros favorem & gratiam concedentes, ipſiuſque perſonâ idoneâ reputatâ, eundem nominamus, denunciamus, aſſumimus, & declaramus ad ſuſcipiendam Imperialis celſitudinis dignitatem, ac decernentes unctionem, conſecrationem & coronationem Imperialem per manus noſtras ſibi opportuno loco & tempore impendendas; ſupplentes nihilominus omnem defectum, ſi quis aut ratione formæ, aut ratione perſonæ ſuæ, aut perſonarum Electorum ſuorum, ſeu ex quavis alia ratione, ſive cauſa hujuſmodi in electione intervenerit quovis modo, ex certa ſcientia & de Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis; præcipientes etiam omnibus fidelibus & Vaſſallis, ut ſibi ſicut Regi Romanorum in Imperatorem promovendo pareant efficaciter & intendant.* Quæ eadem verba etiam leguntur in Decreto Confirmationis. Poſt hæc Carolus Bonnam divertit, & ibi ab Archiepiſcopo Colonienſi Regia inſignia accepit die S. Catharinæ vigeſimo quinto Novembris, ut Villanius lib. 12 cap. 37, Rebdorſius in Annal. & Argentinenſis in Chronico habent: Aquiſgra-

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

granum enim proficiſci non potuit, ut ibi de more diadema regium obtineret, eò quòd Aquenſes Ludovico adhærerent, ideoque Bonnam in Archiepiſcopatu Colonienſi ſitam acceſſit; nam, ut docet Innocentius IV in cap. *Venerabilem* de elect. ſi Imperator coronam in loco debito recipere non poſſit, nihilominus auctoritatem miniſtrandi ab Archiepiſcopo Colonienſi poteſt recipere. Ludovicus porrò Bavarus obiit anno ſequenti 1347 quinto Idus Octobris.

XXII. *S. Ivonem Advocatum pauperum canonizat.*

Eodem anno 1347 ſolemni ritu à Clemente Papa Sanctorum Catalogo inſcriptus eſt Ivo Hallory Presbyter Britannus, dudum Advocatus pauperum, tam in vita, quàm in morte multis & magnis miraculis coruſcans: inter quæ ejus vitæ Auctor apud Surium & apud Bollandianos die 19 Maji illud recenſet, quòd cùm tractaretur de ejus Canonizatione, Petrus Judicis Clementis Papæ nepos, tunc Archiepiſcopus Narbonenſis, poſtea Rotomagenſis, ac tandem Cardinalis à Gregorio XI dictus, è graviſſimo morbo ejus ad Deum precibus liberatus fuerit: *Gravi tum morbo*, inquit, *affectus erat nepos ejus Pontificis, idemque Archiepiſcopus Narbonenſis, ſpemque vitæ ejus Medici & periti homines abjecerant. Sed cùm illius amici, Dei & Beati Ivonis opem imploraſſent, certumque votum Beato Ivoni nuncupaſſent, ſtatim illi reſtaurata ſalus eſt.* De anno Canonizationis conveniunt quatuor Vitæ Clementis Scriptores, ſed de die diſcrepant; unus enim ex illis huic ſolemnitati aſſignat diem 26 Maji, alter diem decimum ſextum ejuſdem menſis; Laurentius verò Surius diem 19 Maji, quo die obiit & colitur: ſed ex literis, quas Clemens ſcripſit Philippo Francorum Regi, qui plus omnibus pro Ivonis gloria laboravit, quæ datæ ſunt die 2 Kal. Julii, ut legitur apud Waddingum, non verò XI Kal. Junii, ut apud Raynaldum, conſtat eam ſolemnitatem peractam die decima ſexta menſis Junii: *In nomine Domini procedentes*, inquit, *die ſexta decima præſentis menſis Junii examinatione diutina, prolixa.... præcedente, præfatum ſanctum....... de conſilio Fratrum noſtrorum canonizavimus, & ſanctorum catalogo adſcribendum curavimus.* Ivo Minoris Britanniæ diœceſis Tracoricenſis Presbyter & Confeſſor, nobilibus parentibus ortus inſignis Juriſconſultus fuit, vulgò dictus *Advocatus pupillorum, viduarum, & pauperum*, ob eximiam eorum curam habitam tam in judicando, quàm in defendendo, ac ſubveniendo. Eum mortuum die 19 Maji anni 1303 aſſerit ipſemet Clemens in collatione, quam habuit eod. die, quo ipſum canonizavit. Vitam ejus ſcripſerût Surius, & Petrus à Natalibus, & Petrus de la Haye Juriſconſultus eandem copioſiùs edidit idiomate Gallico, extractam ex vetuſto codice MS. latino, & ex antiquis monumentis, ex proceſſu ante Canonizationem efformato, atque ex relatione vitæ & miraculorum ejus à tribus Cardinalibus in Conſiſtorio facta compactam. Plura etiam de eo apud Waddingum ad annum 1303 legi poſſunt, fuit enim Ivo tertii Ordinis S. Franciſci, ut in Actis Canonizationis commemoratur apertè.

XXIII. *Joannam Siciliæ Reginam inſontem declarat necis Andreæ viri ſui.*

Cùm Robertus Siciliæ Rex obiiſſet anno 1343, ei in regnum & in Comitatum Provinciæ ſucceſſit Joanna ejuſdem Robertiex filio Neptis, quæ nupta erat Andreæ Caroberti Hungariæ Regis filio ſecundo genito, qui anno 1345 Averſæ decimo quinto Kalendas Octobris infelici exitu vitam terminavit; nocte enim ejuſdem diei à quibuſdam conjuratis ſtrangulatus eſt. Joanna ut crimen occiſi mariti à ſe amoliretur, ſummo mane Neapolim revertens, coram univerſis regni Proceribus & per literas imprimis Clementi Pontifici & Ludovico Hungariæ Regi, prædicti Andreæ fratri, deinde reliquis Principibus Chriſtianis innocentiam ſuam perſuadere contendit. Clemens autem Pontifex, ne Regnum Siciliæ ob inteſtina diſſidia periclitaretur, Aymericum de Caſtrolucii Cardinalem, Vicarium in temporalibus ibi eſſe voluit, quoad conſtaret an Joanna Regina nocens, innocenſve parricidii eſſet; anathemate interea in parricidas, auctores, adminiſtros & quoſcumque conſcios ſtrinxit, dignitatibus & honoribus privavit, eorumque bona publicavit, Comitem Novellum Balzium rei inquiſitioni præficiens. Joanna quò aculeis carnis mederetur, & virum haberet, cujus operâ Regnum à quibuslibet hoſtibus, & maximè Ludovico Hungariæ Rege fratre Andreæ prioris ſui ſui Joannæ viri, qui præmiſſis minacibus literis in procinctu erat expeditionis Italicæ ad vindictam de fratris nece ſumendam, tutari poſſet, anno 1347 nupſit Ludovico filio ſecundo genito Philippi Principis Tarentini, fratris Roberti Regis Joannæ avi, prahabita diſpenſatione à Clemente Pontifice ſuper impedimentis hujuſmodi matrimonii, cùmque ſub finem ejuſdem anni jam pars regni à copiis Ludovici Hungariæ Regis occupata eſſet, ipſeque prope adeſſet cum potenti exercitu, Joanna ejus viribus ſe imparem ſentiens, ineunte anno 1348 cum tribus ſolis triremibus è Provincia accitis, Avenionem, quò jam & ejus vir Ludovicus Tarentinus appulerat, die decima quinta Martii ſolemni pompa univerſis obviantibus Cardinalibus, ſub umbella ingreſſa eſt; & à Clemente Papa benignè excepta, atque in publico conſiſtorio audita, tantâ facundiâ, præſentibus etiam in Civitate Oratoribus Regis Hungariæ, cauſam ſuam peroravit, ut omnibus ritè perpenſis inſons

exi-

Digitized by Google

exiſtimata fuerit necis viri ſui Andreæ. Quare & Papa ejuſdem matrimonium cum Ludovico confirmavit. Hæc conſtant ex Auctoribus Vitæ Clementis, Joanne Villanio, & aliis.

XXIV. *Ab ea Avenionem emit.*

Inter hæc Ludovicus Hungariæ Rex, captâ Averſâ, Carolum Ducem Dyrrachinum, quòd in Andreæ fratris mortem conſenſiſſet, eodem in loco cædi jubet & inſepultum abjici. Inde Neapolim armatus ingreditur & ſpirans cædes; qua urbe ordinata, fugit ob peſtem, & recedit ad ſua contemptus à Neapolitanis, quibus plus terroris intulerat, quàm damni. Proceres itaque Neapolitani ſibi jam viſi erepti de manibus barbarorum, continuò Joannam Reginam, ejuſque Virum Ludovicum de reditu ſollicitarunt. Quare Joanna, deficiente pecunia, vendidit Clementi Pontifici & Eccleſiæ Romanæ civitatem ſuam Avenionenſem cum omnibus ejus juribus, pretio octoginta millium florenorum auri de Florentia; contractum approbante Ludovico ipſius viro, tum adhuc titulum Comitis Provinciæ gerente. Cujus extat inſtrumentum publicum confectum Avenione die nona Junii anni milleſimi trecenteſimi quadrageſimi octavi, quod integrum legitur in Hiſtoria Epiſcoporum Avenionenſium Franciſci Noguieri, & in Annalibus Bzovii: ex quo conſtat nugari eos, qui alio pretio minori aut majori rem tranſactam, vel etiam donationem à Joanna factam, vel denique venditionem ſimulatam ſcripſerunt. Sanè primus, tertius & quartus Auctores Vitæ Clementis apud Baluzium, & plura alia Chronica omninò volunt civitatem magno pretio emptam eſſe, & emptionem à Carolo Romanorum Rege, quòd diceretur teneri in feudum ab Imperio, approbatam & confirmatam fuiſſe, cum renunciatione omni juri & recognitioni, quæ in eam Imperio competere poterat. Qua de re extat apud eundem Noguierum ejuſdem Caroli Romanorum Regis aureum diploma, datum Gorlitzii Kalendis Novembris ejuſdem anni 1348.

XXV. *Plura pietatis opera exercet tempore peſtis.*

Sæviit interim annis 1347, & 1348 graviſſima ubivis locorum peſtilentia, cujus vim nullus cujuſcumque regionis aut civitatis Scriptor tacere potuit. Clemens Pontifex in tanta calamitate omnibus pœnitentibus & confeſſis, nec non Sacerdotibus, qui eis ſacramenta adminiſtrarent & ſuccurrerent, remiſſionem omnium peccatorum à culpa & pœna generali decreto indulſit, diplomate dato 14 Kal. Junii anni 1348 apud Raynaldum eo anno num. 32, & legitur etiam in tertia Vita Clementis col. 294 apud Baluzium: eoque factum eſt, ut plerique magna cordis contritione & patientia roborati, malum æquanimiter tolerarent, & animam piè Deo redderent, multa bona Eccleſiis aliiſque ſacris locis relinquentes, cum proprios hæredes ante ſe mori viderent. Sed & magna tunc fuiſſe ejuſdem Pontificis Chriſtianæ pietatis opera erga eos, qui Avenione, ubi is agebat, tabe illa infecti erant, narrat Auctor primæ ejus Vitæ apud Baluzium: *Hac durante tempeſtate*, inquit, *dictus Papa in Avinione rem fecit maximæ caritatis. Nam pro pauperibus viſitandis & alendis certos ordinavit Medicos, & alios, qui eis in illis neceſſitatibus ſubvenirent in vita, & cùm decedebant, etiam neceſſaria ad ſepulturam miniſtrabant. Et quia pro tunc cimiteria ordinaria non ſufficiebant ad mortuorum corpora capienda, emit unum magnum campum, in quo cimiterium fecit conſecrari, ubi generaliter omnes poſſent ſepeliri, in quo infinitæ perſonæ ex tunc ſepultæ fuerunt; fuitque ei nomen impoſitum, quod uſque in diem hodiernum durat, Campus Floridus*, Gallicè Champ Fleuri, in quo modò eſt Eccleſia Sancti Rochi, & in quo, ut ait Auctor ſecundæ ejus Vitæ, fecit unam Capellam in honorem Beatæ Mariæ, quam dotavit decenter, & de campo ſancto vulgariter cognomen accepit. Addit Auctor, Clementem, ne morientium corpora inſepulta jacerent, duos groſſos argenteos portantibus pro quolibet corpore deputaſſe, & omnibus morientibus, qui ſubſidio indigerent, feciſſe ſudaria miniſtrari.

XXVI. *Petrum Rogerii, poſtea Papam, Cardinalem creat.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo octavo Clemens Pontifex ſacro purpuratorum Patrum Senatui adſcripſit Petrum Rogerium ex fratre germano Guillelmo Rogerii Comite Belliforris nepotem, tunc Notarium Apoſtolicæ Sedis, eumque dixit Diaconum Cardinalem tit. S. Mariæ Novæ. Erat tunc Petrus *valde juvenis & teneræ ætatis, cùm judicio communi nondum annum decimum octavum complevisset*, inquit Auctor Vitæ primæ Clementis, cùm Auctor ſecundæ & tertiæ dicant eum *nondum vigeſimum annum ætatis* attigiſſe: prior tamen aſſerit eum fuiſſe humilem, benignum, bonæque indolis, aptum, ingenioſum & ſubtilem, ad ſtudium literarum multum intentum, & jam in jure civili ſecundum tempus, quo circa ipſum verſatus fuerat, bene ſapientem. Poſteriores à priori non diſſentiunt, cum ajunt: *Virtus in illo, faciente Domino, ſupplevit ætatem, & ut ſpes mihi firma ſuadet, filius hic ſapiens erit gloria patris ſui*: quibus ex verbis eruitur, hanc ſecundam & tertiam Clementis Vitam ſcriptas eſſe, antequam Petrus Rogerii ad ſummum Pontificatum eveheretur ſub Gregorii XI nomine. Porrò hanc promotionem, quam Auctor primæ Vitæ factam dicit menſe Majo extra quatuor Tempora die non notato, contigit die vigeſima octava ejuſdem menſis in *vi-*

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

gilia Aſcenſionis Dominicæ, ut diſertè aſſerunt Auctores ſecundæ & tertiæ Vitæ, anno enim 1348, quo Paſcha celebratum eſt die 20 April. Dominica Aſcenſio incidit in diem 29 Maji.

XXVII. *Flagellantium ſectam condemnat.* Specie amoliendæ & averruncandæ peſtilentiæ, de qua ſuprà, ſurrexit quædam ſecta, Flagellantium nuncupata, cujus auctores de Hungaria venientes in Germaniam & Italiam, multos novitate ſua infecerunt. Incedebant medio corpore nudi, caput operientes caputio, pilcoque, à lumbis autem deorſum lineâ camiſiâ pudibundis operimentum præſtabant. Vocati ſunt autem *Flagellatores*, ſeu *Flagellantes*, ſeu *Cruciferi*, quòd præeuntibus crucibus procederent, & cruces ſinguli manu geſtarent, crucibuſque inſignirentur in veſtibus. In ſiniſtra manu crucem geſtabant ligneam, & in dextera flagellum, quod nodos in extremitate ternos habebat, quibus aculei de ferro erant infixi. His ſeſe flagellis publicè in Eccleſiis & extra uſque ad effuſionem ſanguinis, cunctis inſpectantibus, ſub prætextu pœnitentiæ ſæpiùs flagellabant, deinde in modum crucis proſtrati, ſuper terram orationem Dominicam orabant. Habebant ſingulæ turmæ unum principem & duos magiſtros, quorum mandatis parebant. Nemo inter illos admittebatur, cui non ſuppeterent facultates ad victum, ne cogerentur mendicare; divites tamen pauperibus ſubvenire curabant. Quoniam autem quotidie multiplicabantur, nec poterant eos capere urbes, in plures ſe turmas diviſerunt, & alii Saxoniam, alii Marchiam, alii Bohemiam, alii Auſtriam, alii Hungariam, alii ad Rhenum & ad partes Galliæ cum Ducibus atque Magiſtris intraverunt. Miſſi ſunt etiam quidam ex iis Avenionem ad explorandum quid de illa ſecta ſentiret Eccleſ. Apoſtolica. Ibi autem turmatim intrantes Eccleſias, ſuo ſe more flagellabant publicè, orabant in modum crucis, proſtrari ſuper terram & magna pœnitentiæ ſigna oſtendebant, quæ non civibus ſolùm Avenionenſibus, ſed & quibuſdam Cardinalibus ſtupori fuerunt. Clemens vero Papa ſub excommunicationis ſententia prohibuit, ne ſeſe deinceps publicè flagellarent. Quæ prohibitio non placuit Cardinalibus, qui ſectam illam putabant ſanctiſſimam, & ideo ſe Pontifici nonnulli ex eis fortiter oppoſuerunt. Verùm Papa in ſua perſtans ſententia, ſectam illam ſub anathematis vinculo damnavit; revocatiſque in ſuam ſententiam Cardinalibus, omnibus Archiepiſcopis & Epiſcopis ſcripſit, ut dictam Flagellantium ſectam in ſuis diœceſibus extinguerent; Sacerdotes & Clauſtrales, qui hac hæreſi fuiſſent infecti, carceribus manciparent, tenerentque captivos, donec aliud ab eo reciperent in mandatis. Hæc ex Chronico Hirſaugienſi Trithemii ad annum 1349, qui & refert exemplar literarum ejuſmodi Clementis ad Archiepiſcopum Moguntinum & alios Germaniæ, quæ datæ ſunt *Avenione 13 Kal. Novembris, Pontificatus anno octavo*. Eaſdem literas refert Auctor quintæ Vitæ Clementis & Raynaldus anno 1349 num. 20. Auctor primæ Vitæ ejuſdem Pontificis & Trithemius ſcribunt, poſt hæc brevi tempore univerſam hanc ſectam extinctam evanuiſſe. *Duravit tamen*, inquit Trithemius, *Flagellatorum diſcurſus in annum ſequentem, & omnes deinceps evanuerunt*.

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

XXVIII. *Peregrinorum Romam ad Jubileum euntium ſaluti & commodis proſpicit.* Omni quoque contentione operam dedit Clemens Pontifex, ut ob Jubilei, quod in Romanorum gratiam quinquageſimo quoque anno recurrente, anno primo ſui Pontificatus indixerat, celebritatem, limina Apoſtolorum adeuntium ſaluti ac itinerum libertati proſpiceretur anno 1350, quo celebratum eſt. Extat hac de re ejus diploma, quod Annibaldus de Ceccano Cardinalis Apoſtolicæ Sedis Legatus Romam detulit, apud Raynaldum anno 1349 num. xi, *datum Avin. 15 Kal. Septembris anno VIII*, quo die celebratio Jubilei, à die Natali Chriſti ejuſdem anni inchoandi, promulgata eſt. Tantâ porrò populorum preſſurâ, potiùs quàm frequentiâ, inchoatum eſſe aſſerit Petrarcha, qui interfuit, ut nihil obfuiſſe peſtem, quæ mundum hominibus exinaniſſe videbatur appareret; & Rebdorfius, qui æquè interfuit, Dominicâ de Paſſione, quo die primùm oſtenſum fuiſſe ait Sudarium, quod Veronicam vocant, ſe præſente multos fuiſſe præ nimia adſtantium preſſura ſuffocatos ſcribit. Matthæus Villanius Joannis frater, qui tum etiam præſens erat, lib. 1 cap. 56 aſſerit, numerum peregrinorum inire impoſſibile eſſe: verumtamen communi æſtimatione creditum, à die Nativitatis Chriſti anni 1349 uſque ad Reſurrectionem, quæ anno 1350 incidit in diem 28 Martii, fuiſſe perpetuò Romæ à decies uſque ad duodecies centena millia: ad Feſta Aſcenſionis & Pentecoſtes, ultra octies centena millia: Per æſtatem pauciores fuiſſe ob ferventiſſimum æſtum, & collectionis frugum impedimenta, non tamen ita, ut non fuerint quotidie Romæ ducenta peregrinorum millia: ad finem denique anni æqualem ferè fuiſſe concurſum qui initio: ſed ex tanto peregrinorum numero vix decimum quemque domum revertiſſe, partim peſtilentiâ, partim longinqui itineris labore abſumptos, ſcribit Meyerus lib. 13 Annal. Flandriæ, forſan & ob Romanorum rapacitatem in extorquendis potiùs, quàm exigendis à miſeris peregrinatoribus pecuniis, & augendis commeatûs, hoſpitiorum ac rerum venalium pretiis, fraudibuſque in iis commiſſis, de quibus agit Villanius laudatus, qui

&

& ibidem diligenter deſcribit ordinem in Urbe in peregrinis excipiendis, itemque in viſitandis Eccleſiis, & diſpenſandis atque imminuendis à Legaris Clementis Papæ in eorum gratiam, pro ratione longinquitatis locorum, aut incommoditatis rerum, diebus ad eas viſitandas præſcriptis, obſervatum. Denique idem Villanius cap. 88 addit, Annibaldum Ceccanum, quem Clemens Papa Romam Legatum & Vicarium miſerat, ut ibi loco & vice ſui pro illo tempore præſideret, ac ſi & ubi expediret, peregrini ad ipſum pro ſuis neceſſitatibus recurſum haberent, eò quòd imminueret tempus viſitationis Eccleſiarum contra effrenatam civium Romanorum avaritiam, quâ peregrinos expilabant, fuiſſe ab iis aliquando ſagittis appetitum, ejuſque familiam probris & ictibus ac vulneribus affectam; cùmque propterea indignabundus abiret in Campaniam patriam ſuam, in itinere veneno potatum fuiſſe unà cum pluribus é familia ſua. Sed quis miretur? „ inquit Spondanus anno 1350 num. 1: cùm „ non ad aliud quæſiiſſent Romani abbre„ viari tempus Jubilei, quàm ad aliquo mo„ do compenſandam hujuſmodi lucro Cu„ riæ Pontificiæ abſentiam?

XXIX. *Duodecim Cardinales creati*

Eodem anno 1350, collegium Cardinalium ex peſtilentia admodum diminutum inſtauravit, & in temporibus jejuniorum Sanctæ Luciæ, ſeu die 17 Decembris feria ſexta anno Pontificatus nono, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ Clementis, duodecim creavit, quos vocavit Apoſtolos, ex quibus decem fuerunt Presbyteri, nempe Ægidius Alvari Hiſpanus, tunc Archiepiſcopus Toletanus, Paſtor de Sareſcuderio, diœceſis Vivarienſis Ordinis Minorum, tunc Archiepiſcopus Ebredunenſis; Raymundus de Cancillaco, diœceſis Mimatenſis, Canonicus Regularis Ordinis Sancti Auguſtini, tunc Archiepiſcopus Toloſanus; Pictavinus de Monteſquino Vaſco, tunc Epiſcopus Albienſis; Nicolaus de Capocia, Romanus, tunc Epiſcopus Urgellenſis; Petrus de Croſſo, diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Antiſſiodorenſis, Pontius de Villamuro, Vaſco, Canonicus Ordinis Sancti Auguſtini, tunc Epiſcopus Appamiarum, Guillelmus de Agrifolio, Monachus Ordinis ſancti Benedicti, tunc electus Cæſarauguſtanus, conſanguineus & cubicularius ipſius Papæ; Ægidius Rigaudi, tunc Abbas ſancti Dionyſii in Francia, Ordinis Sancti Benedicti; & Joannes de Molendino, diœceſis Lemovicenſis, tunc Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum. Diaconi verò fuerunt Raynaldus de Urſinis, Romanus, tunc Sedis Apoſtolicæ Notarius; & Joannes filius Vicecomitis, de Caramano, pronepos Joannis Papæ XXII, tunc etiam Sedis Apoſtolicæ Notarius. Auctor primæ Vitæ Clementis poſt hæc ſubdit: *Et ſic in Vita ſua XXV Cardinales feciſſe comperitur*, quæ eadem verba leguntur in ſecunda Vita: ex quibus certò concluditur alios Cardinales à Clemente VI creatos, quos memorant Ciaconius & Oldoinus, præter illos XXV à nobis recenſitos, eſſe fictitios; Auctores enim ſecundæ & tertiæ Vitæ Clementis vixerunt ante Pontificatum Gregorii XI, ſeu ante annum 1370, ideoque hac in re falli non potuerunt.

XXX. *Religioſorum Mendicantium defenſionem ſuſcipit.*

Tempore dictæ mortalitatis Religioſi Mendicantes quædam bona receperunt in viſitationibus infirmorum, quorum curam, fugientibus Curatis, ſuſceperunt: de quo dolentes quidam Cardinales & alii multi Prælati cum magna multitudine Curatorum, inſurrexerunt contra dictos Religioſos Mendicantes anno 1351, ut ad eum annum ſcribit Continuator Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii Dacheriani, petentes à Pontifice eos omninò aboleri, vel ſaltem prohiberi à prædicationibus, Confeſſionibus & ſepulturis, eò quòd non eſſent ab Eccleſia vocati & electi. Sed Pontifex, ſuſcepta Mendicantium defenſione, oſtendit eos ab Eccleſia fuiſſe vocatos ad auxilium regiminis Eccleſiæ, licèt tardiùs quam alii, ideoque & eos eſſe utiles Eccleſiæ, & magis ex invidia hæc in illos agitari, quàm ex zelo pietatis. Plura alia dixit Pontifex in favorem Mendicantium & exprobrationem Curatorum, quæ refert idem Nangii Continuator; ſicque ceſſavit perſecutio, quæ tamen poſtea renovata eſt à Richardo Archiepiſcopo Armachano, Hiberniæ Primate ſub Innocentio VI, ut ibidem dicetur.

XXXI. *Gregorii X Conſtitutionem de Conclavi in quibuſdam mutat.*

Gregorius X in Concilio Lugdunenſi II Conſtitutione ſua, quæ extat lib. 6 Decretalium tit. 6, de elect. poteſt. cap. 3, *Ubi periculum majus*, & Tomo XI Conciliorum Labbei, ſtatuerat inter alia, ut Cardinales in Conclavi incluſi, pro electione Romani Pontificis, uno tantum famulo, vel clerico, vel laico contenti eſſent; & quibus patens neceſſitas id ſuggerebat, duos tantùm habere permittebantur. Prætereà eadem Conſtitutione ſtatuerat, ut ſi electio non fieret intra tres dies ab ingreſſu Conclavis, per quindecim dies ſequentes tam in prandio quàm in cœna uno tantùm ferculo eſſent contenti. Quibus diebus decurſis, ex tunc tantummodò panis, vinum, & aqua miniſtrarentur eiſdem Cardinalibus, donec electio ſubſequeretur. Inſuper edixerat, ut omnes Cardinales in eodem Conclavi nullo intermedio pariete aut velamine in communi habitarent. Hanc Gregorii Papæ X Conſtitutionem Clemens Papa laxavit, ſeu veriùs mutavit; ordinavit enim quòd dicti Cardinales poſſint in dicto Conclavi exiſtentes habere corti-

Digitized by Google

tinas, cum quibus claudantur eorum logiæ, quando dormient ſeu quieſcent. Item quòd habeant duos famulos clericos vel laicos, prout eis magis placebit. Item quòd elapſis tribus diebus poſt ſuum introitum, haberent ultra panem & vinum, fructus, caſeum & electuaria, & unum ferculum carnium vel piſcium duntaxat in prandio, & aliud in cœna. Super quibus edidit Conſtitutionem, quæ reperitur inter Acta Concilii Conſtantienſis, quæque incipit, *Licèt*, & data dicitur *Aven. VIII Idus Decemb. an.* X Pontificatus, ideoque an. 1351.

XXXII. *Legatum in Siciliam mittit pro coronatione Ludovici Tarentini.*

Anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſecundo idem Pontifex Guillelmum de Guardia conſanguineum ſuum, Bracarenſem Archiepiſcopum, in regnum Siciliæ citra Pharum cum pleno Legationis titulo diſtinavit, qui de commiſſione ſpecifica ſibi facta Ludovicum de Tarento in Regem, & Joannam ipſius uxorem in Reginam regnorum Jeruſalem & Siciliæ, auctoritate Apoſtolica coronavit ſolemniter in majori Eccleſia Neapolitana juxta ritum Eccleſiæ Romanæ die vigeſima ſeptima Maji, ut narrat Matthæus Villanius lib. 3, cap. 8. Diploma Pontificium datum Aven. Kal. Februarii anno X Pontificatus refertur à Raynaldo num. 3; eoque cautum eſt ſucceſſioni in regnum Siciliæ caſu, quo Franciſca ejuſdem Ludovici & Joannæ Reginæ filia, ac Maria ejuſdem Reginæ ſoror ſine liberis decederent. Sed Ludovicus obiit anno 1362, Joannâ Reginâ ſine prole remanente.

XXXIII. *Avenionenſe Palatium amplificat.*

Jam ſuperiùs diximus, Benedictum XII palatium Avenione ædificaſſe pro habitatione Summorum Pontificum: ſed Clemens VI illud quadrangulare fecit, cùm antea eſſet de duobus tantùm angulis, totam plateam muris altis & turribus aliis primis æqualibus claudendo & circumeundo. Qua in parte tria ſunt, quæ reliqua ſpecialiter excedunt, inquit Auctor primæ ejus Vitæ, ſcilicet Capella major, Audientia & terraciæ ſuperiores, cùm quoad id, pro quo ordinatæ ſunt, fortè non eſt palatium in mundo, in quo pares exiſtant, attenta præſertim earum contiguitate, cùm de una ad aliam ſine medio aſcenſus vel tranſitus facilis exiſtat. Conſiſtorium inſuper ab eodem Benedicto XII magnificè ædificatum miris picturis decoravit, & ſcripturis mirabilibus adornavit. Poſtea Urbanus V illud maximè etiam ampliavit in illa præcipuè parte, quæ vulgariter Roma appellatur, in qua fecit cameras, habitationes, deambulatoria & viridarium miræ pulchritudinis, ut ſcribit primæ ejus Vitæ Auctor apud Baluzium. Quo tempore ad ſtatum, in quo nunc reperitur, devenerit, me latet, id forſan contigit anno 1378; eodem enim die vigeſimo ſeptimo Martii ejuſdem anni, quo obiit Gregorius XI Romæ, illud palatium ex fortuito incendio admodum deformatum fuiſſe, refert Spondanus ad eum annum num. 2. Certè Auctor quartæ Vitæ Clementis ſcribit: *Hujus tempore inceptum fuit palatium novum cum audientia magna, & capella atque turribus & quaſi completum, nec non magna turris, quæ poſtmodum cremata extitit.*

XXXIV. *Quædam e varia ejus pia opera.*

Præter hæc idem Pontifex pontem lapidum & lignorum, per quem de civitate Avenionenſi in regnum Franciæ pertranſitur, de quatuor arcubus qui deficiebant, in illo compleri mandavit, quod & factum eſt. Sacroſanctam inſuper Lateranenſem Eccleſiam, tecto, quod deficiebat in illa, reſtauravit. Multa pietatis opera exercuit in Eccleſiis Attrebatenſi, Senonenſi & Rotomagenſi, quibus præfuerat; in earum enim qualibet ordinavit multas bene redituatas Capellanias; multaſque ſecretas ibidem, & alibi, nec tenues eleemoſynas eſt largitus, & maximè in Papatu. Nam pro derelictis orphanis maritandis, & pauperibus viduis ſuſtentandis, nec non & indigentibus nobilibus adjuvandis, & oppreſſis debitoribus omnibus ſublevandis, per manus Guillelmi Cæſarauguſtani Archiepiſc. poſtea Cardinalis Presbyteri ſub titulo Sanctæ Mariæ in Transtiberim in ultima Cardinalium promotione dicti, quem de tenendo ſecreto ſacramento adſtrinxit, ultra centum millia florenorum miſericorditer erogavit. Quæ omnia conſtant ex Auctoribus, qui Vitam ejus ſcripſerunt apud Baluzium. In Rotomagenſi porrò Eccleſia Collegium ſexdecim perpetuorum Clericorum ſeu Cappellanorum fundavit, multiſque dotavit proventibus, qui cum ceteris illius Eccleſiæ miniſtris divina officia celebrarent, quod *Collegium Papæ*, ſeu *Sacerdotum Clementinorum* appellatur. Ex his voluit, ut duodecim eſſent in Sacerdotio conſtituti, duo in Diaconatûs, ac reliqui duo in Subdiaconatûs Ordinibus. Et pro inſtitutione ejuſdem Collegii dedit annuos redditus quingentarum & quadraginta librarum Turonenſium.

XXXV. *Ejus ſtudium erga ſuos.*

Magnis itaque rebus geſtis præclarus omninò fuit Clemens Pontifex; exiſtimatior tamen futurus, niſi agnatis locupletandis, & honoribus tam ſæcularibus, quàm Eccleſiaſticis augendis intentus extitiſſet. Suos enim fratres, nepotes, conſanguineos, propinquos, compatriotas, & ſervitores valde dilexit. Plurimos namque ex eis in altis & magnis prælaturis & dignitatibus ſublimavit. Et quamquàm inter eos fuerint multi idonei & ſufficientes, quia tamen quandoque ipſos prætulit ceteris magis, aut æquè ſufficientibus, fortaſſis aliquid ultra debitum caro & ſanguis revelaſſe cenſetur. De Laicis & præſertim de domo ſua paterna prodeuntibus quid dicendum? Suo

SÆC. XIV. CLEMENS VI.

enim tempore ſuoque favore, ac propter eum multas divitias, magnos redditus, plurima dominia, honores & ſtatus ſublimes ſunt multimodè conſecuti; fueruntque affinitate confœderati cum multis & magnis, inquit Auctor primæ ejus Vitæ. Non ita tamen in eo exorbitaſſe dicendus eſt, cùm renuerit unam ex neptibus ſuis, petitam à Ludovico Trinacriæ Rege, in uxorem concedere, excuſans eam tanto imparem eſſe faſtigio, atque connubio, uti ex ejus Epiſtolarum Regiſtro apud Bzovium anno 1351, intelligitur.

XXXVI. *Ejus obitus.*

Ipſe autem Clemens infirmitate gravatus, humilis, pœnitens de commiſſis, devotèque receptis Eccleſiaſticis Sacramentis, in veritate & ſinceritate fidei ac unitate Sanctæ Matris Eccleſiæ ſpiritum Deo reddidit anno Domini 1352, die ſexta menſis Decembris, ut tradunt omnes Vitæ ejus Scriptores; inter quos ſecundus ait, eum deceſſiſſe poſt infirmitatem ſex dierum, ſeu, ait Matthæus Villanius lib. *1*, cap. 43, ex febre continua ſex dierum. In magno tamen Chronico Belgico ex Petrode Hetentais Priore Floreffienſi, qui quintam ejuſdem Pontificis Vitam ſcripſit, dicitur ſubitò mortuus ex apoſtemate in dorſo, cùm familiares ſui iviſſent pranſum, ſolo Cubiculario ſecum relicto, erumpente apoſtemate, & corde illius ſubmergente. Sed cùm hæc Vita ſcripta ſit ab auctore, qui inimicus erat hujus Pontificis, ut ex ejus lectione apparet, & nullus alius id confirmet, exiſtimamus cum Henrico Spondano, id magis ab eo dictum in ejus improperium, quòd accuſatus fuerit de fœmineis deliciis, quàm ex vero; cùm præſertim ab Auctore tertiæ Vitæ vocetur *Clementiæ ſpeculum, caritatis hoſpes, miſericordiæ pater, pietatis alumnus, liberalitatis miniſter, juſtitiæ pugil, æquitatis athleta, concordiæ ſator, & pacis amator, modeſtiæ norma, religionis exemplar, amicitiæ fomes, anchora ſpei, fidei baſis, complacentiæ mos, eloquentiæ flos, honor generis, & patriæ decus*; quæ elogia licèt per exaggerationem dicta videantur, apprimè tamen demonſtrant, qualis Clemens moribus publicè videri voluerit, ut inquit idem Spondanus. Sedit itaque à die ſuæ electionis annis X, menſibus VII, uno die minùs, & à die coronationis annis X, menſibus VI, diebus XVIII.

XXXVII. *Ejus ſepulchrum.*

Exequiæ ejus in Eccleſia Beatæ Mariæ Avenionenſis fuerunt in craſtinum ſolenniter celebratæ, ibique ejus corpus depoſitum, & tempore paſchali anni ſequentis 1353 translatum ad monaſterium Caſæ-Dei in Alvernia diœceſis Claromontenſis, juxta diſpoſitionem ejus, & collocatum in ſepulchro noviſſimo, quod ipſe in Villanova Avenionenſis diœceſis fabricari fecerat politiſſimi & pretioſiſſimi operis, illuc delato. Corpus concomitati ſunt quinque Cardinales, videlicet ejus frater, tres ejus nepotes, & unus conſanguineus, quos collegio Cardinalium aggregaverat. Tradit Papyrius Maſſonus, Monachos Caſæ-Dei, Monaſterii ab ipſo in Eccleſia & domibus mirabiliter ampliati & poſſeſſionibus augmentati, ut tanti beneficii memoriam ſervarent, ſex roſas inſignibus Monaſterii miſcere conſueviſſe; inſignia tamen gentilitia Clementis fuiſſe tantùm roſas quinque, quas in ſigillo Pontificio, quo bullæ obſignabantur, contra morem anteceſſorum ſuorum retinebat, teſtis eſt Albertus Argentinenſis, & ex eo Joannes Palatius. Sed Ciaconius ſcribit Clementem palatium inchoatum à Benedicto XII abſolvendum curaſſe, ſexque roſas in frontiſpicio adhuc ſuo tempore viſas eſſe, ut in ponte Urbis, cujus quatuor arcus ſuis ipſe impenſis fieri curavit. Maſſoni & Ciaconii opinionem confirmat Auctor tertiæ ejus Vitæ, qui ait: *Recteque roſas in clypeo ſuæ generationis ...... aſſumpſit ..... Sed verè nil aliud roſarum numerus voluit indicare ſenarius, niſi quòd ſicut per arithmeticos ipſe perfectior reputatur, ſic ob ſuorum dona virtutum ſuper ceteros homines iſte perfectior haberetur, & quòd ſextum erat Summi Pontificis faſtigium inter Clementes Pontifices obtenturus.* Ejus corpus duo poſt ſæcula, anno ſcilicet 1562, violato ſepulchro, & ſtatua marmorea ei ſuppoſita à Calvinianis confracta, effoſſum, in flammas miſſum eſt, ut tradit idem Maſſonus.

XXXVIII. *Inſignis ejus memoria.*

Franciſcus Petrarcha tunc vivens, lib. 8 Rerum familiarium, Clementem appellat *Literatiſſimum Pontificem*, ſed occupatiſſimum hominem, atque ob id compendiorum avidiſſimum; eamque ob cauſam Bartholomæo Urbinati Eremitæ Auguſtiniani Ordinis, Auguſtini Triumphi diſcipulo, qui ex Sancti Auguſtini ſententiis & dictis volumen ingens, *Melliloquium* vocatum, per Alphabeti literas collegerat, atque obtulerat, Pontificatum Urbinatium patriæ ſuæ ultrò dediſſe, juſſo ut quod de Auguſtino fecerat, id de S. Ambroſio faceret, quod & præſtitit. Idem Petrarcha lib. 2 Rerum Memorandarum cap. 1 ait, eum tam potentis & invictæ memoriæ, ut quidquid vel ſemel legiſſet, oblivisci, etiamſi cuperet, non poſſet; & paulò pòſt addit: *Illud additur miraculo, hanc tantam ſibi memoriam magno quondam capitis ictu, cujus adhuc teſtis extat ingens ſupremo vertice cicatrix, proveniſſe. Memorabilis caſus, ſi modò verus: hoc enim habet inter multa clarorum admiratio: viam fabulis aperire ſolet.* Quidquid ſit de hoc caſu, certum eſt Clementem fuiſſe *Memoriæ mirabilioris*, ut loquitur Auctor ſecundæ ejus Vitæ, & Nangius in Chronico Tomo XI

cilegii Dacheriani pag. 739, eum vocat virum *ſummæ memoriæ, & ultra modum communem hominum eloquentem.*

XXXIX. *Ejus doctrina & ſcripta.*

Non ſolùm à Petrarcha & à Nangio laudatis, de literatura & eloquentia laudatur, ſed & à Thoma Walſinghamo dicitur Vir inſignis literaturæ; & in Vita Caroli IV Imperatoris vocatur homo facundus & literatus, omnique morum honeſtate circumſeptus. Aymericus de Peyraco Abbas Moyſſiacenſis in ſuo Chronico fol. 93, eum vocat maximum ſermocinatorem verbi Dei. Auctor primæ ejus Vitæ apud Baluzium col. 263 aſſerit, eum *Sermones & collationes excellentiſſimè & ſæpe feciſſe*: ad quæ verba Idem Baluzius col. 909 ait, extare in Bibliotheca Archiepiſcopi Remenſis veterem codicem cum hoc titulo: *Sequuntur diverſa ſermonum themata feſtorum Dei, beatæ Mariæ Virginis, & aliquorum Sanctorum, & aliqua alia ſecundùm diverſos eventus rerum ac temporum facta, ordinata & prædicata diverſis temporibus per Dominum Clementem Papam ſextum temporibus ſuorum Archiepiſcopatus, Cardinalatus, ac etiam Papatus, ut, qui legerit, poterit invenire.* Præter hos ſermones & alios, quorum plura volumina Benedictum XIII ſeu Petrum de Luna habuiſſe conſtat ex ejus Bibliothecæ Catalogo, ſcripſit tractatum de paupertate Chriſti & Apoſtolorum; idem enim Baluzius col. 836 aſſerit, extitiſſe apud ſe veterem codicem MS. in quo legitur: *Incipit lectura Magiſtri Petri Rogerii Prioris ſanctæ Baudilii, Doctoris in Theologia, ſuper Decretals per ſanctiſſimum Patrem Dominum Joannem Dei gratia Summum Pontificem edita, quæ incipit; Quia quorundam mentes*, &c. Eum enim tum publicè in Academia Pariſienſi interpretatum eſſe librum quartum Sententiarum legitur apud Ægidium Bellameram in cap. *Quanto* de conſuetud. Waddingus anno 1328, num. 13, mentionem facit cujuſdam tractatus à Clemente editi ante Pontificatum adverſus Michaelem de Ceſena, an cenſendus eſſet hæreticus. Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia aſſerit, Clementem prætereà edidiſſe Epiſtolarum ad diverſos librum unum: in Canonizationem S. Ivonis librum unum, quem refert Surius ad diem 19 Maji: De Caroli Regis approbatione: Miſſam pro mortalitate, quæ incipit, *Recordare Domine teſtamenti tui*, & quædam alia ex Tritbemio & Geſnero.

INNOCENTIUS VI *Pontif. CXCIX.*

Anno Domini MCCCLII.

I. *Joannes Birellius proponitur pro Papa, ſed rejicitur.*

POST obitum Clementis VI, qui, ut diximus, contigit die ſexta Decembris anni 1352, Cardinales audientes, Joannem Francorum Regem Avenionem accelerare, ut Pontificem ſibi amicum eligi procuraret, ex Matthæo Villanio lib. 3 cap. 55, quantumvis omnes ferè ei addictiſſimi eſſent, ob reverentiam tamen libertatis Eccleſiaſticæ antevertere feſtinarunt. Die itaque decima ſexta Decembris, ſeu Dominica poſt feſtum S. Luciæ, ut ſcribit ſecundæ Vitæ Innocentii VI Auctor, intrarunt Conclave, in quo ſtatim ſermo injectus eſt de Joanne Birellio Ordinis Carthuſianorum Generali, quem major Cardinalium pars eligere decreverat ob doctrinam ejus & vitæ ſanctitatem. Sed Cardinalem Talayrandum, ſeu Petragoricenſem id diſſuaſiſſe, eo quòd ſi Joannes fieret Pontifex, Cardinales ambitionem & mundi faſtum diligentes, ad ſtatum revocaturus eſſet antiquum, & pulchri ipſorum equi poſt paucos dies ad carros, plauſtra & aratra reducendi forent, ſcribit Petrus Dorlandus in Chronico Carthuſienſi lib. 2 cap. 22: qui addit, bis territos Cardinales, ſuis honoribus metuentes, Joannem rejeciſſe & alium elegiſſe, nempe Innocentium VI. Hic porrò Petrus Dorlandus Chronicon illud ſcripſit circa annum 1500, cùm obierit anno 1507.

II. *Leges à Cardinalibus in Conclavi editæ.*

Cùm itaque Joannes Birellius majori rejicientium, quàm rejecti dedecore, a Pontificatu fuiſſet rejectus, Cardinales privati commodi illecebrâ deliniti, ad Cardinalitiam dignitatem augendam quaſdam leges edidère, quas renunciatus ab ipſis Pontifex ſacramento confirmaturus eſſet, quarum hæc ſumma erat: Ut novus Pontifex non creet aliquos Cardinales, donec eorum numerus ad ſexdecim redactus fuerit, & tunc tot aſſumeret quot ad plus aſcenderent ad numerum viginti, & non ultra, prædictis ſexdecim in eo numero computatis. Quos quidem ab ipſo creandos ordinare deberet de omnium Cardinalium, ſeu duarum partium eorundem conſilio & conſenſu: hoc tamen ſalvo, quòd extante numero, qui tunc erat, ordinet duos Cardinales de conſilio omnium vel majoris eorum partis. Item quòd Papa non procedat ad depoſitionem, ſeu perſonæ captionem alicujus Cardinalis, ſine conſilio & conſenſu omnium Fratrum, nemine diſcrepante. Item, quòd collegium Cardinalium perciperet jure ſuo medietatem omnium fru-

fructuum, reddituum & emolumentorum ad Eccleſiam Romanam ſpectantium, prout in privilegio Nicolai Papæ IV continetur. Denique ut hæc & alia quædam in iis legibus contenta jurarent omnes Cardinales ſuperſtites, quòd ille, qui ad Papatum aſſumetur, inviolabiliter obſervaret. Has pactiones ſe ſervaturos ſacramento ſimpliciter alii ſpopondêre, alii cum hac clauſula, *ſi jure niterentur*. Sed eas poſtea ab Innocentio VI reſciſſas videbimus.

III. *Innocentius VI eligitur, & coronatur.*

His actis, communibus ſuffragiis, die decima octava ejuſdem menſis Decembris, quæ concurrebat cum die Martis, *hora tertiarum*, ut ſcribit Auctor tertiæ Vitæ Innocentii, ſeu *inter tertiam & meridiem*, ut notavit Joannes Joſrevi Epiſcopus Anicienſis tunc vivens in ſuo Kalendario apud Baluzium Tomo 2 Vitarum Paparum Aven. col. 752. Stephanus Alberti Oſtienſis Epiſcopus, ad ſolium Apoſtolicum evectus ſub Innocentii VI nomine, & ſolemniter coronatus eſt die trigeſima ejuſdem menſis, quæ erat Dominicalis, ut ſcribunt Auctores ſecundæ & tertiæ ejuſdem Vitæ: quod & invictè confirmatur ex eo quòd annos ſui Pontificatus numeraverit ab eodem die, ut mox videbimus. Errarunt itaque Auctor primæ Vitæ, qui eum coronatum dicit die vigeſima tertia Decembris, & Albertus Argentinenſis, qui coronationem ejus differt uſque ad diem Epiphaniæ anni 1353. Innocentium annos ſui Pontificatus à die trigeſima menſis Decembris anni milleſimi treceenteſimi quinquageſimi ſecundi exorſum eſſe conſtat ex eo quòd anno 1361 die vigeſima nona ejuſdem menſis adhuc numeraret annum ſui Pontificatus nonum, ut demonſtrat ejus Epiſtola ordine 249 inter Epiſtolas anni noni, quæ extant Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum; data eſt enim *Avenione IV Kalendas Januarii anno nono*: ex qua, ſicut ex præcedentibus, ordine 244, 245, 246, 247, & 248 datis 14, 13, & 11 Kalendas Januarii anno nono, certo eruitur eum non enumeraſſe annos ſuos à die ſuæ electionis, quæ facta eſt 15 Kalendas Januarii; alioquin iis in Epiſtolis notatus eſſet annus decimus, non nonus Pontificatus, ut numeranti patet: ex quo & ſequitur eum coronatum die trigeſima Decembris; quo etiam die confeſtim poſt ſuam Coronationem ſcripſit pro conſuetudine ad omnes ubique Principes & Antiſtites de ſua electione, preces eorum ad Deum implorans, literas encyclicas, quarum exemplar ad Archiepiſcopum Remenſem, ejuſque ſuffraganeos, refert Raynaldus num. 28.

IV. *Ejus primordia ante Pontificatum & Cardinalatum peracta.*

Innocentius VI ante Pontificatum Stephanus Alberti dictus, natus erat in loco de Monte diœceſis Lemovicenſis in Aquitania, fuit primum legum Doctor & Judex, major Seneſcalliæ Toloſanæ; anno deinde 1337 exeunte factus eſt Epiſcopus Noviomenſis, & triennio pòſt, anno ſcilicet 1340, tranſlatus eſt ad Eccleſiam Claromontenſem; demùm per Clementem ſextum aſſumptus in Preſbyterum Cardinalem, tit. SS. Joannis & Pauli, ac poſtmodùm dictus Epiſcopus Oſtienſis anno 1352, & Pœnitentiarius major. Innocentium omnes Auctores, qui vitam ejus ſcripſerunt, de vitæ magis integritate & diſciplinæ zelo laudant, quàm de literarum ſcientia; etiamſi nec mediocriter his imbutus eſſet, ac præcipuè doctrinâ legum & canonum, in qua excelluiſſe teſtis eſt Joannes de Cardalhaco in ſermone facto in exequiis Clementis VI, & ſolemnitate inthronizationis Innocentii, in quo apud Baluzium in Notis col. 923 ait: *Secundò dico, quòd ipſe eſt pluſquam Salomon propter nobilitatem ſcientiæ clarioris. Ipſe enim eſt ſapientia & ſcientia nobilis, quæ ſecundùm legem civilem homines nobiliſſimos facit. Ipſe enim eſt Doctor legum excellentiſſimus & prudentiſſimus.* Ægidius Cardinalis Viterbienſis dicit, eum fuiſſe *utriuſque juris conſultiſſimum*, ac vitæ incorruptæ & integerrimæ; Wernerus Rolewink in Faſciculo Temporum, & Trithemius in Chronico Hirſaugienſi, *Canoniſtam maximum*, Petrus Dorlandus in Chronico Carthuſienſi, *Canoniſtam præcipuum*, ac denique Franciſcus Petrarcha, *excellentem in re canonica*.

V. *Audoinum Alberti ex fratre nepotem Cardinalem creat.*

Antequam Coronationis inſignia ſuſciperet Innocentius, in die Nativitatis Domini anni 1352, Audoinum Alberti, ſuum ex fratre nepotem, quem ad Cardinalatum evehere volebat, ex Eccleſia Antiſſiodorenſi tranſtulit ad Magalonenſem: quod ea ratione fecit, quia, ut obſervavit Baluzius ex geſtis Epiſcoporum Antiſſiodorenſium col. 925 & ſequenti, ſolebant tunc Cardinales ut plurimum vocari ex nomine Eccleſiarum, quibus antea præfuerant, ac propterea Pontifices caris ſuis, quos ad Cardinalatus faſtigium evehere deſtinabant, Epiſcopatum quempiam paulò antè tradebant, ut hinc nomen accipere poſſent. Poterat quidem Audoinus Alberti vocari Cardinalis Antiſſiodorenſis; ſed quia illo tempore erant duo Cardinales ſub nominatione Antiſſiodorenſi, videlicet Talayrandus Petragoricenſis, & Petrus de Croſo, ideo ab Innocentio patruo tranſlatus eſt ad Sedem Magalonenſem in Nativitate Domini anni 1352; & non multò pòſt, die ſcilicet decima quinta menſis Februarii anni 1353, ferià ſextâ quatuor Temporum dictus eſt Preſbyter Cardinalis tituli SS. Joannis & Pauli, quem antea habuerat Innocentius, *& ſic nominatus fuit Cardinalis Magalonenſis*, ut legitur in Actis Epiſcoporum Antiſſiodorenſium in Audoino.

VI. *Reſcindit leges à Cardinalibus in Conclavi editas.*

Eodem anno 1353 Innocentius leges,

SÆC. XIV. INNOCENTIUS VI.

ſeu pactiones à Cardinalibus in Conclavi editas, quas Ipſe & quidam alii ſub hac conditione juraverant, *ſi & in quantum ſcriptura hujuſmodi de jure procederet*, reſcidit in cœtu quorundam Cardinalium ac plurium Doctorum & Juriſperitorum; quòd Conſtitutionibus Gregorii X & Clementis V cautum eſſet, Cardinales Sede vacante de quibuſcumque negotiis, præterquam de proviſione Romanæ Eccleſiæ facienda, ſe intromittere non poſſe, certis duntaxat exceptis caſibus, de quibus tamen aliquis contentus in ſcriptura hujuſmodi non exiſteret; & quòd ſcriptura ipſa in diminutionem & præjudicium plenitudinis poteſtatis à Deo collatæ ſoli duntaxat Romano Pontifici, redundaret, eſſetque temerarium & inſanum apud Catholicos aſſerere, *quòd Romanus Pontifex ſucceſſor Petri & Vicarius Jeſu Chriſti, non ſit vocatus, & aſſumptus in plenitudinem poteſtatis: quæ profectò apud ipſum non eſſet, ſi ex aliorum conſenſu, arbitrio, vel adminiculo dependeret.* Declaravit itaque Cardinales contenta in ſcriptura nullatenus facere potuiſſe, ideoque nec Romanum Pontificem, nec Cardinales ipſos ad juramenti obſervantiam non fuiſſe, nec eiſe quomodolibet obligatos. Diploma hanc in rem editum refert Raynaldus num. 29, datum apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis, 2 Kal. Julii anno primo Pontificatus.

VII. Reſervationes & Commendas revocat.

Clemens ſextus mitior fortaſſis, quàm par eſſet, reſervationes & commendas beneficiorum à Benedicto XII abrogatas conceſſerat, ſed illas omnes Innocentius ſtatim poſt ſuam coronationem vel ſuſpendit vel revocavit, *oves à paſtore, non à mercenario cuſtodiri oportere* dictitans, ut refert Ægidius Cardinalis Viterbienſis. *Subitò poſt ſuam coronationem*, inquit tertiæ ejus Vitæ Auctor, *multas reſervationes factas per Clementem prædeceſſorem ſuum ſuſpendit.* Abrogavit etiam Eccleſiarum & Monaſteriorum commendas diplomate dato apud Villamnovam 15 Kal. Junii anno primo, in quo ait: *Attendentes quòd occaſione commendarum & conceſſionum hujuſmodi in commendatis & retentis eiſdem, ſicut experientia docuit, utplurimum divinus cultus minuitur, animarum in eis, quibus imminet, cura negligitur; hoſpitalitas conſueta & debita non ſervatur; ruinis ædificia patent; ipſorum jura in ſpiritualibus & temporalibus collabuntur; ac propterea hujuſmodi malis occurrere, & Eccleſiis & monaſteriis, Prælaturis, beneficiis, & aliis prædictis taliter commendatis & retentis de Paſtoribus & Rectoribus propriis, qui eis præeſſe velint & valeant, providere...... omnes & ſingulas commendas & conceſſiones hujuſmodi de quibuſcumque Cathedralibus, vel aliis Eccleſiis, monaſteriis, Prælaturis, Prioratibus, Dignitatibus, Perſonatibus, adminiſtrationibus, officiis & beneficiis ac locis Eccleſiaſticis ſæcularibus & regularibus quorumcumque Ordinum, quocumque nomine cenſeantur...... auctoritate Apoſtolica penitus revocamus, & omninò viribus vacuamus.* Extat illius Diplomatis pars apud Raynaldum num. 31.

VIII. Prælatos in ſuis Eccleſiis reſidere jubet ſub pœna excommunicationis.

Prælatos in ſuis Eccleſiis reſidere juſſerat Benedictus XII; ſed Innocentius id ſtatuit ſub pœna excommunicationis: *Conſtituit*, inquit laudatus tertiæ ejus Vitæ Auctor, *Prælatos, & alios beneficiatos in Curia illo tunc morantes, unumquemq; ad ſuum beneficium perſonaliter applicare, & ibi reſidentiam facere ſub pœna excommunicationis; quod & factum eſt.* Idem refert Ægidius Cardinalis Viterbienſis. Sed magna mihi ſuſpicio eſt, hanc legem non fuiſſe obſervatam Ipſo etiam tempore Innocentii; cùm enim anno 1361 mortalitas reincepiſſet Avenione, à feſto Paſchæ uſque ad Pentecoſtem, & ad feſtum Jacobi Apoſtoli centum Epiſcopos & quinque Cardinales apud Avenionem mortuos eſſe ſcribit Henricus Rebdorfius, ex quo inferri jure meritò poteſt, Epiſcopos in ſuis Eccleſiis reſidentiam non feciſſe, ſed multos rubri pilei ſpe Avenionem dimiſſis gregibus confluxiſſe.

IX. Viris literatis & piis beneficia confert.

Innocentium beneficia Eccleſiaſtica, ſacros honores & dignitates non niſi doctrinâ & moribus conſpicuis viris contuliſſe, auctor eſt idem Ægidius Cardinalis Viterbienſis, ſcribens, eum ſtatuiſſe, *ut non quàm dives, aut quàm nobilis, ſed quàm eruditus, pius, ac virtuoſus quis eſſet, ratio haberetur: homines ad ſacra admittendos, non de cenſu, vel ſtemmate, ſed de virtute & pietate cenſeri; oportere rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli: quibus Chriſti & Apoſtolorum vita cordi eſſet, iis Eccleſiarum curam credendam: contrà, quos opes, luxuſque delectant, hos arcendos eſſe à divinis adminiſtrandis.* Certè Innocentium Viros literatos dilexiſſe & promoviſſe, aſſerit Auctor primæ ejus Vitæ circa finem: *Viros inſuper*, inquit, *literatos fovit, eiſque benefecit, & multos promovit.* Clericos etiam pauperes multùm dilexit; unde Petrus de Herentals Prior Floreffienſis in quarta ejus Vita ſcribit, eum, cùm adhuc eſſet ſummus Pœnitentiarius, habuiſſe unum Capellanum præ ceteris ſibi dilectum, & in ſeptem Eccleſiis beneficiatum, qui ad ipſum jam Pontificem adduxit ſuum nepotulum ad aliquod beneficium ab eo impetrandum; ſed Papam ipſi reſpondiſſe: *Tu habes ſeptem bona beneficia: melius inter ea iſti puero reſigna*; cùmque videret Capellanum de eo contriſtatum, dixiſſe: *Adhuc tu habes ſex beneficia, & tibi ſufficerent pro expenſis tuis pauciora. Eligas ergo tibi de his tuis beneficiis tria meliora.*

liora, & alia ſine contradictione reſigna, quæ dabo tribus clericis pauperibus propter Deum. De quo facto Pontifex non modicùm eſt laudatus.

X. *Rotæ Auditorib' ſtipendia tribuit.*

Habemus etiam ex Platina & aliis, Innocentium Sacri Palatii Auditoribus, quos Rotæ vocant, ſalaria inſtituiſſe, ne muneribus corrumpi in decernendis litibus ob inopiam poſſent. Dicebat enim, famelicos non facilè etiam ab alieno cibo abſtinere, ſi ſit oblata quovis modo edendi facultas. A' Platina non diſſentit Ægidius Cardinalis Viterbienſis, ſcribens: *Cauſarum Auditoribus dedit præmia, ne, in jure dicendo, cauſas non judicare, ſed vendere potiùs cogerentur*. Ab his denique non diſſentit tertiæ Innocentii Vitæ Auctor, Ægidio & Platinâ antiquior, dum ſcribit: *Hic ordinavit ſtipendia Auditorum ſacri Palatii*, de quibus in Joanne XXII locuti ſumus.

XI. *Curiam reformat.*

Laxiorem etiam Curialium & Cardinalium vitam corrigere conatus eſt Innocentius, quod ut faciliùs aſſequeretur, à ſe ipſo exorſus, propriam familiam ad certum numerum redegit: *Diminuit expenſas, & familiares ſuos & etiam omnium Cardinalium*, inquit tertiæ Vitæ ejus Auctor; à quo non diſſentit Ægidius Viterbienſis Cardinalis ſæpe laudatus, cùm ſcribit: *Minuit impenſam & familiam, in quam non niſi probatiſſimum aſciri poſſe voluit: idem edictum propoſuit Senatui & Patribus, uti ſeveritatis, modeſtiæ, virtutiſque omnes exemplum eſſent populis, ut dignitatibus, opibuſque non abuti, ſed illis modeſtiſſimè fungi, his ſanctiſſimè, & in pauperes liberaliſſimè uti viderentur*; dicebat enim, teſte Platina, ſuam ac omnium Eccleſiaſticorum vitam ceteris exemplo eſſe debere ad imitationem Salvatoris noſtri, cujus tota vita ad inſtitutionem humani generis reſpiciebat.

XII. *Opera Legati terras Eccleſiæ à tyrannis occupatas recuperat.*

Licèt autem Innocentius eſſet parcus in victu, & podagrâ multùm laboraret, fuit tamen in ſumptus bellicos largiſſimus, & fortis ac robuſtus ad recuperandum provincias, terras, & jura Eccleſiæ, quæ temporibus ſuorum prædeceſſorum fuerant per tyrannos occupata in Italia; quare anno primo ſuæ coronationis, Chriſti 1353, Ægidium Alvarum Albornotium, genere Hiſpanum, patriâ Conchenſem, ex Archiepiſcopo Toletano Presbyterum Cardinalem tit. S. Clementis à Clemente VI creatum, Legatum in Italiam deſignavit diplomate dato *apud Villamnovam Avinionenſis diœceſis 2 Kal. Julii anno primo*, à Raynaldo n. 2 relato. Ægidius cùm in Italiam perveniſſet, non invenit in omnibus terris & dominiis Eccleſiæ loca ſub regimine ejus conſiſtentia, in quibus caput ſuum tutè poſſet reclinare, niſi Caſtrum Montisflaſconis in provincia Patrimonii, & locum de Montefalco in Ducatu Spoletano, ut ait Auctor primæ Vitæ Innocentii: qui addit, Legatum poſtea ſuas fimbrias dilataſſe, & civitatem Bononienſem cum aliis pluribus locis & caſtris ad obedientiam Innocentii, tam vi armorum, quàm virtute ſua reduxiſſe; quod paucis etiam verbis aſſerit Auctor tertiæ Vitæ: *Innocentius*, inquit, *ordinavit & tranſmiſit anno primo ſuæ coronationis Dominum Ægidium Hiſpanum Cardinalem in Legatum ex latere in iſtis partibus Italiæ ad recuperandum prædictas provincias, terras & jura Eccleſiæ occupata per tyrannos: quod & factum eſt manu potenti per Dominum Cardinalem infra quatuor annos cum multis laboribus & expenſis theſauri Eccleſiæ*; licèt enim Innocentius in ſubſidium recuperationis dictarum terrarum Eccleſiæ, indixiſſet *decimas per totum mundum*, ut loquitur Auctor ſecundæ Vitæ, *ſola* tamen *Alemannia ſolvit ſubſidium loco decimarum*, pro quo miſſus fuit Philippus de Cabaſſola Epiſcopus Cavallicenſis, poſtea Cardinalis.

XIII. *Lanceæ, & clavorum Chriſti feſta inſtituit.*

Anno 1354 Innocentius Lanceæ & Clavorum Chriſti in Bohëmia & Alemannia feſtum inſtituit, hac occaſione. Ludovicus Marchio Brandeburgenſis, Ludovici Bavari, ſe pro Imperatore olim gerentis, filius natu major, Carolo IV Romanorum Regi anno 1349 reconciliatus tradidit Lanceam, Clavos, partem crucis, & alia inſignia Imperialia, quæ à patre habuerat, ut ſcribit Joannes Nauclerus, quæ diſtinctiùs explicans Dubravius in Hiſt. Bohemorum lib. 22 ait, prædicta ſigna Imperialia fuiſſe Gladium Caroli Magni, Lanceam Chriſti, dexteram portionem Sanctæ Crucis cum uno Clavo, & Mappâ, quâ ultima menſa Domini ſtrata fuit, quæ Carolus in Bohemiam aſportavit. Sed Rebdorfius, qui ea ſe vidiſſe ait in ſolemnitate baptiſmi Wenceslai filii Caroli, qui eo anno 1361 ex Bohëmia in Bambergenſem diœceſim afferri juſſerat, prædictis inſignibus Imperialibus alia addit, ad eum annum ſcribens: *Inſignia Imperialia, quæ tunc vidi, de quibus Papa feſtum indixit, ſunt hæc: primum, ferrum Lanceæ quæ transfixit latus Chriſti: Item Clavus cum aliquali petia ligni Sanctæ Crucis, quæ tranſivit manum Chriſti: Item gladius Caroli Magni primi Imperat. Romanorum, quem tunc Imperator tenebat in manibus, & corona, quâ coronatus eſt in Imperatorem à Leone Papa III: Item gladius Mauritii Martyris: Item petia brachii Sanctæ Annæ matris Mariæ Virginis, & dens Joannis Baptiſtæ: Item petia cordæ, quâ Chriſtus fuit ad columnam ligatus: Spongia, quâ fuit in cruce potatus; & aliæ plures reliquiæ Sanctorum*. Sed vel fallitur, vel memoriâ labitur Rebdorfius, ſcribens Papam de his omnibus reliquiis feſtum in-

di-

dixiſse; nam Auctor primæ Vitæ Innocentii VI loquitur tantum de Lancea & Clavis Chriſti: Ad Caroli *inſtantiam*, inquit, *dictus Innocentius feſtum ſolemne ordinavit de lancea & de clavis Chriſti, in Alemannia & Bohemia obſervandum & colendum temporibus ſucceſſivis*. Auctor etiam ſecundæ Vitæ ait: *Ad petitionem Domini Imperatoris feſtum Lanceæ & Clavorum Chriſti inſtituit per Alamanniam & Bohemiam die Veneris poſt octabas Paſchæ celebrandum*, & quidem rectè, nam Innocentius in diplomate, quod ad hujus feſti inſtitutionem dedit Avenione Idibus Februarii anni ſecundi Pontificatus, ſeu anni 1354, quod extat apud Raynaldum num. 18, meminit ſolius Lanceæ, qua tranſfixum eſt latus Chriſti, & unius ex Clavis, quibus cruci affixus fuit; indulgentiaſque concedit iis qui annuatim viſitaverint Eccleſiam, in qua Lancea & Clavus fuerint, in die feſti, ſeu feria; ſexta poſt Octavam Reſurrectionis Dominicæ. Baronius ad annum *929* agit de Lancea ex Chriſti clavis confecta, quæ dicebatur fuiſse Conſtantini Magni, quamque Henricus Germaniæ Rex extorſit à Rodulpho Burgundiæ & Italiæ Rege, qua præeunte tum ipſe Henricus, quàm ejus ſucceſsor Otto, ſæpius hoſtes fugarunt, ut legitur in Geſtis B. Gerardi Abbatis Bromienſis apud Surium die 3 Octobris, & in Luitprando lib. 4 cap. 12. Addit Baronius in Hiſt. de Geſtis Angl. poſt Bedam lib. 2 cap. 8, aſsertionem eſse de alia Lancea, quæ Caroli Magni fuiſset, ferreturque eſse eadem, quam Centurio lateri Chriſti impegiſset. Sed Romani contendunt, verum ferrum Lanceæ, quo Chriſtus in cruce transfoſsus eſt, in Baſilica Vaticana à populo Chriſtiano inter alia Dominicæ Paſſionis ſanctiſſima monumenta coli; ſicque illam Lanceam, quæ in theſauro Imperiali ſervabatur, ex aliqua parte Clavorum Dominicorum, conjuncto alio ferro, eleganti opere elaboratam, dono traditam Rodulpho Burgundionum Regi fuiſse, & à Rodulpho extortam ab Henrico Germaniæ Rege. Qua occaſione vera Lancea Romam delata fuerit, in Innocentio VIII dicemus. Utrum corona, de qua loquitur Rebdorfius, fuerit illa, qua Carolus Magnus coronatus eſt Imperator à Leone III, & diverſa non ſit ab ea, quam in capite habebat anno milleſimo, quando corpus ejus repertum fuit, ut diximus in Alexandro III num. 57, divinari non poteſt. Ceterùm Sanctum Ludovicum Franciæ Regem ferrum Lanceæ, quo Chriſtus transfixus eſt, cum Spongia, qua potatus fuit, unà cum aliis pretioſis & Sacris Reliquiis, quæ diverſis creditoribus & diverſis temporibus à Francis Conſtantinopoli imperantibus pignori obligata fuerant, Balduini II Imperatoris Conſtantinopolitani conſenſu & voluntate redemiſse, eaſque in Sancta Capella collocaſse cum corona Chriſti ſpinea anno 1238, pluribus oſtendit Spondanus ad eum annum num. *6* & ſeqq.

XIV. *Legatum Romam miſit ad coronandum Carolum IV in Imperatorem.*

Imperatores Germanos triplici corona fuiſſe redimitos, primâ argenteâ Aquiſgrani, ut Reges Germaniæ, ſecundâ ferreâ vel Mediolani, vel Modoetiæ, ut Reges Longobardiæ, tertiâ Romæ, ut Imperatores, jam ſuperiùs diximus Tomo primo hujus Operis in Leone III num. XX. Cum itaque Carolus Bohemiæ Regis filius in Regem Romanorum electus coronâ tantum argenteâ coronatus fuiſſet, in Italiam pergere decrevit, ut Romæ coronâ Imperiali redimiretur; Theodoricum Epiſcopum Mindenſem oratorem ad Innocentium miſit, qui ab eo expoſceret Legatos Cardinales ad id munus mitti. Pontifex diplomate dato *XI Kal. Decembris anno II*, anno ſcilicet 1354, apud Raynaldum num. *6*, & ſeq. Carolo de fauſto in Italiam adventu gratulatus eſt, ſeque ob rerum molem ad conferenda illi ornamenta Imperialia Romam adire non poſſe excuſavit. Verùm Legatis Regii honoris cupidiſſimis, eam provinciam à ſe demandatum iri. Eodem die ſcripſit Pontifex Ægidio Alvaro Cardinali Apoſtolicæ Sedis in Italia Legato, mandans ei, ut efficacibus auxiliis Carolo adeſſet, & opportunis aſſiſteret favoribus. Cùm verò Carolus intraſſet Italiam circa finem ejuſdem anni 1350, & die ſexta Januarii in feſto Epiphaniæ anni 1355, in Eccleſia ſancti Ambroſii Mediolani corona ferrea fuiſſet coronatus, Innocentius alio diplomate dato *Avenione 2 Kalendas Februarii, anno Pontificatus 2*, apud eumdem Raynaldum num. 3, & ſeqq. Petrum Bertrandi Juniorem Epiſcopum Oſtienſem Legatum Romam miſit, ad inungendum & coronandum corona aurea Carolum & Annam ejus uxorem: *Karolus Rex Alamanniæ & Bohemiæ*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii tunc vivens, *deſcendens in Italiam, coronam Imperialem de manibus Domini Petri Epiſcopi Oſtienſis ad hoc miſſi in Baſilica Sancti Petri Romæ in die ſancto Paſchæ* (ſeu die quinta Aprilis) *honorabiliter ſuſcepit, & uxor ejus cum eo, ſtatim Romam exiens eo die*; juramento enim antea ſe aſtrinxerat, quòd ante diem coronationis aſſignatam non ingrederetur Romam; eâdemque coronationis die, legitimo ceſſante impedimento, recederet, & nullâ morâ in terris Eccleſiæ factâ, continuatis itineribus ad terras Imperii ſeſe reciperet, ad vitandas videlicet occaſiones rixarum cum Eccleſiæ ſubditis, & pruriginem occupandi aliquid ditionis ejus, aut quicquam aliud contra Sedem Apoſtolicam agendi, ſicut à pleriſ-

quo

que aliis actum fuerat, quæ inextricabilia inter Eccleſiam & Imperium diſſidia, cum univerſali Chriſtianorum detrimento, generare poſſent: ſicuti etiam agnoviſſe Krantzium lib. 8, cap. 36, Wandal. ſcribit Spondanus anno 1355, num. 2, ubi & addit, Franciſcum Petrarcham has rationes concoquere non valentem, ſolitâ calami libertate, libro ſecundo de Vita ſolitaria ſect. 4, cap. 3, graviter queſtum eſſe, Cæſarem hunc veluti rapto diademate in Germaniam abiiſſe, patriis latebris & nomine contentum Imperii; cujus extrema membra complecteretur, caput ſperneret; nulloque perſequente fugientem, ſponſæ ſacros amplexus, & pulchræ faciem horrere Italiæ. Excuſare quidem Cæſarem, ſe Eccleſiæ juraſſe ne ampliùs quam unum diem Romæ ageret: Sed ô, inquit, infamem diem! ô pudendum fœdus! ô ſuperi! en jusjurandum, en religio, en pietas! Romanus Pontifex ita ſuam Romam deſeruit, ut eam nolit ab alio frequentari, & de hoc cum Romano Imperatore paciſcatur. Sed, ut ſubdit Spondanus, excuſandus in homine liberrimæ linguæ impotens amor Urbis Romæ & Italiæ, præ quo nihil penſi habuit; etiam alioqui parum Pontificibus æquus, ob deſertam ab iis præcipuam ipſorum Sedem. Porrò Carolus eodem die, quo inunctus eſt & coronatus, literas dedit ad Innocentium Papam, ſcriptas *Romæ poſt ſuſceptionem Imperialis noſtræ coronæ anno Domini* 1355, *indictione VIII, Nonis Aprilis, regnorum noſtrorum anno IX, Imperii verò anno I*: ex quo confirmatur quod ſuperiùs in Joanne XIX num. VII diximus, Germaniæ nempe Reges vi electionis non fuiſſe, nec ſe appellaſſe Imperatores, ſed tantùm poſtquam Imperialem benedictionem à Romano Pontifice ſuſceperant.

XV. *Cur ſolum Epiſcopum Oſtienſem ad eam coronationem peragendam miſerit.*

Ceterùm hic occurrit difficultas, cur Innocentius ad inungendum & coronandum Imperatorem, ſolum Epiſcopum Oſtienſem Romam miſerit, collega addito Ægidio Alvari Presbytero Cardinali tit. S. Clementis, Apoſtolicæ Sedis in Italia Legato, cum hoc tamen, ut alter ei rei vacare non poſſet, alter ſolus exequeretur; cùm Clemens V ad coronandum Henricum VII, Caroli avum, quinque Cardinales miſerit; & ex Ordine Romano, qui extat Tomo 2 Muſei Italici pag. 397, & ſeqq. & ex Matthæo Villanio lib. 4, cap. 71 conſtet, jus coronandi Imperatorem ad Epiſcopos Oſtienſem, Portuenſem & Albanenſem pertinuiſſe. Sed difficultatem ſolvit ipſemet Villanius loco laudato, & lib. 3, cap. 103, ubi narrat, cum de eligendis ad id operis Cardinalibus unà cum Petro Bertrandi Epiſcopo Oſtienſi, & Talayrandus Epiſcopus Albanenſis & Guido de Bolonia Portuenſis eum etiam honorem ſibi deberi contenderent, ex privilegio ſuarum Eccleſiarum, ſtatutum eſſe ab Innocentio die decima Novembris, eos de jure debere eſſe Legatos, ut docet liber Epiſcopi Oſtienſis de ea Legatione conſcriptus: verùm Talayrandum & Guidonem, licèt magnis animis & magna contentione eum honorem expetiiſſent & obtinuiſſent, remiſiſſe tamen, quia Papa & Cardinales noluerunt ſuppeditare ſumptus ad illud iter Romanum, ſicut alias moris erat: ideoque ipſos conſiderata inopia Caroli, qui non erat eis ſatisfaciendo, à cœpto deſtitiſſe cum opprobrio ambitionis & avaritiæ: quod ne augeret Pontifex, noluiſſe alios mittere, ſed rem commiſiſſe prædicto Ægidio Alvari; qui tamen & ipſe negotium integrum Petro Oſtienſi dimiſit.

XVI. *Cardinales ſex creat.*

Anno 1356, die Veneris, vigeſima tertia Decembris Innocentius Pontifex creavit ſex novos Presbyteros Cardinales, videlicet Petrum de Foreſta Gallicum, tunc Archiepiſcopum Rotomagenſem & Cancellarium Regis Franciæ; Heliam de ſancto Aredio, diœceſis Lemovicenſis, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Epiſcopum Uticenſem, Franciſcum de Tuderto Italicum, tunc Epiſcopum Florentinum, Petrum de Monteruco diœceſis Lemovicenſis nepotem ſuum ex ſorore, tunc electum Pampilonenſem; Guillelmum Farinerii de Gordonio, diœceſis Caturcenſis, tunc Generalem Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum; & Nicolaum Roſelli Catalanum Ordinis Prædicatorum, tunc Inquiſitorem hæreticæ pravitatis provinciæ Aragoniæ. Ex illis ſex Cardinalibus duo, nempe Petrus de Foreſta, & Nicolaus Roſelli, tunc abſentes erant a Curia. In gratiam Roſelli ſcripſit Petrus Rex Aragonum, petens à Pontifice, ut pileum rubeum ei tranſmitteret: ad quem reſpondit Innocentius, moris non eſſe, ut cuiquam niſi Pontificia manu detur, ſeque ea de re Cardinales percunctatum, ut Regiis votis morem gereret, neque illos ad ſuam ſententiam allicere potuiſſe. Illum tamen miſit Innocentius Petro de Foreſta, quod colligitur ex eo, quòd cùm idem Petrus Aragoniæ Rex reſcripſiſſet Pontifici, & objeciſſet exemplum Petri de Foreſta: novi Cardinalis, ad quem Innocentius miſerat pileum rubeum, reſpondit Pontifex diſparem eſſe rationem, quia ille miſſus fuerat Burdegalam, ut de pace ageret inter Reges Francorum & Anglorum, quæ conſtant ex iis quæ habet Raynaldus anno 1356, n. 41, & 1357, n. 2: ex quibus & eruitur, Talayrandum & Nicolaum Capocium Cardinales, qui tum Legatione Sedis Apoſtolicæ fungebantur in Gallia, obtinuiſſe ab Innocentio, ut pileum rube-

um

SÆC. XIV. INNOCENTIUS VI.

um ad Petrum de Foreſta mitteret.

XVII. *Pileum rubeum ad Cardinales abſentes aliquando mitti.*

Fallitur itaque Jacobus Cohellius in Notitia Cardinalatûs, cùm pag. 27 ſcribit, Cardinali abſenti creato propter eminentiam ipſius Viri ad ſacram purpuram promoti, putà ſi fuerit filius aut frater Imperatoris vel Regis, nedum biretum, ſed etiam galerum rubeum per Nuncium à Pontifice mitti: cujus rei affert exemplum Pauli V, qui galerum miſit ad Ferdinandum Auſtricum Philippi III Hiſpaniarum Regis filium; nam exemplum Petri de Foreſta hanc obſervationem deſtruit, ex eo enim conſtar, antequam bireto rubeo uterentur Cardinales, galerum rubeum ad abſentes aliquando miſſum, etiam ſi non eſſent filii aut fratres Imperatorum aut Regum: cujus rei extat aliud inſigne exemplum ejuſdem Innocentii VI, qui anno Pontificatûs nono, Chriſti 1461, miſit Capellum rubeum ad Androynum de Rocha in Gallia Nuncium, *licèt*, inquit, *hoc non fuerit ſine magna cauſa fieri conſuetum*. Epiſtola Innocentii extat Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum col. 1063. Cur aliquando mittatur capellus rubeus ad Cardinales abſentes, legitur in Ordine Romano Jacobi Cajetani apud Mabillon. Tomo 2 Muſei Italici pag. 433. *Regulariter Cardinali novo abſenti capellus rubeus per Dominum Papam non mittitur. Interdum tamen de gratia ſpeciali mitti et per Dominum Papam conſuevit, quando antea miſſus Legatus, vel Nuncius per eum fuerat pro pace inter Reges, vel Regem & Principes tractanda, ac etiam conſummanda, ad finem quòd ipſe Cardinalis per ipſos in majori reverentia habeatur, & ex hoc ad pacem meliùs & faciliùs inducatur*. Petrus autem de Foreſta miſſus fuerat pro tractanda pace inter Franciæ & Angliæ Reges; Androynus verò erat in Gallia de mandato Innocentii *pro proſequutione quorumdam arduorum negotiorum*, Joannem Galliæ *Regem, ac Regni ſui tranquillitatem & pacem contingentium*, ut ipſemet Pontifex in laudatis literis aſſerit. Mittebatur etiam aliquando pileus rubeus ad eos quorum præſentia Reges indigebant: ſic Clemens IV anno 1351, eum miſit ad Ægidium Rigaudum, quem anno 1350, ex Abbate S. Dionyſii in Francia Cardinalem creaverat, literis datis apud Villamnovam XVII Kal. Aprilis anno 9, in quibus expreſsè aſſerit, ſe illum mittere, quia Rex Franciæ ejus præſentiâ indigere ſe dixit. Has literas refert Raynaldus anno 1350, num. 48.

XVIII. *Monaſterium Carthuſienſium, ad Villamnovam fundat.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto Innocentius Papa fundavit & dotavit apud Villamnovam prope Avenionem Domum Carthuſianorum in Palatio, quod habebat ibidem, dum eſſet Cardinalis, ut ad eum annum oſtendit Raynaldus n. 42; ubi ait extare hujus donationis diploma, ſeu bullâ fundationis, quam Baluzius in Notis ad Vitam Innocentii, datam ſcribit undecimo Kalend. Junii anno Pontificatûs quarto: *Ædificavit idem Pontifex*, inquit Auctor primæ Vitæ, *& dotavit in Villanova prope Avenionem Domum Cartuſienſium, Vallis Benedictionis nominatam, conſtituens in ea certum numerum Fratrum, ſeu Monachorum ejuſdem Ordinis, pro quorum ſuſtentatione ſufficienti multa bona deputavit*. Idem aſſerit Auctor ſecundæ Vitæ. Idem Baluzius ex veteribus monumentis ejuſdem monaſterii ad ſe olim miſſis ait, Innocentium illic poſuiſſe unum Priorem & duodecim Monachos Conventuales, duos alios ſervitiis infirmorum & debilium inſiſtentes, duos Clericos nuncupatos redditos, ac quatuor converſos & novem ſervitores ad ſervitium Prioris & Monachorum prædictorum. Poſtea Petrum de Monteruco, quem mox ab Innocentio avunculo Cardinalem creatum vidimus, anno 1372, addidiſſe alios duodecim Conventuales, & alios duos ad ſerviendum infirmis & debilibus, duos clericos nuncupatos redditos, & quatuor converſos ac novem famulos ad ſervitium eorundem Prioris & Monachorum; quibus omnibus congruas cellas ædificavit: ejuſque rei teſtes eſſe literas ejuſdem Petri datas apud Villamnovam anno 1372, die tertia menſis Januarii. Præterea Stephanum Alberti ejuſdem Papæ Innocentii pronepotem, Cardinalem Carcaſſonenſem dictum, quaſdam cellas ædificari mandaſſe, dediſſeque propterea mille tercentum & ſexaginta quatuor florenos auri, & tres groſſos argenti. Wernerus Rollewink in Faſciculo Temporum, ubi fundationem hujus monaſterii ab Innocentio factam refert, ſcribit viſionem factam eſſe cuidam Eremitæ in præſentia Innocentii dum adhuc eſſet Cardinalis, dicenti ſe vidiſſe animas in infernum deſcendentes ſicut nives denſiſſimas, in purgatorium ſicut nivem rariſſimam, ſed ad paradiſum tres tantùm vidiſſe introire, ſcilicet illius Epiſc. ac illius viduæ Romanæ, & illius Prioris Carthuſienſis. Quæ omnia cum poſtea reperiſſet vera Innocentius, maximam devotionem erga Carthuſienſes habuiſſe, multa privilegia eis conceſſiſſe, ac ſub ſancti Petri & Romanæ Eccleſiæ Protectione eos ſuſcepiſſe: quibus innuere videtur, hanc viſionem fuiſſe cauſam fundationis dicti monaſterii. Eadem narratio legitur etiam apud Petrum Dorlandum lib. 4 Chronici Carthuſ. cap. 16. Extat ad Mauſoleum Innocentii memoria dedicatæ Eccleſiæ hujus Monaſterii per Guidonem de Bolonia Epiſcopum Portuenſem, præſente Pontifice una cum collegio Cardinalium anno 1358, die 19 Auguſti.

Anno

Digitized by Google

SÆC. XIV. INNOCENTIUS VI.

XIX. *Muris, & turribus Avenionem claudit.*

Anno 1357 quidam miles natione Vaſco, dictus Arnaldus de Servola, vulgariter Archipresbyter de Verniis nominatus, collectis copiis diverſarum nationum rapto viventium intravit Provinciam & plurima damna fecit & ſtrages; propter quæ tota Romana Curia ſtupefacta, Papa datâ pecuniâ, pro qua ſe Provinciales obligaverunt, ipſum abire fecit, & tranſitum per Avenionem conceſſit. Sed interim Pontifex ſtipendiarios multos tenuit, civitatemque muris & portis ac foſſatis munivit; ad quæ omnes Clerici in Curia Rom. degētes contribuere tenebantur, ut ait Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii. In his rerum anguſtiis Pontifex Caroli imperatoris opem imploravit literis datis *VIII Kal. Auguſti anno V* apud Raynaldum num. 3. Tunc Avenionem, quæ, ut ait Petrarcha lib. 1 Rer. Senil. Epiſt. 18, erat *parva murorum ambitu*, fecit amplam civitatem, eamque non ſolùm muris & foſsatis, ſed & turribus circuivit. *Fecit claudi & circuiri totam civitatem Avenionenſem muris & turribus altis & fortiſſimis, ac vallibus ſeu foſſatis ad extra; ex quibus dicta civitas, quæ perprius erat omninò aperta, effecta eſt fortiſſima, & ad reſiſtendum quibuſcumque eam expugnare volentibus multum bene diſpoſita & parata; voluitque quòd clauſura hujuſmodi haberet magnum ambitum, ad hoc ut proceſſu temporis infra ipſam poſſent fieri nova ædificia, ex quibus dicta civitas ampliaretur; includerentur etiam infra eam multa viridaria & loca amœna circa ipſam tunc exiſtentia, ac etiam hoſpitale miræ pulchritudinis pro tunc noviter ibidem ædificatum & dotatum per Bernardum Raſcaſii Legum Doctorem civem Avenionenſem.* Porrò licèt Innocentius murorum Avenionis ædificationem inchoarit, ea tamen nondum perfecta erat anno 1368; eo enim anno Urbanus V Româ VIII Idus Januarii ſcripſit ad Philippum de Cabaſſola, tunc Patriarcham Jeroſolymitanum, & Vicarium Generalem Epiſcopatus Avenionenſis, ut hujus urbis mœnia inchoata perficeret; & ſi quæ domus, etiam Cardinalium, eſſent, quæ iiſdem mœnibus conſtruendis, amplificandiſque incommodarent, eas dato pretio dirueret, ut legitur apud Bzovium eo anno num. 5.

XX. *Ægidium Card. ex Italia revocat, & iterum mittit.* Eodem anno 1357 Ægidium Alvari in Italiam ab Innocentio initio Pontificatus Legatum Apoſtolicæ Sedis miſſum, cùm univerſa Eccleſiæ Romanæ recuperaſſet, exceptis quibuſdam civitatibus, revocavit Innocentius à ſua Legatione, ſive proprio motu, ſive Ægidii rogatu, miſſo in ejus locum Androino de Rocha Abbate Cluniacenſi: *Die Lunæ XXIII Octobris Dominus Sabinenſis* (nempe Ægidius ab eodem Innocentio ex Presbytero Card. tit. S. Clementis dictus Epiſcopus Sabinenſis) *Legatur Italiæ revertitur, remanente pro eo ibidem Abbate Cluniacenſi, & Malateſtam tyrannum ſecum duxit ad præſentiam Domini Papæ*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii; Auctor verò primæ addit, tunc Malateſtam de Malateſtis Ariminenſem, qui Marchiam & Romandiolam occupaverat, Innocentio PP. fuiſſe reconciliatum. Ægidio Avenionem appropinquanti Pontifex cum univerſo Cardinalium collegio ad duo millia ab Urbe paſſuum obviam officii gratiâ prodiit, & in palatium Pontificium deductus eſt. Ubi locuplete oratione rerum geſtarum Ægidii ſummam Pontifex complexus, ipſum pro ſuggeſto magnopere laudavit, & Eccleſiæ patrem cum magno omnium aſſenſu appellavit, jubens eum omnium rerum Italicarum curam cum ſumma poteſtate habere, ut ſcribit Ciaconius: *Die Lunæ XXIV* (legendum XXIII, cùm littera Dominicalis eſset A anno 1357) *menſis Octobris in Curia dictus Dominus Legatus Ægidius à Domino Papa & omnibus dominis Cardinalibus & commorantibus in Curia benevolè eſt receptus*, inquit Auctor tertiæ Vitæ. Verùm cùm Androinus ad res bellicas minùs idoneus eſset, ideoque res Eccleſiæ in Italia rurſum dilabi inciperent, Innocentius de his certior factus Ægidium cum ampliori poteſtate in Italiam remiſit anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo octavo, ut ad eum annum ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii: *De menſe Octobris*, inquit, *Dominus Sabinenſis Cardinalis revertitur in Italiam.*

Hoc tempore Richardus Armachanus Hiberniæ Primas Religioſos Mendicantes non mediocriter exagitavit, movitque quæſtionem generaliter contra omnes, faciens contra illos libellos & tractatus, & allegans ipſos ab Eccleſia non debere ſuſtineri, dicens inter cetera & aſserens, quòd Chriſtus & Apoſtoli, licèt eſsent Viri pauperes, non fuerunt mendicantes. Allegabat autem multas ſcripturas, ut ab Eccleſia delerentur, vel ſaltem ut auxilio privilegiorum pro prædicationibus, confeſsionibus ac ſepulturis & exemptionibus privarentur. Edidit hanc in rem librum, cui titulum fecit *defenſorium Curatorum*, & tractatum de audientia Confeſſionum. Sed Richardus citò expertus eſt periculoſum eſſe viris quantumvis magnis plures aggredi conjunctiſſimos, & qui multis calamis & linguis reſiſtant, præſertim cùm eorum cauſa juſtitiâ nititur; nam Mendicantes in ſeptem aut octo concionibus, quas ad populum habuit, novem propoſitiones ad Sedis Apoſtolicæ tribunal detulerunt, velut ſuo ſtatui ac privilegiis ab Apoſtolica Sede conceſſis derogantes, propter quas ad Curiam Pontificiam in judicium vocatus eſt. Pervenit itaque Richardus Avenio- XXI. *Religioſorum Mendicantium privilegia confirmat.*

nionem menſe Novembri anni 1357, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii. Ad eas quæſtiones cognoſcendas delegati ſunt à Pontifice quatuor Cardinales, nempe Guillelmus Epiſcopus Tuſculanus, Petrus Sancti Martini in Montibus, Helias Sancti Stephani in Cœlio Monte, & Franciſcus Sancti Marci Presbyteri Cardinales. Armachani Præſulis aſſertiones inter alios & egregiè confutarunt Rogerius Chonoe Ordinis Minorum, qui opus ſuum inſcripſit: *Defenſio Religionis Mendicantium*; quod Opus cum Richardi Armachani Tractatu edidit Goldaſtus Tomo 2 Monarchiæ Romani Imperii; Joannes Heidelhamius Carmelita, Galfridus Hardebejus Auguſtinianus, & Engelbertus Dominicanus Anglus, ut ſcribit Harpsfeldius Sæc. 14 cap. 28. Walſinghamus in Eduardo III ad annos 1358 & 1360, dolens refert privilegia Mendicantium per Innocentium non fuiſſe abolita, ſed contrà luculentiùs confirmata, impoſito adverſariis ſilentio. Fervente enim contentione, Innocentius ſuſpenſo litis judicio, interlocutoriam pro Mendicantibus ſententiam tulit Kalendis Octobris anni 1358, prohibens Archiepiſcopis ac Epiſcopis Angliæ, ne Fratres in Confeſſionibus, Prædicationibus, Sepulturis ac eleemoſynis impedirent, aut per ſuos ſubditos impediri permitterent, ſtatuenſque ne pendente lite quidquam innovarent: *Adhuc lite pendente Fratres ſua privilegia ſub data nova obtinuerunt*, inquit Walſinghamus laudatus.

XXII. *Duas Clementis V Conſtitutiones revocare recuſat.*

Carolus quartus Imperator anno 1359, juxta Spondanum, binas Clementis quinti Pontificis Conſtitutiones, quarum altera incipit, *Romani Principes*, quæ in Corpus Juris *Clement. tit. de jurejur.* & altera, quæ incipit, *Paſtoralis*, quæ extat etiam in Clementinis tit. *de ſent. & re judic.* de quibus in eodem Clemente V num. 69 & 71 locuti ſumus, Henrici VII Imperatoris avi ſui, cujus causâ latæ fuerant, & aliorum antecedentium Imperatorum memoriam offuſcare apud Innocentium Papam cauſatus, ſemel atque iterum rogavit eas revocare, miſſis ad hoc Archiepiſcopo Pragenſi & Epiſcopo Argentinenſi. Quod Innocentius, re cum Collegio Cardinalium communicata, non eſſe ſibi integrum facere excuſavit; eò quòd fuiſſent illæ magna conſilii deliberatione decretæ & maturè conſideratæ, ceteriſque ſanctionibus Apoſtolicis in Corpore Juris Canonici adjunctæ, non tamen eò quòd *in Synodo Generali Viennenſi maturè conſideratæ fuiſſent*, ut ſcribit Spondanus, quia hæ conſtitutiones editæ ſunt poſt Concilium Viennenſe, quod finitum eſt die ſexta Maji anni 1312, cùm prior Conſtitutio edita fuerit poſt coronationem Henrici VII, quæ peracta eſt Romæ die 29 Junii ejuſdem anni, & poſterior poſt mortem ejuſdem Imperatoris, quæ contigit anno 1313 die 24 Auguſti, ut ſuis locis oſtendimus.

XXIII. *Cenſum & juramentum a Genuenſibus pro Corſica exigit.*

Mutatum eſſe anno 1339 Genuæ ſtatum ex Ariſtocratico in Democraticum, & Simonem quemdam Buccanigram è popularium Principibus Ducem creatum, nonnullis civibus è popularium item corpore illi ad conſilium additis, narrant illius civitatis Hiſtorici, Nebienſis lib. 4, Foliet. lib. 7, & alii, inter quos Joannes Villanius lib. 11 cap. 101, & lib. 12 cap. 36. Ad Simonem Ducem anno 1360 Innocentius Papa Andream Epiſcopum Ariminenſem Apoſtolicum Internuncium mittit, ut illum ac Senatum Genuenſem in Pontificio ſacramento adigeret nomine Inſulæ Corſicæ Sedis Apoſtolicæ fiduciariæ, exigeretque cenſum, ac de nonnullis aliis tranſigeret, ut refert Raynaldus ex Epiſtola ejuſdem Innocentii, in qua ait: *Cum peculiaris Apoſtolicæ Sedis civitas Januenſis eidem Sedi ad præſtationem cujuſdam certi cenſus annui ex cauſa mediæ Corſicæ Inſulæ, quam obtinet, teneatur cum præſtatione alias ſoliti juramenti.* Mediam porro Corſicæ Inſulæ partem ab Honorio III Genuenſibus anno 1217 ea lege datam eſſe, ut ſacramentum fidelitatis, cùm fuerint requiſiti, Romano Pontifici præſtarent, & quotannis libram auri penderent, oſtendimus Parte prima hujus Tomi in ejuſdem Honorii III Vita num. 14.

XXIV. *Octo Cardinales creat.*

Anno 1361 mortalitas reincepit in Avenione, ita quòd æſtate illius anni octo Cardinales mortui ſunt & populus innumerabilis, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii. Henricus Rebdorfius in Annalibus loquens de hac mortalitate ait, à feſto Paſchæ uſque ad Penteceſten, & ad feſtum Jacobi Apoſtoli mortuos eſſe apud Avenionem centum Epiſcopos & quinque Cardinales. Baluzius in Notis ad Vitam Innocentii col. 973 obſervat, veriorem eſſe Matthæi Villanii lib. 10 cap. 46 opinionem, nempe tunc obiiſſe novem Cardinales, ſcilicet Petrum de Prato Epiſcopum Prænestinum, Guillelmum Curti dictum Cardinalem Album, Petrum Bertrandi Juniorem Epiſcopum Oſtienſem, Joannem de Caramano, Franciſcum de Tuderto Cardinalem Florentinum, Bernardum de Turre, Guillelmum Farinerii, Petrum de Croſo, & Petrum de Foreſta. Cùm itaque Cardinalium Collegium valde imminutum eſſet, Innocentius die decima ſeptima menſis Septembris, quæ eo anno 1361 concurrebat cum feria ſexta Quatuor Temporum, fecit ordinationem octo Cardinalium, videlicet quinque Presbyterorum, & trium Diaconorum. Presbyteri fuerunt Fortanerius Vaſſalli diœceſis Caturcenſis, Ordinis Minorum, tunc Patriarcha Gradenſis; Petrus Iterii diœceſis Petra-

tra-

SÆC. XIV. INNOCENTIUS VI.

tragoricenſis, tunc Epiſcopus Aquenſis; Joannes de Blandiaco diœceſis Uticenſis, tunc Epiſcopus Nemauſenſis; Ægidius Ayſſelini de Monteacuto Arvernus, tunc Epiſcopus Morinenſis, & Cancellarius Regis Franciæ; Androynus de Rocha, natione Burgundus, tunc Abbas Cluniacenſis. Diaconi verò fuerunt, Stephanus Alberti diœceſis Lemovicenſis, tunc electus Carcaſſonenſis, pronepos Papæ; Guillelmus Bragoſe diœceſis Mimatenſis, tunc electus Vabrenſis; Hugo de Sancto Martiali diœceſis Tutelenſis, Legum Doctor, Præpoſitus Doacenſis. Ex illis Cardinalibus tres fuiſse abſentes, & die tantùm Jovis poſt feſtum omnium Sanctorum primò ad Curiam veniſſe notat idem Auctor ſecundæ Vitæ Innocentii; erant autem illi tres Joannes de Blandiaco, ſeu Blanſaco, Petrus Iterii, & Hugo de Sancto Martiali: ſed Androynum de Rocha fuiſse tunc etiam abſentem jam diximus num. XVII; ad eum enim miſit Innocentius Capellum rubeum decimo tertio Kalendas Januarii ejuſdem anni, & Avenionem tantùm pervenit anno 1362, dum Innocentius eſſet in extremis, ut in ſequenti Pontificatu dicetur.

XXV. *Guillelmum Grimoardi Nuncium in Siciliam mittit.*

Cùm anno 1362 nocte præcedente diem Aſcenſionis, quæ eo anno incidit in 26 Maji, mortuus eſſet Neapoli Ludovicus Tarentinus Siciliæ Rex, ejus exequias Avenione fecit celebrari Innocentius die vigeſima Junii, & ſtatim, ne regnum Eccleſiæ Romanæ vectigale quid detrimenti pateretur, Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem Maſſilienſem, qui ipſi in Pontificatu ſucceſſit, Legatum Neapolim miſit, ut ſcribit idem ſecundæ Innocentii Vitæ Auctor: *Eodem anno*, inquit, *mortuus eſt Ludovicus Rex Siciliæ. Cujus exequias fecit fieri Dominus Papa de menſe Junii die 20, mittens ad partes illas Nuntium dominum Guillelmum Grimoardi tunc Abbatem Maſſilienſem, Ordinis Sancti Benedicti, qui poſtea electus eſt ibidem exiſtens in Papam, & Urbanus V appellatus*; cujus occaſione Chronologiam Abbatum S. Victoris Maſſilienſis per hæc tempora valde confuſam hic reſtituere abs re non erit.

XXVI. *Chronologia Abbatum S. Victoris Maſſil. per hæc tempora valde confuſa.*

Quo tempore Guillelmus Grimoardi ex Abbate monaſterii Sancti Germani Autiſſiodorenſis dictus ſit Abbas Maſſilienſis, in obſcuro eſt. Sammarthanus in Nova Gallia Chriſtiana id factum ſcribit anno 1358; ex quo manifeſtè ſequitur, Guillelmum fuiſſe Abbatem Maſſilienſem ab eo anno ad menſem Octobrem anni 1362, quo electus eſt Pontifex, imò uſque ad annum 1370, quo obiit, cùm, ipſomet Viro erudito fatente, factus Pontifex nomen Abbatis geſſerit, curans Monaſterium regi per Vicarios. Poſtea tamen idem Sammarthanus ponit Raimundum III, quem dicit fuiſſe Abbatem anno 1361 exeunte menſe Decembri, ex Epiſtola Innocentii VI data 4 Kal. Januarii anno IX Pontificatûs, ſeu die 29 Decembris anni 1361. Poſt Raimundum ponit Stephanum III, qui ex Epiſtola 54 Innocentii in Theſauro novo Anecdotorum data 5 Kal. Martii anno IX, ſeu die 25 Februarii anni 1361, erat Abbas Maſſilienſis, & ſuſpicatur hunc Stephanum eſſe Stephanum Alberti, Innocentii VI, non Urbani V, ut memoriæ lapſu ipſe aſſerit, nepotem, qui excepit corpus Urbani Maſſiliam delatum anno 1372. Tandem huic Stephano ſuffectum dicit die 25 Januarii anni 1379 Pontium de Ulmo. Quæ Chronologia cùm ſubſiſtere non poſſit, reſtitui poſſe videtur, tum ex inſtrumentis, quæ laudat ipſemet Sammarthanus, tum ex Epiſtolis Innocentii VI, quæ extant Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum Edmundi Martene. Sammarthanus ponit Stephanum de Claperiis Abbatem ab anno 1348 ad 1353; ſed cùm menſe Februario anni 1361, juxta Epiſtolam Innocentii VI, quam ipſe citat, quæque extat dicto Tomo 2 Anecdot. ordine 54, Stephanus eſſet Abbas, vel iſte Stephanus eſt idem cum Stephano de Claperiis, vel, ſi ab eo diſtinguendus ſit, ponendus eſt ante Guillelmum Grimoardi, quem ex Epiſtolis Innocentii 68, 71, 92, 95, 103, 174, 176, 190, & 191 conſtat fuiſſe Abbatem Sancti Germani Autiſſiodorenſis ſaltem uſque ad diem ſecundam Julii anni 1361; ultima enim ex laudatis Epiſtolis inſcripta eſt *Guillelmo Abbati Monaſterii Sancti Germani Autiſſiodorenſis*, & data eſt *Avenione 6 Nonas Julii anno nono* Pontificatus, ſeu die ſecunda Julii anni 1361. Nec juvaret dicere, Guillelmum Grimoardi tunc fuiſſe etiam Abbatem Maſſilienſem, vel ſaltem dictum eſſe talem poſt diem ſecundam Julii ejuſdem anni; nam præterquam quòd nullibi dicitur, Abbas Maſſilienſis Monaſterii, ex Epiſtola 249 Innocentii, data die 29 Decembris ejuſdem anni, conſtat, non Guillelmum ſed Raimundum tunc fuiſſe Abbatem Sancti Victoris Maſſilienſis. Cùm tamen ex dictis numero ſuperiori liquidò pateat Guillelmum Grimoardi menſe Junio anni 1362 fuiſſe Abbatem Maſſilienſem: ſicuti & ex Auctoribus ejus Vitæ menſe Octobri ejuſdem anni, quo electus eſt in Papam, manifeſtè ſequitur, eum quàm citiùs menſe Januario anni 1362 ex Abbatia Sancti Germani Autiſſiodorenſis ad Maſſilienſem translatum eſſe, & non multò pòſt, nempe menſe Junio, directum Nuntium in partes Neapolitanas ab eodem Innocentio, qua ex Legatione redux, menſe Octobri exeunte, conſenſit electioni de ſe factæ in Papam.

Guillelmus Grimoardi electus Ponti- XXVII. *Reſtituitur.*

fex

SÆC. XIV. INNOCENTIUS VI.

fex, & conſecratus ſub Urbani V nomine, non dimiſit Abbatiam Maſſilienſem, ſed eam regi curavit per Vicatios, ut conſtat non ſolùm ex bulla, quam dedit initio anni 1363 pro eodem monaſterio, & quam Sammarthanus inter inſtrumenta refert, ſed etiam ex Tabulario monaſterii Montis majoris, in quo legitur: *Pontius de Ulmo poſt promotionem Petri de Banbaco donatus Abbatia Montis majoris ab Urbano V, cujus erat Vicarius Generalis in regimine Monaſterii Maſſilienſis*. Quare cùm Petrus de Banhaco ereatus fuerit Cardinalis die 22 Septembris anni 1368, uſque ad eum ſaltem annum Abbatiam S. Victoris Maſſilienſis adminiſtravit Pontius de Ulmo, non tanquam Abbas, ſed tanquam Vicarius Generalis Urbani Papæ quinti. Poſt mortem Urbani, ſeu poſt annum 1370, Stephanus Alberti Innocentii VI nepos, dictus eſt Abbas Maſſilienſis, cùm anno 1372 corpus Urbani V ad monaſterium Maſſilienſe delatum exceperit, ſi fides adhibenda Joanni Gueſnaio in Caſſiano Illuſtrato pag. 634. Illius Stephani fit mentio annis 1375, 1378, & 1379, inquit idem Sammarthanus; ex quo inferendum eſt, eum obiiſſe ipſo anno 1379, cùm Pontius de Ulmo paucis annis Abbatiam Maſſilienſem ut Abbas rexerit, ſimul cum Abbatia Montis majoris, & tamen oblerit anno 1382. Nam in præfato Montis majoris Tabulario de eodem Pontio legitur: *Electus eſt deinde Abbas Maſſilienſis, & utrique ſimul monaſterio paucis annis præfuit, mortuus eſt enim anno* 1382. Series itaque Abbatum S. Victoris Maſſilienſis per hæc tempora ita ordinanda videtur, juxta monumenta à Sammarthano producta, & Epiſtolas Innocentii, quæ extant Tomo 2 Tueſauti Novi Anecdotorum.

Stephanus de Claperiis ab anno 1348 ad 1361.
Raimundus anno 1361.
Guillelmus Grimoardi ab anno 1362 ad 1370.
Stephanus Alberti ab anno 1371 ad 1379.
Petrus de Ulmo ab anno 1379 ad 1382.

Hæc tamen Chronologia ex inſtrumentis, ut dixi, à Sammarthano productis, & ex Epiſtolis Innocentii digeſta difficultate non caret, nam Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium col. 1433 ſeribit, Stephanum Alberti fuiſſe electum Abbatem Maſſilienſem anno 1366, & D. Le Fournier aſſerit, extare apud ſe diploma originale ejus electionis: quo pacto inſtrumenta à Sammarthano laudata, vel ſuppoſititia eſſent, vel corrupta.

XXVIII. *Innocentii VI PP. obitus.*

Sed ut ad Innocentium Papam redeamus, hic poſtquam Guillelmum Grimoardi in Siciliam delegavit, non diu ſuperſtes fuit; cùm enim eſſet ſenio & infirmitatibus confectus, & laboribus animi & corporis fractus, inter varias & plurimas turbationes, quæ ſuo tempore tam ſibi, quàm toti mundo contigerunt, modicum decumbens, die duodecima menſis Septembris ejuſdem anni 1362 in pace quievit Avenione, ut aſſerunt primæ & ſecundæ ejus Vitæ Auctores, & Ipſe Urbanus V ejus ſucceſſor in literis encyclicis poſt ſuam electionem datis. Qua eàdem die Toloſæ ex ipſiuſmet Innocentii inſtitutione ſolemne ejus anniverſarium ſingulis annis celebratur in Collegio Sancti Martialis, quod ipſe pro pauperibus ſcholaribus fundavit, ut ait Auctor primæ ejus Vitæ. Sepultus eſt die decima quarta ejuſdem menſis in Eccleſia Beatæ Mariæ de Donis, ex qua die 22 Novembris tranſlatus eſt ad Monaſterium Carthuſianorum Villænovæ quod fundaverat, & in quo ſepulturam elegerat. Joanne Franciæ Rege *præſente & tota frequentia Curiæ corpus Domini Innocentii fuit portatum ad Monaſterium Carthuſienſe, ibique tumulatum in die Sanctæ Cæciliæ*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ Urbani V.

XXIX. *Ejus virtutes, & in ſuos indulgentia.*

Innocentium fuiſſe Pontificem non mediocriter eruditum & Viros literatos foviſſe ſuperiùs diximus; ſed eum præcipuè de vitæ integritate laudant qui de eo ſeripſerunt; *homo bonus, ſimplex & juſtus* vocatur à Continuatore Guillelmi Nangiaci. Auctor verò primæ ejus Vitæ aſſerit, eum ſemper habuiſſe bonam & rectam intentionem: dilexiſſe pauperes, eiſque libenter ſubveniſſe: juſtitiam manu tenuiſſe, & conſervaſſe: ac in Curia ſpecialiter voluiſſe & ordinaſſe malos & inſolentes puniri. Non diſſimulat tamen videri eum nonnihil carni & ſanguini tribuiſſe, cùm plures ex ſuis ad dignitates Eccleſiaſticas promoverit; ſed id ei condonandum inſinuat, quia, inquit, *ut plurimum boni & ſufficientes fuerunt, & in ſtatu eis dato bene & laudabiliter ſe habuerunt*. Quod attinet ad propinquos laicos, ſubdit, eum paucos habuiſſe ſibi multùm propinquos, illis ſic bene feciſſe, quòd poſt ipſum honorificè cum eorum poſteris vivere poſſent, ſed ipſos magnis dignitatibus aut honoribus non ſublimaſſe.

Digitized by Google

URBANUS V *Pontif. CC.*

Anno Domini MCCCLXII.

I. *Hugo Rogerii Card. electioni de ſe factæ renunciat.*

PEractis exequiis Innocentii Papæ VI more ſolito novem diebus, Cardinales, juxta Panvinium, *numero viginti*, non verò viginti unus, ut haber Ciaconius, *die decimo intraverunt Conclave, die videlicet Beati Mauricii*, ſeu die 22 Seprembris, ut legitur in ſecunda Vira Urbani V apud Baluzium, qui Auctor ex dicendis num. II eodem tempore vixit: ſed diu inter ſe diſcordes fuêre; nam *poſt ſatis diuturnam vacationem*, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ, Urbanum elegêre: ideoque fallitur Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico, exiſtimans Urbanum poſtridie ab ingreſſu Conclavis, ſeu die 23 Septembris electum eſſe. Certè, præter hos duos Vitæ Urbani Auctores, Marthæus Villanius, tunc vivens, lib. II, cap. 26 ſcribit, die vigeſima octava Septembris, facto ſcrutinio, quindecim vota concurriſſe in Cardinalem Monachum Nigrum, patriâ Lemovicenſem, hominem ærate provectum, & totum vitæ ſpirituali deditum, cujus nomen non exprimit; ait tamen eum fuiſſe Epiſcopum & provectæ ætatis. Duo tunc Cardinales Lemovices Monachi Ordinis Benedictini, ambo Epiſcopi, erant in Collegio, nempe Hugo Rogerii, Clementis ſexti frater, ex Turelenſi Epiſcopo dictus Cardinalis, & Guillelmus de Agrifolio ex Cæſarauguſtano Epiſcopo creatus pariter Cardinalis. Spondanus rectè conjicit hunc Cardinalem fuiſſe Hugonem Rogerii, quia cùm Villanius dicat eum fuiſſe provectæ ætatis, & Guillelmus de Agrifolio tunc eſſet quadraginta quinque annorum duntaxat, ut oſtendit Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Avenionenſium, Spondani conjectura certa eſt, & ea hiſtoria neceſſariò intelligenda eſt de Hugone Rogerii; qui, teſte eodem Villanio, audito ſcrutinio, quo ſine controverſia creabatur Papa, cùm votorum numerus duas tertias partes Cardinalium excederet, priuſquam denunciaretur, humillimè renuntiavit electioni ſuæ. Inde Raymundus de Canillaco Epiſcopus Prænestinus, dictus Cardinalis Toloſanus, quia ex Archiepiſcopo Toloſano à Clemente VI dictus fuerat Cardinalis, ſortitus eſt undecim vota, alius quidam decem, aliuſque octo. Atque hinc magna diſcordia inter Cardinales interceſſit, cùm alii Lemovicem eligi vellent, alii contradicerent: ita Villanius. Ex quibus paret, electionem fieri non potuiſſe die vigeſima tertia Septembris, ut contendit Papebrochius laudatus.

II. *Androinus Card. licèt non haberet titulum ad votum admittitur.*

Androinus de Rocha, quem ex Abbate Cluniacenſi ab Innocenrio VI Cardinalem crearum vidimus, quique graviſſimis Reipublicæ Chriſtianæ ac Sedis Apoſtolicæ negotiis alibi occupatus à tempore ſuæ creationis, quæ in ejus abſentia facta fuerat, non acceſſerat Avenionem, niſi quando Innocentius laborabat in extremis, quique propterea licèt haberet pileum rubeum, titulum tamen non habebat, aut in Conſiſtorio Sedem, quia nondum ei os clauſum & apertum fuerar, nihilominus de communi conſenſu Cardinalium admiſſus eſt unà cum aliis in Conclave, judicanribus illis concorditer, ſolam aſſumprionem ſeu promorionem ad Cardinalatum tribuere vocem in electione Ponrificis; idque expreſsè denotari ritu illo, quo noviter promoto per Papam clauditur os quouſque titulum acceperit, quando illud ei aperitur, ut impoſterum vocem liberam in omnibus habeat: non autem claudi, niſi quod priùs apertum eſt; ac proinde cùm non fuiſſet clauſum os Andtoino à Pontifice, utique illud ei apertum & liberum remanſiſſe. Hæc conſtant ex Auctore primæ Viræ Urbani V. Quam Cardinalium explicationem *argutè* inventam eſſe ſcribit Spondanus anno 1362 num. 10; qui addit, conrraria de his decreta reperiri ſub Eugenio IV.

III. *Sola nominatio ad vota ferendum ſufficit Cardinalibus.*

Sed licèt verum ſit, Eugenium IV ſanctionem edidiſſe, qua promulgavit eos tantùm Cardinalatûs jure potituros, qui præſentes pileum rubeum, titulum, annulumque à Ponrifice receperint, vel ad quos abſentes Pontifex galerum rubeum miſerit; neque in renuntiando novo Pontifice cereriſve rebus ſuffragia laturos, niſi poſtquam in Conſiſtorio promendæ ſuæ ſenrentiæ poteſtatem acceperint, ſeu poſtquam eis os clauſum & apertum fuerit; creditum tamen eſt, id ab eo factum, ut Dominicum Capranicam à Martino V dictum Cardinalem, dignitate exueret; cùm longè ante hæc tempora in uſu poſitum fuerit, ut Cardinales vi ſuæ nominarionis, licèt ipſum pileum rubeum non recepiſſent, nec titulum, nec alia, ad electionem tamen Pontificis fuiſſe admiſſos. Hujus rei inſigne exemplum refert Bernardus Guido in Catalogo Cardinalium aſſumptorum ex Ordine Prædicatorum, apud Baluzium col. 980. Benedictus XI anno 1304 in jejuniis Quatuor Temporum poſt Cineres Galterum Winkrerburnum, Confeſſarium Eduardi Angliæ Regis creavit Presbyterum Cardinalem.

lem. *Hic*, inquit Bernardus, *poſt novem menſes à die, qua fuit in Cardinalem nominatus, & poſt quinque ferè menſes ab obitu memorati domini Benedicti Papæ, pervenit ab Anglia Peruſium civitatem, ubi adhuc Curia morabatur Sede vacante, 4 Kal. Decembris, ſabbato ſcilicet ante Dominicam primam Adventus anno Domini 1304, fuitque exhibitus ſibi magnus & debitus honor à populo Peruſino, & ſine alio diverticulo declinavit ad Conclave Cardinalium, ubi incluſi propter electionem Summi Pontificis commanebant; à quibus cum magno favore & honore ſuſceptus eſt, & in ſequenti craſtino S. Andreæ, ſcilicet in Kalendis Decembris, ad ſcrutinium electionis Summi Pontificis tanquam Cardinalis admiſſus, quamvis nondum haberet titulum, nec anulum, nec Capellum*. Ex quo, ut id obiter notem, corrigendus Oldoinus, qui cum Waddingo, ut opinor ex S. Antonino, Galterum vocat Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ. Corrigendi pariter in eo quod ſcribunt, Clementem V anno 1310, ut legitur apud Waddingum eo anno, huic Cardinali commiſiſſe diſcutiendam Petri Joannis Olivi doctrinam, cùm Galterus, ex ipſomet Oldoino & ex Bernardo Guidonis laudato, obierit anno 1305 *Januæ, 7 Kalendas Septembris* (legendum 5 Kal. Septembris) *in ſabbato, nondum habens titulum nec capellum*. Id porrò, quod dictum eſt de Androino, confirmatur ab Auguſtino Patricio lib. 1 Sacrar. Ceremoniar. cap. 1 fol. 6, ubi ita de eo ſcriptum eſt: *Primò venit ad Curiam in die obitus dicti Innocentii; & quamvis inſtallatus non eſſet in Conſiſtorio, nec haberet titulum, fuit admiſſus per alios Cardinales ad Conclave electionis, ut alii Cardinales antiqui; & ita duo ex Cardinalibus antiquis ex commiſſione Collegii cauſa cognita judicarunt eſſe faciendum, quia ſola aſſumptio ad Cardinalatum habet jus eligendi, & alia Cardinalibus convenientia*. Ritum claudendi & aperiendi ora novorum Cardinalium, eiſque titulum aſſignandi ediderunt Raynaldus anno 1338 num. 8, & Mabillonius Tomo 2 Muſei Italici pag. 431. Eadem de re ſub Pio V ſermo redibit.

IV. *Guillelmus Grimoardi eligitur Papa.*

Cùm itaque Cardinales inter ſe concordare non poſſent, ut unum ex ſuo corpore eligerent, tandem die vigeſima octava menſis Octobris ejuſdem anni 1362 elegerunt Guillelmum Grimoardi Abbatem ſancti Victoris Maſſilienſis, de quo ſupra, protunc abſentem, & in partibus Neapolitanis pro negotiis Eccleſiæ Romanæ exiſtentem. Sed dubitantes an ipſe electioni ſuæ vellet præbere conſenſum, eam non publicaverunt, donec ipſe adeſſet, timentes præterea ne ab Italis detineretur. Hæc ex duobus primis Auctoribus ejus Vitæ; quorum poſterior addit, Guillelmum die XXVIII menſis Octobris applicuiſſe Maſſiliam, eodemque die miſiſſe Cardinalibus adhuc in Conclavi exiſtentibus conſenſum electionis de ſe factæ, & Avenionem intraſſe in vigilia omnium Sanctorum, ſeu die 31 Octobris. Quare cùm impoſſibile ſit, ut intra tam paucos dies nuncium ſuæ electionis acceperit, & Avenionem venerit, illi Auctores ita intelligi debent, ut die tantùm 28 Octobris electionem antea factam publicaverint Cardinales; eodem enim die, quo Maſſiliam appulit, conſenſum ſuæ electioni præbuit, quem facilè Cardinales eodem die recipere potuerunt; ideoque electio dicitur facta eo die, quia tunc verè dici potuit electus, cùm ejus manifeſtata eſt electio. Ex quo ſequitur, electionem factam eſſe ante diem 28 Octobris. Agebat tunc annum ætatis quinquageſimum tertium, ut legitur in proceſſu canonizationis ejus apud Bzovium.

V. *Guillelmus divino nutu ad Pontificatum vocatus videtur.*

Hanc electionem divinitùs factam innuit Auctor primæ Vitæ, cùm ait: *Modus autem ſuæ aſſumptionis ſeu electionis magis à Deo, quàm ab homine, videtur proceſſiſſe; attento præſertim quòd dicta Sede Apoſtolica tunc vacante, erant in Collegio Cardinalium multi valentes & ſufficientes Viri, qui tamen, ut creditur, Deo ſic diſponente, concordare nequiverunt, ut ipſorum aliquis eligeretur*. Franciſcus etiam Petrarcha ad ipſum jam Papam longiorem Epiſtolam ſcribens, quæ eſt prima lib. 7 Senil. ait, Deum ſolum & neminem mortalium ipſum elegiſſe, linguis licèt illorum uſum, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum verterit obſequium, quodque ipſe volebat per nolentes fecerit. *Nemo*, inquit, *te fallat, Pater prudentiſſime: nemo tibi perſuadeat eſſe aliquem tuorum Cardinalium, qui vel ſemel unquam cogitaverit te ad Papatum, non dicam promovere, ſed poſcere: ſi quis fortè tibi aliud inſuſurrat, verba dat, te tibi mendacio obligatum cupit. Deus te profectò, Deus, inquam, ſolus, & nemo mortalium elegit, linguis licèt illorum, ut dixi, uſus, quas ad aliud diſpoſitas ad ſuum vertit obſequium, quodque ipſe volebat, dictu mirabile! per nolentes fecit. Hoc tibi acutiſſimo hominum quo modo reor incognitum, quod nemo ferè vulgarium ignoravit?* Et infrà: *Non refert autem quid homines velint, ſed quid Deus: iſte verò non alium volebat, conſiliumque ſuum ultrò non conſenſuris occultabat: quibus ſcrutinia profunda verſantibus ſic clanculum tuum nomen inſeruit, ut ex tot nominibus Romano cardine fulgidis, cùm ſolus Abbas Maſſiliæ ſonuiſſet, dolor & timor malos, gaudium & ſpes bonos, admiratio ac ſtupor omnes arriperet: omnes tamen una voce, variis licèt affectibus in laudem Dei, qui fecit mirabilia magna ſolus,*

ſtu-

Digitized by Google

ſtupentia ora reſolverent. Et ſi de tanta re ſententiam meam vis audire, quantum ſeu Solem veſpertilio, ſeu peccator homuncio divinum conſilium intueri poteſt, dicam. Hæc & alia plura ad Urbanum Petrarcha.

VI. *Conſecratur, & Urbani V nomen ſumit.*

Ceterùm Guillelmus in vigilia omnium Sanctorum Avenionem intrans, eodem die inthronizatus eſt, ſumſitque nomen *Urbani*, ejus nuncupationis *quinti*, quòd Urbanos prædeceſſores Pontifices ſanctos diceret, & ad imitationem eorum vivere, Eccleſiamque adminiſtrare deſideraret, ut legitur in laudato Canonizationis ejus proceſſu. Ejus autem conſecratio & coronatio dilata eſt, juxta morem, uſque ad dominicam ſequentem, diem nempe ſextam Novembris; qua die conſecratus eſt per Audoinum Alberti, dictum Cardinalem Magalonenſem, tunc Epiſcopum Oſtienſem. Coronatus autem per manus Guillelmi Judicis Prioris Diaconorum Cardinalium tit. S. Mariæ in Coſmedin, non verò per manus Arnaldi de Via Diaconi Cardinalis tit. S. Euſtachii, ut Ciaconius memoriæ lapſu ſcribit; ipſemet enim fatetur, Arnaldum de Via diu ante hæc tempora mortuum eſſe. Fuit autem adeo modeſtus, ut poſt coronationem ſuam, noluerit, ut moris erat Pontificum, per urbem equitare, faſtum vitans, licèt omnia parata fuiſſent. Hæc conſtant ex duobus prioribus ejus Vitæ Auctoribus, ex Matthæo Villanio, & ex literis encyclicis, quas poſtridie ſuæ conſecrationis ad Eccleſiarum Præſules dedit, apud Raynaldum num. 8, & apud Edmundum Martene Tomo 1 Theſauri Novi Anecdotorum col. 1489. Conſenſum porrò præbuit electioni ſuæ, non ſolùm ne videretur divinæ voluntati adeo evidenter indicatæ reſiſtere, verùm etiam deſiderio reducendi Sedem in urbem Romanam, quod ita animo infixum habebat, ut ſcribit Villanius, ut cùm Florentiæ nuncium accepiſſet de obitu Innocentii, dixerit, ſi videret Pontificem, cui curæ eſſet Romam venire ad veram Sedem ſuam, & tyrannos Italiæ opprimere, gratiſſimum ſibi fore altera die mori.

VII. *Urbani patria, & parentes.*

Duæ ſunt de patria Urbani V opiniones. Rodulphus de Rivo Decanus Tungrenſis hac ipſa ferè tempeſtate vivens, quem alii recentiores ſecuti ſunt, ſcribit eum fuiſſe origine Lemovicenſem; Auctor verò primæ ejus Vitæ ait, eum fuiſſe Gabalitanum, ſeu ortum in Comitatu Gabalitano, qui ſitus eſt in diœceſi Mimatenſi, & in loco de Griſaco ejuſdem diœceſis: quæ opinio videtur præferenda; nam in Terrario amphiteotarum Archiepiſcopatus Avenionenſis de Urbano ac Anglico Grimoardi ejus fratre hæc leguntur: *Qui ambo dicti Domini filii fuerunt nobilis & potentiſſimi Viri Domini Guillermi Grimoardi militis domini Caſtrorum de Griſaco, & de la Garda Mimatenſis diœceſis, qui obiit ætatis ſuæ anno centenario Avenione in præſentia dicti Domini Cardinalis ejus filii anno proximè dicto* [ſcilicet 1366) *die decima* (legendum cum Auctore ſecundæ Vitæ, decima ſeptima, ut patet ex ſequentibus] *menſis Octobris Pontif. dicti Papæ filii ſui anno 4: tranſactis autem quatuor hebdomadis à die Cardinalatus Domini Anglici alterius filii ſui dilecti ...... deinde apud locum de Bedoeſco diœc. Mimatenſis deportatus in Eccleſia collegiata ejuſdem loci noviter per dictum Papam fundata fuit, ibidem tranſlatus.* In gratiam ejuſdem Grimoardi Militis Jo Francorum Regem multa privilegia conceſſiſſe habitatoribus locorum de Griſaco, de Belagarda, de Bedoeſco, &c. ſcribit Baluzius col. 975, quæ certè innuunt Urbanum V apud Gabalos, non apud Lemovices ex Guillelmo Grimoardi, & ex Amphelifia de Monteferrando ortum ducere. Hæc mecum communicata ab erudito Dn. Le Fournier Monaſterii Sancti Victoris Maſſilienſis Monacho. Aymericus de Peyraco in quarta ejus Vita ait; eum vocatum fuiſſe Guillelmum Grimoardi *de diœceſi Mimatenſi* in Gavaldano. Ad conciliandas porrò has duas opiniones Baluzius ait, exiſtimari non immeritò poſſe, Grimoardorum gentem, quæ antiquitus erat apud Lemovices, à Lemovicibus ad Gabalos, ut ſæpe venit, tranſlatam eſſe.

VIII. *Ejus primordia ante Pontificatum.*

Urbanus in adoleſcentia ſua monaſticum habitum induit in Prioratu de Chiriaco, non autem, ut ſcribit Ciaconius, de Cluniaco, dictæ diœceſis Mimatenſis, à Monaſterio Sancti Victoris Maſſilienſis dependente; ubi poſtquam fuit inſtructus in regularibus obſervantiis, ad ſtudia litterarum ſe tranſtulit apud Montempeſſulanum, tum apud Toloſam & Luteriam. Demum factus ſolemnis Doctor Decretorum, legit ex tunc multis annis tam in Montepeſſulano, quam in Avenione, ut aſſerit primæ ejus Vitæ Auctor: unde Aymericus de Peyraco Abbas Moyſſiacenſis in quarta ejus Vita, ait: *Fuit maximus Clericus; & in Montepeſſulano, ubi ſpecialem gerebat devotionem, legit ordinariè Decreta.* Certè magnus Canoniſta vocatur ab Auctore Magni Chronici Belgici, & Petrarcha lib. 7 ait, Rer. Senil. Epiſt. 1, eum Juris utriuſq; peritiſſimum fuiſſe. Factus eſt deinde Abbas Monaſt. S. Germani Autiſſiodorenſis, unde tranſlatus eſt ad Abbatiam ſancti Victoris Maſſilienſis, ut in ſuperiori Pontificatu diximus, ex qua tandem aſſumptus eſt ad Summum Pontificatum.

IX. *Officium Pœnitentiariæ Presbytero tribuit.*

Urbanus non multò poſt ſuam conſecrationem videns Guillelmum Bragoſe majorem Pœnitentiarium eſſe tantùm Diaconum

Digitized by Google

num Cardinalem Sancti Georgii ad velum aureum, licet eſset vir grandævus, qui in ſtudio Toloſano Doctor ſolemnis Decretorum exiſtens, annis pluribus cathedram Doctoralem ad utilem inſtuctionem plurimorum rexerat, in Preſbyterum Cardinalem ordinavit, eique titulum presbyteralem aſſignavit ſancti Laurentii in Lucina. *Ad quod faciendum præcipuè motus extitit ratione officii Pœnitentiariæ, quod Presbytero magis, quàm Diacono convenire judicavit*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ apud Baluzium, qui exiſtimat col. 962 id factum ab Urbano ineunte anno 1363; ſed falli videtur, non animadvertens, Auctorem ſecundæ Vitæ id contigiſse ſcribere menſis Decembris duodecimo die Lunæ, ideoque anno 1362, litera Dominicali B notato.

X. *Anglicum fratrem Epiſcopum Avenion. conſecrat.*

Ad Eccleſiam Avenionenſem, per promotionem Joannis de Coiardano ad Epiſcopatum Mirapiſcenſem anno 1349, Epiſcopo deſtitutam, utpote à Clemente VI & Innocentio VI pro ſuis & Eccleſiæ neceſſitatibus retentam, Urbanus Papa eodem die Lunæ XII Decembris anni 1362 promovit Anglicum Grimoardi fratrem ſuũ, Ordinis Canonicorum Regularium ſancti Rufi, tunc Priorem Dienſem, ut primæ & ſecundæ Vitæ Auctores aſſerunt: quem etiam ejus promotioni aſſignat Regeſtum, ſeu Terrarium Eccleſiæ Avenionenſis mox laudatum. Auctor tamen ſecundæ Vitæ addit, eum non fuiſſe ab Urbano conſecratum niſi die octava menſis Januarii anni 1363: *Januarii die octava*, inquit, *Dominus Papa ſacra generalia celebrans fratrem ſuum conſecravit Epiſcopum cum aliis tam Abbatibus, quàm Prælatis numero XXVIII*. Quibus ex verbis, ut id obiter dicam, confirmatur quod primo Tomo hujus Operis dixi, Pontifices nempe Romanos quibuſcumque diebus ſacros Ordines contuliſſe. Anglicum Grimoardi fratrem fuiſſe Urbani, præter duos Auctores laudatos, aſſerit etiam Regiſtrum Avenionenſe laudatum, & tamen Spondanus ſcribit, poſt Onuphrium & Ciaconium, non fratrem Urbani, ſed fratris filium fuiſſe. Sed in editione Ciaconii per Auguſtinum Oldoinum curata non ſolùm id non legitur, verùm etiam refutatur; ex quo intuli id reperiri in prioribus Ciaconii editionibus, ideoque in hac ultima diſcerni non poſse, quoad Cardinales, quid ſit Ciaconii & quid Oldoini. Fallitur nihilominus ibidem Oldoinus dicens Anglicum fuiſse Abbatem ſancti Rufi prope Valentiam, cùm fuerit tantùm Prior Sancti Petri Dienſis, non verò Dignenſis, ut legitur apud eundem Oldoinum; id enim falſum eſse oſtendit Baluzius col. 982. Ceterùm Anglicum fuiſse probitate motum & regulari obſervantia inſignem iidem Auctores aſserunt, de eo infrà ſermo redibit.

XI. *Tres Reges contra Turcas Avenione cruceſignat.*

Joannes Franciæ Rex, exeunte menſe Septembri ejuſdem anni 1362, ad Villamnovam prope Avenionem perveniſse, & manſiſse ibidem autumno ſcribit Froiſsartus vol. 1, cap. 216: ex quo Baluzius col. 982 infert, eum non veniſse primùm ad inviſendum Urbanum, ut ſcribit Auctor primæ ejus Vitæ: *Poſt dictum promotionem Urbani Papæ*, inquit, *ad ipſum ſatis citò venerunt Jo: Francorum, Petrus Cypri, & Daciæ Reges, cauſa ipſum viſitandi, ſibique reverentiam exbibendi: qui demum cum ſuis voluntate & deliberatione & conſilio ad faciendum generale paſſagium ultramarinum, & ſpecialiter contra Turcos ſe mutuò aſtrinxerunt, fueruntque cum multis aliis magnis & notabilibus viris cruce ſignati per dictum Papam; qui etiam pro tunc crucem contra dictos Turcos prædicavit, ordinans dictum generale paſſagium, cujus capitaneum conſtituit præfatum Joannem Francorum Regem, perſonaliter onus hujuſmodi in ſe ſuſcipientem*. Joannem Regem Curiam Papæ intraſse die XX menſis Novembris, & mane pranſum cum Papa moram traxiſse apud Villamnovam in domo, quam Clemens Papa inhabitare conſueverat, aſserit Auctor ſecundæ Vitæ. Cùm itaque, teſte eodem Froiſſarto, Joannes Lutetiâ exceſserit exeunte Junio, & autumno apud Villamnovam manſerit, jure merito aſserit Auctor primæ Vitæ eum veniſse Avenionem ad inviſendum Urbanum, non quidem Lutetiâ, ſed Villanovâ, quo ex loco Avenionem venit die XX Novemb. ei gratulaturus ſummum faſtigium. In veteri codice MS. Vaticano apud Raynald. anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo tertio, num. 14, & apud Auctorem ſecundæ Vitæ Urbani, legitur Regem Cypri Curiam intraſſe die Mercurii XXIX Martii anni 1363, & in die Veneris ſancta, ſeu die 31 ejuſdem menſis cruceſignatum fuiſſe; quod confirmatur ex his Walſinghami verbis pag. 179, ubi loquens de geſtis Urbani V in initiis ſui Pontificatus ait; *Et ſequenti proxima Paraſceve Joannem Regem Franciæ cum aliis Regibus & proceribus cruceſignavit*. Diploma Pontificis, quo Joan. Rex exercitûs cruceſignati Dux conſtituitur eodem die, ſcilicet 11 Kal. Aprilis, datum eſt. Rex Daciæ, ſeu potius Daniæ Waldemaris, juxta eundem ſecundæ Vitæ Auctorem, intravit etiam Curiam die 26 Februarii: ex quo ſequitur, literas Urbani ad ipſum, quas refert Raynaldus num. 14, non eſſe datas *XI Kal. Januarii anno ſecundo*, ſed *anno primo*. Huic expeditioni adjunxit Pontifex Talayrandum Epiſcopum Albanenſem, qui dicebatur Petragoricenſis, Legatum à Latere. Obligarunt ſe porrò Reges transfretare intra biennium; ſed cùm Joannes Franciæ Rex menſe Aprili anni 1364 obiiſſet, & Talayrandus

SÆC. XIV. URBANUS V. tandus pariter eodem anno die 17 menſis Januarii, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ Urbani, hæc expeditio in irritum cecidit. Huic autem Auctori fides tutò adhiberi poteſt, cùm col. 402, dicat ſe anno 1346, die tertia menſis Maji Avenionem reverſum eſſe, ut proſequeretur litem contra Capitulum Bunnenſe, cujus erat Canonicus, à quo ſuſpenſus fuerat à fructibus ſuæ Præbendæ.

XII. Eccleſiam Caſſinenſem in Abbatiam redactam. Cùm Eccleſia Caſſinenſis, quam Joannes XXII ad dignitatem Cathedralem evexerat, ut ſuo loco diximus, per mortem Angeli Urſini, qui anno 1363 extinctus eſt, vacaret, Urbanus Pontifex eam Eccleſiam regi fecit integro triennio per Apoſtolicos Miniſtros, ut ſcribit Ughellus; volebat enim eam de Epiſcopali dignitate ad Abbatialem reducere, quod poſtea fecit anno 1366, juxta Bzovium ad eum annum n. 6, bullâ datâ apud Montempeſſulanum 2 Kalendas Decembris. *Ad quod faciendum, dictus Urbanus motus fuiſſe dicitur, ut religio Monachorum Nigrorum, quæ ibidem exordium habuit, ibi meliùs ſervaretur, quod æſtimavit poſſe fieri ſub Abbatis regimine, quàm Epiſcopi convenientiori modo*, inquit Auctor primæ Vitæ Urbani, qui poſtea ſubdit, Urbanum, ut in eo monaſterio regula ſancti Benedicti præcipuè vigeret, anno 1370, tria feciſſe; primò, quia ex ingenti terræ motu erat collapſum in ædificiis, ipſum reædificari feciſſe ex ipſius proventibus quandiu vacavit. Secundò, amoviſſe ex eo Monachos plures, qui ſæcularem potiùs quàm regularem vitam obſervabant, & alios religioſos de diverſis aliis Monaſteriis collectos, ibidem inſtituiſſe & ordinaſſe perpetuò reſidere. Tertiò, Monachum quemdam Camaldulenſem, qui ordinationes monaſticas juxta regulam Sancti Benedicti indefectibiliter obſervabat, licèt invitum & renitentem eidem monaſterio præfeciſſe in Abbatem, cujus Auctor nomen non prodit, ſed ex Apoſtolicis literis Andream vocatum eſſe conſtare aſſerit Raynaldus anno 1370 num. 16.

XIII. Barnabonem Vicecomitem Mediol. tyrannum damnat. Barnabos filius Galeazii de Vicecomitibus Mediolani, qui tempore Innocentii Papæ occupaverat aliquas terras ad jus, dominium, & proprietatem Eccleſiæ Romanæ pertinentes, Oratores ad Urbanum initio Pontificatus miſit, pacem amplis conditionibus petentes, quibus reſpondit Pontifex, paratum ſe illam ei concedere, poſtquàm terras occupatas reſtituiſſet, & à pravis ſuis facinoribus deſiſtens, per veram pœnitentiam ſe obſequentem Eccleſiæ præbuiſſet; quæ cùm Barnabos adimplere nollet, Pontifex die vigeſima octava Novembris anni 1362 eum coram ſe citari fecit, termino ei præfixo ad diem primam Martii anni ſequentis 1363 ad audiendam condemnationis ſententiam, qua eum pœnis hæreticorum damnavit, & ſacram expeditionem in ipſum indixit. Verùm à Joanne Francorum Rege, cujus filiam in uxorem duxerat, ad officium revocatus, Eccleſiæ reconciliatus eſt ab Androino Apoſtolicæ Sedis Legato anno 1364. *Interponentibus ſe aliquibus actum eſt de concordia inter eos, pro cujus tractatu & etiam regimine dictarum terrarum & aliquarum aliarum miſſus eſt ad partes Italiæ Legatus de Latere præfatus Dominus Androinus de Rocha tituli S. Marcelli Presbyter Cardinalis, per cujus miniſterium facta fuit pro tunc concordia inter eundem Papam, & dictos Mediolanenſes, fueruntque ipſi ſibi & Eccleſiæ reconciliati.* Rem ita terminatam eſſe menſe Februario anni 1364 ex Villanio, Corio, & aliis ſcribit Spondanus num. 10, ut Barnabos cederet omni jure Bononiæ, Caſtra occupata reſtitueret, Gueiſam partem ſuæ ditionis non opprimeret, Fœderatorum terras non invaderet: Urbanus autem anathemate illum & interdicto ditionem exſolveret, & ratione caſtellorum recèns extructorum quingenta aureorum millia intra octo annos dependeret; atque interim Bononia & caſtra reſtituta in cuſtodia Androini Legati permanerent.

XIV. Cracoviæ Academiam inſtituit. Rogaverat Urbanum Pontificem Caſimirus Poloniæ Rex, ut cùm Poloni ab Academiis celebrioribus tanto locorum intervallo eſſent diſſiti, ut plures à literarum ſtudio ob viarum diſcrimina abducerentur, atque inde pauciores in eo regno eſſent Viri literati, in urbe florentiſſima Cracovienſi ſtudia academica excitaret, ut tanquam ex fonte perenni in totam Poloniam ac vicina regna ſcientiarum rivi dimanarent. Cujus petitis morem geſſit Urbanus, exarato ea de re Apoſtolico diplomate, cujus præcipuam partem hic ex Raynaldo ad annum 1364 num. 13 ſubjicere viſum eſt; ex ea enim apparet Academiam illam ex omnibus Facultatibus conflatam, præter Theologicam: *Non ſolùm*, inquit Pontifex, *ad ipſorum, ſed etiam aliarum regionum circumjacentium incolarum commodum & profectum paternis affectibus anhelantes, dicti Regis* (Caſimiri) *in hac parte ſupplicationibus inclinati, de fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut in dicta civitate Cracovienſi de cætero ſit ſtudium generale, illudque perpetuis temporibus ibidem vigeat tam in juris Canonici & Civilis, quàm alia qualibet ſcientia, præterquam in Theologica facultate; & quòd legentes & ſtudentes ibidem omnibus privilegiis, libertatibus & immunitatibus conceſſis Doctoribus legentibus & commorantibus in ſtudio generali gaudeant & utantur, &c. Dat. Aven. Kal. Septembris, anno 2* Pontificatûs; ideo-

que anno 1364. Falluntur itaque qui ſcribunt, hanc Academiam anno 1400 fundatam; eo enim anno, vel potiùs anno 1401 facultas Theologiæ addita eſt, & Academia ampliata, quod fundationis nomine appellant Hiſtorici Poloniæ, ex quibus hæc ſcribit Sethus Calviſius in ſuo Opere Chronologico ad annum 1401. *Cracovienſis Academia ex teſtamento Hedwigis Reginæ & liberalitate Regis conditur. Eriguntur duo collegia, alterum Philoſophorum & Theologorum, alterum Juriſconſultorum & Medicorum, accerſuntur Magiſtri ex Academia Pragenſi.* Antea autem ad annum 1364 ſcripſerat Calviſius: *Academia Cracovienſis in Polonia à Caſimiro Poloniæ Rege inſtituitur, confirmatur poſt annos triginta ſex à Ladislao Jagellone.* Quam in rem citat Funcium, quod conſtat verum eſſe ex diplomate Urbani.

XV. *Sollicitatur à Romanis ut Romam cum Curia pergat.*

Eodem anno Nuntii Romanorum venerunt Avenionem ad Urbanum Pontificem, petieruntque inter alia, ut Romam cum ſua Curia ſe transferret. *Qui eorum petitioni benigniter annuit, dixitque eis circa eam taliter Deo duce ſe facturum, quòd ipſi deberent meritò contentari. Pro tunc tamen circa illud eis aliquid aliud non ſpecificavit*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ, Auctor verò ſecundæ ſcribit, Oratores Romanorum Avenionem intraſſe menſe Majo. Bzovius anno 1364 num. 2 ait, Urbanum ſeriò cogitaſſe de itinere Romano, ſed aggredi illud non potuiſſe propter infeſtationem prædonum, quod verum eſſe exiſtimo; Auctor enim primæ ejus Vitæ teſtatur, tunc Galliam plenam fuiſſe prædonibus, qui ſub diverſis ſocietatum nominibus, excurſiones paſſim, prædaſque faciebant; & Urbanum contra illos, qui in Occitania erant, proceſſus & cenſuras fulminaſſe, eoſque perſequentibus indulgentias conceſſiſſe, quo brevi effectum eſt, ut aut interempti, aut ejecti fuerint. Ex Epiſtola tamen Petrarchæ ad ipſum Urbanum, quæ extat initio lib. 7 rerum Senil. qua ipſum hortatur, ut Romam proficiſcatur, intelligimus ab impia prædonum manu Pontificem diu circumſeſſum, ſuam ac Romanæ aulæ libertatem multo auro ſtipendii ſpecie redimere coactum fuiſſe. In alio porrò exemplari Vitæ ſecundæ Urbani apud Baluzium col. 404 legitur Oratores Romanorum intraſſe Avenionem die tantùm 25 menſis Octobris anni 1365, poſtquàm Urbanus Maſſiliâ Avenionem rediiſſet, quod vero ſimilius videtur, cùm Oratores Urbanus Romam quàm citiùs remiſerit eodem anno exeunte Novembri, quo literas ad Romanos dedit *Avin. 9 Kal. Decemb. anno IV* apud Raynaldum num. 9, in quibus ait: *Tam ſuper adventu noſtro ad Urbem, quem Deus concedat proſperum, quàm ſuper aliis reſponſum benignum præbuimus ambaxiatoribus memoratis, prout ab ipſis eam ad vos redierint, audietis.*

XVI. *Majus Altare S. Victoris Maſſil. conſecrat.*

Urbanum enim Papam eodem anno 1365 Maſſiliam adiiſſe, ibique menſe Octobri majus Altare monaſterii Sancti Victoris conſecraſſe teſtatur idem ſecundæ Vitæ Auctor: *Eodem anno & menſe* (nempe Octobri) *Dominus Papa exiſtens in Maſſilia conſecravit majus Altare in Monaſterio Sancti Victoris Maſſilienſis. Die 24 dicti menſis reverſus eſt Avenionem, & die ſequenti intraverunt ambaxiatores Romanorum.* Maſſiliam porrò petiit Urbanus comitantibus decem Cardinalibus; laudatus enim D. Le Fournier ſignificavit mihi penes ſe eſſe decretum civitatis Maſſiliæ ad recipiendum Dominum Papam cum decem Cardinalibus anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto die decima octava menſis Auguſti. Miſerat autem Pontifex menſe Majo præcedenti Maſſiliam caput S. Victoris de argento deaurato cum lapidibus pretioſis, ut in eo reponeretur caput ejuſdem Sancti, ex eodem D. Le Fournier.

XVII. *Carolum Imp. Avenionem vocat.*

Venerat antea Avenionem menſe Majo ejuſdem anni Carolus IV Imperator ab eodem Urbano Papa, ut aſſerunt Continuator Nangii, qui extat Tomo XI Spicilegii, & Bernardinus Corius part. 3 Hiſt. Mediol. evocatus, ſeu ut cum eo deliberaret de bello contra Turcas, ut ait idem Continuator, ſive ut fœdus cum eo iniret adversùs tyrannos Italiæ, præcipuè verò adversùs Vicecomites Mediolanenſes, ut habet Corius. *Anno 1365, menſe Maji*, inquit Auctor primæ Vitæ Urbani, *Karolus Romanorum Imperator venit Avenionem ad dictum Urbanum Papam cum magna comitiva Principum & nobilium Alamannorum, & ornatus inſignibus Imperialibus per ipſum Papam & Cardinales fuit valdè notabiliter & honorificè receptus* [die 23 Maji, quo die eum Avenionem intraſſe ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ]; *& die Sancto Pentecoſtes tunc occurrente* [die prima Junii, cùm Paſcha celebratum ſit die 13 Aprilis] *dicto Papa ſolemniter celebrante, aſſiſtit in habitu Imperiali diademate coronatus, in manu dextera ſceptrum geſtans.* Albertus Argentinenſis pag. 141, deſcribens habitum Imperialem ait: *Indutus regalibus inſignibus, habens coronam auream in capite, & pomum & ſceptrum in manibus.* Fallitur itaque Albertus Krantzius lib. 9 Saxoniæ cap. 33, ubi ſcribit Carolum iviſſe tum Avenionem ad Summum Pontificem conſecrationis gratiâ. *Deinde*, ſubdit idem Auctor primæ Vitæ, Carolus *ivit Arelatem, cujus regnum ad ipſum ſpectabat, ubi ſe fecit in Regem per Archiepiſcopum coronari. Tandem verò habitis multis colloquiis inter Papam & ipſum* (nempe Carolum)

tam

tam ſuper ſtatu Eccleſiæ, quàm Imperii, rediit ad propria, cum bonis pace, amore & favore Urbani Papæ prædicti. Diſceſſit Carolus A[v]enione *die Lunæ ſecunda Junii*, ut habet Auctor ſecundæ Vitæ, & coronatus eſt Arelate die quarta ejuſdem menſis, quæ concurrebat cum die Mercurii quatuor Temporum poſt Pentecoſten, ut ait Cæſar Noſtradamus in Hiſtoria Provinciæ. Arelate Avenionem rediit, ubi die 7 Junii privilegia Monaſterii S. Victoris Maſſil. confirmavit bulla aurea *data Avin. an. 1365 indict. 3, 7 Idus Junii, Imperii undecimo, & regnorum decimo nono*, penes laudatum D. Le Fournier. Tandem reverſus eſt navigio Argentinam in feſto SS. Petri & Pauli, juxta Albertum Argentinenſem pag. 164.

XVIII. *Regnum Arelatenſe quo tempore juris Francici factum.*

Facta porrò eſt hæc coronatio Caroli Arelate præſentibus Sabaudiæ & Borbonii Ducibus, ac Provinciæ Seneſcallo; & Jacobus Bovis in libro de Regia corona Regum Arelatenſium pag. 350 ait huic ceremoniæ interfuiſſe Archiepiſcopos Ebredunenſem & Aquenſem, tum etiam Epiſcopos Arauſicanum, Maſſilienſem, Vaſionenſem, Tricaſtinum, Dignienſem, Senecenſem, Nicienſem, Vencienſem, Aptenſem, Rejenſem & Siſtaricenſem; ſed fallitur in eo quòd ait, eam factam eſſe die dominica vigeſima Novembris; nam præterquam quòd anno 1365 dies vigeſima Novembris non concurrebat cum dominica, ſed cum feria quinta, conſtat ex dictis eam factam eſſe menſe Junio, & fieri non potuiſſe poſt illum menſem. Cæſar Noſtradamus laudatus ſcribit, Joannam Siciliæ Reginam & Provinciæ Comitiſſam conqueſtam eſſe hanc coronationem factam contra ſuam auctoritatem, & Carolum publico Chirographo declaraſſe, ſe nihil contra ſupremam Joannæ auctoritatem egiſſe. Verùm quidquid hac de re ſit, certum eſt Carolum hoc tempore regnum Arelatenſe reſpexiſſe, ut ſpectans ad jus Romani Imperii, quod præter Auctorem Vitæ Urbani mox laudatum, aſſerit Theodoricus de Niem lib. 1 de ſchiſmate cap. 1: *In regno Arelatenſi*, inquit, *quod eſt juris & proprietatis Romani Imperii*. Et cap. 25: *Carolus hujus nominis quartus Auguſtus, imò veriùs diſſipator, injuſtus, tempore Urbani Papæ V regnum Arelatenſe, quod ſimiliter eſt juris & proprietatis Imperii, & quod etiam dictus Otto magnus Imperator adjecit imperio, ſumpto magno prandio apud Villamnovam prope Avenionem per eundem Ducem* (ſcilicet Ludovicum Andegavenſem Caroli V Regis Franciæ fratrem, qui ex Continuatore Nangii ſupra laudato, tunc erat Avenione) *ipſi Carolo præparato, tranſtulit in præfatum Ducem, poſtea in regno Siciliæ vita functum*. Auguſtinus Patricius in libro ſacrarum ceremoniarum Eccleſiæ Romanæ edito à Chriſtophoro Marcello Epiſcopo Corcyrenſi apud Baluzium col. 985 ait, etiam Carolum quartum Arelate anno 1365 fuiſſe coronatum; apud Spondanum tamen & Saxium legitur annus 1361; ſed ſi ita ſit, eſt error manifeſtus. Ceterùm nullibi præterquam in Theodorico de Niem apud Baluzium laudatum legi, Carolum Imperatorem regnum Arelatenſe tranſtuliſſe in Ludovicum Comitem Andegavenſem anno 1365; imò contrarium evinci videtur, ex eo quòd idem Imperator anno 1378 Pariſiis exiſtens Delphinum Carolum, filium Caroli V primogenitum, ſuum & Imperii Vicarium conſtituit in Regno Arelatenſi. Certum tamen eſt anno 1391 regnum Arelatenſe pertinuiſſe ad Regem Franciæ, vel ad aliquem ex eadem domo; nam Bonifacius IX in Epiſtola, quam Kalendis Martii illius anni Romæ dedit ad univerſos Chriſti fideles, quam Spondanus eo anno num. 1 aſſerit ſe legiſſe in codice manuſcripto Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis, ait domum Franciæ, quæ aliàs principalis murus defenſionis fidei ſoleret eſſe, in horrendo ſchiſmate, quod tunc erat, principaliter non peccaſſe, adhærendo ſcilicet Clementi VII Avenione ſedenti, quem vocat virum Belial Robertum Gebennenſem Antipapam; ſed falſis deceptam literis, quaſi Urbanus VI voluiſſet ei auferre regnum Arelatenſe, ex quo evincitur regnum illud, vel ad Regem, vel ad aliquem ex domo Franciæ pertinuiſſe. Regni porrò Arelatenſis limites olim fuiſſe Provinciam, Mediolanum, Pedemontium, & magnam partem Lombardiæ, quam hoc tempore Vicecomites Mediolanenſes occupabant, ſcribit Corius ſuperiori numero laudatus.

XIX. *Urbanus PP. Romam adire parat.*

Urbanus Pontifex anno 1366, ſive à Petro Aragonio Minorita, qui viſionem à Chriſto habuerat, qua juſſus erat Pontificem admonere ut Romam proficiſceretur, incitatus, ſive à Petrarcha prolixa, ſed valde egregia Epiſtola, quæ extat lib. 7 Senilium, tertio Kalendas Julii paulò liberiori ſtylo ſcripta, increpitus, quòd Avenionem Romæ præferret, omnique rationum ac ſuaſionum genere monitus ad ſuam propriam ſedem redire, ſeriò cogitavit de acceſſu ſuo & translatione Curiæ Romam: *Urbanus Papa*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ, *publicavit, ſeu manifeſtavit ſuam intentionem ſuper acceſſu ſuo & tranſlatione Curiæ versùs Romam, deſtinavitque certos nuncios, tam Viterbium, ubi primò declinare & aliquandiu morari intendebat, quàm Romam cauſa diſponendi & ordinandi neceſſaria, reparandique ſua palatia, & libratas pro dominis Cardinalibus dividendi; & ad hoc aſſignavit ſeu ordinavit terminum tempus Paſchale immediatè poſt ſecuturum.*

Scripſit autem Venetorum & Genuenſium Ducibus cupere ſe eorum triremibus Romam navigare, ſicuti & fecit anno ſequenti 1367, ut mox videbitur.

XX. *Tres Cardinales creat.*

Menſis Septembris die decima octava, quæ anno 1366 concurrebat cum feria ſexta Quatuor Temporum, Urbanus Pontifex tres novos Presbyteros Cardinales creavit, videlicet Guillelmum Sudre Tutellenſis diœceſis, Ordinis Prædicatorum, tunc Epiſcopum Maſſilienſem; Anglicum Grimoardum fratrem ſuum, tunc Epiſcopum Avenionenſem, & Marcum de Viterbio Italicum, tunc Generalem Miniſtrum Ordinis Fratrum Minorum. Hæc conſtant ex Auctoribus ejus Vitæ, quorum quartus addit, Pontificem Anglicum fratrem ſuum cum magna Cardinalium inſtantia ad Cardinalatum promoviſſe, ex eo quia ſcientiam eminentem non habebat, licèt probiſſimus eſſet. *Qui fuit devotiſſimus*, inquit, *& maximus pauperum & Clericorum relevator, & etiam multa conſtruxit in Montepeſſulano, Avenione, & multis locis. Et ſupervixit Papæ prædicto bene per viginti annos.* Ex quibus ultimis verbis eruitur Aymericum de Peyraco hujus Vitæ Auctorem ſupervixiſſe Anglico Grimoardi, qui obiit anno 1388.

XXI. *Quomodo ſe cum patre, & propinquis geſſerit.*

Tranſactis quatuor hebdomadis à die, qua Anglicus Grimoardi dictus Cardinalis, Guillelmus Grimoardi, ſeu de Griſaco, Urbani Pontificis & prædicti Anglici pater obiit Avenione in palatio ejuſdem Pontificis, qui *eidem conceſſit plenariam indulgentiam peccatorum, & eundem benedictione papali ſanctiſſima manu propria ſanctificavit, & benedixit*, ut ſcribit Auctor quartæ Vitæ Urbani. Diem ejus obitus habemus ex Auctore ſecundæ, qui vocat eum *Guillelmum de Griſaco grandævum militem.* Guillelmum de Griſaco obiiſſe centenarium conſtat ex Terrario Eccleſiæ Avenionenſis ſupra à nobis num. 7 laudato. Urbanus, ait idem Auctor quartæ Vitæ, *patrem carnalem habebat tempore ſui Papatus bonum militem, cui parum dedit & aſſignavit, dicens, quòd bona Eccleſiæ ſunt pauperibus diſpenſanda, & quòd genitor ſuus de propriis ſuis redditibus antiquis valebat congruè ſuſtentari.* Plus dicit Auctor primæ Vitæ, ſcribens, Pontificem à patre ſuo cum gratiarum actione recuſari juſſiſſe ſexcentarum librarum annuum redituum, quem Rex Chriſtianiſſimus in ſui gratiam illi dederat. Ex his evidenter conſtat Urbanum affectum carnalem erga ſuos nequaquam habuiſſe; nullum enim ex his ad quamcumque Prælaturam promovit, niſi duos duntaxat, ſcilicet Anglicum Grimoardi fratrem ſuum, & unum nepotem ex conſanguineo germano, decretorum Doctorem, aliàs bonum & ſufficientem, quem Eccleſiæ Sancti Papuli in Epiſcopum præfecit. Alios autem quamquam eſſent boni & idonei, aut beneficiis ſatis ſimplicibus, aut officiis curiæ voluit eſſe contentos. De laicis etiam nullum exaltavit; *Nepotem enim unicum, ad quem paterna hæreditas pertinere debebat, non cum altiori, imò nec cum æquali ſibi in genere voluit matrimonialiter copulari; ſuſcepit namque in uxorem filiam cujuſdam mercatoris Montiſpeſſulani ſatis ſimplicis, ſui generis reſpectu, quam tamen, ut creditur, ipſo adhuc in minoribus exiſtente, dictus nepos minimè recepiſſet*, ut primæ ejus Vitæ Auctor ſcribit.

XXII. *Monaſterium & Collegium pro Benedictinis apud Montempeſſulanum fundat.*

Ineunte anno 1367, ſeu die ſeptima Januarii Montempeſſulanum petiit Pontifex ad viſitandum monaſterium, quod ibidem magnis ſumptibus ædificaverat & dotaverat, in honorem SS. Benedicti & Germani, pro ſuſtentatione certi numeri Monachorum nigrorum, ſeu Benedictinorum, partim ut divinis inſiſterent officiis, partim ut literarum ſtudiis vacarent; & tunc Altare majus hujus monaſterii conſecravit, magnis privilegiis decoravit, & multis reliquiis, ornamentis, & jocalibus pretioſis adornavit. Aymericus de Peyraco loquens de fundatione hujus monaſterii in quarta Urbani Vita ait: *Audivi ab iis, qui dicti operis faciendi erant commiſſarii deputati, quòd VII millia francorum & ultra in opere illo expenſa fuerant cum dependentibus ſubſequutis. Et de maximis donis & jocalibus ditavit dictum locum & de reliquiis pretioſis. Ubi conſtituit perpetuò monaſterium Monachorum ſtudentium & clauſtralium. Et dicebatur, quòd ſi diu vixiſſet, Epiſcopatum vel Abbatiam erexiſſet.* Poſtea bulla data Romæ apud S. Petrum XI Kal. Februarii, anno ſexto Pontificatus, ſeu anno 1368, quæ extat apud dictum D. Le Fournier, ſtatuit, ut in dicto monaſterio, ſeu Prioratu ſint viginti Monachi Conventuales, de quorum numero ſit unus Prior. Ut etiam ſint duodecim perpetui Presbyteri ſæculares, qui horis diurnis ac nocturnis continuè deſerviant in divinis. Statuit etiam, quòd ultra Priorem ſint ſexdecim Monachi ejuſdem Ordinis profeſſores, qui per Abbatem S. Victoris Maſſilienſis tam de ſuo monaſterio, quàm de aliis ab ipſo dependentibus, ad ſtudendum in jure Canonico mittantur. Denique ſtatuit, quòd pro clauſtralibus quatuor, & pro ſtudentibus ſex Monachi mittantur oriundi de civitate & diœceſi Mimatenſi.

XXIII. *Ibidem inſtituit Collegium pro Medicina.*

Antequàm è Montepeſſulano recedamus, obſervandum eſt eundem Pontificem bulla data Viterbii VII Kalendas Octobris, anno ſeptimo Pontificatûs, ſeu anno 1369, quæ extat apud Gariellum in Serie Præſulum Magalonenſium part. 2, pag. 86, inſtituiſſe in eadem urbe collegium medicinæ pro duodecim Scholaribus: *In Montepeſ-*

tepeſſulano, inquit Auctor primæ ejus Vitæ, *ubi ſpecialiter ſolet vigere ſcientia medicinæ, inſtituit unum collegium duodecim ſcholarium, qui ſtuderent in dicta facultate, & in ipſa haberent reſidere; pro quorum ſufficienti ſuſtentatione redditus certos acquiſivit & ordinavit*. Papirius Maſſonus in Vita Urbani teſtatur, in eadem urbe Monſpelienſi adhuc extare collegium ingens juſſu ejus conditum in gratiam eorum, qui medicinæ operam daturi eſſent, dummodò conſtaret eos eſſe Gabalos, id eſt Mimatenſis diœceſis. Ceterùm Academiam Monſpelienſem pro jure Canonico & Civili, ac pro Medicina ſub Nicolao IV fuiſſe erectam, eique poſtmodum additam Theologiæ facultatem, diximus in ejus vita; ſed hîc addere juvat, civitatem Monſpelienſem longe ante Nicolaum IV inclaruiſſe ſcientiâ medicinæ; Cæſarius enim Haiſterbacenſis, qui florebat anno 1215, lib. 7 cap. 25, loquens de Montepeſſulano ait: Ubi fons eſt artis phyſicæ. Ægidius Corbolienſis in libro de virtutibus medicaminum canit:

Quo Peſſulanus niſi Mons auctore niteret
Jam dudum phyſicæ laus eclipſata fuiſſet.

Matthæus Paris ad annum 1254, loquens de reditu Regis Francorum è partibus transmarinis, ſcribit: *In partibus Maſſiliæ, quæ non multum diſtant à Montepeſſulano, ubi floret phyſica*; & ad annum 1257, loquens de Epiſcopo Herefordenſi: *Dicebatur tamen ab aliquibus, ut apud Montepeſſulano curreret ab infirmitate, qua laboravit, ſanandus*. Sed longè etiam, ante ſcilicet tempora S. Bernardi, Monſpelium medicinæ laude inclaruiſſe eruitur ex Epiſtola 307 ejuſdem Sancti, in qua loquens de Archiepiſcopo Lugdunenſi, qui Romam proficiſcebatur, ait: *Cùmque infirmaretur, pertranſiit uſque ad Montempeſſulanum. Ibi aliquandiu commoratus, cum medicis expendit & quod habebat, & quod non habebat*. Hæc ex Baluzio in notis ad Vitam Urbani V col. 1052, & ſeq. apud quem hac de re plura. Sed hîc obſervare juvat hunc Ægidium Corbolienſem fuiſſe Canonicum Pariſienſem, Philippi Auguſti Franciæ Regis medicum, & mortuum eſſe anno 1232, vel ſequenti, eique in munere medici Philippi Regis ſucceſſiſſe Rigordum Monachum S. Dionyſii in Francia, cujus quædam opera collegit Ducheſnius inter Scriptores Francorum, ut didici à D. Garidel medico Aquenſi percelebri, cujus Opus de Herbis non multò antè lucem vidit cum figuris.

XXIV. *Quandiu vixit, mille ſtudentes ſuis expenſis in diverſis ſtudiis tenuit.*

Nec mirum videri debet Urbanum, non ſolùm pro jure Canonico & Civili, ſed etiam pro Medicina collegia inſtituiſſe; cùm Auctor primæ ejus Vitæ aſſerat, eum *viros litteratos valde* dilexiſſe, multoſque ex ipſis promoviſſe & exaltaſse; & poſtea ſubdit: *Et ut daret ceteris addiſcendi materiam & opportunitatem, quandiu vixit in Papatu, ſuis expenſis tenuit mille ſtudentes in diverſis ſtudiis; ex quibus cùm aliqui jam erant provecti, aut aliàs deficiebant, illorum loco alios continuò ſubrogavit. Libros neceſſarios tam eis, quàm aliis pluribus, quos ſcivit ſtudio eſſe intentos, ipſiſque indigere, etiam miniſtravit*. Ex illis porrò ſtudentibus centum initio ſui Pontificatûs inſtruebantur in caſtro de Tritis, in quo eſt Prioratus Ordinis S. Benedicti à monaſterio S. Victoris Maſſilienſis dependens, quod diſtat tantùm tribus leucis ab hac urbe Aquenſi; extat enim apud ſæpiùs laudatum D. Le Fournier decretum Concilii generalis civitatis Maſſiliæ diei XVII Novembris anni 1363: *Ad ſupplicandum D. Papam, ut in numero illo centum Scholarium, quos in caſtro de Tritis inſtrui facit in Grammaticalibus, & Logicalibus diſciplinis, certum numerum pauperum Clericorum de Maſſilia cœtus ſociare vellet*. Illis Clericis, quos Pontifex in diverſis ſcientiis & in diverſis ſtudiis propriis ſumptibus tenebat, Eccleſiam fuiſse multipliciter illuſtratam aſſerit Aymericus de Peyraco in quarta ejus Vita, qui addit eum conſiderantem, quòd Eccleſia Viris litteratis maximè eget, ſtudioſos & in ipſis ſcientiis Graduatos ex prædictis ſtudiis generalibus, multipliciter ad beneficia & dignitates promoviſse, & ſic Eccleſiam ſanctiſſimè rexiſse.

XXV. *Canonicorum collegia duo in diœceſi Mimatenſi inſtituit.*

Inſtituit etiam in diœceſi Mimatenſi duo collegia Canonicorum, primum in loco de Beuoeſco, ubi erat Eccleſia baptiſmalis & parochialis loci ſuæ orginis, ſpectabatque ad domum ſuam paternam; in eo enim ædificavit Eccleſiam, quam muris altis & turribus ad modum caſtri circumdedit, & in ea conſtituit collegium certorum Canonicorum ſæcularium & Decani, qui ibi in memoriam ſui & parentum ſuorum, quorum ſepultura erat ibi ab antiquo, Deo deſervirent, dotavitque dictum collegium tam de bonis paternis, quàm aliis ſufficienter. Aliud etiam collegium Canonicorum ſæcularium & Decani, qui ipſis præſideret, inſtituit in Eccleſia de Queſaco dictæ diœceſis Mimatenſis, pro quorum ſuſtentatione ſufficienti redditus & proventus multos acquiſivit, eamque Eccleſiam, ſicut & plures alias in eadem diœceſi conſtitutas, quas dubitabat tempore belli faciliter poſse capi, aut hoſtiliter impugnari, muris & turribus altis circumdari fecit. Quæ omnia conſtant ex Auctore ejus primæ Vitæ.

XXVI. *Italiam petit.*

Montepeſsulano Avenionem rediit Urbanus Pontifex menſe Martio ejuſdem anni 1367, ut ſcribit ſecundæ ejus Vitæ Auctor, & die ultima menſis Aprilis Avenione receſſit, greſsus ſuos dirigens versùs Romam,

non

SÆC. XIV. URBANUS V.

non ſine ingenti multorum Cardinalium, totiuſque ferè Curiæ dolore, ut Petrarcha lib. 9, Epiſt. 2, ad Brunum ſcribens exaggerat de Cardinalibus: *Non quaſi ad chriſtianitatis unicam ac ſupremam arcem urbem Romam ſua in fide catholicæ futuri Reges Eccleſiæ, ſed quaſi Cteſiphontem, aut Memphim Saracenorum in carceres traherentur. Verè ergo miſeri filii ſic affecti: verè autem feliciſſimus pater ac piiſſimus, ſi latinè dicitur, qui nolentes etiam ac luctantes filios ad ſalutem ducit.* Quinque tantùm Cardinales remanſiſſe Avenione, ſed nulla eis relicta auctoritate à Pontifice, ſcribit Auctor Continuationis Gallicæ Guillelmi de Nangiaco; Richardus verò Waſſeburgius ait, omnes Cardinales, quatuor tantùm exceptis, ſecutos eſſe Papam; verùm Auctor ſecundæ Vitæ Urbani ſcribit, omnes Avenione remanſiſſe, quinque exceptis, qui eum ſecuti ſunt, ut mox videbitur. Avenione recedens *voluit audientiam cauſarum & contradictoriarum remanere in Avenione uſque ad diem X Maji tunc ſequentis. Et tunc tranſtulit eam ad civitatem Viterbienſem, ita quòd ſi lapſa die X ipſe mortuus fuiſſet in itinere, fienda erat electio in Viterbio. Et ad hunc finem, ut tunc dicebat, fecit*, inquit Bonifacius de Amanatis in cap. Sanè de elect.

XXVII. *Maſſiliæ Guillelmum de Agrifolio Cardinalem creat.*

Cùm Maſſiliam applicuiſſet Pontifex, declinavit ad monaſterium Sancti Victoris, cujus Abbas fuerat, quodque cùm priùs eſſet vetuſtate conſumptum, multimodè fecerat renovari & reparari, muriſque & turribus altis claudi, circui & fortificari; magnis etiam privilegiis decoraverat, & multis reliquiis, jocalibus & ornamentis pretioſis adornaverat. Ibidem exiſtens, die duodecima menſis Maji Guillelmum de Agrifolio, Decretorum Doctorem, tunc Sedis Apoſtolicæ Notarium, jam Sacerdotem aſſumpſit in Presbyterum Cardinalem tituli S. Stephani in Cœlio Monte, *de quo*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ, *non modicùm quamplurimi fuerunt admirati, cùm eſſet ſatis juvenis, nondum attingens annum 28 ætatis ſuæ, & de ejus promotione, ſaltim ad illum ſtatum, pro tunc nullatenus ſperaretur*. At qui mirabantur, mirari deſiiſſent, ſi advertiſſent, Petrum Rogerii, qui Urbano V ſucceſſit in Pontificatum, à Clemente VI patruo, anno ætatis decimo octavo Cardinalem creatum fuiſſe, ut ſuperiùs diximus; & poſterioribus temporibus, inquit Spondanus, mirari deſiiſſent, quibus penè infantes tantùm non in cunis ad ſacrum Orbis chriſtiani Conſiſtorium allegi conſuetudo invaluit. *In præſentia quinque Cardinalium, ceteris Avenione morantibus, Cardinalem de Agrifolio fecit*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ Urbani hoc tempore vivens. Ceterùm ad creationem hujus Cardinalis motus fuiſſe dicitur Urbanus conſideratione Guillelmi de Agrifolio ſenioris, cujus ipſe Papa ſocius & familiaris fuerat, cùm in minoribus exiſtebat, & qui poſt Deum ſuæ aſſumptionis in Papam dicebatur fuiſſe præcipuus promotor & auctor, & cujus dictus Guillelmus nepos exiſtebat, inquit idem primæ Vitæ Auctor, qui ſicut & alii aſſerunt Guillelmum nepotem fuiſſe virum multis animi & corporis dotibus ornatum.

XXVIII. *Genuam appellit.*

Maſſiliâ ſolvit Urbanus die Jovis vigeſima menſis Maji magno apparatu triremium aliarumque navium, quas honorificè providerant Joanna Regina Siciliæ, Veneti, Januenſes, & Piſani; & die quarta ſequenti, ſeu die vigeſima tertia ejuſd. menſis, Dominica ante Aſcenſionem proſperè applicuit Genuam, ubi tam in portu, quàm in civitate per Ducem & cives ſolemniter receptus & debitè honoratus eſt. Et quia pro tunc erant dies Rogationum, inſtabatque dies Aſcenſionis Domini, ibidem per illos remanere decrevit, & interim equitando per dictam civitatem, Eccleſiam majorem viſitavit, & pro ſua manſione deſcendit ad domum ſancti Joannis Jeroſolymitani, in cujus Eccleſia in die Aſcenſionis Domini, ſeu die 27 Maji ſolemniter celebravit. Philippus Labbæus part. 3 Chronol. Hiſtor. pag. 235, ait, Urbanum Maſſiliâ Genuam navigaſſe in prætoria navi Hoſpitalariorum, eorumque magiſtri Berengarii Pontificis amiciſſimi. Sed Continuator Gallicus Guillelmi Nangii, cujus verba refert Baluzius col. 1013, ſcribit, eum ingreſſum eſſe triremem Venetam, cujus ſententiam confirmat Petrarcha mox à nobis numero ante ſuperiorem laudatus, licèt apud Petrarcham loco *Venetus*, Raynaldus & Oldoinus perperam ſcripſerint, *venius*, ut notavit Baluzius. Certè Auctor ejus vitæ triremes aut alias Hoſpitalariorum naves Maſſiliam ad Urbanum miſſas non memorat, ſed tantùm Siculorum, vel Provincialium, Venetorum, Januenſium & Piſanorum.

XXIX. *Poſtea Viterbium.*

In craſtino Aſcenſionis, ſeu die 28 Maji Genuâ diſceſſit Pontifex, relicto ibi Marco de Viterbio Cardinali ad ſedandas diſſenſiones, quæ pro tunc vigebant inter dictam civitatem & Barnabonem de Vicecomitibus Mediolani. Pervenit autem ad portum ſeu plagiam Corneti, quæ urbs eſt Hetruriæ ſub dominio Summi Pontificis, in ea parte quæ dicitur provincia Patrimonii, 30 milliaribus à Viterbio diſtans, die quarta Junii, quæ fuit dies Veneris, ante Pentecoſten, circa ortum Solis; ubi mari exiens, obvium habuit Ægidium Alvari Cardinalem Legatum cum Prælatis & proceribus terrarum Eccleſiæ. In littore autem parata fuerant tentoria tam de pannis

SÆC. XIV. URBANUS V.

nis ſericis, quàm de ramis arborum magna amœnitate decora, quæ cùm Pontifex fuiſſet ingreſſus, ac in ipſis aliqualiter quieviſſet, parato ibidem Altari Miſsam ſolemniter ſecit coram ſe decantari; qua finita equitando venit Cornetum hora prandii ad domum Minorum declinando, ubi manſit uſque in craſtinum diei Pentecoſtes, in qua ibidem ſolemniter celebravit. Ibidem exiſtens recepit Legationem Romanorum cum clavibus caſtri Sancti Angeli per ipſos antea detenti. Die nona ejusdem menſis Junii intravit Viterbium, atque ibi viſitatus fuit à maxima parte Prælatorum, Magnatum & Communitatum Italiæ, & paulò poſt venerunt ad eum Cardinales, qui per terram iter ſuum proſecuti fuerant.

XXX. *Seditioſi Viterbienſibus parcit.*

Non multos poſt dies cives Viterbienſes inſurrexerunt contra Curiales, domuſque aliquorum Cardinalium hoſtiliter invaſerunt, & inter alios Guillelmus Bragoſe Cardinalis, Vabrenſis dictus, ab iis malè tractatus fuit, & huic, ac aliis neceſse fuit vitando periculo ad palatium Pontificis confugere, ubi manſerunt per tres dies, quibus rumor duravit. Tandem verò cives ſe malè egiſse cognoſcentes ſe ſubmiſerunt Pontificis miſericordiæ, & omnia arma civitatis cum catenis, quibus carreriæ claudebantur, ad palatium ejus portaverunt; erectiſque patibulis in eis culpabiliores ſuſpenderunt. Et ſic Papa cum ipſis mitè agens eis pepercit, rumorque ceſsavit. Ita Auctor primæ Vitæ; ſed in ſecunda Vita legitur quatuor de familiaribus Cardinalium à Viterbienſibus fuiſse occiſos, & ex Viterbienſibus decem ante domos ſuas fuiſse ſuſpenſos. *Idemque Papa dictum tumultum malum ſedavit, & dixit quòd hoc erat initium malorum, & Eccleſia debebat multa mala tolerare, quod perdiu non differretur*, inquit Aymericus de Peyraco in quarta ejus Vita. Hujus ſeditionis meminit Petrarcha lib. 9, rerum Senil. Epiſt. 1; ſed eam motiunculam vocat, queriturque nonnullos ex hac neſarias ſpes concepiſse, Pontificem eâ populari inſaniâ exaſperatum, Sedem in Gallias reducturum. Sed quidquid ſit ex Auctore tunc vivente conſtat, Urbanum prævidiſse hanc ſeditionem fuiſse initium malorum, quæ Eccleſia debebat non multò pòſt tolerare.

XXXI. *Jeſuatorum Ordinem confirmat.*

Anno 1366, Jeſuatorum Ordo Senis initium ſumpſit, auctore præcipuè Joanne Columbino nobili, qui ex uxoratu de conſenſu conjugis ſegregatam vitam agens, quamplurimos aſpera vita & fervidis ſermonibus, in tanta temporum corruptione ad pœnitentiam induxit, & non paucos ſibi ſocios allegit. Anno autem ſequenti 1367, ad quartam diem Junii Urbano Papa Cornetum navigio exſcendenti, Joannes Columbinus cum ſexaginta pauperibus ſociis obviam factus, ab eo ibidem, & Viterbii benignè habitus Ordinis ſui confirmationem petiit; ſed cùm quidam malevoli Joannem Columbinum accuſaſsent apud Pontificem tanquam ſi malè de fide ſentiret, Urbanus Guillelmo Sudre Cardinali Maſſilienſi ejus examen commiſit, cui cùm Joannes rationem dogmatum & fidei reddidiſset, Urbanus ejus Ordinem confirmavit, deditque ut albâ tunicâ uterentur, tegumento capitis albo cum lacinia quadrata à cervice ad humeros dejecta, datumque inde eſt, ut cannſinum pallium tunicæ ſuperjectum ferrent, cincti ad hoc ſcortea zona, nudos alioqui pedes ligneo ſocculo inferiore parte munientes. Ab initio Apoſtolici clerici nuncupati ſunt, ſed poſtea Jeſuati ab eo dicti, quòd Jeſu nomen frequens eſset in ore illorum, profitentes Regulam ſancti Auguſtini: *Hi neque ſacris initiantur, neque celebrant Miſſarum ſolemnia, tantùm orationi vacant*, inquit Sabellicus Enneadis lib. 9, ideoque poſt annum milleſimum quingenteſimum, quo florebat Sabellicus, permiſſi ſunt ad Ordines promoveri. Certè Victorellus in Notis ad Ciaconium ait Paulum V anno primo Pontiſ. die 18 Februarii indulſiſse, ut ex iis nonnulli Sacerdotali dignitate decorari queant. Eorum conventus plurimi numero ſunt in Italia. Joannes Columbinus non multò pòſt, ſeu die ultima Julii ejuſdem anni ſanctè obiit teſte Victorello ibidem. Tandem hunc Ordinem extinxit Clemens IX diplomate dato 6 Decembris anni 1678.

Urbanus V Joannis Græcorum Imperat. Legatos recipit.

Miſerat ante mortem Innocentius VI Conſtantinopolim Legatum ad Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem, qui ad Romanæ Eccleſiæ gremium ſe recipiendi pium ſtudium oſtenderat eo tempore, quo Turcæ maximas clades Græcorum Imperio inſerebant, contra quos idonea auxilia ab occidentalibus ſpetabat, quæ huc uſque mitti non potuerant. Sed cùm Amedeus Sabaudiæ Comes Urbani Papæ auſpiciis collecto cruceſignatorum exercitu, Joanni Palæologo conſanguineo ſuo ſuppetias laturus, Gallipolim Græciæ portum munitiſſimum expugnaſſet, eamque de manibus Turcarum ereptam Joanni Imperatori tradidiſſet, ut Auctor primæ vitæ Urbani ſcribit; Joannes in ſpem obterendæ Latinorum auxiliis Amuratis Turcarum Principis potentiæ, octo Oratores ad Urbanum Papam miſit, qui pollicerentur ſe Orientalis Eccleſiæ cum Occidentali conjunctionem perfectorum, Romamque vere proximo acceſſurum. Iis Oratoribus ſe adjunxêre idem Amedeus Sabaudiæ Comes, & Paulus ex Smyrnenſi Archiepiſcopo Patriarcha Conſtantinopolitanus, non Græcus, ſed Latinus; nam Eccleſiam Conſtantinopolitanam pro Græcis tunc regebat Philoteus, ad quem

quem & ad alios Patriarchas ritus Græcorum extat apud Raynaldum num. 11, Epiſtola Urbani Papæ data *Romæ apud S. Petrum VIII Idus Novembris, Pontificatus anno VI*, qui annus eodem die anno 1367 inchoatus eſt. De hac Legatione hæc habet Auctor primæ Vitæ Urbani: *Dicto Urbano adhuc Viterbii exiſtente, venerunt ad ipſum memoratus Amedeus Comes Sabaudiæ, & Patriarcha Conſtantinopolitanus & aliqui alii viri notabiles, miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani, pro ſui parte eidem Papæ promittentes ipſum rediturum ad Romanæ Eccleſiæ unitatem, & ſuper hoc brevi perſonaliter venturum ad ipſum Papam*. Joannem Imperatorem anno poſtea 1369 Romam ad Pontificem veniſſe ſuo loco dicemus. Hi porrò omnes Oratores acceſſerunt Viterbium die ſeptima Octobris, ut Auctor ſecundæ Vitæ Urbani diſertè ſcribit.

Roma ingenti gaudio excipitur. Intereà Urbanus poſt calores æſtivos Viterbio diſceſſit, Romamque pervenit die decima ſexta menſis Octobris die Sabbati ejuſdem anni 1367, ingenti omnium gratulatione exceptus; ubi Marchio Eſtenſis, qui dextravit Papam, in platea S. Petri fecit duodecim milites, Urbano Papa gradus Sancti Petri aſcendente. Poſtquam in eadem Sancti Petri Eccleſia ſuam fecit orationem, ac in Cathedra Papali fuit more ſolito collocatus, declinavit ad Vaticanum palatium, quod vetuſtate ac inhabitatione quaſi conſumptum & dirutum, faltem quoad tecta opere mirabili fecit renovari. Die Lunæ ſequenti viſitavit Eccleſiam Lateranenſem. Die ultima ejuſdem menſis, quæ fuit Dominica, in Vigilia omnium Sanctorum primùm in Altari S. Petri ſolemniter celebravit, in quo a tempore Bonifacii VIII non fuerat celebratum propter diutinam abſentiam Summorum Pontificum, qui in ipſo tantùm ſunt ſoliti celebrare. Eodem die Guilielmum de Agrifolio ſeniorem, qui, longis temporibus antè non conſecratus, tituli S. Mariæ in Trans-Tyberim Presbyter extiterat Cardinalis, conſecravit in Epiſcopum Sabinenſem, eumque Legatum miſit ad partes Neapolitanas, ut ſedaret diſcordias vigentes inter Principem Tarenti & Ducem Andriæ.. Quæ omnia conſtant ex duobus primis Vitæ ejus Auctoribus.

Græcorum Legatos remittit. Non multò poſt hæc, ſcilicet die ſexta menſis Novembris, qua annum ſextum ſui Pontificatûs inchoavit, Nuncios Græcorum Imperatoris remittens, imprimis ad Joannam Reginam Siciliæ ſcripſit, rogans, ut quoniam Joannes Palæologus, nec non Prælati, Clerus & Archimandritæ, nobiles & populi Græciæ ad obedientiam & unitatem Sanctæ Rom. Eccleſiæ remeare cupiebant, ipſeque Imperator pollicitus eſſet, venturum ſe proximo menſe Maji, aut ſaltem primogenitum ſuum miſſurum; provideret ne quid damni, aut impedimenti per ipſius regnum ipſis inferretur. Scripſit in eundem ſenſum Philippo Tarentino, dicto Imperatori Conſtantinopolitano, Marco Duci Venetiarum, & Gabrieli Genuenſium, mutatis tamen mutandis. Scripſit eodem die ad Helenam Græcorum Imperatricem, & Patriarchis Orientis reſcripſit ſub hac epigraphe: *Prudentibus viris Philotheo Conſtantinopolitanam, Niſoni Alexandrinam, & Lazaro Jeroſolimitanam Patriarchales Eccleſias more Græcorum regentibus, gratiam in præſenti, per quam obtineant gloriam in futuro*. Laudavit eorum propoſitum de unienda Eccleſia, hortatuſque eſt ad rem maturandam, & invitavit ad iter unà cum Imperatore & viris literatis ad Sedem Apoſtolicam capeſſendum. Has omnes literas eodem die datas refert Raynaldus ad annum 1367.

Tres Agnos Dei Græcorum Imp. mittit tanquam ingens donum. Joannes Molanus S. Theologiæ Profeſſor Lovanienſis cap. 13 de Agno Dei, Gretzerus cap. 60 Exam. Myſt. Pleſſ. aliique ex Auguſtini Patritii lib. 1 Sect. 7 cap. ult. rituum ſeu ceremoniarum S. R. E. teſtantur Urbanum V tunc ad eundem Joannem Græcorum Imperatorem tres particulas ceræ benedictæ, quas Agnos Dei communiter nominant, miſiſſe tanquam ingens donum cum his rudioribus verſibus, quibus eorum vis & efficacia exprimitur in fulguribus depellendis, peccatis frangendis, tentationibus dæmonum ſuperandis, prægnantibus partubuſque ſervandis, periculis ignis & aquarum vitandis.

Balſamus & munda cera cum chriſmatis unda
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per myſtica ſanctificatum.
Fulgura deſurſum depellit, & omne malignum,
Peccatum frangit, ut Chriſti ſanguis, & angit.
Prægnans ſervatur, ſimul & partus liberatur.
Dona confert dignis, virtutem deſtruit ignis:
Portatus mundè de fluctibus eripit undæ.
Morte repentina ſalvat, Satanæque ruina,
Si quis honoret eum, retinet ſuper hoſte trophæum,
Parſque minor tantum, tota valet integra quantum.
Agne Dei miſerere mei; qui crimina tollis.

Hi quidem quatuor ultimi verſus non leguntur in Libro Ceremoniarum Auguſtini Patritii, ſed habentur in MS. Codice benedictionum Pontificalium, quibus Pontifex Maximus utitur, aſſervato in Sacrario

rio

Digitized by Google

rio Apoſtolico. Ex his quidam falsò intulerunt ſacra Amuleta illa ex cera confiſta in uſu eſſe cœpiſſe ſub Urbano V. Verùm hanc opinationem refutavimus in Tomo primo hujus Operis pag. 83, & ſeq. ubi oſtendimus Agnorum Dei in Eccleſia uſum viguiſſe ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio. Victorellus in Notis ad Ciaconium ait, verba illa, *peccatum frangit*, *ut Chriſti ſanguis*, ab hæreticis Illyrico & Pleſſæo malè intellecta defendi & explicari egregiè à Molano; & ab aliis Viris doctrina & ingenio præſtantibus. Particula enim, *ut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem quandam analogicam oſtendit, ſicut & illa Chriſti ore prolata, *ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt*. Finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Dei perfectio infinitatem complectitur, quæ in homine certis terminis circumſcripto eſſe non poteſt: Cerea Agni Dei forma non abolet peccatum, ut Chriſti ſanguis; neque enim ea virtute præſtat, qua divinus ille ſanguis in hominum lapſorum redemptionem effuſus: ſed ab ipſo ſanguine & morte Chriſti precationibus & benedictionibus Romani Pontificis, virtutem aliquam ad frangendum peccatum accepit. Aquæ luſtralis aſperſionem, Sacramentalem unctionem ad venialium culparum remiſſionem agere ſcripſit D. Thomas 3 part. quæſt. 87, art. 3. Ita Victorellus, apud quem hac de re plura. Denique Bzovius ad annum 1367 num. 9 ait, quòd ſi Urbanus eos Agnos Dei, verè miſit Palæologo Imperatori, fortè eo conſilio feciſſe, ut Græcos ejurare doceret errores de ceremoniis Eccleſiæ Romanæ. Nam & hi ſchiſmatici pari cum hæreticis temeritate, hos Agnos Dei rident, inque locum vituli conflatilis apud Catholicos contra canonem Concilii Nicæni, ajunt ſucceſſiſſe.

XXXII. *Apoſtolorum Petri, & Pauli capita ornat.*

Anno ſequenti milleſimo trecenteſimo ſexageſimo octavo die prima menſis Martii Urbanus Pontifex è palatio Vaticano Sancti Petri ad Lateranenſem Baſilicam proceſſit, ubi in craſtino Miſſa celebrata in loco dicto *Sancta Sanctorum*, capita Apoſtolorum Petri & Pauli ſervata, aſcendens amphitheatrum dictæ Eccleſiæ ad communem plateam aſpectum habens, toti Romano populo ibi aſtanti exhibuit & oſtendit. Et cùm capſæ ſeu thecæ, in quibus pro tunc erant repoſita, eſſent modici valoris, ex tunc alias novas ordinavit fieri pretioſiores de auro & argento, ornatas multis gemmis, & magnis lapidibus pretioſis; ita ut valor earum communi æſtimatione aſcenderit ad triginta millia florenorum & ultra; intra quas cùm capita dictorum Sanctorum includi feciſſet, anno 1370 eas proceſſionaliter & publicè Clero & populo Romano ad hoc convocatis, præſentibus aliquibus Cardinalibus & Prælatis die xv Aprilis in craſtino Paſchæ per Urbem deportari juſſit, & demum collocavit ſuper Altare Lateranenſe in alto & eminenti ciborio ſuper quatuor columnas marmoreas ad hoc ſpecialiter præparato, magnis & fortibus januis ferreis circumdato. Hæc conſtant ex duobus primis Vitæ ejus Auctoribus, & confirmantur ex bulla ejuſdem Pontificis *data apud Montemflaſconem V Kalendas Auguſti anno VIII* Pontificatus, ſeu anno 1370, qua graviſſimas pœnas injuſſit, qui vel capita Apoſtolorum, aut veræ crucis portionem exiſtentem in cruce, quæ extat ſuper verticem Beati Petri, vel alia ſacra lipſana aut ornamenta ipſorum ſubriperent; in ea autem, ait, has duas imagines argenteas deauratas, ac margaritis & lapidibus pretioſis ornatas fuiſſe ponderis mille ducentarum marcharum argenti. Eam bullam exhibet Joſeph Maria Soreſinus Lateranenſis Eccleſiæ Presbyter Beneficiatus in libello anno 1648 hac de re edito pag. 47. Earum imaginum, ſeu ſtatuarum ectypa habentur apud Papebrochium in Conatu Chronico-Hiſt. part. 2 pag. 92, qui ait in infimo baſis imaginis S. Petri hæc verba legi: *Carolus Dei gratia Rex Francorum, qui coronatus fuit anno Domini 1364, donavit præſens lilium ad honorem capitis Beati Petri, quod eſt poſitum in pectore ejus*, ſimiliaque verbotenus legi circa Sancti Pauli effigiem, quæ eſt à dextris imaginis Sancti Petri, qua de re vide dicta in Leone III num. ultim.

XXXIII. *Joanna Papiſſa hoc tempore in ſuſpicionem falſi jam venerat.*

Hic porrò non omittendum quod Auctor primæ Urbani Vitæ ait, nempe Pontificem eodem anno 1368 poſtquam capita Apoſtolorum populo Romano exhibuit, ad Palatium Vaticanum remeaſſe *pacificè & quietè per Urbem equitando, rectamque viam tenendo; nec* obliquaſſe *hinc vel inde, etiam occaſione illius fatuæ mulieris, quæ aliquando Papatum dicitur occupaſſe, & in eadem via abortum faciendo peperiſſe refertur, quemadmodum alias nonnulli ex ſuis prædeceſſoribus feciſſe leguntur*; ex hoc enim loco manifeſtè patet jam tum in ſuſpicionem falſi veniſſe narrationem de Joanna Papiſſa, inquit Baluzius col. 1014. Ex hoc loco patet inſuper Platinam & Philippum Bergomenſem in editione anni 1486 perperam ſcripſiſse Pontifices Romanos viam illam *conſultò* declinaſse ſuo tempore deteſtandi facinoris causâ, cùm Auctor Vitæ Urbani diſertè aſserat, ideo ipſum ad Palatium Vaticanum remeaſse, quia *rectam viam* tenere voluit, non obliquando *hinc vel inde*. Fatendum tamen eſt Platinam de tota hac narratione valde dubitaſse; poſtquàm enim eam cum omnibus circumſtantiis retulit ſubdit. *Hæc quæ dixi, vulgò ferun-*

runtur, incertis tameu & obſcuris auctoribus: quæ ideo pouere breviter & uudè inſtitui, ne obſtiuutè nimiùm & pertinaciter omiſiſſe videar, quod ferè omues uffirmant: erremus etiam nos hac in re cum vulgo, quamquam uppareat, ea quæ dixi, ex his eſſe, quæ fieri poſſe creduntur. Certè Platinam hanc hiſtoriam pro fabula habuiſse, evincitur ex eo quòd aſserat, hæc vulgò ferri, *incertis tumen & obſcuris auctoribus*, quibus ideo epithetis Martinum Polonum, quem ibidem citat, ornare non erubeſcit. Eum tamen, ſicuti & Vincentium Bellovacenſem non multò pòſt, ſcilicet in Joanne XII laudat, imò poſtea Marrinum Polonum etiam laudat in Leone VII, in Stephano VIII, in Joanne XVII, in Silveſtro II, in Srephano IX, & in Victore III; ex eo enim ſequitur ipſummet Platinam fateri hiſtoriam ſuam ſe deſcripſiſse ex *Auctoribus incertis & obſcuris*. Qua de re vide dicta Tomo Primo hujus Operis poſt Pontificatum Leoais IV.

XXXIV. *Roſa & enſe aureis Joannam Siciliæ Reginam donat.*

Cùm Joanna Siciliæ Regina menſe Martii ejuſdem anni 1368 ad Urbanum Papam veniret, Petrus Rex Cypri, qui Romæ aderar, obviam ex urbe exivit. Urbanus Cardinales omnes & Proceres Romanos in occurſum introeunris ſubmiſit: ac ipſe ad gradus Baſilicæ S. Petri expectans illam ad majorem Aram deduvit. Die decima nona ejuſdem menſis, quæ concurrebat cum Dominica quarta Quadrageſimæ, qua cantatur *Lætare Jeruſalem*, & in qua conſuevit dari per Papam Roſa aurea Viro notabiliori in Curia exiſtenti, Pontifex roſam Reginæ Joannæ, tanquam norabiliori, majori & excellenriori, licèt Vir non exiſteret, dedit, Regi Cypri eam in boc præferendo, quæ more ſolito cum Cardinalibus & aliis Nobilioribus per Urbem equiravit, ur ait Auctor ejus primæ Vitæ. Baluzius in Notis ad hunc locum col. 1015 obſervat ex Garoſco de Ulmoiſca Vereri factum illud diſplicuiſse quibuſdam Cardinalibus. Nihilo ramen minùs Urbanus, ſi fides ſit adhibenda libro diverſar. Chronic. regni Siciliæ MS. in archivo Varicano n. 4,4, juxta Bzovium anno 1368 num. 4 in feſto Paſchatis, ſeu die nona Aprilis, benedictum inter ſacrificandum *enſem auratum* eidem Reginæ Joannæ adſidenti donavit; ipſa verò Petro Regi Cypri, qui eo accinctus Nicolaum Spinellium Juvenarium Reginæ Cancellarium baltheo militari ornavit. Enſem tamen aurarum, unà cum *pileo*, ſeu galero, ornato margaritis, in nocte Nativiratis Domini benedici conſueviſſe tradirur in Cæremoniali Romanæ Eccleſiæ lib. 1 tit. 7, & lib. 2 cap. 11 & 15, ubi & ritus ejus deſcribuntur. De Roſa aurea vide à nobis dicta in Urbano II, & in Innocentio IV. De enſe verò & pileo benedictis vide dicenda in Urbano VI.

XXXV. *Montisflaſconis Eccleſiam Epiſcopalem facit.*

Tranſactis feſtis Paſchalibus, & æſtivo tempore appropinquante Pontifex Monremflaſconem, ſeu Montem Phyſconem, Iralicè *Monte Fiaſcone*, menſe Majo petiit, quia aër ibi eſt purus & ſanus. Fecit iraque ejus palatium reparari; & cùm locus non haberer aquas porabiles niſi ciſternales, in medio villæ puteum magnum & altum fodi & fieri fecit, aquam abundanter proferenrem. Adeò autem eo loco delectatus eſt, ut vellet futuris æſtatibus moram ſuam in eo facere, *audientia tamen cauſarum in Viterbio reſidente, cùm locus ipſe pro tota Curia non exiſteret bene capax*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ. Volens itaque locum illum honorare, Sedem Epiſcopalem in ipſo conſtiruir, & Eccleſiam collegiatam in honorem Beatæ Margheriræ dedicaram in Carhedralem erexir, & à juriſdictione Epiſcopi Balneoregenſis ipſam ſubſtraxit, eique novum Epiſcopum præfecir. Epiſcoparus poſtea Cornuetanus huic junctus fuir. Hæc porrò Monrisflaſconis civitas, Virerbio 8 tantùm millibus paſsuum diſtans, vino celebris eſt.

XXXVI. *Corpus S. Thomæ Aquinatis Ordini Prædicatorum concedit.*

Sanctum Thomam Aquinatem anno 1274 in monaſterio Foſsænovæ Terracinenſis diœceſis ſanctiſſimè obiiſse diximus in Pontificatu Gregorii X. Ibidem ſanctum illud Corpus quievit uſque ad hæc tempora refert Bzovius ad annum 1370 num. 13, ubi & ait Honoratum Fondorum Comitem, volente Abbate Foſsænovæ, hujus Sancti corpus abſtuliſse, inque monaſterio Prædicatorum Fundano depoſuiſse, ei iſto ſolo præfixo titulo: *Hic ſunt reliquiæ ſingulares*. Sanctum autem Thomam cuidam frarri nomine Raymundo revelaſse has reliquias ſuum eſse corpus. Qua re in publicum vulgara, Foſsanovani Dominicanos accuſarunt apud Urbanum Pontificem de furto harum reliquiarum, quod Abbas ſe inſcio ſactum aſserebat. Urbanus Eliam Raymundum Toloſanum, tunc Ordinis Prædicarorum Generalem Magiſtrum, ad dicendam cauſam evocavit, cùmque anno 1368 apud Montemflaſconem exiſteret, decidens in favorem Prædicatorum conrra Ciſtercienſes, Sancti Thomæ corpus Eliæ Generali Magiſtro conceſſit Toloſam ad ſui Ordinis monaſterium deferendum: Scriptis eriam literis ad Archiepiſcopum & Academiam Toloſanam, quibus Sancti gloriam extollens, doctrinam eriam confirmavit, & tanquam veridicam & catholicam amplectendam præcepit; quas literas Bzovins anno 1370 loco non ſuo, ut plerumque ſolet, retulir. De qua translatione legendus S. Antoninus rit. 21, cap. 10, & alii. Rem porrò anno 1368 dum Urbanus eſset apud Montemflaſconem ſcribit primus Vitæ ejus Auctor. Hujus Translarionis

nis hiſtoriam cum Vita ejuſdem Sancti ediderunt Henſchenius & Papebrochius ad diem ſeptimum Martii in Actis SS. Bollandianis. Licet totum corpus Toloſam delatum fuerit, brachium tamen in conventu Pariſienſi Prædicatorum die 13 Julii anni 1369 ſolemni ritu depoſitum fuit, annuente Urbano Pontifice, ut legitur in codice MS. Ambroſii Taegii Mediolanenſis, quem laudat Natalis Alexander in Urbano V. Præterea, ut refert Baluzius in Notis ad Vitam hujus Pontificis col. 1015, idem Elias Generalis anno 1372 die 27 Maji tria oſſa corporis Sancti Thomæ dedit Nicolao de Sancto Saturnino Provinciali provinciæ Franciæ ejuſdem Ordinis, *quorum unum ſibi remaneat, & ſecundum ad conventum Claromontanum provinciæ Franciæ, tertium verò aliquibus conventibus ſuæ provinciæ diſtribuat*, cujus rei extant literæ inter probationes Hiſtoriæ Cardinalium Gallorum pag. 438. Aliud etiam idem Magiſter Generalis dedit anno 1377 conventui Prædicatorum Montiſpeſſulani, ut patet ex editis à Petro Gariello part. 2 pag. 103, Præſulum Magalonenſium.

XXXVII. *Cardinales creat.* Eodem anno 1368 die 22 menſis Septembris feria ſexta quatuor Temporum Urbanus Papa apud Montemflaſconem tertiam fecit Cardinalium promotionem, quos fuiſſe numero ſeptem ſcribit primæ ejus Vitæ Auctor: *Eodem anno*, inquit, *die 22 menſis Septembris, quæ fuit feria ſexta quatuor temporum, præfatus Urbanus Papa in Monteflaſconis Dominos Guillelmum Judicis S. Mariæ in Coſmedin, & Stephanum Alberti S. Mariæ in Aquiro antiquos Diaconos Cardinales in Presbyteros ordinavit; & eadem die ſeptem alios in Presbyteros Cardinales noviter aſſumpſit, videlicet, Dominum Philippum Cabaſſole Avinionenſem, tunc Patriarcham Jeroſolymitanenſem; Simonem de Langan Anglicum, tunc Archiepiſcopum Cantuarienſem, Monachum Ordinis S. Benedicti; Bernardum de Boſqueto Caturcenſem, tunc Archiepiſcopum Neapolitanum; Joannem de Dormannis Gallicum, tunc Epiſcopum Belvacenſem, & Cancellarium Regis Franciæ: Stephanum de Pariſiis Gallicum, tunc Epiſcopum Pariſienſem, Petrum de Banbaco Diœceſis Lemovicenſis, tunc Abbatem Montiſmajoris; & Franciſcum de Tabaldeſchis Romanum, tunc Priorem Baſilicæ S. Petri de Urbe*. Secundæ Urbani Vitæ Auctor, Continuator Gallicus Nangii, Boninſegnius, omnes coætanei, ſed imprimis Garoſcus de Ulmoiſca Veteri, qui tum erat in Curia Romana, perhibent hanc creationem fuiſſe octo Cardinalium; octavum tamen nominant ſoli Continuator Gallicus Nangii & Auctor Maris Hiſtoriarum, ſcilicet Patriarcham Alexandrinum, quem Onuphrius vult eſſe Arnaldum Bernardi, quem dicit fuiſſe Patriarcham Alexandrinum, Archiepiſcopum Auxitanum, & S. R. E. Camerarium. Sed Oldoinus rectè advertit non Arnaldum Bernardi, ſed Arnaldum Alberti hunc fuiſſe Archiepiſcopum Auxitanum; ſed addere debuiſſet, tunc etiam non Arnaldum Bernardi fuiſſe pariter S. R. E. Camerarium, ut notavit Baluzius, qui addit eos falli, qui ſcribunt Arnaldum Bernardi tunc Cardinalem ſubſcripſiſſe profeſſioni fidei orthodoxæ emiſſæ ab Imperatore Palæologo Romæ anno 1369 die 18 Octobris; huic enim profeſſioni fidei, quam refert Raynaldus ad eundem annum, Arnaldus Archiepiſcopus Auxitanus Camerarius ſubſcriptus quidem reperitur; verùm præterquam quòd hic non eſt Arnaldus Bernardi, ſed Arnaldus Alberti, ibi non dicitur Cardinalis, quod ſignum evidens eſt eum non fuiſſe Cardinalem. Quòd ſi quis contendat illum octavum Cardinalem fuiſſe Arnaldum Bernardi Patriarcham Alexandrinum, dicendum erit cum Baluzio, eum mortuum fuiſſe ante diem vigeſimam ſecundam Septembris, ejuſque mortem à Pontifice ignoratam, cùm eo die illum Cardinalem dixit, ac propterea non fuiſſe connumeratum inter Cardinales ab iis, qui ſciebant, eum mortuum fuiſſe antequam nominaretur, & præcipuè a primo Auctore Vitæ Urbani.

XXXVIII. *Romam redit, & Elizabetham Augustam coronat.* Tandem Urbanus Pontifex Romam rediturus ex Monteflaſcone, ſeu Monte Faliſco, die nona menſis Octobris receſſit, & Viterbium progreſſus eſt, ubi Carolus IV Imperator, ab ipſo Pontifice in Italiam invitatus cum exercitu adversùs occupatores terrarum Eccleſiæ advenerat, ipſum convenit die 17 ejuſdem menſis, & ſequenti die iter arripiens præceſſit Papam ad Urbem. Pontifex die vigeſima prima dicti menſis Romam venit, ibique Carolus imperator vice ſtratoris eum adextravit à porta Collina, quæ eſt juxta caſtrum Sancti Angeli uſque ad baſilicam Sancti Petri, pedeſtris eundo & tenendo frænum equi, ac denium uſque ad Altare majus deduxit. Manſit autem ibi Imperator expectans adventum Elizabethæ imperatricis quartæ ſuæ uxoris, quæ venit Romam die 29 ejuſdem menſis, quam die prima Novembris in Altari Beati Petri, primùm inunctam per Epiſcopum Oſtienſem Cardinalem, prout moris, Pontifex coronavit, & ſic coronata duobus Epiſcopis Cardinalibus comitantibus, poſt prandium ad Lateranum perrexit. Quo facto dictus Imperator ſatis citò poſt receſſit de Urbe versùs Bononiam dirigens greſſus ſuos, ſecumque duxit ex ordinatione Papæ Guidonem de Bolonia Epiſcopum Portuenſem Cardinalem, quem diſcedendo de Italia ſuum Vicarium conſtituit. Elizabetha autem Auguſta Româ ceſſit in

die Sancti Clementis, ſeu die 23 Novembris. Hæc conſtant ex duobus primis Auctoribus Vitæ Urbani.

XXXIX. *Eccleſiæ Romæ reparat.*

Eodem tempore, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ tunc vivens, Urbanus Papa multas Eccleſias in Urbe fecit reparare, ſpecialiter autem Eccleſiam Sancti Joannis de Laterano, & Eccleſiam Sancti Pauli, quam ultimam ex pecunia Abbatis ejuſdem Eccleſiæ reſtauravit. Auctor enim Magni Chronici Belgici ex Petro de Herentals Canonico Floreffienſi refert, Abbatem Eccleſiæ Sancti Pauli Romæ magnam ſummam florenorum obtuliſſe Urbano, ad finem quòd ad Cardinalatum promoveri poſſet. *Accipiens itaque*, inquit Petrus de Herentals in tertia Urbani Papæ Vita, *Papa hanc oblationem, de eadem conſtituit reparari Eccleſiam Sancti Pauli, & Abbatem in ſuo ſtatu reliquit abſque promotione; ſicque factum eſt quòd Papa de dictis Abbatis pecunia fecit quod ipſe Abbas facere debuit.* Duarum illarum Eccleſiarum tecta erant totaliter demolita, inquit Auctor primæ Vitæ, qui addit, Pontificem ſumptuosè etiam reparaſſe Eccleſiam Sancti Petri in ea parte, quæ reparatione indigebat; ibidemque juxta palatium ſuum feciſſe aptari unâ vineam maximi ambitus, in qua plantari fecit multas vites & arbores fructiferas, quas de diverſis & longinquis terris fecit aſportari. Inſuper dictis Urbis Romæ Eccleſiis, ac aliis veſtes ſacras, calices, ornamenta Eccleſiaſtica & libros ad officium divinum opportunos innumerabiliter diſtribuit, reliquiaſque multorum Sanctorum auro & argento, gemmis ac lapidibus pretioſis adornatas repoſuit in eiſdem.

XL. *S. Elzearium Ariani Comitem canonizat.*

Sequenti anno 1369, Urbanus Papa die Dominica decima quinta Aprilis Elzearium ſeu Alziarium quondàm Comitem Ariani, natione Provincialem, multis & magnis miraculis coruſcantem, ut conſtat ex proceſſu Canonizationis Clementis VI juſſu confecto, cujus exemplar MS. extat in conventu noſtro Aptæ Juliæ continens folia 238, ſubſcriptum per duos Notarios, Sanctorum Confeſſorum catalogo adſcripſit; ſtatuens feſtum ejus celebrandum die 27 Septembris, ut legitur in diplomate Canonizationis à Gregorio XI emiſſo, non verò die 20 ejuſdem menſis, ut errore forſan Librarii legitur in ſecunda Vita Urbani V, qui in ejus *commendationem fecit ſermonem valde ſolemnem & audientibus multum utilem & ædificativum*, ut ait Auctor primæ ejus Vitæ; ſed cùm morte præventus diploma edere non potuerit Gregorius XI ejus Succeſſor, illud promulgavit *Avenione Nonis Januarii Pontificatus anno primo*, ſeu anno 1371. Extat illud apud Raynaldum anno 1323 num. 69, & apud Wadingum eodem anno num. 40. Elzearius de Sabrano Comes Ariani & Baro Anſoiii mortuus eſt Pariſiis die 27 Septembris anni 1323, ejuſque mors eadem hora Dalphinæ de Podio Michaelis ejus conjugi in Provincia exiſtenti, cum qua perpetuam de communi conſenſu virginitatem coluit, licèt eodem thoro continuò utens, divinitus revelata eſt. Ejus corpus Pariſiis ad ſepulturam delatum ad Eccleſiam Fratrum Minorum civitatis Aptenſis in Provincia, ut ipſemet juſſerat teſtamento Toloni die 18 menſis Julii anno 1317 confecto, cujus exemplar MS. penès me extat, inſtitutum enim Tertii Ordinis S. Franciſci cum Dalphina conjuge complexus erat. Antea idem Urbanus Pontifex, anno ſcilicet 1363, diplomate dato *Avenione 3 Nonas Martii anno primo* Pontificatus, cujus partem recitat Raynaldus eo anno num. 26, Aquenſi Archiepiſcopo, ac Vaſionenſi & Siſtaricenſi Epiſcopis mandaverat, ut de miraculis Dalphinæ, S. Elzearii conjugis, beneficio ediris cognoſcerent, eorumque teſtes in examen vocarent; in eo diplomate ait Urbanus: *Omnipotens Dominus per ejuſdem Dalphinæ ſanctæ merita in civitate Aptenſi, ubi corpus requieſcit ejuſdem, plures ſuſcitavit mortuos, cæcos illuminavit, mundavit leproſos, ſurdis auditum reſtituit, mutis loquelam, & paralyticis & contractis reſtituit ſanitatem.* Proceſsûs ea de re ab iiſdem Commiſſariis editi exemplar extat in eodem noſtro Conventu Aptenſi continens folia 204. Licèt porrò S. Dalphina non fuerit ſolemniter canonizata, ejus tamen feſtivitas celebratur in Eccleſia noſtra Aptenſi, ubi corpus ejus requieſcit, & in hac tota noſtra provincia Minorum Conventualium, imò & in univerſo Tertio Ordine S. Franciſci die 26 Novembris, quo die obiit anno 1360. Ejus Vita ab Auctore horum temporum proximo ſcripta extat apud me Manuſcripta. Vitam verò S. Elzearii ſcripſit Auctor Anonymus, cujus hiſtoriam Surius tranſcripſit ad diem 27 Septembris. Wadingus loco laudato num. 41 aſſerit ſe habere aliam Vitam ex alio Anonymo deſumptam, per lectiones novem diviſam. Ego verò penès me habeo SS. Elzearii & Dalphinæ legendam pariter MS. per novem lectiones etiam diviſam, cujus prima Antiphona in veſperis incipit: *Splendor ſuperni Luminis*; & ſic deſinit: *Quia adhuc non eſt ſupra ad plenum collecta Legenda quæratur in loco ubi magis..... Magiſter Giraudus....... de ordine Minorum in ſacra pagina Magiſter, &c.* Hæc forſan eadem eſt cum ea, quam laudat Wadingus.

XLI. *Agit contra Peruſinos rebelles.*

Triduo poſt Canonizationem Sancti Elzearii, die ſcilicet decima octava Aprilis, Pontifex Româ exiens Montem Faliſcum petiit, ubi tota æſtate commoratus eſt, ſaltem uſque ad diem octavum Auguſti, quo

die

SÆC. XIV. URBANUS V.

die receſſit de Monte Faliſco, & ivit Viterbium, quo tempore proceſſit contra Peruſinos rebelles, eorumque territorium, non ſolùm ſpiritualiter proceſſus & ſententias fulminando, ſed etiam temporaliter ipſos armata manu expugnando, eò quòd ſibi & Romanæ Eccleſiæ obedientiam denegando, ſe ab ejus dominio ſubtrahebant, & per ſatellites ſuos diſcurrebant ante Viterbium, ipſo Papa ibidem exiſtente, in cujus opprobrium multa ignominioſa, & inaudita perperraverunt; quo factum eſt, ut Urbanus pugnantibus contra eos conceſſerit indulgentiam. *Deus tamen eorum demum juſtus vindex extitit. Nam ipſorum patratores tandem mala morte perierunt*, inquit Auctor primæ ejus Vitæ.

XLII. *Joannem Græcorum Imp. Rom. Eccleſiæ fidem profitentem benevolè ſuſcepit.*

Die decima tertia menſis Octobris ejuſdem anni 1369, Urbanus Papa Viterbio Romam venit, ubi Joannes Palæologus Græcorum Imperator eum expectabat. Hic enim cùm res Turcarum incredibili ſucceſſu augeri animadverteret, ſuaſque in dies minui, ad imploranda auxilia in Italiam, ſicut per Legatos promiſerat, navigavit, ſuſceptus Romæ à Pontifice perhonorificè, & tractatus paulò minùs ac fuiſſet Imperator Romanorum. Deinde die decima octava menſis Octobris in domo Sancti Spiritus de Urbe ad Romanæ Eccleſiæ fidem & unitatem reductus juravit perpetuam obedientiam, confectis ſuper his literis Græcè & Latinè aurea bulla ſigillatis, & ſubſcriptis propria manu cum ſanguine conchylii, id eſt rubris litteris per cinnabarim, quas Pontifici tradidit, quæ in archivis Eccleſiæ Romanæ repoſitæ ſunt, extantque Latinè apud Bzovium & Raynaldum. Iis Jo: Imp. declarans, ſe Spiritus S. lumine illuſtratum, volentem animæ ſuæ ſaluti providere, ſponte veniſſe Romam, ut Urbanum Papam, & Sedem Apoſtolicam viſitaret, profiteretur que fidem Catholicam, quam Romana & Univerſalis Eccleſia profiteretur, teneret & doceret; circa cujus obſervantiam ejuſdem Papæ ac ſucceſſorum ejus mandatis, plenariè & efficaciter pariturus eſſet: coram Guillelmo Epiſcopo Oſtienſi, Bernardo Baſilicæ XII Apoſtolorum, ac Franciſco tituli S. Sabinæ Presbyteris, & Raynaldo S. Adriani Diacono, Cardinalibus, Commiſſariis à Papa deputatis, nec non coram ejuſdem Sedis Notariis, aliiſque teſtibus profeſſus eſt ſingillatim omnes articulos fidei Catholicæ de Sanctiſſima Trinitate, ejuſque ſingulis perſonis; de proceſſione Spiritus Sancti ex Patre Filioque; de Purgatorio & animarum poſt hanc vitam vario ſtatu; de Sacramentis; de Primatu & auctoritate Romanæ Eccleſiæ, ejuſque Pontificis ſuper univerſam Eccleſiam Catholicam, & omnes Epiſcopos atque Patriarchas, appellationibuſque ab eis undique ad Sedem Apoſtolicam. Hancque fidem ſe recognoſcere, amplecti, & in perpetuum ſervare velle juravit ſuper Sancta Dei Evangelia anno ab Incarnatione Domini MCCCLXIX, Indictione VII, die XVIII menſis Octobris, ſupraſcripti ſanctiſſimi Patris & D. Urbani divina providentia Papæ V anno 7, præſentibus D. Nicolao Cardinali Diacono tit. S. Mariæ in Via lata, Arnaldo Archiepiſcopo Auxitano Camerario, Raimundo de Pratis Notario Papæ, ac aliis quamplurimis, ibidem nominatis apud Raynaldum. Iis ritè peractis, receptus eſt Joannes Imperator à ſupradictis Cardinalibus Commiſſariis ad oſculum pacis, & gremio S. Romanæ Eccleſiæ aggregatus. *Deinde die Dominica 21 dicti menſis Octobris Dominus Papa veniens ad gradus Sancti Petri, eumdem Imperatorem obvium aſcendentem excepit, & ſimul euntes ad Eccleſiam, Dominus Papa in ejus præſentia celebravit*, inquit Auctor ſecundæ Vitæ Urbani tunc vivens.

XLIII. *Urbanus Romam intrat, Imperatore ſtratoris officio fungente.*

Spondanus tamen ex Bzovio refert, Joannem Imperatorē Viterbium primò acceſſiſſe ad Urbanum Papam, indeque Romam, ut ibi fidem Orthodoxam profiteretur coram quatuor Cardinalibus ſuprà nominatis à Pontifice delegatis; coram quibus Imperator fidei profeſsionem emiſit in Baſilica Principis Apoſtolorum: eâque profeſſione ad Pontificem miſsâ, hunc Viterbio Romam properaſse: Venienti Imperatorem obviam extra Urbem proceſsiſse, & deoſculatis ex more Pontificis pedibus, frenum equi illius tandiu tenuiſse, donec ad gradus Baſilicæ Vaticanæ equo inſedentem Urbanum pedes incedens adduceret; ſtratoris deinde officio, deſcendente ex equo Pontifice, functum, ab eodem Urbano ad Aram majorem Principis Apoſtolorum introductum, ibidem audiente Nicolao tit. S. Mariæ in Via lata Cardinali ex eadem formula profeſſum eſſe fidem Catholicam, ejuſque profeſsionis aliud inſtrumentum eodem anno 1369, & menſe Octobri dediſſe ſignatum, cùm Urbanum Pontificem ſacris more Latino operantem audiret; quod ſecundum inſtrumentum nec refert, nec dicit ubinam reperiatur. Certè vel deceptus eſt Bzovius, vel Auctor ſecundæ Vitæ Urbani, qui diſertè aſſerit, illam primam Joannis Imp. fidei profeſsionem, non in Baſilica Principis Apoſtolorum, ut ait Bzovius, ſed in domo Sancti Spiritus de Urbe, in præſentia quinque Cardinalium, & Papam ad hoc veniſſe Romam Viterbio die 13 menſis Octobris, quinque ſcilicet diebus ante hujuſmodi profeſsionem fidei, quæ, ipſo fatente Bzovio, emiſſa eſt die XVIII ejuſdem menſis, à quo die ad diem XXI ejuſdem menſis, quo idem Auctor aſſerit Papam celebraſſe in Eccleſia S. Petri in

præ-

Digitized by Google

præſentia Imperatoris, non potuit hæc profeſsio fidei Viterbium mitti ad Papam, & Papa Romam adire, niſi hic citato curſu iter perfecerit, quod parum veroſimile eſt. Exiſtimarem itaque Imperatorem jam exiſtentem Romæ, die XIII Octobris Urbanum Papam Romam introeuntem adextraſſe, ei ſtratoris munus exhibuiſſe, & die XVIII Octobris coram Cardinalibus à Pontifice delegatis in domo S. Spiritus profeſsionem fidei emiſiſſe, quam forsàn renovavit die XXI ejuſdem menſis in Baſilica S. Petri Miſſæ Pontificiæ aſsiſtendo. Sed quidquid ſit, certum eſt Joannem Imperatorem anno ſequenti 1370, diplomate dato Romæ die 20 Januarii, quod pariter referunt Bzovius, & Raynaldus ad omnem ambiguitatem ſuæ profeſſionis tollẽdam declaraſſe, ſe *credere & intelligere Romanam Eccleſiam, cui nunc præeſt præfatus Dominus Papa & ſui prædeceſſores Romani Pontifices præfuerunt, prout credunt, intelligunt*, (Raynaldus habet intelliguntur) *catholici Chriſtiani in Occidentis partibus conſtituti*. Poſt hæc Româ receſsit Joannes, qui tempore quo ibidem manſit, frequenter etiam non invitatus ad prandium Pontificis venit, & ſumma animi delectatione converſatus cum eo eſt, ut in proceſſu pro Urbani Canonizatione poſtea facto, tradi ſcribit Spondanus anno 1369, num. 7.

XLIV. *Avenionem redire parat, & quare.* Die decima ſeptima menſis Aprilis anni 1370, ſeu die Martii poſt feſtum Paſchæ, Urbanus Pontifex Româ receſſit, & in craſtino S. Marci Evangeliſtæ, ideſt die 26 ejuſdem menſis, Montem Faliſcum petiit, indeque Viterbium, ubi primùm palam & publicè manifeſtavit ſe velle redire de proximo ad civitatem Avenionis, & ut omnes Curiales ad hoc ſe diſponerent ferias indixit à principio menſis Junii uſque ad principium menſis Octobris; ad id autem motus eſt Urbanus, non ut Sedem iterum Avenionem transferret, ut plerique ſcribunt, ſed præcipuè, ut primus & quartus Vitæ ejus Scriptores tradunt, quia audiens mala, quæ continuè fiebant, & majora fieri ſpectabantur occaſione guerræ noviter ſuſcitatæ & exortæ inter Reges Franciæ & Angliæ, eis obviare cupiebat: erat enim intentionis ſuæ circa hujuſmodi belli ſedationem totis viribus laborare, etiam in propria perſona ad dictos Reges accedendo, ubi aliàs ſuper hoc ſe non poſſe proficere reperiret. Unde Auctor ſecundæ Vitæ ſcribit, Urbanum rediturum Avenionem, menſe Majo indixiſſe vacationem à principio Junii uſque ad diem VI Octobris ſequentem, tuncque privaſſe *plures Scriptores, qui eum non fuerunt ſequuti in Italiam*, eo, ut opinor, fine, ne cum iterum Avenione Romam rediret, alii hoc exemplo territi, Avenione remanerent. Sancta quidem Birgitta, tunc in Italia exiſtens, cùm audiſſet Pontificem decreviſſe Galliam repetere, ei nunciavit per Alfonſum confeſſarium ſuum, ut quidam ſcribunt, cùm Auctor ſecundæ Vitæ dicat, *per Nicolaum Comitem Nolanum, quòd ſi recederet, eſſet inſipiens & non perficeret iter ſuum*; ille nihilominus urgentiſsimam publicarum Chriſtianitatis neceſſitatum curam ejuſmodi revelationis aſſertioni anteponens, à propoſito non deſtitit, non ſpecie componendi Francorum & Anglorum diſſidia, ut ſcribit Spondanus anno 1370, num. 4. Sancta enim tanti Pontificis vita non ſinit ut credamus eum ſimulatos prætextus quæſiiſſe, ſed ut *perſonaliter dicta regna* viſitaret, *& dictos Reges inſimul* congregaret, ut quartæ ejus Vitæ Auctor aſſerit. Certè Urbanum conſtituiſſe iterum Romam redire diſertè aſſerit Ægidius Viterbienſis apud Victorellum in Notis ad Ciaconium: Solus Urbanus V, inquit, *omnium Pontificum in exilio degentium..... Petri tumulum adorare voluit, ubi cùm pronus daret lachrymas, miſeratus collapſa templa, & deſertam primi Pontificis urbem, illud Pſalmi inter ſingultus repetebat*: Super flumina Babylonis illic ſedimus & flevimus, cùm recordaremur tui Sion: *atque eo conſilio Italia exceſſit, ut rediret, profectò rediturus, niſi abeuntem occupaſſet mors*. Ex quo evincitur Urbanum non cogitaſſe de transferenda Sede Avenionem.

XLV. *Cardinales creat.* Viterbio Pontificem Urbanum Montem Faliſcum rediiſſe, conſtat ex eo quòd Auctor primæ ejus Vitæ aſſerit, eum apud eam urbem die ſeptima menſis Junii, quæ fuit feria ſexta quatuor Temporum poſt Pentecoſten, non verò die ſexta, ut legitur in Auctore primæ Vitæ, creaſſe duos novos Cardinales Presbyteros, ſcilicet Petrum de Stagno diœceſis Ruthenenſis, Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiſcopum Bituricenſem; & Petrum de Corſinis Florentinum, tunc Epiſcopum ejuſdem civitatis. Exiſtimare autem pronum eſt, eam Cardinalium creationem à Pontifice factam, quia valde imminutum erat Collegium; anno enim antecedenti 1369, *Viterbii fuit mortalitas tranſmontanorum, in qua mortui fuerunt quinque vel ſex Cardinales*, ut ait Auctor ſecundæ Vitæ Urbani, nempe Guillelmus de Agrifolio Epiſcopus Sabinenſis, Androinus de Rocha, Stephanus Alberti, Marcus de Viterbio, & Petrus de Benhaco.

XLVI. *S. Birgittæ Ordinem confirmat.* Onuphrius in Chronico Eccleſiaſtico, & ex eo Ciaconius, ſcribit Urbanum Papam eodem anno 1370, confirmaſſe Ordinem Sanctæ Birgittæ virorum & mulierum: & quidem rectè, nam Auctor ſecundæ Vitæ Urbani id diſertè aſſerit: *De menſe Julii*

eodem

eodem anno inquit, *fuit* (*apud*) *Sedem Apoſtolicam Domina Brigida de regno Succiæ petens confirmari regulam ſibi revelatam à Deo, ſecundùm quam volebat vivere moniales & fratres in monaſterio à ſe fundato in dicto regno in loco de Ventena, & obtinuit quòd ſecundùm regulam Sancti Auguſtini viverent. Hæc Domina de pueritia revelationes divinas habuit, & claruit in vita & poſt mortem.* Hæc Sancta, viro defuncto, ſui juris effecta, Romam, inde Jeroſolymam ad viſitanda loca ſacra perrexit, honorificè ubique excepta, & ſpiritu prophetiæ, revelationibuſque divinis celeberrima, atque omnium penè hujus temporis Scriptorum ſtylo celebrata, inſtituit in patria ſua novum Monaſticum Ordinem tam fœminarum, quàm etiam virorum, Regulam eis præſcribens, ex ore Chriſti dictantis acceptam, quæ extat inter Revelationes ejus poſt librum 8, quæ tamen Regula cum Baſilii & Auguſtini multa habet communia, ex quo Auctor laudatus ſcripſit, obtinuiſſe ab Urbano Birgittam, ut ejus aſſeclæ viverent ſecundùm Regulam ſancti Auguſtini. Voluit autem, ut tam viri quàm fœminæ Abbatiſſæ Ordinis ſubjicerentur, & omnes utriuſque ſexus leucophæatos eſſe cum cruce rubra ſuper chlamyde. Unicum extruxit Cœnobium & Templum viris & mulieribus commune Watſte in patria, cui Catharina ejus filia prima Abbatiſſa præfuit: ſed parietibus ita diviſum erat Cœnobium, ut cùm ſuperiorem partem Moniales, inferiorem Monachi incolerent, neque hos illæ, neque illas hi poſſent aſpicere: Templum etiam diviſum erat. Ipſa tamen Birgitta Ordinem illum nunquam profeſſa eſt, neque unquam habitum religionis ſumpſit; mortua Romæ anno 1373, ut infrà in Bonifacio IX, qui eam canonizavit, dicetur. Fuit porrò is Ordo *S. Salvatoris* nuncupatus, poſtea valde dilatatus, ac præcipuè in partibus Septemtrionalibus: ubi ſuperveniente Lutherana hæreſi, maxima pars monaſteriorum ab ejus ſectatoribus occupata fuit.

XLVII. *Avenionem pergit.* Poſt hæc Urbanus Papa rebus Italicis, Urbiciſque probè quantum potis fuit diſpoſitis, & Anglico Cardinale Epiſcopo tunc Albanenſi germano ſuo, ac Petro de Stagno, recèns à ſe ex Archiepiſcopo Bituricenſi creato Cardinali Preſbytero tit. S. Mariæ trans Tyberim, Legatis in Italia deſignatis, die 26 menſis Auguſti receſſit de Monte Faliſco, & Cornetum petiit, ubi manſit uſque ad diem quintum Septembris, ubi invenit galeas & navigia ad ſufficientiam, de quibus cum magno apparatu ſibi providerant Reges Franciæ & Aragonum, Joanna Siciliæ Regina, civitas Avenionenſis & Provinciales. Eodem die quinto Septembris mare intravit, & die decima ſexta ejuſdem menſis pervenit Maſſiliam, ubi aliquot diebus manſit, cùm Avenionem applicuerit die tantùm vigeſima quarta ejuſdem menſis; quæ omnia conſtant ex ejus Vitæ Auctoribus, quorum primus addit, eum reducem totaliter mente diſpoſuiſſe in propria perſona laborare circa pacificationem Regum Franciæ & Angliæ, ad quod etiam certa præparativa ordinaverat.

XLVIII. *Sanctè moritur Avenione.* Sed non multò poſt, proſequitur idem Auctor, magna infirmitas ipſum arripuit; ex qua ſentiens ſe gravari, mortemque ſibi propinquam exiſtimans, ad ea, pro quibus venerat, vacare deſtitit; ſed ad illa quæ animæ ſuæ ſalutem concernere poterant, totaliter ſe convertit; humiliter & devotè ſæpiùs confeſſus eſt, & cæteris Eccleſiæ ſacramentis perceptis lectulum ſuum ante Aram Petri Apoſtoli ferri jubens, præſentibus Camerario, Confeſſore, pluribuſque aliis familiaribus ſuis, aliiſque multis notabilioribus perſonis conteſtatus eſt ſe tenere & credere firmiter quidquid Sancta & Apoſtolica Eccleſia tenet & docet, neque unquam ſe ſcienter ab ejus determinatione deviaſſe; januiſque patentibus, veſtibus ſuis monaſticis indutus, quas ſicuti nunquam aliàs, ita neque in ægritudine dimittere voluit, ſignumque crucis manu tenens, quamplurimis finem ejus aſpicientibus, tranquillam & felicem animam emiſit circa occaſum ſolis die 19 Decembris, ſeu circa horam veſperorum, ut inquiunt Cardinales in Epiſtola eodem die ad Cardinalem Albanenſem data, quo factum eſt, ut Auctor ſecundæ Vitæ dicat eum obiiſſe die XX ejuſdem menſis, anno 1370, poſtquam ſediſſet à die ſuæ Coronationis annos octo, menſem unum & dies quatuordecim, & vixiſſet annos unum & ſexaginta, fuitque ſepultus in Eccleſia majori Avenionenſi in capella Joannis XXII, demum transferendus ad Monaſterium Sancti Victoris Maſſilienſis, ubi vivens ſuam ſepulturam elegerat, magnis & ſtupendis miraculis coruſcando.

XLIX. *Pluralitatem beneficiorum inhibuit.* Laudatiſſimus hic ore omnium Pontifex, præter illa, quæ ſuperiùs memoravimus, plurima alia geſſit, hic non omittenda. Beneficiorum multiplicitatem, præſertim incompatibilium invitiſſimè toleravit, & multos ex illis, qui plurima obtinebant, privavit, relictis eis tantummodo illis, quæ ſuis ſtatui & ſufficientiæ congruè convenire judicavit. Super quo Conſtitutionem edidit, quæ incipit *Horribilis*, in qua, quod ſuo tempore licere ſibi non paſſus, eſt ſuis ſucceſſoribus indicavit, inquit primæ ejus Vitæ Auctor. Quæ conſtitutio forsàn periit, nam ea quæ ex Tomo 2 Collectionis Anglicanæ extat Tomo XI Conciliorum Labbæi col. 1938, incipit, *Conſue-*

SÆC. XIV. URBANUS V.

ſueta felicitudo, dataque dicitur *Avenione V Nonas Maji, Pontificatus anno quarto*, ſeu anno 1365. Id ipſi gratulatus eſt Petrarcha lib. 7 Senil. Epiſt. 1. *Audiebam*, inquit, *te ambitioni antiquæ, quæ priorum licentia in immenſum crevit, frænum ponere; & ut uno aut paucis pro dignitate virtutis ac ſcientiæ, beneficiis contenta eſſet edicere juſtè (inquam) graviterque. Nam quid turpius quàm unum aliquem parta forſan fœdis artibus copia nauſeantem cernere, multis hinc inde melioribus penuria fameque laborantibus?*

L. *Reſidentiam Prælatis & Beneficiatis indixit.*

Prælatos alioſque Beneficiatos in Eccleſiis ſuis ac beneficiis reſidere juſſit, qua de re idem Petrarcha laudatus ait: *Audiebam te Prælatos Eccleſiarum, qui Romanam Curiam frequentabant, ad Sedes proprias remiſiſſe: Optime, inquam, ac magnifice. Quid ineptius enim, quæſo, propiuſque naufragio eſt, quàm ſi nautæ omnes remis atque rudentibus abjectis, relictâ navis prorâ, nudatiſque lateribus, gravi faſce puppim premant, clam Rectorem importunè ambiant, ſuiſque muneribus deſertis, illius officium interpellant?* Abſtinentiam à carnibus in Adventu Domini, & diebus duobus ante Feriam quartam Cinerum ab Eccleſiaſticis & Laicis in Curia ſua exiſtentibus religioſè obſervari ſtatuit, ut diſertis verbis teſtatur primæ ejus Vitæ Auctor.

LI. *Cardinalium domus aſyla eſſe prohibuit.*

Sceleſti homines graviſſimis facinoribus perpetratis, ad Cardinalium domos fugere ſoliti, digno ſupplicio eximebantur, quam peſſimam conſuetudinem primus ſuſtulit Urbanus V, indecorum putans, ut refugium aſylumque juſtitiæ reis ejuſmodi prodeſſet. *Audiebam*, ſubdit Petrarcha in eadem Epiſtola, *te licentiam peſtilentem ſalubri falce vigoris æquiſſimi præcidiſſe, illam dico, quæ ſceleſtos homines graviſſimis facinoribus perpetratis ad Cardinalium domos fugere ſolites, Legum nodis ac digno ſupplicio eximebat. Et hoc ipſum ſingulari laude dignum, maximeque tuum judicabam, ab illius ſcilicet Vicario, qui ſol juſtitiæ verus eſt; defenſam & in ſuum ius repoſitam juſtitiam, peſſimamque conſuetudinem, qua nihil eſt infeſtius virtuti, tuis vel abſciſſam manibus, vel convulſam; nec jam amplius, ut ſolebat, apud exemplares juſtitiæ Magiſtros, injuſtitiæ refugium, aſylumque nequitiæ reperiri.* Hæc tamen Urbani V Conſtitutio per non uſum abrogata, hicque non uſus duravit uſque ad Sixtum V, qui Conſtitutionem contra illam immunitatem edidit, cui omnes S. R. E. Cardinales in Urbe exiſtentes ſubſcripſerunt, & huic privilegio, ſi tale unquam habuerunt, renunciarunt. Eſt hæc Conſtitutio in Bullario ordine ſexta inter Sixti Conſtitutiones. Tandem, ut paucis cetera expediam, Urbano fuit propoſitum ſemper facere in omnibus, quæ Deo credebat fore placitura, & contraria vitandi; habuitque in mente conſtantiam, veritatem in ore, & efficaciam ſeu virtuoſitatem in operatione, inquit ſæpius laudatæ primæ ipſius Vitæ Auctor apud Baluzium:

LII. *Simoniam extirpavit.*

Qui addit Urbanum Simoniacos exeeratum eſſe; ementes enim, & vendentes beneficia, ſive ſpirituales gratias, aut ſuper eis mercimonia illicita facientes, tractantes, aut procurantes, aut etiam occaſione talium exactiones indebitè facientes puniri multimodè ordinaſſe, immò & eorum quamplurimos Curiam exire coegiſſe. Ab hoc Auctore non diſſentit Aymericus de Peyraco Auctor quartæ, in qua de eo ait: *Simoniæ vitii fuit maximus extirpator, & omnium bonorum & virtutum propagator.* In proceſſu itidem Canonizationis habetur, eum *Simoniam, ambitionem, & ſordes quaſcumque Miniſtrorum Eccleſiæ* repreſſiſſe. Denique Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico teſtatur ſe inveniſſe Romæ in Bibliotheca Altempſiana proceſſum de Vita & miraculis Urbani, in cujus fine leguntur Antiphona & Oratio de eo, & Antiphona ſic incipit: O' *fugator Simoniæ*, & Oratio, *Deus qui B. Urbani Confeſſoris tui atque Pontificis præclaræ vitæ merita multis modis mundo manifeſtas miraculis*, &c. de quibus mox agetur.

LIII. *Corpus ejus Maſſiliam transfertur.*

Ex Eccleſia Avenionenſi, in qua primò ſepultus fuerat Urbanus, ad Monaſterium Sancti Victoris Maſſilienſis, cujus Abbas fuerat, & in quo ſuam elegerat ſepulturam, translatus eſt ab Anglico fratre Cardinali, concomitantibus ipſum ſex Cardinalibus per ipſum ordinatis, anno 1372, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ Gregorii XI; error itaque irrepſit in Auctorem Vitæ ſecundæ Urbani, qui eam translationem factam dicit anno 1371; ſed rectè hic Auctor aſſerere videtur, corpus Sancti hujus Pontificis manſiſſe Avenione *uſque ad ultimam diem Maji*, in appendice enim ejus epitaphio ſubjuncta apud Papebrochium legitur, ejus corpus poſitum fuiſſe in Capella S. Petri Cœnobii Maſſilienſis ineunte menſe Junio. Dictus autem Anglicus Cardinalis, præſentibus pluribus Epiſcopis, Abbatibus, & Syndicis civitatis Maſſilienſis, Stephano Abbati & Monachis corpus integrum & abſque diminutione tradidit; & erat idem corpus in quadam capſa formæ quadratæ coopertum de veluto rubeo, quam D. Albanenſis inter ambas manus tenebat, & repoſuerunt in quodam monumento fixo in pariete dextro Evangelii; quo facto clauſus eſt tumulus, præſentibus quibus ſuprà & multis aliis tum Monachis, tum Clericis & Laicis, ut conſtat ex archivio Secretariatus Communitatis Maſſilienſis.

LIV. *Miraculis clarет.*

Ex archivio verò Monaſterii Sancti Vi-

Victoris conſtant, tanta ſtatim & multiplicia per eundem Papam Deum operatum eſſe, ut cùm Eccleſia Sancti Victoris non eſſet ſufficiens ad ea capienda, orta eſt lis inter Abbatem & Sacriſtam ejuſdem Monaſterii, ad quem pertinerent oblationes, & poſt multas altercationes tranſactionem ſubſecutam eſſe anno 1374, qua cautum eſt emendos certos redditus aſſignandos Sacriſtæ, & oblationes ceræ, auri & argenti pertinere ad Abbatem & Conventum. Certè non ſolùm Auctor primæ Vitæ Urbani, ſed etiam Auctores ſecundæ & tertiæ, ac Auctor primæ Vitæ Gregorii XI diſertè ſcribunt, eum tam Avenione, quàm Maſſiliæ, à die obitus ſui, continuè miraculis inclaruiſſe; & ſecundæ Vitæ Auctor addit, id teſtari infinitas imagines cereas appenſas ante ſepulchrum, & quaſi per totam Eccleſiam dicti monaſterii apportatas *per liberatos à diverſis periculis & infirmitatibus ad invocationem nominis ejus. Vix enim eſt Eccleſia in mundo*, ſubdit, *in locis ſolemnibus, quin ſit imago ejus depicta, & cum vigiliis & oblationibus honorata.* Idem confirmat Radulphus de Rivo Tungrenſis Decanus de Urbano ſcribens apud Baluzium: *Anno* 1369 (legendum 1370) 19 *Decembris, feria* 5 *moritur Urbanus quintus ſanctiſſimæ memoriæ Pontifex, in Eccleſia Avenionenſi primò ſepulturæ traditus, ubi ſtatim multis cœpit miraculis coruſcare. Inde translatus Marſiliam in monaſterium Sancti Victoris, ubi prius Abbas fuerat. Quo loco quanta recuperatarum ſanitatum miracula patrata fuerint, tum copioſa cereorum ad monumentum ejus ardentium multitudo, tum donaria & alia, quæ iſtic ab advenientibus offeruntur, ſufficienter oſtendunt.* Thomas quoque Walſinghamus de ejus morte loquens reſtatur plurima ad ejus tumulum clara miracula fieri, *ex quibus*, inquit, *cujus meriti fuerit apud Deum cunctis Fidelibus apertiſſimè declaratur.*

LV. *Ejus Canonizatio à Regibus, aliiſque multis poſtulata.* Urbani miraculorum multitudine permotum Waldemarum Daniæ Regem, anno pòſt quinto petiiſſe à Gregorio XI, ut eum Sanctorum catalogo adſcriberet, ſcribit Raynaldus, qui id eruit ex reſponſo ejuſdem Pontificis dato 10 Kalendas Septembris anno V Pontificatus, in quo ait: *Nobis expoſita affectione ſincera, quam ad felicis recordationis Urbani Papæ V prædeceſſoris noſtri memoriam habere dignoſceris, Serenitati tuæ inde grates referimus copioſas, devotionem tuam plurimùm in Domino commendantes: Unde ſi noſtro tuiſque temporibus Canonizationem ipſius venire contingat, de ipſo te faciemus certiorem.* Anno poſtea 1381, Carolus Galliarum, & Ludovicus Siciliæ Reges Petrum Olmarium Canonicum Aquenſem Procuratorem ad Robertum Gebennenſem, in ſua obedientia dictum Clementem VII, Avenione ſedentem miſerunt eandem Canonizationem poſtulaturum; Monaſterium verò, & civitas Maſſilienſis die octava Julii ejuſdem anni Procuratores deſtinarunt Avenionem pro eadem Canonizatione Petrum Boërii Præcentorem Mimatenſem Acolytum D. Papæ, Petrum Olivatii Operarium Aptenſem Capellanum Commenſalem ejuſdem Papæ, Poncium de Codolos Theſaurarium Biterrenſem, Pontium Loberie Præpoſitum Tolonenſem, & Antonium Deodati militem. Ex multis, quæ Petrus Olmarii dictorum Regum procurator, libellum obtulit Urbani geſta continentem, cujus XXIV articulos tranſcripſit Bzovius ex Bibliotheca Vaticana, in qua aſſervari ait proceſſum MS. Vitæ & miraculorum ejus ſignatum numero 4026, in quo duo & octuoginta alia inſigniaque miracula leguntur. Ea autem, quæ refert articulo 24, hæc ſunt: *Avenione Philippellam puellam quinque menſium defunctam ad vitam revocavit. Bartholomæo Gaufredo, viginti quinque annis tibiam retrorſum complicatam perſanavit. Infantem alium, quem non ſpirantem mater ediderat, uſu vitæ donavit. Bertrando Baucio, uno anno lumen oculorum amiſſum reſtituit. Joannam filiam Petri Claſerii ex febribus defunctam reſuſcitavit.* In ſecundo verò articulo legitur: *In diverſis & plurimis Eccleſiis, etiam Patriarchalibus, etiam Romæ, imago ejus tanquam ſancti pingitur & honoratur.* Ad ejus tamen Canonizationem deventum non eſt, ſed Monachi Maſſilienſes traditione acceperunt dictum Clementem VII in ſua obedientia dictum Procuratoribus ſuis reſpondiſſe ſibi per tempus non licere in tam diro ſchiſmate tam ſancto & pio operi incumbere, Deumque exorandum, ut Eccleſiæ ſuæ pacem reſtitueret, & patrem luminum ut radios claritatis infunderet; ac non ampliùs in die depoſitionis Urbani tanquam pro defuncto Miſſas peragendas; ſed potiùs Spiritum Sanctum ſolemniter invocandum, ut operi à ſe incepto finem imponeret. Quare etiam hodie in die obitus ejuſdem Pontificis decima nona menſis Decembris Monachi Maſſilienſes Miſſam ſolemniter de Spiritu Sancto celebrant ut in die Pentecoſtes cum Gloria, Credo & Proſa, Presbytero & miniſtris ſacris veſtibus indutis, quas idem Papa monaſterio dono dederat, tumulumque ipſius maxima luminum quantitate decorant. Anno poſtea 1405 indictione 13, die 3 menſis Martii, dictus Ludovicus II Siciliæ Rex dedit florenos auri XXV ad conficiendam lampadem argenteam, quæ deponi deberet in choro Eccleſiæ ipſius monaſterii ante ſepulchrum ſeu monumentum *B. Urbani inibi perpetuis temporibus ad perpetuam memoriam* remanſuram. Quæ ex archi-

chivis Monaſterii Maſſilienſis & Communitatis deſumpta debeo humanitati eruditi D. Le Fournier jam ſuperiùs ſæpe laudati.

LVI. *Primus Tiara triplicis Coronamenti uſus eſt.*

Ceterùm Urbanum V triplex coronamentum Tiaræ Pontificiæ addidiſſe jam in Alexandro III diximus ex Nicolao Alemanno cap. 13 de Lateranenſibus parietinis; quod præcipuè deducitur ex imaginibus Romanorum Pontificum Romæ exiſtentium. Tiaræ cum unico coronamento ſunt uſque ad Bonifacium VIII; à Bonifacio VIII uſque ad Urbanum V cum duplici, & deinceps cum triplici reperiantur; quod augmentum non ad pompam aut faſtum, quem ſemper abhorruit, ut dicunt omnes Vitæ ejus Auctores, & ipſe oſtendit in die ſuæ Coronationis, quo ſecundùm morem per Urbem equitare noluit, faſtum vitans, ſed numeri myſtici forsàn causâ, ut in S. Silveſtro num. XI, & in Alexandro III num. VI diximus.

GREGORIUS XI *Pontif. CCI.*

Anno Domini MCCCLXX.

I. *Gregorius XI eligitur, & conſecratur Papa.*

SAnctæ memoriæ Urbano Papa V ſublato de medio *circa horam veſperorum*, eodem die, ſcilicet 19 Decembris Cardinales Anglicum Epiſcopum Albanenſem fratrem ſuum terrarum Eccleſiæ in Italia Vicarium Generalem in temporalibus certiorem fecêre, & rogarunt, ut ditionis Eccleſiaſticæ provinciis, quibus præerat, invigilaret, nec earum regimen dimitteret, donec ſuper hoc aliter fuerit proviſum, *dat. Avin. die decima nona menſis Decembris*, apud Raynaldum anno 1370 num. 24. Funeribus poſtea per novem dies de more perſolutis, iidem Cardinales numero XIX die vigeſima nona ejuſdem menſis Conclave ingreſſi, poſtridie, ſcilicet die trigeſima Petrum Rogerium tit. Sanctæ Mariæ Novæ Diaconum Cardinalem in Summum Pontificem concorditer elegerunt, ut præter Auctores Vitæ ejus, qui extant apud Baluzium, ipſemet aſserit in literis, quas eodem die ad Carolum Regem Francorum ſcripſit, ante ſuam conſecrationem datis *Avin. III Kal. Januarii ſuſcepti à nobis Apoſtolatus officii anno primo*, in quibus ait, ſe *hodie per viam Sancti Spiritus* electum eſse, apud Raynaldum ibidem num. 26. Unde quidam Auctores initium anni à die 25 Decembris deſumentes ſcribunt eum electum anno 1371, qui nobis, annum incipientibus à die prima Januarii, eſt annus 1370. Die quarta Januarii anni inſequentis in Sabbato ordinatus eſt Presbyter, erat enim tantùm Diaconus, & die ſequenti in Vigilia Epiphaniæ, quæ cum Dominica concurrebat, conſecratus eſt Pontifex & coronatus, ut iidem Auctores aſserunt, ejuſque Coronationi adfuit Ludovicus Andium Dux frater Caroli Regis Franciæ, & Occitaniæ Præfectus; qui pedes freno duxit equum Pontificis per Urbem de more equitantis, ut ſcribit Auctor ſecundæ ejus Vitæ. Suſcepit autem nomen Gregorii ejus nuncupationis undecimi.

II. *Ejus genus, & primordia ante Pontificatum.*

Gregorius ante Pontificatum vocabatur Petrus Rogerii, natus in loco de Malomonte diœceſis Lemovicenſis ex Guillelmo Rogerii Comite Bellifortis fratre Clementis VI, ut non ſolùm Auctor primæ ejus Vitæ, ſed etiam tres primi Auctores Vitæ ejuſdem Clementis diſertè aſſerunt, vocantes eum nepotem ex fratre Clementis, ſicuti & Continuator Gallicus Nangii, Onuphrius & Ciaconius; quem tamen ultimum Oldoinus perperam corrigit, dicens eum fuiſse nepotem Clementis ex ſorore, licèt Auctor Vitæ Gregorii, quem citat, diſertè dicat, eum factum fuiſse Cardinalem *per Clementem Papam ſextum, cujus erat nepos ex fratre*. In eundem lapidem impegerunt Joannes Palarius, & Georgius ab Eggs in Pontificio Docto, quorum error eò minùs eſt tolerabilior, quòd poſt editionem Vitarum Paparum Avenionenſium Baluzii ſcripſerunt. Vix annum ætatis decimum ſeptimum compleverat, cùm anno 1348 menſe Majo dictus eſt Cardinalis, ut in Clemente VI diximus, ideoque electus eſt Pontifex annum agens circiter quadrageſimum. *Quamquam eſſet ſatis juvenis*, inquit primæ ejus Vitæ Auctor, *quando factus fuit Cardinalis, cùm nondum attingeret octavum decimum annum ſuæ ætatis, tamen erat totus ingenioſus & aptus, ac ſtudio litterarum valde intentus, volenſque in eis proficere ampliùs poſt promotionem ſuam ad ſtatum hujuſmodi, accerſitis ſibi notabilioribus Clericis, quos ſecum continuè habuit, audiendo & legendo circa legalem ſcientiam diutiùs inſudavit, & adeo in ipſa profecit, quòd unus de profundioribus & ſufficientioribus totius orbis in ea fuit effectus.* Addit eum poſtea ſe convertiſse ad Canones, ad Theologiam & Philoſophiam moralem, in quibus excultiſſimus fuit; modeſtia inſuper morumque ſuavitate & ſingulari humanitate, tantam ſibi omnium conciliaſse gratiam, ut abſque mora aut diſcordia renunciatus fuerit uno omnium Cardinalium conſenſu Pontifex; ſolo ipſo

diu

diu renitente, imò & contradicente; ſed demum ne videretur divinæ voluntati reſiſtere humeros ſuppoſuiſſe, quod idem ſcribit Continuator Gallicus Guillelmi Nangii apud Baluzium col. 1061 qui tamen fallitur in eo quod ait, eum fuiſse coronatum in Eccleſia Prædicatorum, nam Auctor ſecundæ ejus Vitæ diſertè ait, ejus coronationem factam eſse *in Palatio Apoſtolico*.

III. Ejus doctrina.

Auctori porrò primæ Vitæ conſentit Auctor tertiæ, in qua poſtquam dixit, eum creatum Cardinalem à Clemente VI *ejus Patruo*, cùm eſset annorum circiter 17, addit: *Et ne carni & ſanguini acquieviſse videretur, continuò eum excellentiſſimis Doctoribus juris utriuſque & aliarum ſcientiarum non vulgaribus præceptoribus tradidit erudiendum. Qui ita in multis ſcientiarum generibus profecit, ut non modò mediocris, ſed eminentiſſimæ ſcientiæ Doctor à cunctis haberetur*. Spondanus ex Platina ſcribit Gregorium datum eſse in diſciplinam Baldo præſtantiſſimo Juriſconſulto tunc Peruſii publicè profitenti, adeoque profeciſse, ut idem Baldus ejus auctoritate in confirmandis rebus dubiis plerumque uteretur. Sed Auctor tertiæ ejus Vitæ aſserit tantùm famam ejus doctrinæ tantam fuiſse, *ut à famoſiſſimis Italiæ Doctoribus, à Baldo præcipuè de Peruſio in Cathedra legente jus civile, ejus opiniones & dicta adducerentur in medium, ſæpiuſque ejus dicta allegaret dicens*, Dominus noſter in hac lege ſic dicit, *intelligens de Domino Gregorio XI, cujus ſcripta non ad mediocres ſolùm, ſed ad eruditiſſimos jam pervenerant*. Verùm ex hoc non probatur Gregorium Baldo præceptore uſum eſſe, ſicut uſus præceptore ac magiſtro Petro Maſoerio Doctore legum, qui poſtea fuit Archidiaconus Cameracenſis & Epiſcopus Attrebatenſis, juxta Buzelinum lib. 8 Annalium Gallo Flandriæ pag. 353 apud Baluzium col. 1067. Certè Baldus, nec ad lib. 6 Codicis, ubi de Gregorii morte loquitur, nec alibi de eo tanquam diſcipulo mentionem facit. Gregorius vir doctus etiam appellatur à Trithemio in Chronico Hirſaugienſi Tomo 2 pag. 259. Ægidius Bellamera Deciſione 752 eundem Gregorium vocat lucernam juris civilis, virum utique ſubtilis ingenii, optimi judicii, & intellectus valde clari. Primæ ejus Vitæ Auctor aſſerit, eum Viros literatos valde dilexiſſe, multoſque ex ipſis ſuo tempore promoviſſe. Theodoricus denique à Niem in Tractatu ſexto Nemoris unionis cap. 39 dicit, eum fuiſſe ſtudioſum in libris, libenter cum intelligentibus diſputaſſe, & literatos dilexiſſe. Eum tamen aliquid aliud, præter Epiſtolas & Conſtitutiones nonnullas, nec Ciaconius, nec Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia dicunt, ſed Georgius ab Eggs in Pontificio Docto addit, eum *ob egregium quo erat delibutus pietatis ſenſum in recolenda Domini Paſſione, & obſervantiam in Deiparam* Virginem, præclara duo edidiſſe Opuſcula, nempe *de Paſſione Domini*, & *de Cultu B. Virginis*. Verùm à quo id acceperit me latet, id ſolùm ſcio priora ejus verba deſumta eſſe ex Raynaldo ad annum 1377 num. 7, ubi loquitur de officio S. Crucis à Gregorio inſtituto, & de Vigilia Nativitatis B. Mariæ ab eo pariter ordinata, ſed ibi ne verbum quidem eſt de duobus illis opuſculis ab eo editis. De his duabus inſtitutionibus Gregorii ſuo loco ſermo erit.

IV. Ejus virtutes & ſanctitas.

Gregorii humilitatem, modeſtiam, benignitatem, prudentiam aliaſque egregias dotes recenſent tum Auctores Vitæ Clementis VI in ejus Pontificatu à nobis laudati, & qui Vitam ejus ſcripſerunt: *Cùm eſſet humilis, modeſtus, circumſpectus, & liberalis ac aliis multis virtutibus præditus, omnes tam ſæculares Principes quàm Prælati, ad ipſum recurſum habentes, eum piiſſimè dilexerunt*, inquit Auctor primæ Vitæ Gregorii de eo loquens antequam eligeretur Pontifex. Auctor verò tertiæ de eo ſcribit: *Vitæ etiam innocentiſſimæ fuit, placidus in moribus, & ſuper omnes humilis & devotus, vultu pallidus & complexionis admodum delicatæ*. Auctor denique quartæ ait, Gregorium eo tempore, quo obiit, fuiſse virginem *mente & corpore, ut quidam aſſerebant*. Sed præſtat audire Lucium Colucium Salutatum de Stignano in Epiſtola data ad Franciſcum Bruni Summi Pontificis Secretarium, 4 Kal. Februarii anni 1371, hoc eſt non multò poſt ejus conſecrationem, quæ extat Tomo 4 Miſcellaneorum Baluzii, in qua ſic loquitur: *De moribus enim ejus ne parum dicam, conſilium puto ſilentio pertranſire, dummodo pauca verba ſubnectam. Quòd totus vir iſte, nunc patrum pater, prudentia, circumſpectio, modeſtia, fides, caritas, amor, benignitas, & quod in principe tali ſplendidiſſimum approbatur, veritas & conſtantia dictorum factorumque; quæ cùm in eodem adhuc Cardinali celebriter elucerent, ita ut ex iis divino miraculo de tam juvenili ætate videatur ad apicem Apoſtolatus aſſumptus, quid debemus nunc, de illo ad Chriſti vices erecto cum tanta virtutum ſuppellectile judicare?* Certè omnes illas virtutes in eo etiam eluxiſse in Pontificatu, ex eo patet, quòd Urbanus VI, qui ei ſucceſſit, eum pro viro Sancto reputaverit; nam cùm Legati Regis Caſtellæ apud eum recenter electum exponerent Legationem ſuam, & unus eorum, nempè Alvarus Martini facta mentione Gregorii XI dixiſſet, *felicis recordationis Dominus Gregorius*, tunc Urbanus dixit: *Erudiatis linguas veſtras & dicatis ſanctæ memoriæ Dominus Gregorius, quia verè ego re-*

puto eum ſanctum. Ita teſtatur idem Alvarus apud Baluzium col. 1202. Rectè itaque Platina ejus obitum deſcribens vocat eum Virum ſanctum, ſicut Claromontius in Hiſtoria Cæſenæ pag. 664, *ſummæ pietatis & ſanctitatis* paſtorem.

V. *Solicitus eſt pacare inter Franciæ & Angliæ Reges.*

Gregorius ſtatim poſt ſuam conſecrationem animum ad pacificandum orbem applicans, & præcipuè Franciæ & Angliæ Reges, veſtigiis Urbani prædeceſſoris inſiſtens, Legatos ab eo ad eoſdem Reges deſignatos Simonem de Langan tit. Sancti Sixti, & Joannem de Dormannis tit. SS. quatuor Coronatorum, Presbyteros Cardinales, deſtinavit, ſcriptis ad Reges literis pridie Idus Januarii, quarum meminit Spondanus anno 1371 num. 1. Raynaldus tamen ibidem num. 1 recitat partem diplomatis à Gregorio dati, quo mala ingentia à bello emerſura exponere juſſit, quod datum eſt *Avenione VII Idus Martii anno primo*. Verùm cùm ex una parte inimicitiæ inter dictos Reges eſſent induratæ, & ex alia illi duo Legati inter ſe non eſſent concordes, nihil profecerunt, ut nos docet primæ Vitæ Gregorii Auctor loquens de iſtis Legatis: *Licèt diutius*, inquit, *circa hoc laborioſè & diligenter inſtiterint, nihil proficere potuerunt, tum quia inimicitiæ erant inter dictos Reges nimium induratæ, tum etiam quia ipſi Cardinales videbantur partiales potius exiſtere, quàm tractatores, & meritò, cùm primus Angliæ, & ſecundus Franciæ Regum prædictorum Cancellarii & familiares perpriùs extitiſſent*. Hoc tamen non obſtante Gregorium alios Nuncios ad eoſdem Reges deſtinaſſe ſubdit idem Auctor.

VI. *Patriarchis, & aliis vetat ut coram ſe Crucem deferri faciant in præſentia Cardinalium Legatorum.*

Non multò pòſt, ſcilicet ſeptimo Kalendas Aprilis, Conſtitutionem edidit, qua prohibuit, ne Patriarchæ, Primates, & Archiepiſcopi facerent coram ſe Crucem deferri in præſentia Cardinalium, qui eſſent Romanæ Sedis Legati aut Nuncii: *Attendentes*, inquit, *quòd Cardinales ipſi nobiſcum indefeſſis laboribus univerſalia Eccleſiaſtica onera ſortiuntur, ac in præmiſſis de opportuno remedio providere volentes: univerſis & ſingulis Patriarchis, Primatibus, & Archiepiſcopis auctoritate Apoſtolica tenore præſentium diſtrictiùs inhibemus; ne in præſentia aliquorum ſeu alicujus ex noſtris fratribus dictæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, prædictæ Sedis Legatis vel Nunciis, ante ſe crucem deferri faciant, vel permittant*, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis aut indultis, quia ut jam initio dixerat, per hoc *ipſorum Cardinalium honori, qui perſonam noſtram repræſentant, derogatur*. Extat hæc Conſtitutio in Anglicana Conciliorum collectione Tomo ſecundo, ex quo tranſlata eſt in editionem Conciliorum Labbei Tomo XI part. 2, pag. 2037, diciturque data *Avenione VII Kalendas Aprilis Pontificatus noſtri anno primo*.

VII. *Cardinales duodecim creat.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, Gregorius duodecim Cardinales creavit, videlicet octo Presbyteros & quatuor Diaconos. Presbyteri fuerunt Petrus Gomecii Hiſpanus, Archiepiſcopus Hiſpalenſis; Joannes de Croſſo diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Lemovicenſis, conſanguineus ipſius Papæ in tertio gradu; Bertrandus de Coſnaco diœceſis etiam Lemovicenſis, Canonicus Regularis Ordinis S. Auguſtini, tunc Epiſc. Convenarum, Bertrandus Latgerii Ord. Minor. Arvernus, tunc Epiſc. Glandatenſis, Robertus de Gebennis frater Comitis Gebennenſis, tunc Epiſcopus Cameracenſis, poſtea electus contra Urbanum VI, & dictus in ſua obedientia Clemens VII; Guillelmus de Chanaco diœceſis Lemovicenſis, Monachus Ordinis ſancti Benedicti, tunc Epiſcopus Mimatenſis, Joannes Fabri diœceſis pariter Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Tutellenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ; & Joannes de Turre in Alvernia, tunc Abbas Monaſterii ſancti Benedicti Floriacenſis. Diaconi verò fuerunt Jacobus de Urſinis Romanus, tunc Sedis Apoſtolicæ Notarius, Petrus Flandini diœceſis Vivarienſis, tunc Decanus Bajocenſis; Guillelmus Noelleti diœceſis Engoliſmenſis, tunc Archidiaconus Carnotenſis, & Dominus Petrus de Vernhio diœceſis Tutellenſis, tunc Archidiaconus Rotomagenſis, qui tres ultimi erant etiam Auditores Sacri Palatii, & Gregorii Papæ Referendarii, ut Auctor primæ ejus Vitæ ſcribit, Auctor verò quartæ teſtatur Gregorium tot Cardinales creaſſe, *ut poſſet reſiſtere antiquioribus, qui eum elegerant, & propterea plus quàm expediret Eccleſiæ præſumebant tam in conſiliis, quàm in promotionibus & gratiis extorquendis*. In aſſignando die hujus promotionis Cardinalium mirè inter ſe diſſentiunt Auctores; nam alii volunt eam factam die ſexta Junii, alii die octava, alii die 30 Maji, qui ultimi veriſimilitudine nituntur; dies enim trigeſima Maji concurrebat cum feria ſexta Quatuor Temporum poſt Pentecoſten, quo die eam ponunt Auctores primæ & ſecundæ Vitæ Gregorii; ſed Auctor quartæ vult eam contigiſſe *proximis quatuor Temporibus* poſt ſuam aſſumptionem ad Papatum, ideoque die vigeſima octava menſis Februarii, quæ concurrebat cum feria ſexta quatuor Temporum poſt Cineres. Anno præcedenti 1370, literis datis *Romæ apud S. Petrum V Kal. Martii*, quæ extant apud Raynaldum eo anno num. 18, Urbanus V Bertrandum de Coſnaco Epiſcopum Convenarum cum Agapito Brixienſi Epiſcopo internuncios in Hiſpaniam miſerat, ut

Fer-

Fernandum Luſitaniæ Regem, cum Henrico Caſtellæ conciliaretur; quare cùm Bertrandus abſens eſſet, nec galerum rubeum à manu Pontificis ſecundùm morem poſſet accipere, Gregorius conciliandi apud Hiſpanos ſplendoris ſtudio, illum ei tranſmiſit per Arnaldum Andreæ Subdiaconum Burdegalenſem, ut conſtat ex Epiſtola Gregorii, quam ex MS. Bibliothecæ Vaticanæ refert Oldoinus data *Avenione ſecundo Kalendas Februarii anno tertio*, ſeu anno 1373; ſed ſuſpicor legendum eſſe *anno primo*, ita ut Epiſtola data ſit, & pileus rubeus miſſus eodem die, quo Auctor quartæ Vitæ promotionem factam dicit; veroſimile enim non videtur tandiu diſtuliſſe Pontificem ad eum capellum mittere. Certè errorem ibi cubare conſtat, ex eo quòd Baluzius in Notis col. 1072, afferat ſcriptum eſſe in libro Obligationum Bertrandum Cardinalem perveniſſe Avenionem die ſeptima menſis Julii anni 1372, tùmque datum eſſe ei titulum ſancti Marcelli vacantem per obitum Joannis Fabri, qui extinctus erat die ſexta Martii ejuſdem anni, ideoque ante annum 1373, pileum rubeum receperat.

VIII. *Francorum Regi dona mittit.*

Poſtero anno 1372, Gregorius, quem mox diximus de pace inter Franciæ & Angliæ Reges ſolicitum fuiſſe, nihil curæ remittens ad eos per ſuos Legatos conciliandos, ut Francum jam ob rerum ſuarum proſperitarem difficiliorem redditum, ad concordiam magis inclinaret, Pateram argenteam, & alia nonnulla à Conſtantino Magno olim Eccleſiæ donata illi miſit. Ipſeque viciſſim Carolus Rex, vel gratum ſe de hoc munere exhibens, vel in gratiarum actionem de beneficiis à Deo receptis, aut fortè, inquit Spondanus, voti reus, dona Romam miſit Eccleſiis Lateranenſi Sancti Joannis, Vaticanæ Sancti Petri, Viæ Oſtienſis Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Majoris, & Sanctæ Agnetis, ut de his conſtat ex ipſius Gregorii Regeſto apud Bzovium annis 1372, & 1373. Ea porrò Caroli dona erant octingenti aurei, quorum quadringenti ad ornatum Eccleſiarum Lateranenſis, S. Petri, S. Pauli, & Sanctæ Mariæ Majoris ornatum erant derivandi, alii Canonicorum Collegiis & Benedictinis S. Pauli tribuendi; trecenti etiam alii aurei monaſterio S. Agnetis unà cum aurea ejuſdem Virginis ſacra imagine traditi, quæ imago aurea cum uno agniculo etiam aureo erat ponderis trium marcharum, & ſex unciarum & ſex denariorum, cum uno pede argenteo deaurato ponderis quinque marcharum & mediæ unciæ & quatuordecim denariorum, ut conſtat ex diplomate Gregorii dato *apud Pontem Sorgiæ Aven. diœceſ. VI Kal. Julii anno* 3, apud Raynaldum anno 1373, num. 15.

IX. *Eccleſiam Lateranen-*

Interim Gregorius ad demonſtrandum ſuum in Urbem Romam, ac præcipuam Sedem affectum X Kalendas Februarii anni Pontificatus ſecundi, hoc eſt ejuſdem anni 1372, Conſtitutionem edidit, quæ incipit, *Super univerſis*, qua ſuper dubio de præeminentia Eccleſiæ Lateranenſis, declaravit ac definivit, eam præcipuam eſſe Sedem Romani Pontificis, inter omnes alias Urbis & Orbis Eccleſias ac Baſilicas; etiamque ſuper ipſam Baſilicam Principis Apoſtolorum ſupremum locum tenere, atque ſuper omnes & ſingulas alias prioritatis, dignitatis & præeminentiæ honore lætari. Extat hæc conſtitutio Tomo primo Bullarii Conſtitut. 1 Gregorii XI; qui idem Pontifex anno ſequenti 1373, Conſtitutione data Avenione tertio Kalendas Maji anno Pontificatus tertio, cujus initium *Salvator noſter*, decrevit ut anno Jubilæi ſacrum theſaurum conſequuturi, præter Baſilicas SS. Petri & Pauli, ac Lateranenſem Sanctæ Mariæ Majoris Baſilicam viſitare deberent. Quam conſtitutionem Nicolaus V confirmatione *Immenſa*, data Romæ XIV Kal. Februarii anno 1449, cum Conſtitutione Clementis VI de Jubilæo ad annum 50 revocato, retulit, quod idem fecit Gregorius de ejuſdem Clementis VI Conſtitutione, quam ſuæ inſeruit.

ſem primam omnium pronunciat, & S. Mariam Majorem anno Jubilæi luſtrandam jubet.

X. *Præſentationis B. Mariæ feſtum in Occidente inſtituit.*

Gregorio XI ſedente, anno 1372, Philippum de Maſeriis militem Picardiæ, & regni Cypri Cancellarium Avenionem veniſſe, & attuliſſe officium Præſentationis B. Virginis Mariæ oſtendit Spondanus ad eundem annum num. 9, ex codice S. Victoris Pariſienſis, in quo extat illud officium integrum cum cantu unà cum ejus Philippi Epiſtola ad Chriſtianos Occidentales, quâ narrat temporibus antiquis per univerſum Orientem feſtum B. Mariæ Virginis quando in tertio ætatis ſuæ anno fuit in templo à parentibus ſuis præſentata, die 21 Novembris celebrari ſolitum; ſed in Occidente aut incognitum aut obliteratum, fuiſſe ab ipſo, anno 1372, Gregorio Pontifici Avenione inſinuatum; ejuſque officium integrum notis muſicis concinnatum, prout in Oriente, ac ſpeciatim in Cypro celebrabatur, oblatum: Pontificem illud lætanter acceptum, examinandum commiſiſſe nonnullis Cardinalibus & Epiſcopis atque Doctoribus, ac poſt maturam deliberationem conceſſiſſe, ut prædicta ſolemnitas Præſentationis B. Mariæ deinceps fieret publicè in Eccleſiis, tuncque primò præſente Gregorio celebratam eſſe grandi ſplendore & magnificentia ibidem Avenione in Eccleſia Fratrum Minorum die Dominica 21 Novembris, anno 1372, indictione 10, Pontificatus Gregorii Papæ XI anno ſecundo, ut diſertè tempus ibidem conſignatur. Extat in eodem codice Victorino Epiſtola Caroli V Regis Francorum ad Doctores Colle-

legii Navartenſis Pariſienſis data apud Meledunum die 20 Novembris anni 1374, quam poſtea in Hiſtoria ejuſdem Collegii lib. 1, cap. 10, vulgavit Joannes Launojus, qua Rex ſignificans quæ ſuper his facta fuiſſent Avenione inſtantia prædicti Philippi de Maſeriis, & quæ pariter apud ipſum Regem idem Philippus de eadem ſolemnitate diſſeruiſſet, ait, ſe illud officium in ſua capella ſolemniter celebrari feciſſe, atque ut idem fieret per univerſum regnum ſtatuiſſe ad gloriam Beatiſſimæ Virginis. Qua ex Epiſtola & ex alia ejuſdem Regis, eodem die data ad Decanum & Capitulum Eccleſiæ collegiatæ B. Mariæ de Meleduno Senonenſis diœceſis, quæ etiam extat in dicto Codice Victorino, Spondanus ait, ſe non dubitare, quin Carolus Rex ad ceteras Eccleſias & Antiſtites regni ſui ſcripſerit; cùm Molanus in Additionibus ad Uſuardum citet Epiſtolam eadem de re ſcriptam ab eodem Rege ad Nicolaum Autiſſiodorenſem Epiſcopum; in quo certè deceptus non eſt Spondanus, nam Cornelius Scultingius in libro de Eccleſiaſtica Diſciplina ſcribit, hoc feſtum cœpiſſe ſub Balduino Trevirenſi anno 1375, Regem Franciæ voluiſſe illud celebrari in ſua præſentia, illiuſque officium integrum miſiſſe cuilibet Prælato magnarum Eccleſiarum regni ſui, ut divulgaretur, publicaretur, & ſolemniter celebraretur per omnes regni ſui provincias. Illud etiam officium tranſmiſiſſe Carolo IV Imperatori & Reginæ antiquæ Hungariæ, in quorum ditionibus publicatum eſt & receptum. Addit Pium II anno 1460, ad inſtantiam Willelmi Ducis Saxoniæ idem feſtum cum vigilia die 21 Novembris celebrandum edixiſſe. Ceterùm, addit Spondanus, antiquiſſimam fuiſſe hanc ſolemnitatem apud Græcos, præter memoriam ejus relatam in ipſorum Menologiis, intelligitur ex Conſtitutione Emmanuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Balſamon in Nomocanone Photii tit. 7, cap. 1; & ex ſermonibus S. Germani Epiſcopi Conſtantinopolitani & Georgii Nicomedienſis, quos latinè redditos repræſentat Surius ad diem 21 Novembris. Denique Daniel à Virgine Maria Carmelita anno 1666 curavit Antverpiæ imprimendum libellum ſub hoc titulo: *Præſentatæ Glorioſæ Virginis Mariæ in Templo in Eccleſia Orientali antiquiſſima feſtivitatis inſtitutio, in Latina exinde recepta, opera & zelo illuſtris viri D. Philippi de Mazeriis, regni Cypri Cancellarii à Mariano Ordine ſemper venerata, ac demum noviſſimo ſæculo à Jeſu Societate mirum exultata, ex variis tam MSS. quàm impreſſis authenticis.* Ibi vetus officium Lector inveniet, nec non ſolemnis repræſentationis Ordinem, ſub quo ſuave illud myſterium in Eccleſia Eremitarum S. Auguſtini, ibidem Avenione exhibitum fuit anno 1385, coram Clemente VII in ſua obedientia dicto; inveniet etiam bullam Pauli II anno 1464 duodecimo Kalendas Februarii anno Pontificatus primo datam, qua hanc feſtivitatem celebrantibus, atque in ejus Vigilia jejunantibus relaxat centum dies de injunctis pœnitentiis.

XI. *Siciliam in regnum, Trinacriæ dictum, erigit ſub ligio homagio Eccleſiæ Rom.*

Fridericum Aragonium Siciliæ occupatorem anno 1302, cum Carolo II Siciliæ Rege pacem iniiſſe ea præcipuè conditione, ut poſt Friderici obitum Sicilia ad Carolum ejuſque hæredes pertineret, & interim non Siciliæ ſed Trinacriæ Rex appellaretur diximus in Parte I hujus Tomi in Vita Bonifacii VIII num. 52. Sed hoc non obſtante, Fridericus, moriens anno 1337, Petrum filium regni ſucceſſorem reliquit, Petro ſucceſſit Ludovicus filius anno 1342, cui, mortuo anno 1355, ſuffectus eſt Fridericus II frater Simplex dictus, qui haud potuit inſignia regni ſuſcipere, niſi poſt initam cum Joanna Siciliæ Regina pacem, quæ anno 1372, ſub pacto expreſſo, quòd impoſterum Fridericus & ejus ſucceſſores regnum tenerent in feudum immediatè ab ipſa Regina, ejuſque ſucceſſoribus, quibus darent in tributum ceu cenſum annuatim ſummam quindecim millium ducatorum; pro cujus pacis confirmatione Sicilia erecta eſt à Gregorio XI in regnum, *Trinacriæ* nuncupatum, a quo miſſus eſt ad dictam Inſulam Joannes de Revellone Epiſcopus Sarlatenſis non ſolùm pro amotione interdicti, quo ſubjecta erat inſula, ſed etiam pro Friderici coronatione, paciſque prædictæ confirmatione, ac expeditione eorum quæ circa hoc agenda videbantur, qui omnia juxta ſibi a Pontifice impoſita feliciter conſummavit, ut refert Auctor primæ Vitæ Gregorii, & conſtat ex pacis conditionibus inter Joannam Siciliæ Reginam & Fridericum Trinacriæ Regem, quas referunt Bzovius anno 1373, num. 18, & ſeqq. & Raynaldus anno 1372, ex quibus patet, Gregorium Papam nonnullas ex iis reſcidiſſe, alias temperaſſe, & alias addidiſſe. Porro ubi Auctor Vitæ Gregorii ait, Fridericum & ſucceſſores ejus ſoluturos annuatim ſummam quindecim millium ducatorum, pacta conventa habent, uncias auri tria millia, quæ conficiunt quindecim millia florenorum ſolvendorum *ratione cenſus debiti per ipſam Dominam Reginam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ Sedi.* Recognitionem etiam facere obligatus eſt Fridericus de dicta Inſula, ſeu regno, *ſub ſervitio decem galearum & centum militum armigerorum præſtando quolibet anno* eidem Joannæ Reginæ ac ſucceſſoribus ejus. Addidit etiam Pontifex, ut Reges Siciliæ & Trinacriæ Romano Pontifici ligium homagium præſtarent, & ab eo regna ſe habe-

re

re cognoſcerent: atque ut Maria Friderici filia, aliæque ſuis temporibus Trinacriæ Regum filiæ, deficiente maſcula ſobole, in regnum ſuccederent: & Eccleſiis, atque Eccleſiaſticis regni Trinacriæ in omnibus per Fridericum ſatisfieret; eiſdemque ac poſteris tam ab eo, quàm ſucceſſoribus ejus, quoad immunitates, privilegia, & cauſarum diſceptationes, atque ad Sedem Apoſtolicam appellationes, cautum eſſet. Quæ approbata & acceptata ſunt die ſecunda Martii anni 1373 à Friderico; & rata habita à Joanna Regina die ultima ejuſdem menſis Martii. Quæ omnia ut arctiori nexu firmarentur, Antonia Baucia Joannæ conſobrina Friderico data eſt in uxorem, & dictus Joannes Epiſcopus Sarlatenſis (non Saletnitanus, ut perperàm ſcribit Bzovius) Nuncius Apoſtolicus in Siciliam tranſmittens, nuptias regias conſecravit; juramentum fidelitatis a Friderico recepit; atque interdicta, quibus ea inſula fuerat involuta, ſuſtulit ingenti Siculorum gratulatione, & poſtea ipſe Fridericus, Panormi unà cum uxore regiâ, coronâ inſignitus eſt.

XII. *Hieronymitarum Ordinem in Caſtella inſtitutum confirmat.*

Anno 1373 Petrus de Guadaffinaria Prior Monaſterii Sancti Bartholomæi de Lippiana Ordinis Sancti Auguſtini Toletanæ diœceſis in Hiſpania Ordinem Eremitarum Sancti Hieronymi inſtituit, & Avenionem ad Gregorium Pontificem perrexit, à quo eodem anno menſe Octobri confirmatus eſt ſacer ille Ordo, aſſignata ejus profeſſoribus Regula Sancti Auguſtini, & habitu nativis lanarum coloribus, extrà veneto, intùs candido. Petrus in manibus Pontificis dictam Regulam eſt profeſſus, & auctoritate Apoſtolica dictus eſt Prior ejuſdem Monaſterii de Lippiana, ubi ſedes eſt Generalis Ordinis; annoque ſequenti 1374 Avenione diſcedens commendatus eſt à Pontifice Henrico Caſtellæ Regi literis datis *Avenione Kal. Martii anno IV* apud Raynaldum eodem anno num. 22. Deinde Regum Principumque munificentia multa alia ejuſdem Ordinis fundata ſunt monaſteria; quorum omnium ampliſſimum atque lucupletiſſimum Sancti Laurentii à Philippo ſecundo Hiſpaniarum Rege prope pagum Eſcurialem ſumptuoſiſſimè ædificatum, & inſigni bibliotheca, pretioſiſſimis veſtibus, picturis exquiſitiſſimis, aliiſque nobiliſſimis omnis generis ornamentis, præter ingentem ſelectiſſimam ſacrarum Reliquiarum copiam, cumulatiſſimè decoratum refert Spondanus anno 1373 num. 2. De eodem Ordine legendus Mariana lib. 17 cap. 18.

XIII. *Principes Chriſtianos monet ſeſe Romam accedere.*

Romanorum Senatorem Magiſtratum & populum, Pontificis præſentiam ardentiſſimè flagitantes, Avenionem ad Gregorium, Philippum Epiſcopum Tiburtinum, Jacobum Urſinum Canonicum Eccleſiæ S. Petri, & alios tres Oratores illuſtres miſiſſe, qui id poſcerent, ſcribit Bzovius anno 1374 num. 4. Illorum poſtulationem collegio Cardinalium retulit Gregorius, & literis ſexto Idus Martii datis, quæ ex Raynaldo num. 23 extant Tomo 4 pag. 19 Epiſtolarum ſecretarum Gregorii, in ſpem eos adventus ſui in Italiam erexit, ſi modò illi Deum precibus fatigarent, *ut*, inquit, *votum noſtrum concurrens cum veſtro, circa præfatum acceſſum ad ſui nominis laudem & gloriam dignetur miſericorditer adimplere.* Quòd autem anno ſequenti 1375 decreviſſet menſe Septembri Romam tendere ſcripſit ſexto Idus Octobris Carolo Romanorum Imperatori, ei ſignificans, ſe quidem ab initio Pontificatus in votis ſemper habuiſſe, & adhuc habere, viſitare ſacram Urbem, in ipſaque ac vicinis partibus cum Curia reſidere, ſed diverſis impedimentis retardatum, ipſa vota implere nequiviſſe. *Nunc autem*, inquit, *nolentes, quantum in noſtra deliberatione conſiſtit, id ulterius retardare, deliberavimus cum Deo auxilio de menſe Septembri proximè futuro* (anni 1375) *versùs dictam Urbem arripere iter noſtrum.* Dat. Epiſtola *Avin. VIII Idus Octobris anno IV* Pontificatus, ideoque anno 1374. Certiores eadem de re fecit Pontifex, Reges Hungariæ, Siciliæ & Trinacriæ, Duces Auſtriæ & Bavariæ, Venetorum & Januenſium, ac omnes Germaniæ & Italiæ Principes & Prælatos. Epiſtola ad Carolum Imperatorem extat apud Raynaldum loco laudato.

XIV. *Tempus ſui diſceſſus prorogat.*

Anno etiam 1375 Literas dedit ad Carolum Francorum Regem V Idus Januarii, & ad Henricum Caſtellæ Regem IV Kalendas Martii, in quibus ultimis ait, ſe diu maturèque cogitaſſe de ſuo ad Urbem acceſſu, tandemque *divinæ inſpirationis gratia invocata* dictum acceſſum deliberaſſe faciendum, quibus ex verbis Raynaldus ſcribit, *divino inſtinctu ad Sedem Apoſtolicam Urbi reſtituendam* impulſum eſſe. Carolo autem Francorum Regi reſcripſit in hæc verba: *Quamvis nobis durum exiſtat, nos à tuæ Celſitudinis & tuorum vicinitate & partibus iſtis, in quibus nati ſumus, & tempora noſtra conſolatè peregimus, elongare; conſiderantes tamen, quòd debitum honeſtatis expoſcit, & nonnullæ cauſæ ſtatum Chriſtianæ fidei ac Romanæ Eccleſiæ ſponſæ noſtræ, terrarumque ipſius Eccleſiæ & utilitatem publicam concernentes nos urgent quamplurimum, & ad Sacram Urbem, in qua principaliter Sedes noſtra conſiſtit, & partes vicinas eidem, quamcitò commodè fieri poterit accedamus: & propterea ſuper hoc matura deliberatione præhabita, ordinavimus ad dictam Urbem & partes, Deo duce, cui ex hoc complacere ſperamus, accedere in autumno proximè ſecuturo.* Data eſt, ut jam dixi, Epiſto-

ſtola V Idus Januarii anno V, ideoque anno 1375. Scripſit & ad Joannam Reginam Siciliæ, ad Fridericum Trinacriæ Regem, & ad Andream Contarenum Venetorum Ducem die octava menſis Julii, ut triremes inſtructas mitterent ad mare ſub autumnum conſcendendum. Non multò tamen pòſt, ſcilicet die vigeſima octava ejuſdem menſis Julii, reſcripſit ad eundem Venetorum Ducem, & tempus pro mittendis galeis protraxit uſque ad proximum Ver anni 1376, quòd pax quæ inter Carolum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges tractaretur, ad cujus conſummationem ſua præſentia neceſſaria erat; cùm tractatores pacis ad Sedem Apoſtolicam accedere deberent pro ipſius conſummatione, ſi concordare nequirent, & poſtea addit: *Non recedendo à propoſito eundi ad dictam Urbem, ſed illius effectum propter melius differendo, tempus hujuſmodi noſtri adventus ad tempus veris proximè venturi duximus prorogandum*. Data eſt Epiſtola *apud Villamnovam V Kalendas Auguſti anno V*, ideoque die 28 Julii anni 1375. Extant illæ omnes Epiſtolæ apud Raynaldum eodem anno num. 21 & ſeqq. Prorogavit tamen poſtea tempus ſui diſceſſus uſque ad menſem Septembrem anni 1376, ut infrà dicetur.

XV. *Varia Gregorii Acta.*

Eccleſiaſticam interea diſciplinam ſaluberrimis decretis inſtaurare non deſiſtens Gregorius, quarto Kalendas Aprilis ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi quinti de Præſulum reſidentia decretum edidit, quo Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus regularibus, & quibuslibet Præſidentibus, qui capita Ordinum eſſe noſcerentur, injunxit ut infra duorum menſium ſpatium, de Curia & locis, in quibus exiſtebant, recedant, & ad ſuas Diœceſes, Eccleſias & Monaſteria proficiſcerentur, ibique reſidentiam facerent. Decretum illud extat apud Raynaldum num. 23. Quinto verò Kalendas Novembris ejuſdem anni Carolo V Francorum Regi author fuit, ut conſuetudinem in Galliis inolitam, quâ ultimo ſupplicio damnatis pœnitentiæ Sacramentum negabatur, abrogaret, utpote contra *Canonica ſtatuta* pugnantem. Epiſtolam eam in rem à Gregorio XI ad Carolum ſcriptam datam *Aven. V Kal. Nov. anno V*, refert idem Raynaldus num. 28.

XVI. *Novem Cardinales creat.*

Eodem anno 1375 die vigeſima menſis Decembris, quæ fuit dies Jovis ante feriam ſextam quatuor Temporum, Gregorius Pontifex, ut ait Auctor primæ ejus Vitæ, octo Cardinales Presbyteros, & unum Diaconum creavit. Presbyteri fuerunt Petrus Judicis, diœceſis Lemovicenſis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiſcopus Rotomagenſis, conſanguineus germanus ipſius Papæ; Simon de Brouſſano Italicus, tunc Archiepiſcopus Mediolanenſis & Referendarius ipſius Papæ; Hugo de Montelegum, Brito, tunc Epiſcopus Briocenſis; Guido de Maleſicco, diœceſis Tutellenſis, tunc Epiſcopus Pictavenſis, conſanguineus etiam & Referendarius ipſius Papæ; Joannes de Grangia, diœceſis Lugdunenſis, Monachus Ordinis Sancti Benedicti, tunc Epiſcopus Ambianenſis; Petrus de Sortenaco, Caturcenſis, tunc Epiſcopus Vivarienſis; Geraldus de Podio, tunc Abbas Majoris monaſterii, conſanguineus Papæ, ejuſque Vicarius apud Peruſium; & Joannes de Buxeria, Burgundus, tunc Abbas Ciſtercienſis. Diaconus verò fuit Petrus de Luna Aragonenſis, Decretorum Doctor, Præpoſitus Valentinenſis. Spondanus num. 8 ſcribit, Onuphrium & Ciaconium decimum addere, nempe Joannem de Fliſco Genueuſem, Epiſcopum Vercellenſem; ſed in ultima editione Ciaconii ab Oldoino curata, & in Epitome Pontificum Romanorum & Cardinalium Onuphrii Panvinii anni 1557 ex editione Veneta, nullum Joannem de Fliſco Cardinalem à Gregorio XI creatum inveni, cujus loco apud Ciaconium ponitur Petrus de Tartaris Romanus, cujus Cardinalis dignitas, ſicuti & Yvonis Begaignon Trecorenſis Epiſcopi à Frizonio memorati, incerta, imò & falſa videtur, cùm non recenſeantur ab Auctore Vitæ Gregorii XI, qui ceteros nihilominus ab ipſo Pontifice creatos ſtudioſè numerat.

XVII. *Et inter eos Petrum de Luna.*

Auctor quartæ Vitæ Gregorii loquens de Petro de Luna in hac promotione dicto Cardinali, ſcribit: *Hic* (nempe Gregorius XI) *conferendo Ordines Petro de Luna, eum aſſumendo in Diaconum Cardinalem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Coſmedin, ait*, caveas ne tua Luna patiatur eclipſim, *cunctis aſtantibus & audientibus & notantibus hæc, quæ poſtmodum impleta fuerunt. Audiverat enim multiplicia eſſe diverſoria & ſemitas animi dicti Petri ſophiſmatibus, verbiſque fallacibus imbuti*, quæ ipſiſſima verba referens Spondanus laudatus, ait quòd ſi hæc vera forent, non viſus fuiſſet Gregorius culpâ vacare, quòd talem à ſe agnitum hominem in tantam dignitatem evexiſſet. Negari tamen non poſſe quin Petrus de Luna fuerit ardenti & ambitioſo ingenio, quæ ſatis probant ea quæ poſtea geſſit, ex quibus putat motum magis prædictum Auctorem ad ea de illo comminiſcenda, quàm ut talis tunc appareret quando creatus fuit Cardinalis: cùm præſertim Theodoricus Niemus in Tractatu de Schiſmate lib. 3 cap. 33, nemini parcere ſciens, qui eum ſe noviſſe profitetur, cùm apud Montempeſſulanum Jus Canonicum publicè magnâ laude interpretaretur, teſtetur Gregorium creaſſe eum Cardinalem, eò quòd

tunc

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

tunc plerіſque omnibus ob peritiam & virtutem charus eſset. Quantum poſtea Petrus fuerit mutatus ab illo, infrà videbitur.

XVIII. *Quo modo tunc fieret creatio Cardinalium.*

Poſtquam Auctor primæ Vitæ Gregorii dixit eam creationem Cardinalium factam eſse die Jovis ante feriam ſextam quatuor Temporum, obſervat more conſueto fieri debuiſse feria ſexta quatuor Temporum, & ſequenti die publicari; ſed quia feſtum Sancti Thomæ Apoſtoli, quo die non debuit fieri Conſiſtorium, concurrebat cum feria ſexta, creationem factam die Jovis, & publicatam die Sabbati ſequenti: *Hic attendendum*, inquit, *quòd iſta creatio non fuit facta die Veneris, ſecundùm quod aliàs eſt fieri conſuetum; & hoc ideo quia illa die occurrit feſtum Beati Thomæ Apoſtoli, qua die non fuit tenendum Conſiſtorium. Fuit etiam protelata dictæ creationis publicatio uſque ad diem Sabbati ſubſequentem, propter dictum feſtum, cùm tamen aliàs in craſtinum ipſius fieri debuiſset.* Sed antiquato poſtea hoc more, ſubdit Spondanus, invaluit alius facilior, ut uno eodemque actu creentur Cardinales & publicentur.

XIX. *Agit contra Florentinos rebelles.*

Anno 1375 Florentini cum Vicecomitibus conjurati in Gregorium Papam, & Romanam Eccleſiam inſurgentes, Urbes plurimas ditionis Pontificiæ ad defectionem compulerunt, plebiſcita contra Eccleſiæ jura ac libertatem promulgarunt, Viros Eccleſiaſticos, ipſoſque Sedis Apoſtolicæ Nuncios crudeliter vexarunt, Apoſtolicum Legatum bello laceſſiverunt, duoque vexilla erexerunt, alterum communitatis Florentinorum, alterum rubrum cum inſcriptione literis argenteis & cubitalibus vocabuli *Libertas*. Sicque factum eſt, quòd uno quaſi impetu omnes civitates, loca & caſtra Romanæ Eccleſiæ adversùs eam rebellarint, officialibus ipſius aut interfectis, aut turpiter ejectis; caſtris & munitionibus, quæ in ipſis erant, aut ad terram proſtratis aut tyrannicè occupatis. His acceptis Gregorius Pontifex, eos paternè monuit, ut ad cor redirent, ſed licèt Florentini paternas ejus commonitiones rejecerint, atque contempſerint, adhuc tamen cum iis patienter agere deliberans, quò tempus daret reſipiſcendi; die tertia Februarii anni 1376 rurſum eos publicis literis monuit à cœptis abſtinere, ſtatuta contra libertatem Eccleſiaſticam facta revocare & abolere, ac perſonis læſis, piiſque locis ſatisfacere: eos nihilominùs, qui magiſtratum aliquem vel miniſterium à menſe Junii anni 1375, quo ſuas conſpirationes ediderant, exercuiſsent, perſonaliter, populum verò & communitatem per idoneum procuratorem peremptoriè citavit coram ſe ad diem ultimam menſis Martii, audituros ſententiam pœnarum contra talia committentes tam à jure inflictarum, quàm in proceſſibus adversùs eos formatis contentarum. Sed iis ad dictam diem non comparentibus, Gregorius Pontifex juſtè commotus damnationis in eos protulit ſententiam, quam teferunt Bzovius num. 15, & Raynaldus num. 1 & ſeqq. apud quem ſententia dicitur data *Avin. in palatio Apoſtolico II Kal. Aprilis anno VI*, apud Bzovium verò *XII Kal. Maji*, & incipit, *Graves & deteſtandos exceſſus*, cùm apud Raynaldum incipiat his verbis, *In omnem ferè terram fidelium*. Eâ ſententiâ illos contumaces declarans, in prædictos Magiſtratus & miniſtros ſingulos excommunicationis, in populum verò ac civitatem & univerſam Florentinorum ditionem, interdicti pœnam ſtatuit: omnes prætérea & ſingulos omni penitus quarumcumque rerum commercio emptionis, venditionis, donationis, converſationis, & cujuſcumque alterius, nec non omnibus privilegiis, immunitatibus realibus & perſonalibus, ſtudio literarum, juribus & juriſdictione privat: Subditos omnes à juramento fidelitatis abſolvit; bona mobilia & immobilia ubicumque forent, occupare volentibus concedit, ac perſonas ipſas in ſervitutem exponit; prædictos Magiſtratus & miniſtros perpetuò infames, extorres, inteſtabiles & hæredltatum ac ſucceſſionum incapaces declarat: eorumque filios ac nepotes per rectam lineam deſcendentes, quibuſcumque officiis & beneficiis, ac dignitatibus exuit; & ad alia quæcumque obtinenda, nec non ad Ordines, & quoſcumque actus legitimos, inhabiles pronunciat, pœnaſque in eorum fautores ſtatuit. Inhibuit etiam univerſis Principibus, Prælatis & Rectoribus civitatum, ne aliquos eorum apud ſe manere, niſi ut ſervos, permitterent, ſed protinus expellerent, ſub pœna interdicti in loca, quibus aliter retenti forent quàm ut ſervi. Quibus pœnis cùm ubique mulctarentur, de Anglia ſpeciatim tradit Walſinghamus, Florentinos in eâ repertos ſe ſe Regi in ſervitutem cum bonis ſuis tradidiſse. Eos verò qui tum Avenione, tum in variis aliis regnis diſperſos ad propria redire compulſos tradit Auctor Vitæ primæ Gregorii, qui addit ex his Florentinos ad cor minimè reverſos eſse, ſed potiùs in ſua malitia induratos pejora prioribus contra Eccleſiam procuraſse, libellos etiam diffamatorios, falſa tamen & erronea continentes, contra Eccleſiam & Gregorium Papam ubique tranſmittendo.

XX. *Immittit exercitum in illos.*

Rogarunt tamen Florentini rebelles Sanctam Catherinam Senenſem, quam Pontifici gratiorem exiſtimatunt ob eximiam vitæ ſanctitatem, Avenionem accedere, ad ejus animum placandum, ut ex Actis Vitæ

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

tæ ejuſdem Sanctæ refert Sanctus Antoninus tit. 23, cap. 14, § 16. Acceſſit Avenionem Catharina, & Pontificem adeò facilem ad concordiam invenit, ut ipſiuſmet Catharinæ arbitrio concordiæ tractationem permiſerit. *Ut omnibus pateat*, inquit, *quia pacem cum eis volo, ecce pacem ipſam pono in manibus tuis, cariſſima filia, tu tantum recommendatum habeas honorem Eccleſiæ ſanctæ*. Cùm autem Catherinæ Virginis conſiliis ac paternæ Gregorii pietati obſtaret Florentinorum contumacia, Pontifex ne Eccleſiæ cauſam omnino deſeruiſſe videretur, ſex millia equitum, quatuor peditum ex Britannia Armorica, aliiſque provinciis Gallicis in Italiam deſtinavit, unà cum Roberto SS. XII Apoſtolorum Presbytero Cardinale Gebennenſi dicto, quòd frater eſſet Comitis Gebennenſis, qui nihilominus habito fruſtrà pro recuperatione Bononiæ tractatu ſecreto, parum etiam in reliquis profecit, quouſque Gregorius ipſemet Pontifex in Italiam advenit.

XXI. *Romam ire parat.*

Cùm itaque per ſuos Legatos & Nuntios, alioſque ſibi in Italia fideles ſæpiùs monitus eſſet omnia protinus in integrum reſtitutum iri, ſi Romam accederet: cùm Romani præterea ipſius optantes præſentiam, ut ipſum ad hoc allicerent multa & magnalia promitterent ſe facturos in ſui favorem & honorem quàm primum ad ipſos declinaret, ut ſcribit Auctor primæ Vitæ Gregorii; ſive jam ſatis ipſe ſponte delatus, tum verò Sanctæ Catherinæ urgentiſſimis hortationibus impulſus, decrevit omninò id exequi. Non parum etiam ad id motus dicitur ab Auctore tertiæ ejus Vitæ, reſponſo cujuſdam Epiſcopi: *Dum enim Gregorius*, inquit, *in palatio Avenionenſi moram traheret, & die quadam in aula deambulans, comitante eum Epiſcopo quodam ejus Cubiculario, diceretque Gregorius Epiſcopo*, Domine Epiſcope quare non vaditis ad Eccleſiam veſtram; *& continuò Epiſcopus reſpondens diceret*: Et vos, Pater Sancte, quare ad Eccleſiam veſtram non acceditis, *intelligens de Romana, quæ Sedes eſt Petri, & Chriſti Vicarii propria, ita animo compunctus eſt, & in conſcientia tactus, ut ſtatim de veniendo Romam cogitaret*. Idem ex hoc ſine dubio Auctore referunt Blondus, Platina, Nauclerus, Joannes Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Tomo 2, pag. 269; Sabellicus Enneadis 9 lib. 9, & his omnibus antiquior Radulphus de Rivo cap. 12 de geſtis Epiſcoporum Leodienſium. Extat etiam, inquit Spondanus anno 1376 num. 3, neſcio cujus Epiſtola, qui profectionem quidem illam bonam & ſanctam fore ſcribebat, ſed à veneno cavendum, quod Itali jam præſens atque paratum habere nunciarentur, Sedem Petri Apoſtoli lætus & ſecurus adiret, pacemque ſubditis ſuis, etſi rebellibus, concederet: promiſſa enim impunitate, ſtatim redituros ad obſequium.

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

XXII. *Romanorum Legatio rub-pit.*

Gregorium tamen motum eſſe ad illud iter, eò quòd Romani decreviſſent alium Papam, ſeu potiùs Antipapam creare, innuere videtur Nicolaus Eymerici Ordinis Prædicatorum, qui tum erat Inquiſitor Aragoniæ in depoſitione, quam emiſit in initio ſchiſmatis dicens, quòd *anno 1376 circa finem menſis Auguſti, vel principium Septembris, quo tempore bo. mem. D. Gregorius Papa XI Curiam transferre in Italiam diſponebat, venerant Avenione Lucas de Sabellis Princeps Romanus, & alius quidam ex parte & nomine Urbis Romæ ceu civium Romanorum nuncii, ſeu ambaſſiatores deſtinati ad antedictum D. N. Papam, & hoc ad ſupplicandum*, ut ſe transferret Romam; ibique deinceps cum Cardinalium Collegio reſidentiam faceret, *prætendentes quòd Romani volebant Papam in urbe habere præſentem, cùm Papa eſſet Romanus Pontifex, & talis ab omnibus Chriſticolis* generaliter haberetur, quod pluries & à pluribus tunc audiſſe, eoſque vidiſſe tradit, & de iis illis diebus in Avenione fuiſſe publicam vocem & famam, tandemque ſubdit: *Antedicti autem ambaſſiatores Romanorum de facto rogarunt, ſupplicarunt, ac inſtarunt, & demum proteſtati ſunt et D. Gregorio quatenus cum ſuo collegio proficiſceretur Romam, illuc ſuam curiam transferendo; aliàs certificabant eundem, nomine quo ſuprà, quòd ipſi Romani providerent ſibi de Papa, qui Romæ moram deinceps contraheret cum eiſdem. Et hæc tunc audivit dictus deponens in Avenione, & de iis erat inter Curiales illis diebus publica vox & fama*. Idem ferè aſſerit Petrus Roſtagni in Epiſtola ſcripta ad Joannem Regem Caſtellæ anno 1380 die decima Septembris; ait enim tractatum fuiſſe per nonnullos Romanos, quòd fieret per Romanum populum unus Antipapa, & Cardinalem S. Petri tunc Gregorii in Urbe Legatum id[illegible]a fuiſſe ſcribere eidem Pontifici, quod idem ipſe & alii ei ſcripſerunt exponendo, quòd ad Urbem veniret, ſi volebat præfato ſcandalo obviare; tandemque Romanos Abbati Caſſinenſi eorum concivi ambaxiatores miſiſſe, ut ſcirent ſi in tali caſu vellet Papatum acceptare, *qui ultrò ſe offerens reſpondit ſe civem Romanum eſſe, & illud velle, quod ipſi vellent*. Denique Marcus Fernandi Canonicus Palentinus interrogatus ſuper articulo 02 caſus ſecundi electi dixit, quòd *alio tempore, cùm eſſet Papa verus Avenione, Romani fecerunt Antipapam Romæ tempore Joannis Papæ, & nominabatur Johannes de Corberio, & erat Romanus, & fuit fama quòd iſto timore receſſerat illuc Papa Gregorius, & fama erat Romæ, quòd Abbas*

Mon-

Montis Caſſini debebat eſſe Antipapa. Hæc ex Baluzii Notis col. 1194, & ſeq. Quæ cùm in nullo Auctore hujus, aut ſequentium temporum reperiantur, fides apud illos ſit, quam valde nutare pronum eſt credere, quia illi tres deponentes adverſabantur Urbano VI tempore Schiſmatis.

XXIII. *Invitis Cardinalibus, parentibus & amicis Romam pergere diſponit.*

Auctor quartæ Vitæ Gregorii ait, hunc ante ſuam electionem, ſede vacante voviſſe, quòd ſi eligeretur in Papam, veniret ad propriam Sedem; *& ideo*, inquit, *retrahi ab hac intentione nequivit. Sæpius enim per Collegium, parentes, & Regem Franciæ diſſuaſum eſt ei, diverſis & arduis impedimentis objectis. Quæ omnia forti animo ſuperavit, adeò ut matri proſtratæ ad limen aulæ, quando receſſit, nudo pectore cum maximo ululatu dicenti*, Fili, quò pergis? nunquam ulteriùs te videbo, *corpore tamen trans paſſum non calcato, diceret ſcriptum eſſe*: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis. Sed hæc hiſtoria falſa omnino eſt, nam Gregorii XI mater obierat anno 1346, & ſepulta fuerat Avenione in Cathedrali Eccleſiæ Beatæ Mariæ de Donis in capella Domini Comitis Belliforti, ut ipſemet Gregorius docet in ſuo Teſtamento. Alii itaque, inquit Baluzius col. 1234, qui de re iſta ſcripſere, patrem tantùm, fratres, conſanguineos Gregorii commemorant, nulla matris mentione facta. Diſpoſuit autem ire Romam non ſolùm invitis parentibus, ſed etiam contra voluntatem omnium amicorum, & penè omnium Cardinalium: *Sic diſpoſuit facere & ordinavit*, inquit primæ ejus Vitæ Auctor, *quamvis contra conſilium & deliberationem quaſi totius Collegii, omniumque amicorum ſuorum.*

XXIV. *Permittit Wenceſlaum vivente patre in Regem Romanorum eligi.*

Antequam Avenione Gregorius recederet, accepit literas, quibus Carolus IV Imperator eum rogabat, ut permitteret filium ejus primogenitum Wenceſlaum, jam olim in conſortium regni Bohemiæ allectum, etiam in Regem Romanorum, Imperii futurum ſucceſſorem, annum licèt tantummodò decimum-quintum ætatis agentem, ab Electoribus evehi permitteret, *cùm ad hujuſmodi electionis celebrationem*, inquit Carolus in literis ad Pontificem ea de re ſcriptis Nuremberg anno Domini 1376, indictione 14, II Nonas Martii, quæ extant apud Raynaldum num. 13, *nobis viventibus procedi non valeat, ſine veſtris beneplacito, aſſenſu, & gratia, ac favore.* Spondanus num. 5 addit id permiſiſſe Gregorium, ea conditione, ut Wenceſlaus ante omnia, exemplo Henrici VII ipſius proavi & Caroli patris, ex formula præſcripta juraret, ſe bona Eccleſiæ Romanæ non occupaturum, libertatem Eccleſiaſticam non violaturum & conſervaturum: in adminiſtrationem regni & Imperii ante ſolemnem inaugurationem, à Pontifice, vel ejus licentia ab alio factam, ſe ſe non intromiſſurum, quin immo nec ipſos Regis aut Imperatoris titulos ſine Sedis Apoſtolicæ conſenſu ſuſcepturum; ſcriptis ea de re literis ad eoſdem Carolum, Wenceſlaum, & Principes Imperii ad principium menſis Maji. Verùm in literis Gregorii Papæ ad Carolum, quæ extant apud Raynaldum laudatum, quibus prædicti Wenceſlai electionem permittit, nihil tale reperitur; datæ ſunt autem *Avin. V Nonas Maji anno VI.* Poſt hæc Wenceſlaus electus eſt Romanorum Imperator die decima Junii Francofurti, ſed ejus electio confirmata tantùm eſt ab Urbano VI, ut ſuo loco dicetur.

XXV. *Petit à Rege Franciæ ut extremo ſupplicio damnatis pœnitentiæ ſacramentum conferat.*

Cùm in plurimis provinciis, præcipuè Galliarum, vigeret conſuetudo, ut ultimo deputandi ſupplicio, etiam ſi peterent, negaretur pœnitentiæ Sacramentum, ex quo fieret ut plurimi grave periculum animarum incurrerent, Gregorius Pontifex literis datis Avenione V Kalendas Novembris ejuſdem anni 1375, Carolum V Francorum Regem hortatus eſt, ut hanc conſuetudinem, quæ dicenda eſſet potiùs corruptela, eo quòd expreſsè adverſaretur Canonicis ſtatutis, pro reverentia Sedis Apoſtolicæ & propriæ ſalutis intuitu obſervari non permitteret; ſed hujuſmodi ultimo ſupplicio damnatis pœnitentiæ ſacramentum dari mandaret. Extant Gregorii Literæ apud Raynaldum anno 1375 num. 28. Quid ad has reſcripſerit Carolus Rex ignoramus; ſed ſi vera ſcribit Monachus San-Dionyſianus in geſtis Caroli VI ejus filii apud Spondanum eo anno num. 11, Carolus VI inter plurimas ſanctiſſimas ſanctiones, quas edidit eo anno ad placandam iram Dei & conſcientiarum conſolationem, tunc quoque tantùm ſancivit, ut cuicumque pro quocumque ſcelere ad mortem condemnato, concederetur facultas confeſſionis Sacramentalis, ſicuti & in cæteris regnis, quod hactenus fuerat denegatum.

XXVI. *Avenione diſcedit, & in mari tempeſtatibus agitatur.*

Sed ut ad Gregorii iter redeat narratio, receſſit is Avenione die Sabbati decima tertia Septembris anni 1376 cum omnibus Cardinalibus, ſex duntaxat exceptis, qui Avenione remanſerunt, nempe Anglicus Grimoardi Epiſcopus Albanenſis Urbani V frater, Ægidius Aiſceleni Epiſcopus Tuſculanus, Joannes de Blandiaco Epiſcopus Sabinenſis, Petrus de Monteruco Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Anaſtaſiæ, Guillelmus de Chanaco Presbyter Cardinalis tit. Sancti Vitalis, & Hugo de Sancto Martiale Diaconus Cardinalis tit. Sanctæ Mariæ in Porticu. Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii aſſerit Gregorium, dum in palatio vellet aſcendere equum, hunc vix permiſiſſe ipſum aſcendere, & quando fuit in villa juxta macellum, ex toto recuſaſſe ipſum portare, & Papam coactum fuiſſe alium

alium aſcendere, propter quod & multa alia pericula, quæ poſtea evenerunt in mari, de quibus mox cogitatum & dictum fuiſſe à multis, quòd contra voluntatem Dei ibat Romam. Sed his cogitationibus & dictis nulla omnino fides adhibenda videtur. Die 22 dicti menſis Septembris intravit Maſſiliam Gregorius, cùm priùs tranſiiſſet per Sanctum Maximinum ob reverentiam Beatæ Mariæ Magdalenæ, cujus reliquiæ ibidem aſſervantur; per civitatem Maſſiliæ honorificè equitavit, & venit ad Sanctum Victorem, ubi ſtetit per aliquot dies, ſcilicet uſque ad ſecundum diem menſis Octobris, quo intravit galeam, plures enim & alia navigia ad ſufficientiam pro ſe & comitantibus eum Maſſiliæ invenit. Nona die dicti menſis intravit portum Villafranchæ prope Niciam, die Veneris ſequenti decima Octobris prope Monachum pervenit, ſed vento impellente reverſus eſt ad eundem portum Villafranchæ ſeu Olivæ; tuncque, ut ſcribit Petrus Amelius Senogalliæ Epiſcopus qui aderat, quique iter Gregorii ab ejus diſceſſu incipiens incompto quidem verſu, ſed diligenter ſcitèque complexus eſt.

Gaudet exercitus, credit ad propria cum
gaudio remeare.
Sed non ſinit Altiſſimus corda Principum
ſine cauſa mutare;

Et paulò poſt.

Pugia navis frangitur, & vela per aerem
volvuntur, lacerantur que funes
In barchu ſunt curſores, janitoreſque lecti-
ſterniis Papalibus
In banda jacent Sacerdotes, votaque ſpon-
dent Deo cum ſuis promiſſionibus
In hora noctis tertia frangitur anchora &
antena cum ſuis ligaminibus,
In media nocte omnia deſperata, vociferan-
tur cuncti validis clamoribus.
Regrediuntur nautæ deſperati de ſua ſal-
vatione,
Diſcurrunt hinc inde per mare ſine guber-
natione,
Submerguntur merces & Clericus in caute
abſque dilatione,
Mane inveniunt ſe nautæ in Sancta Mar-
garita cum admiratione
Callixtus fuit nobis charus, & mihi pro-
pitius clareſcente ſole
Viam patefecit Mercurius 15 Octobris.

Die tandem decima octava Octobris in Sabbato intravit Januam Pontifex, ubi ſtetit per undecim dies, inde intravit portum Dalphinum, à quo non potuit exire propter tempeſtatem maris. Die ſeptima Novembris intravit portum Liburni. Poſtea venit ad portum de Plumbis, & ſtetit per aliquot dies, deinde venit in Bucellum, & ibi etiam ſtetit per aliquot dies, & ubicumque ſtaret, ſtabat propter tempeſtatem maris; tandem applicuit Cornetum, ubi celebravit feſtum Nativitatis Domini & ſubſequentia feſta. Petri porrò Amelii Itinerarium primus publicavit Papirius Maſſonus, ea quo tranſlatum in ultimam Ciaconii editionem. Idem etiam Gregorii iter Italicum eodem tempore conſcripſit Bertrandus Boyſſerus civis Arelatenſis, quod habetur in veteri MS. Bibliothecæ Regiæ, ut aſſerit Baluzius col. 1196. Ex quatuordecim circiter Cardinalibus, qui Gregorium comitati fuerant, ſolus Petrus de Judicis conſanguineus ejus germanus, Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis obiit Piſis; adeò enim exagitatus eſt in mari, ut in gravem morbum inciderit in loco de Liburno Piſanæ diœceſeos, ubi teſtamentum condidit die XV Novembris, ibidemque mortuus eſt die XXI Novembris, ut docet Petrus Amelius, *maris fructus laboribus*, loquens de hoc Cardinali, qui dicebatur Cardinalis Narbonenſis, quia diu fuerat Eccleſiæ Narbonenſis Antiſtes.

Annò 1377, Corneto, non terreſtri itinere, ut quidam ponunt, ſed *navigando*, ut ait Auctor primæ Vitæ Gregorii, & confirmat itinerarium Petri Amelii, diſcedens die decima tertia Januarii, poſtquam quinque ſeptimanis ibidem cum mœſtitia manſiſſet Gregorius Romam perrexit, dieque decima quarta pervenit ad portum Oſtiæ. Die Jovis ſequenti venit ad ſanctum Paulum. Die Sabbati decima ſeptima menſis Papa intravit Romam honorificè cum Romanis, qui ad eum venerant, præſentibus tredecim Cardinalibus, quos ſecum Vitæ Gregorii Auctor nominat, & equitando venit Pontificaliter ad Sanctum Petrum, quaſi hora veſperorum, ſeu potiùs *hora Completorii*, tanto Romanorum applauſu, lætitia, atque honorificentia exceptus, ut Petrus Amelii ſcribat, omnis generis, ſexûs, ætatis, conditionis homines veluti amentes præ gaudio viſos eſſe; neque unquam ſe exiſtimaſſe, tantam gloriam in hoc ſæculo oculis corporeis cerni poſſe. XXVII. *Romam appellit.*

Sed licèt tanta exultatione & lætitia Gregorius Pontifex exceptus fuerit à Romanis, illuſus tamen eſt ab illis; Auctor enim primæ ejus Vitæ poſtquàm dixit, eum receptum eſſe Romæ *cum magna ſolemnitate & honore*, ſubdit, Romanos pauciſſima eorum quæ promiſerant præſtitiſſe; licèt enim Bandarenſes (ſeu Præfecti regionum Urbis, à banderiis ſive vexillis, quibus inter ſe dignoſcebantur, ſic nominati) regimen Urbis, quod ſibi uſurpaverant, depoſuiſſent, illicò illud reſumpſerunt; nec potuiſſe Pontificem ſine ſcandalo in hoc eorum voluntati reſiſtere; de quo fuit territus & turbatus, videns ſe fuiſſe deceptum, & illuſum tam per eos, quàm per alios, qui ſibi ſuggeſſerant, quòd in ejus adventu tam XXVIII. *Illuditur à Romanis.*

præ-

Digitized by Google

prædicta, quàm alia in ſui & Eccleſiæ præjudicium & jacturam priùs artentara fuerant in partibus illis, ad ſtatum debitum reducerentur, & ad nutum ſuum diſponerentur; cùm tamen de aliquali reductione nihil pro tunc actum fuerit, ſed potiùs nonnulli ex iis, qui eo uſque ſe continuerant, ad ejus adventum apertè defecerint.

XXIX. *Irriſus à Florentinis.* Non à Romanis tantùm, ſed & à Florentinis illuſus eſt Gregorius; cùm enim, ut narrant Aretinus lib. 8, & S. Antoninus tit. 22, cap. 1, §. 5, Ponrifex pacis ſtudioſus accitis Florentinorum Oratoribus, eoſdem ad oſculum pacis, & ſacrorum parricipationem admiſiſſer, nihil tamen apud obſtinatiſſimam gentem proficere potuit. Quare ut idem S. Antoninus refert in Vita S. Catharinæ Senenſis pat. 3, cap. 8, & 3 part. Chron. tit. 23, cap. 14, § 16. Cùm eandem S. Catharinam Legationem Sedis Apoſtolicæ nomine ad eos obire juſſiſſet, tumultu concirato ad necem quæſira eſt à ſediriosis. Evaſit tamen, confuſo & debilitato divinitus percuſſore, & extra urbem Florenrinam delituit. Contempta inſuper Pontificis auctoritare, Florentini interdicti obſervationem, quod illuc huc uſque ſervatum fuerat, ſuſtulerunt, & per urbem agrumque palam & publicè in templis Sacerdotes celebrare compulerunt; nec non Congregationes eorum, qui in diverſis Religioſorum domibus ad divinam miſericordiam implorandam conveniebant, uti machinationum ſuſpectas omninò prohibuerunt, teliquas Eccleſiæ terras incurſionibus & latrociniis infeſtarunt ad Pontificis dedecus & conrumeliam. De his ipſemet Pontifex conquerirur in plurimis Epiſtolis, quas ad diverſos ſcripſit, tam Româ quàm Anagniâ, ad quam ultimam urbem æſtate ſe conrulit, ut mox diceruř.

XXX. *Scribit in Angliam contra Joannis Wickleffi errores.* Circa finem Pontificatus Gregorii XI Joannes Wickleffus, natione Anglus, Doctor Theologus, Eccleſiæ de Luthrerwort Lincolnienſis Diœceſis Rector, fremens ira, quòd decreto Romani Pontificis à præfectura Collegii Cantuarienſis Oxonii, quam præter jus faſque invaſerat, cauſa cognita olim fuiſſet excluſus, ut obſervat Nicolaus Harpsfeldius in Hiſtoria Wikleffitarum cap. 1, quòdque, ut alii addunt, Wigornienſis Epiſcopatûs repulſam tuliſſet, in Pontificem & Eccleſiam virus evomuit, multoſque errores diſſeminavit; ad cujus reprimendam impietatem Gregorius Ponrifex anrequàm Anagniam peteret, de ejus hæreſibus certior redditus, apud Sanctam Mariam Majorem exiſtens, undecimo Kalendas Junii ſcripſit ad Cancellarium & Univerſitatem Studii Oxonienſis, eos ſeverè increpans, quòd Wickleffi peſtiferos errores paterentur in Anglia radices agere, in graviſſimum animarum detrimentum & fidei Catholicæ opprobrium, præcipiens ut Joannem captum in manus Archiepiſcopi Cantuarienſis & Epiſcopi Londinenſis, aut alterius eorum traderent. Eadem die triplices dedit ad eoſdem Archiepiſcopum & Epiſcopum literas, quæ exrant Tomo XI Concil. Labbei: Quarum unis mandavit ſecretè inquirere de aſſertionibus Wickleffi, & ſi rales eſſe comperiſſent, quales ad Sedem Apoſtolicam delaræ fuiſſent, eum ſub fida cuſtodia detinerent in vinculis, donec aliud mandatum ab ipſo Pontifice acciperent. Alteris, ſi fortè Joannem capere non poſſent, eum per edictum in ſtudio Oxoniæ & aliis publicis locis peremprorie moneri & cirari curarent, ſe ſe intra tres menſes coram Ponrifice ſiſtere. Tertiis denique, ut Regem Eduardum, ejuſque filios ac proceres & Magiſtratus monerent extirpationi eorumdem errorum attendere diligenter, & in his ultimis incluſit & miſit novendecim articulos ex Wickleffi propoſitionibus depromptos, quos deteſtabiles vocat, & tendentes ad enervationem totius Eccleſiaſtici ſtatus. Oxonienſis Academiæ Doctores æſtuare cœperunt an Pontificium diploma excipere cum honore, vel rejicere deberent, ut in eos exclamat Walſinghamus in Richardo II, qui Eduardo hoc eodem anno 1377, die 21 Junii morruo ſucceſſit. Sed Simon Archiepiſcopus Cantuarienſis & Willelmus Londinenſis Epiſcopus auctoritate Apoſtolica Univerſitatis Oxonienſis Cancellario injunxerunt, ut cirarer peremptoriè Joannem, quòd trigeſimo die juridicio poſt cirationem ſibi factam in Eccleſia Sancti Pauli Londinenſis compareat perſonalirer coram ipſis, ſeu aliis ſubdelegaris ſuis in hac parre Commiſſariis, ſuper propoſitionibus hujuſmodi reſponſurus: adjicientes quòd ſive comparuerit, ſive non, ulteriùs conrra eum procederetur, prout Apoſtolicæ Literæ requirunt. Datum eſt illud mandatum XV Kalend. Januarii anno Domini 1377, extatque eodem Tomo XI, Concil. Labbei. Comparuiſſe in judicio Wickleffum, & erroneas ſuas propoſitiones in molliorem ſenſum detorſiſſe, erroreſque fidei Catholicæ adverſantes damnare ſe paratum conteſtatum eſſe ſcribit Walſinghamus loco laudaro. Hac palinodiâ tectus, & patrocinio Joannis Ducis Lancaſtriæ Eduardi Regis filii, & aliquorum Londinentium judicii ſeveritatem evaſit, nec vinculis traditus; ſed Archiepiſcopus Cantuarienſis & Londinenſis Epiſcopus, ſolum ſilentium illi indixêre; at Wickleffus eorum imperia mox obtrivit, vetereſque Waldenſium, Albigenſium, aliaſque hæreſes ab inferis excitavit, ut ſuo loco videbitur.

XXXI. *Anagniam petit, & Eucharistiam ante ſe de more deferri jubet.* Poſt hæc Gregorius Anagniam Montanam Hernicorum, ſeu Campaniæ civitatem puri aëris ſe contulit propter calores Ro-

SÆC. XIV. GREGORIUS XI. Romæ vigentes, die 16 Maji in Vigilia Pentecoſtes venit ad Eccleſiam S. Mariæ Majoris, ubi ſtetit uſque ad Sabbatum poſt feſtum Corporis Chriſti, ſeu diem 30 Maji, ut ſcribit Auctor ſecundæ Vitæ, qui addit eum intraſſe Anagniam die ſecunda Junii. Huic Anonymo conſentit Bertrandus Boyſſetus à Baluzio laudatus, ſcribens eum Româ exiiſſe die trigeſima Maji: Petrus etiam Amelii, qui iter ejus Anagniam ſcripſit, quique præſens erat, Bertrando Boyſſeto ſuffragatur, dum ait, Gregorium Româ exiiſſe die penultima menſis Maji, & poſtea ſubdit eum intraſſe Cœnobitale domicilium Græcorum, fundatum in honorem Mariæ Virginis, locum valde amœnum, diſtans ab urbe decem miliaribus; & poſtea ſcribir:

Primo mane Junii ante lucanum corpus Chriſti omnibus viam patefecit,

Er paulò pòſt:

Orto jam Sole Summus Pontifex egreſſo cœnobio Anagniam viam arripuit.

Quibus ex verbis nobis innoteſcit falli eos, qui putant Petrum de Luna, dictum poſtea in ſua obedientia Benedictum XIII inſtituiſſe ritum illum deferendi ante Pontificem in longinquioribus itineribus ſacratiſſimam Euchariſtiam. Certè licèt facile non ſit ſtatuere quandonam ritus ille cœptus ſit, certum tamen eſt illum Gregorio XI antiquiorem eſſe, quod demonſtrat Auctor ſecundæ ejus Vitæ, qui narrata ejus morte non multò pòſt ſubſecuta, & electione Urbani VI, quem vocat intruſum, pag. 464, ait: *Et videns dictus intruſus ſic omnes Cardinales receſſiſſe, exivit Romam & die XXVI Junii equitavit quaſi ſtultus ſine cruce præcedente & ſine corpore Chriſti, & ſine ullo Cardinali* &c. Qui locus demonſtrat ritum illum Gregorio undecimo longè antiquiorem eſſe; alioquin non dixiſſet Auctor fuiſſe ſtultitiam ſine corpore Chriſti præcedente Pontificem Romanum iter aggredi. De hoc ritu Angelus Rocca Epiſcopus Tagaſtenſis & Sacriſta Pontificius anno 1599 tractatum edidit, & poſtquàm illum probavit exemplo Gregorii XI, adducit deinde exempla multorum Pontificum, qui poſt eum Sedi Apoſtolicæ præfuerunt. Inſignis, inquit Baluzius col. 1470, eſt profectò locus Paridis de Graſſis, ſeu potiùs de Craſſis, Magiſtri Ceremoniarum Sacri Palatii, qui loquens de itinere Florentino Leonis X, deque ejus reditu in Urbem Romam anno 1516, ait illum decreviſſe *ire ſine ſacramento, quod Pontifex nunquam deberet facere*, & corpus Chriſti præmiſiſſe Romam per duodecim dies antequàm ipſe in eam adveniret. De veteri more, quo ſolet Romanis Pontificibus iter agentibus anteferri ſignum Crucis Dominicæ, peculiarem tractatum edidit Romæ anno 1592 Auguſtinus Fivizanius Apoſtolici tum palatii Sacriſta. SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

XXXII. *Inſtituit officium S. Crucis, & vigiliam Nativitatis B. Mariæ cum jejunio* Gregorius Pontifex Anagniæ exiſtens in principio menſis Septembris, ob devotionem, quam ſingulariter habebat ad Paſſionem Chriſti & beatam Mariam Virginem, ordinavit ea quæ ſequuntur. Primò, quòd impoſterum fieret officium integrum, quod ſuper hoc fecit ſolemniter ordinari de Inventione & Exaltatione Sanctæ Crucis diebus quibus occurreret; cùm antea in Matutinis non dicerentur per earum quamlibet duntaxat niſi tres ultimæ lectiones, & aliæ ſex de certis Sanctis, quorum feſtivitates dictis occurrunt diebus. Secundò, quòd Nativiras beatæ Mariæ Virginis haberet vigiliam cum jejunio, pro qua etiam officium proprium Miſſæ ordinavit; cùm tamen perprius non eſſet de illa jejunium, nec Miſſa de Vigilia hujuſmodi cantaretur. Hæc totidem verbis primæ Vitæ Gregorii Auctor. Vigiliam Narivitatis B. Mariæ ſedenre Urbano VI Gregorii ſucceſſore jejunio celebraram eſſe oſtendit Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium ex Conſtiturione Bonifacii IX, quæ incipit, *Superni*, de inſtiturione celebritaris Viſitationis B. Mariæ Virginis ita inquiens: *Suaſit etiam & conſuluit idem prædeceſſor noſter* (Urbanus VI) *ut ipſius feſti* (Viſitationis) *vigilia, ut vigilia Nativitatis & Aſſumptionis prædictæ Virginis feſtivitatum, in obſervatione jejunii devotiùs obſervaretur.* Radulphus de Rivo ſeu Tungrenſis in Libro de obſervanria Canonum cap. 19, ait eriam Gregorium XI feſto Nativitatis B. Mariæ addidiſſe vigiliam; hodie tamen illius feſti Vigilia caret jejunio & officio proprio; forſan quia Gregorius illud non præceperat, ſed tantùm ſuaſerat, ut Urbanum VI de vigilia Viſitationis feciſſe ſcribit Bonifacius IX in laudata Conſtitutione. De eodem feſto lege dicta ſuperius, & de Inventione ac Exaltatione Sanctæ Crucis Edmundum Martene in Tractatu de antiqua Eccleſiæ diſciplina.

XXXIII. *Eccleſias Galliæ onerari non ſinit.* Pontifex Anagniæ exiſtens, quamvis eſſet obæratus, & valde urgeretur à creditoribus, ingenreſque expenſæ faciendæ eſſent in ſumptus bellicos; nec non pecuniis indigeret ad redemptionẽ Rogerii germani ſui, & Joannis nepotis, quos Angli detinebant; nihilominus cùm Petrus Magalonenſis Epiſcopus Theſaurarius ejus Avenione relictus, ut ei ſubveniret, voluiſſet aliquod ſubſidium bonis Eccleſiaſticorum in Gallia imponere, id omnino prohibuit Literis ad eum Anagniæ ultima Julii, aliiſque eodem die ad Guillelmum Archiepiſcopum Rotomagenſem Sedis Apoſtolicæ Nuncium ſcriptis: quibus declaravit non ſolùm novas impoſitiones nolle ſe fieri, verùm nec procurationes, quidquid contingere ei poſſet,

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

atque etiam ſi omnia ruere deberent, exigi velle; niſi quæ Prælati ratione ſui ſervitii, vel qui de novo providerentur de beneficiis, ratione vacantiarum deberent Cameræ Apoſtolicæ. Hæc ex Spondano ad annum 1377, num. 18, quæ certè oſtendunt Gregorium bonum Eccleſiæ, proprio commodo, & conſanguineorum dilectioni antepoſuiſſe, ideoque & amorem ejus in propinquos nævum in eo malè à quibuſdam dictum eſſe.

XXXIV. *Excuſat Eccleſiam Pariſ. à ſubjectione Senonenſis eximere.*
Idem Spondanus laudatus num. 20 ſcribit Gregorium octava die Octob. ejuſd. anni 1377 Anagniæ adhuc exiſtentē excuſaſſe ſe apud Carolum V Regem Francorum haud ſe poſſe inſtanti ejus petitioni ſatisfacere, ut Eccleſia Pariſienſis à ſubjectione eximeretur Senonenſis, & uſus Pallii Epiſcopo Pariſienſi concederetur; tum quòd Eccleſia Senonenſis eſſet valde antiqua & nobilis, fuiſſetque olim Sedes præcipua regni, ſicut jam eſſet Lutetia, ipſiuſque Patruus Clemens Papa VI fuiſſet olim ejus Archiepiſcopus, ipſeque Gregorius exercuiſſet in eo unam ex præcipuis dignitatibus; tum etiam quòd Archiepiſcopus non ſuperabundaret divitiis, & Eccleſia Pariſienſis eſſet admodum modicè dotata. Intuitu tamen Regiæ ſerenitatis, & ob eminentiam urbis Pariſienſis, quæ erat caput totius regni, atque nobilitatem excellentiſſimi ſtudii, concedere ſe Epiſcopo Pariſienſi in perpetuum, ut ad reverentiam ipſius Dei & glorioſiſſimæ ipſius Matris, poſſet uti pallio in forma ſolita. Quam tamen conceſſionem parùm curaſſe videntur Epiſcopi Pariſienſes; quouſque demum anno 1622, ea Eccleſia petitione Regis Ludovici decimi tertii, ſubtracta eſt Senonenſi, atque in Archiepiſcopalem à Gregorio Papa XV erecta; primo ejus Archiepiſcopo Franciſco Gondio.

XXXV. *Romam redit, & infirmatur.*
Anagniæ manſit Gregorius Pontifex uſque ad diem quintam menſis Novembris: *Et ſtetit ibi* [nempe Anagniæ) *uſque ad quintam diem Novembris. Qua die exivit de dicta civitate pro revertendo Romam, & ſeptima die ejuſdem menſis intravit Romam*, inquit Auctor ſecundæ ejus Vitæ. Ibi non multò pòſt infirmitate correptus eſt, ineunte ſcilicet Februario anni 1378. Thomas enim de Amanatis Archiepiſcopus Neapolitanus, & poſtea Cardinalis à Roberto de Gebenna, qui in ſua obedientia vocabatur Clemens VII, in depoſitione ſua ait: *Item certum & verum eſt quòd præfatus Dominus Gregorius Papa XI de anno Domini prædicto milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo octavo die quinta menſis Februarii vel circa cœpit infirmari, infirmitate qua poſtea mortuus eſt*, à juventute enim erat ſatis debilis & valetudinarius, ut ſcribit Auctor primæ ejus Vitæ.

XXXVI. *De reditu in Galliam ſeriò cogitat.*
Tunc Gregorius, ſive quia infirmaretur, ſive quia nihil profecerat, utpote illuſus à Romanis & Florentinis, cogitavit de reditu in Galliam. Thomas enim Petra teſtatus eſt, ſe audiviſſe aſſeri per Urbanum VI, *quòd Urbanus V & Gregorius XI venerant Romam ex voluntate Dei ad fructificandum Eccleſiæ Chriſti & pacificandum Italiam, & ad recuperandum terras Eccleſiæ, & modico fructu ſecuto ipſe Urbanus receſſerat contra velle Dei prædicto ſibi per beatam Brigidam de Suetia, propter quod vita privatus fuit; hoc etiam prædicto ſibi per eandem, & quòd etiam Gregorius Papa cogitaverat de receſſu, ut ſupra dicitur, & jam miſerat pro galeis, cùm modicum & quaſi nullum fructum feciſſet; propter quod ad evidentius inſigne, quòd hoc erat contra velle Dei, in propria ſede deceſſerat*. Certè Gregorium ſeriò cogitaſſe de reditu in Galliam disertè aſſerit Bonifacius IX Urbani VI ſucceſſor in literis encyclicis, quas anno 1391 ad univerſos Chriſti fideles publicavit, in quibus ait, Urbanum V Româ Avenionem contra quod S. Birgitta per Comitem Nolanum ipſi ſignificaverat, ante completum iter ab humanis exemptum eſſe. Et ipſum Gregorium XI diſponentem de regreſſu ad Gallias, miſſo per eum ad Hiſpanias pro galeis habendis, ante ipſarum adventum in Sede propria Romæ perpetuò quieſcere compulſum eſſe. Hanc Epiſtolam encyclicam Bonifacii IX ſe vidiſſe teſtatur Spondanus anno 1391, num. 1, in codice manuſcripto Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis. Denique id ipſum disertis verbis legitur in Epiſtola ſcripta Romæ & miſſa Ægidio Aiſcelino Cardinali Morinenſi dicto, quod ante Cardinalatum fuiſſet Morinorum Epiſcopus, per quemdam olim ſuum familiarem domeſticum, quæ extat Tomo ſecundo Theſauri Novi Anecdotorum col. 1081, in qua ait: *Nonne meminiſtis, Dominorum profundiſſime, quanto cum periculo illius ſanctæ memoriæ vir Gregorius XI Italiam petierit, & Babiloniam illam Avenionem, contra omnium ſuorum & aliorum preces & monita dimiſerit? Meminiſtis omnium rerum, utpote præcipuus inter alios, qui coloribus inſipidis, ipſum conabantur à bono propoſito deviare. Audiſtis de receſſu ab illa felici, & noſtræ fidei fundamento alma urbe, poſt factam, ut ſperabat, cum liga pacem, tanquam canis ad vomitum rediens, diſpoſuiſſe licet clam. Audiſtis ne & nunc apertè videtis Dei miraculum utrobique, ut quaſi coactus locum propriæ ſedis petiiſſe, & non potuiſſe de receſſu exequi quod paraverat*. Sed Scriptor Anonymus illius Epiſtolæ ſibi contradicit, cùm enim dixerit Gregorium XI *contra omnium ſuorum & aliorum preces & monita* dimiſiſſe Avenionem, poſtea ait, eum *quaſi coactum locum propriæ ſedis petiiſſe.*

Du-

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

XXXVII. *Suſpendit Conſtitutionem Gregorii X, & alias pro electione futuri Pontificis.*

Durante infirmitate Gregorii Pontificis, & quibuſdam diebus ante ejus obitum vocaſſe Cardinales, & rogaſſe ut eligerent de collegio aliquem de notabilibus perſonis, quæ erant ibi, & non curarent de rigore illius Decretalis *Ubi majus*, nec aliarum Decretalium, quia ipſe ſuſpendebat illas pro prima electione; plures poſtea teſtes tempore ſchiſmatis depoſuerunt, quibus hac in re tutò fides adhiberi poteſt; quia Odoricus Raynaldus anno 1378 num. 2 bullam Gregorii, quæ rigorem Decretalis Gregorii X ſuſpendit, integram edidit. *Periculis & detrimentis graviſſimis*, inquit in ea, *quæ Eccleſiæ Sanctæ Dei ex longa vacatione propter guerras ingruentes & earum occaſione, & alias quamplures cauſas poſſent accidere, ſalubri remedio obviare cupientes, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium irrefragabiliter ſtatuimus & etiam ordinamus, quòd ſi hinc ad Kalendas Septembris proximè futuras contingat nos decedere*, Cardinales tunc in Curia præſentes, abſentibus non vocatis, nec expectatis poſſint quemcumque locum aliàs honeſtum voluerint, eligere ſive intra, ſive extra Urbem, etiam minoris partis præſentium contradictione non obſtante, pro electione futuri Summi Pontificis hac vice facienda, & tempus Cardinalibus præfixum ad expectandum Cardinales abſentes, abbreviare vel prolongare, vel in totum tollere, prout ipſis, vel majori parti ipſorum videbitur expedire. Statuit inſuper, ut ille, qui à prædictis Cardinalibus in Romana Curia præſentibus, vel majori parte ipſorum, minori parte etiam non conſentiente, vel contradicente, in Papam electus fuerit, Sanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ ſummus Pontifex ſit & habeatur, non obſtantibus Conſtitutionibus prædeceſſorum ſuorum Pontificum contrariis quibuſcumque, quas in quantum præmiſſis obviant, voluit pro iſta vice pro infectis haberi; injungens nihilominus diſtrictiùs & ſub pœnis juris Cardinalibus, ut in præmiſſis purè, ſimpliciter, abſque omni fraude, ac celeriter quantum poterunt ſecundùm Deum & eorum conſcientias procedere non poſtponant. *Data* eſt bulla *Romæ apud S. Petrum XIV Kal. Aprilis, Pontificatus anno VIII*, ſeu die xix menſis Martii, novem ſcilicet diebus antequam tranſiret ex hac vita.

XXXVIII. *Dolet aures præbuiſſe revelationibus à nonnullis aſſertis.*

Joannes Gerſon Academiæ Pariſienſis Cancellarius in tractatu de Examinatione doctrinarum part. 2 conſiderat. 3 in fine, & ex eo Joannes Nauclerus Generat. 46 refert, Gregorium in extremis poſitum, habentem in manibus Sacrum Chriſti Corpus, proteſtatum eſſe coram omnibus, *ut caverent ab hominibus, ſive viris ſive mulieribus ſub ſpecie religionis loquentibus viſiones ſui capitis, quia per tales ipſe ſeductus, dimiſſo ſuorum rationabili conſilio, ſe traxerat, & Eccleſiam ad diſcrimen ſchiſmatis imminentis, niſi miſericors provideret ſponſus Jeſus*. Quibus verbis generalibus notatos fuiſſe à Gregorio XI Papa Petrum Aragonium, Brigittam Suecam, ac Catharinam Senenſem exiſtimatum eſſe ſcribit Spondanus anno 1378 num. 2 ubi addit, ex reductione Pontificatus in ſuam veram ſedem, ſchiſma quod ſecutum eſt, dici non poſſe proceſſiſſe, ſed magis ex Gallorum ingluvie, ſibi ſolis contra jus faſque eum retinere cupientibus; & ex Romanorum juſto quidem, ſed intemperantiùs procurato deſiderio; ac denique ex intempeſtiva Urbani VI aſperitate ac ferocitate. Natalis verò Alexander in Vita Gregorii XI hanc Gerſonis narrationem falſam eſſe ex eo probatum exiſtimat, quòd Auctor primæ Vitæ Gregorii coævus eam alto ſilentio premat, & quòd Gregorius Catharinam Senenſem eximia ſanctitate prædiram exiſtimaret, cùm tunc Florentiæ pro componendo Florentinorum diſſidio, ejus Legatione fungeretur. 2, Quòd ejuſdem Sanctæ ſpiritum probaſſet, eamque prophetiæ dono à Deo auctam agnoviſſet, cùm *illi votum ſuum de petenda Urbe in occulto factum, & ſibi ſoli ac Deo notum, ſe ſe divinitus cognoviſſe monſtravit*, ut Pius II in bulla Canonizationis ipſius teſtatur. 3, Quòd nullus tunc ſchiſmatis metus ſubeſſet, cùm Gregorius XI obiit, nec ex reductione Sedis Pontificiæ Romam, ſchiſma contigerit, ſed aliis de cauſis; & Avenione manente æquè contigere potuiſſet. 4, Non viſionibus duntaxat credentem ſanctarum fœminarum, ſed graviſſimis rationibus adductum, Romam profectum eſſe prudentiſſimum Pontificem, ut præſentia ſua pacem Italiæ redderet, ac Eccleſiæ Romanæ perduelles cives ad obedientiam reduceret. Nec ſpe ſua fuiſſe fruſtratum, jam ſi quidem Bononienſes ad obſequium redieranr, & Florentinos quantocyùs redituros ſpes erat. Ita Natalis Alexander. Quæ utrum ſufficiant ad deſtruendam Gerſonis narrationem viderint alii. Certè dici poteſt cum Spondano laudato ſanctas has fœminas ſuaſiſſe, quòd etiam abſque ullis cœleſtibus viſionibus cordati quique ſuaſiſſent. Sed ſi quæ promiſerant, non potuerunt ſtatim effectum ſuum conſequi, quis in ſecreta diſpoſitionis & providentiæ divinæ penetraverit?

Tandem Gregorium Pontificem calculus, ſeu gravela adeo gravavit, ut die vigeſima ſeptima Martii anni 1378 circa horam noctis ſecundam in palatio Apoſtolico, receptis Eccleſiaſticis ſacramentis cum magna cordis contritione, in pace quieverit. Ejus corpus primò delatum eſt ad Eccleſiam Beati Petri, ibique pro eo ſolemnibus exe- XXXIX. *Piè moritur.*

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

exequiis celebratis, in craſtinum translatum eſt ad Eccleſiam Beatæ Mariæ novæ, ſitam prope Capitolium, in qua priùs Cardinalis exiſtens fuerat intitulatus, ubi novena fuit integrè completa. Sedit itaque annos ſeptem, menſes duos, & dies tres ſupra viginti à die conſecrationis ſuæ computandos: *Nondum autem annum 47 ætatis ſuæ attigerat, quando ejus ſpiritus, ut piè creditur, ad ſuperos evolavit*, inquit primæ ejus Vitæ Auctor. Eum non ſolùm Roma, ſed & univerſus Orbis ut parentem luxit; tuncque maximè cùm ſentit calamitatem, in quam eo ſublato ob diſcordiam Cardinalium incidit. Vir ſanè fuit ſine dubio magnus, & eò deſideratus magis, quòd huic ſimilem diu non vidit Eccleſia. De ejus doctrina & virtutibus vide dicta initio ejus Pontificatus. Sed hîc non omittendum, eum quidem multùm dilexiſſe ſuos, præſertim patrem, fratres, & nepotes, & alios de domo & genere ſuis prodeuntes, ſed tamen illos de novo non exaltaſſe, cùm priùs per patruum ſuum Clementem ſextum ſublimati fuiſſent; verùm ipſos in ſtatu hujuſmodi conſervaſſe, ſecumque tenuiſſe, ac eorum conſilio multa feciſſe præſertim in promotionibus nonnullorum, quibus ſufficientiores in moribus & ſcientia forſitan reperiri potuiſſent, ut inquit primæ ejus Vitæ Auctor, qui addit, eum fuiſſe alias multùm virtuoſum, pauperum & afflictorum piũ ſuſtentatorem, conſolatorem & largifluum benefactorem.

SÆC. XIV. GREGORIUS XI.

URBANUS VI *Pontif. CCII.*

Anno Domini MCCCLXXVIII.

I. Translatio Sedis in Gallias malè dicitur tempus exilii.

GRegorium XI Curiam Romanam, quæ per ſeptuaginta & duos circiter annos ad ripas Rhodani in Gallia fuerat, Romam tranſtuliſſe vidimus. Hoc tempus Itali vocarunt tempus exilii, ſed perperàm; ut pluribus oſtendit Baluzius in Præfatione ad Vitas Paparum Avenionenſium, quibus addi poteſt, omnes ferè Pontifices Romanos à Gregorio XI ad Nicolaum III cum curia ſua vel Peruſii, vel Viterbii, vel Urbe veteri ita reſediſſe, ut quidam ex illis nunquam Romæ fuerint, nec tamen hoc tempus, quis unquam dixit tempus exilii; quia, ut ait Petrus Cluniacenſis lib. 3 Epiſt. 34 ad Innocentium Papam in Galliis degentem, *Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit, & Petrus in carcere, Clemens in exilio, Marcellus in catabulo non minus quàm Laterani Eccleſiæ præfuerunt: & oves Chriſti eis ut veris paſtoribus obedierunt*; ex quibus colligit Baronius Romam ibi eſſe ubi Papa eſt. Franciſcus Petrarcha, licèt Pontifices Romanos Avenione ſedentes ſæpiùs literis hortatus ſit, ut Romam redirent, id etiam diſertius fatetur apud Raynaldum anno 1376 num. 10. *Non equidem ſic inſanus ſum*, inquit, *ut Romano Pontifici legem ponam, cùm ipſe ſit Legifer omnium Chriſtianorum, aut legem ſibi ſtatuam ſive Sedem, qui ſedium Dominus eſt cunctarum: Si enim, ut apud Cordubenſem legimus, Vejos habitante Camillo, illic Roma fuit; quantò magis ubi Romanus Pontifex habitat, ibi quoque conceſſerim Romam eſſe?* Cùm itaque Roma ſit, ubi Papa eſt, ſequitur Pontifices Romanos Avenione, vel Viterbii, vel alibi voluntariè ſedentes non fuiſſe in exilio. Certè Sedem Petri & Eccleſiam Romanam reperiri ubi eſt Papa, ex eo convincitur, quod cum ipſe ſit caput univerſalis Eccleſiæ, & conſequenter ad eum pertinet cura & ſollicitudo omnium Eccleſiarum, poteſtatem & juriſdictionem habet nullis terrarum terminis circumſcriptam; ideoque eam ubique exercere poteſt.

II. Controverſia de Papatu inter Urbanum VI & Clementem VII nunquam ab Eccleſia deciſa.

Mortuo Romæ die 27 Martii anni 1378 Gregorio XI, tetrum ac miſerabile ſchiſma ortum eſt, & ita implicatum, ut Cardinalis Baronius, teſte Philippo Brietio in Annalibus, Jacobo Sirmondo ante mortem ſignificarit, nihil ſe æquè reformidaſſe, quam pervenire ad tempus illius, de quo quid ſtatuendum, non eſſet liberè pronunciaturus. Cum enim nec Concilia ad illud extinguendum congregata, nec ſubſequentes Pontifices aliquid certum de jure contendentium pronunciaverint, ſed rem in dubio reliquerint, intempeſtivè quis auderet eam quæſtionem decidere, quam Sanctus Antoninus non multò poſt ſchiſmatis extinctionem vivens, decidi non potuiſſe, diſertè aſſerit part. 3 tit. 22 cap. 2 his verbis: *Multæ diſputationes factæ ſunt circa iſtam materiam, multi libelli pro utriuſque partis defenſione. Peritiſſimos viros in ſacra pagina & jure canonico habuit toto illo tempore, quo duravit id ſchiſma, utraque pars ſeu obedientia, ac etiam religioſiſſimos viros, & quod majus eſt etiam miraculis fulgentes; nec unquam ſic potuit quæſtio illa decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia. Nam etiamſi neceſſarium ſit credere, ſicut unam eſſe Catholicam Eccleſiam, non plures, ita & unicum ejus paſtorem Vicarium Chriſti; tamen ſi contingat plures per ſchiſma creari, ſeu nominari Pontifices ſummos uno & eodem tempore, non videtur ſaluti neceſſarium* cre-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

credere, iſtam eſſe vel illum, ſed alterum eorum, qui ſcilicet fuerit canonicè aſſumptus. Quis autem fuerit Canonicè electus non tenetur quis ſcire, ſicut nec jus canonicum, ſed in hoc populi ſequi poſſunt majores ſuos, ſeu Prælatos. Wernerus Rollewink Auctor Faſciculi Temporum non multò poſt Sanctum Antoninum vivens expreſſiùs loquitur: *Schiſma XII*, inquit, *omnium ſchiſmatum, quæ ante fuerunt, peſſimum & ſubtiliſſimum. Adeò enim perplexum fuit, ut etiam doctiſſimi & conſcientioſi viri non valerent diſcutere cui eſſet magis adhærendum. Et fuit continuatum per annos quadraginta cum grandi ſcandalo totius cleri, & grandi jacturâ animarum propter hæreſes & alia devia, quæ tunc pullularunt, eò quòd non eſſet diſciplina in Eccleſia contra hujuſmodi. Et ideo ab iſto Urbano VI uſque ad Martinum V neſcio quis fuit Papa.* Quare Wernerus non tantùm Urbanum VI, Bonifacium IX, Innocentium VII, & Gregorium XII, Gregorii XI ſucceſſores Romæ, Clementem VII & Benedictum XIII Avenione, ſedentes, ſed & ipſum Alexandrum V in Concilio Piſano, Gregorio XII & Benedicto XIII deturbatis, electum, inter Papas dubios recenſet; de Alexandro enim V ait: *Iſte Alexander fuit electus in Concilio Piſano; dicebatur Petrus de Candia; & ſic additum eſt ſchiſma ſchiſmati, quia tres gerebant ſe pro ſummis Pontificibus.* Joannes ipſe XXIII Alexandri V ſucceſſor in Concilio Conſtantienſi præſentibus & non contradicentibus XXIX Cardinalibus, Patriarchis IV, Archiepiſcopis XLVII, & Epiſcopis CLX omnium obedientiarum, ſæcularium quoque Principum, Ducum, Comitum, Abbatum, Doctorum, atque nobilium ingenti numero; ſanctam Birgittam, quæ jam à Bonifacio IX fuerat canonizata, iterum canonizando, manifeſtè oſtendit dubium ſaltem fuiſſe ejuſdem Bonifacii Pontificatum, quod idem poſtea cenſuit Martinus V de Pontificatu ejuſdem Joannis XXIII, cùm anno 1419, Pontificatus ſui ſecundo, eandem canonizationem confirmavit, quod nunquam antea factum fuiſſe legimus.

III. *Eccleſia Romana ibi eſt, ubi eſt verus Papa.*

Daniel Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ad Catalogum Pontificum, poſtquam dixit, hujus controverſiæ deciſionem nec tentare quidem Eccleſiam voluiſſe congregatam in Conciliis Piſano & Conſtantienſi, poſtea tamen Clementem VII & Benedictum XIII inter Antipapas collocat, quia, inquit, *Eccleſia Romana, cui boni fideles libentius adhærent, Urbani partem conſtanter amplexa, Clementem, ejuſque ſucceſſorem Benedictum pro Antipapis ſemper habuit.* Sed virum doctiſſimum in hoc decipi exiſtimo; ſupponit enim Romanos, qui adhærebant Urbano VI, conſtituiſſe Eccleſiam Romanam; cùm tamen Eccleſia Romana, ſeu Sedes Apoſtolica propriè ſit, ubi eſt verus Pontifex Romanus cum Curia ſua; unde Genſelinus de Caſſanbis Papæ Capellanus, & ipſius ſacri palatii cauſatum Auditor, qui vixit ſub Joanne XXII, cujus extravagantes gloſſavit, in gloſſa ad Extravag. *Execrabilis* de præb. & dignit. quærens an Cardinales à Clemente V & Joanne XXII creati, dicendi ſint de jure Cardinales Romanæ Eccleſiæ, cùm propriè Romana Eccleſia ſit in Urbe Roma, & in Urbe ipſa locum Sedis Apoſtolicæ Dominus dicatur elegiſſe, illi verò extra eam facti ſint Cardinales, nimirùm in Gallia, concludit, eos verè eſſe Cardinales Romanæ Eccleſiæ; *quia ubi eſt ſummus Pontifex, qualis eſt Papa, ibi eſt Romana Eccleſia, ibi eſt Sedes Apoſtolica.* Et hoc, meo quidem judicio, eſt ſine controverſia. Cùm ergo tempore ſchiſmatis iſtius, dubium eſſet, ipſo fatente Papebrochio, quis duorum contendentium eſſet verus Papa, dubium pariter erat, an Eccleſia Romana, ſeu Sedes Apoſtolica eſſet Romæ, vel Avenione; in eoque dubio Romani adhærentes Urbano VI, contendebant Eccleſiam Romanam eſſe Romæ, ideoque Urbanum VI verum eſſe Pontificem; Galli verò & alii Clementi VII adhærentes, contendebant Eccleſiam Romanam eſſe Avenione, ſicut fuerat temporibus Clementis V, Joannis XXII, & ſucceſſorum uſque ad Gregorium XI; ideoque Clementem VII ibidem exiſtentem, eſſe verum Romanum Pontificem; cujus controverſiæ deciſionem cùm Eccleſia congregata in Synodo primum Piſana, deinde Conſtantienſi, nunquam tentare voluerit, multò minùs debent fideles alterutram partem tanquam ſchiſmaticam damnare, alios aſſerendo legitimos Pontifices, alios verò Antipapas. Durante itaque ſchiſmate nullo modo dici poteſt Eccleſiam Romanam Clementem VII, ejuſque ſucceſſorem Benedictum pro Antipapis habuiſſe, niſi fortè id dicatur de Benedicto XIII, poſtquam à Concilio Piſano ſede deturbatus eſt; verùm in hoc caſu idem dicendum de Gregorio XII, quem idem Concilium ſede dejecit.

IV. *Cur Robertus Gebennenſis dicatur à nobis Pontifex cum addito*

Certè qui volunt Urbanum VI, Bonifacium IX, eorumque ſucceſſores Innocentium VII & Gregorium XII fuiſſe legitimos Pontifices Romanos, Clementem verò VII & Benedictum XIII Antipapas, inter ſe diſcrepant de Alexandro V, & de Joanne XXIII; nam Raynaldus vult hos duos ultimos non fuiſſe indubitatos Pontifices, eorumque Pontificatum fuiſſe ambiguum, ex quo etiam Gregorii XII Pontificatus redditur dubius, cùm depoſitus fuerit à Concilio Piſano, à quo certè depoſitus non fuiſſet Papa indubitatus, & ut talis agnitus. Papebrochius verò vult Alexan-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

xandrum V fuiſſe legitimum Pontificem, & conſequenter Joannem XXIII uſque ad annum MCCCCXV, quo abdicavit in Concilio Conſtantienſi; ex quo manifeſtè ſequitur, ab anno MCCCCIX, quo electus eſt Alexander V in Concilio Piſano, duos fuiſſe legitimos Pontifices uſque ad annum MCCCCXV, quo Joannes abdicavit, Gregorium nempe XII, quem uſque ad abdicationem à ſe factam ponit Papebrochius, & Alexandrum V, aut Joannem XXIII. Nec juvat dicere Joannem Baptiſtam Coſmi Caſtaneum anno 1590 vocaſſe ſe Urbanum VII, Coſmatum Melioratum anno 1484 ſe vocaſſe Innocentium VII, & Hugonem de Boncompagnis ſe dixiſſe Gregorium XIII, ex quo ſequi videtur eos agnoviſſe Urbanum VI, Innocentium VIII, & Gregorium XII ut legitimos Pontifices; ſi enim hæc ratio valeret, ſequeretur Benedictum X fuiſſe legitimum Pontificem, quia anno MCCCIII Nicolaus Bocaſſinus electus Pontifex Benedicti XI nomen ſumpſit; licèt in confeſſo ſit apud omnes Benedictum X fuiſſe Antipapam. Prætereà ex hoc ſequeretur contra Raynaldum Alexandri V Pontificatum non fuiſſe ambiguum, cùm anno MCCCCXCII Rodericus Borgia electus Pontifex vocatus ſit Alexander VI; quod factum exiſtimo ab iſtis Pontificibus, ne Acta unius Pontificis cum Actis alterius confuſa, in hiſtoria & alibi confuſionem pariter parerent. Quia tamen Julius de Medicis anno MDXXIII Pontifex electus, hoc non obſtante, vocatus eſt Clemens VII, per quod videtur excluſiſſe Robertum Gebennenſem dictum in ſua obedientia Clementem VII è numero verorum Pontificum, & conſequenter Urbanum VI, ejuſque ſucceſſores Italiam incolentes pro veris ac legitimis Pontificibus habuiſſe; ideo & nos hanc ſucceſſionem ſequentes, dictum Robertum Gebennenſem, & Petrum de Luna non ſimpliciter Pontifices appellabimus, ſed cum hoc addito, dictus in ſua obedientia Clemens VII, vel Benedictus XIII, licèt ab Urbano VI ad Martinum V omnium Pontificum jus ambiguum extitiſſe credi poſſit, vel ſaltem uſque ad Alexandrum V; cùm enim Concilium Piſanum tam Gregorium XII, quàm Benedictum XIII depoſuerit, licèt iis quædam nationes poſtea adhæſerint, electo jam Alexandro V, videntur tamen pro tunc fuiſſe Antipapæ, alioquin Martinus V poſt Concilium Conſtantienſe à Joanne XXIII Alexandri V ſucceſſore congregatum, non fuiſſet Papa indubitatus uſque ad mortem Benedicti XIII, quia hic à quibuſdam etiam poſt Concilium Conſtantienſe ut verus Papa agnitus eſt. Cæterùm cùm ſchiſma iſtud juxta partium ſtudia ita diverſimodè ſcriptum fuerit, ut veritas detegi nequeat, illud hic ex Spondano Auctore ſincero, & nulli parti adhærente paucis expediam: hic autem narrationem ſuam deſumſit ex Auctore Vitæ Gregorii XI, qui ſe tunc Romæ præſentem extitiſſe, & quæ extra Conclave fiebant, propriis oculis vidiſſe; quæ verò intra illud geſta ſunt, à pluribus Cardinalibus, qui intererant, auribus percepiſſe teſtatur. Quia tamen hic Auctor, qui extat apud Boſquetum & Baluzium, Gallus erat, & Cardinales eſſent ferè omnes Galli, ideoque Roberto Gebennenſi in ſchiſmate adhærentes; adhærentium Bartholomæo Prigniano & aliorum narrationes ex eodem Spondano toto ſchiſmatis tempore hic referre viſum eſt, contendentium jus in medio relinquentes.

V. Conatus Romanorum pro electione Pontificis Italici.

Scribit itaque Auctor ille Anonymus, Gregorio XI adhuc vivente, ſed tamen in gravi infirmitate conſtituto, Bandereſios, ſive Præfectos regionarios Urbis, habito inter ſe & cum aliis civibus atque exteris Italis iteratis vicibus conſilio, de modo retinendi Sedem Apoſtolicam in Italia, ſi ipſum mori contingeret; in id conveniſſe, ut omni niſu & arte curarent ſucceſſorem eligi natione Romanum, aut ſaltem Italicum; impellentibus etiam ad hoc eos quibuſdam ex præcipuis Curiæ Prælatis, per eos ad hujuſmodi conventus & conſilia vocatis, ſeſeque eligi magnis ſolicitationibus quærentibus, inter quos numerat Bartholomæum Barenſem. Poſt quæ Gregorio XI die 27 Martii anni 1378 mortuo, iidem Bandereſii Cardinales, ſive ſeorsùm ſingulos, ſive omnes ſimul congregatos ſubinde convenientes, ad electionem Romani vel Italici primùm hortari cœperunt, deinde terrorem à populo injicere, ni ita fieret, in eos inſurrecturo, petentes de ſua ipſorum mente priuſquam ingrederentur Conclave certiores fieri. Ad quæ Cardinales reſponderunt, hæc extra Conclave tractari non debere, ibi verò abſque ulla perſonarum aut nationum exceptione deliberaturos ſe quod Eccleſiæ ac Reipublicæ Chriſtianæ utiliùs exiſtimarent; ſi autem vis aliqua inferretur, aut graviores minæ intentarentur, fore electionem irritam, eumque, qui eligeretur, non Papam, ſed intruſum. At ipſi rem preſſiùs urgentes, eadem continuè ingeminarunt; & ne Cardinales Româ excedere poſſent, aliumque locum adire pro electione futura liberiùs facienda, diſpoſitis cuſtodiis ad omnes portas, portus, pontes & aditus Urbis, Nobiles etiam Romanos, ne Cardinalibus opitularentur, Urbe expulerunt, & montanos efferos atque effrenatos homines eorum loco introduxerunt; qui diu noctuque Urbem armati concurſantes, comminationibus Cardinales, opprobriis eorum domeſticos & familiares inceſſere non deſinebant. Cuſtodes etiam Con-

Conclavis infimi generis & ſuſpectæ fidei ſtatuerunt, rejectis iis Nobilibus, quibus id ex officio competebat.

VI. *Minæ intentantur Cardinalibus.*

Imò cùm conclave ingreſſuri eſſent Cardinales, plebs unà cum prædictis montanis & agreſtibus concurrens, tumultuoſa & horribili voce Romanum, aut ſaltem Italicum Papam ſe velle conclamans, etiam cum illis ingreſſa eſt Conclave, & magnam partem Palatii occupavit, ceterâ illud undique circumdante. Demum & Bandereſii cum multa civium turba irrumpentes, Cardinalibuſque in unum congregatis cum majori audacia, omninò ſignificarunt, niſi populi Romani petitioni in electione alicujus Romani, vel ſaltem Italici ſatisfieret, eum irremediabiliter impetum in eos facturum, ac propterea ſecuritati ſuæ proſpicerent. Cardinales verò promittentes ut olim, ſe quæ è re Eccleſiæ forent facturos, hæc reſponderunt: *Iſta verba manifeſtè ſonant minas, & clarè indicant quòd impreſſio & violentia per vos & illos, pro quorum parte ea dicitis, contra nos procurantur, & machinantur. Et ideo expreſsè nos dicimus vobis, quòd ſi per vos aut ipſos aliqua contra nos attententur, prout ſonant verba veſtra, & continget nos talium occaſione aut timore aliquem eligere, credetis habere Papam, & non habebitis, quia non erit.* Abeuntibus Bandereſiis, & Conclavis foribus vix tandem clauſis, hora ſcilicet tarda & inordinata, cùm jam ferè omnes Cardinales lectos intraviſſent; nihilominus qui reliquam palatii partem occupaverant, circum & ſubtus locum Conclavis tota nocte vociferantes vocibus altis & terribilibus, *Romanum vel ad minus Italicum volumus, habeamus*, vel, *habebimus*, aliqui verò, *moriantur, moriantur*; contiſque & lanceis contignationes ac parietes concutientes, ignemque ac necem ingentibus clamoribus minitantes, inſomnem noctem Cardinalibus induxerunt, *turbatiſſimi*, enim *ferè totam noctem illam duxerunt inſomnem*, noctem ſcilicet inter diem ſeptimum & octavum Aprilis; die enim tantùm ſeptima Conclave ingreſſi ſunt, ut poſteà ſcripſerunt ad Cardinales Avenionenſes.

VII. *Rem atrociter urget populus.*

Mane facto cùm Miſſas audirent, populo palatii horridioribus clamoribus ſonante, ceteriſque ad ſonum majorum campanarum contigui templi Sancti Petri & Capitolii, concitatiùs, ut ſolet cùm ad arma conclamatur, pulſatarum, ingenti furore concurrentibus, Romani tumultuosè & horribiliter clamaverunt, ſe omnino habere velle Papam Romanum, vel ad minùs Italicum; venienteſque ad portam Conclavis, ictibus & percuſſionibus validiſſimis ipſam excutere cœperunt, petentes ut ipſius feneſtra per Cardinales à parte interiori confeſtim aperiretur. Quo facto petierunt ut ipſorum aliqui ad eos ibi venirent locutum; ad quos de aliorum mandato acceſſerunt tres Priores cujuslibet Ordinis, quibus Romani dixerunt, quòd ſtatim & ſine ulteriori mora eligerent in Papam aliquem Romanum, vel ad minùs Italicum, haberentque pro firmo quòd niſi ita facerent, confeſtim & abſque quocumque remedio omnes in fruſta inciderentur. Quod cùm hi cæteris Cardinalibus renunciaſſent, remiſſoque populo pollicerentur, habiturum eum poſtridie Papam Romanum, vel Italicum, interimque hortarentur ſe ſe quoſque ad ſua recipere, negarunt illi abituros ſe quin, quæ poſtularent, re ipſa obtinuiſſent, ac proinde ferocioribus clamoribus locum impleverunt, portam Conclavis vehementiùs quatientes.

VIII. *Cardinales in ea trepidatione Bartholomæum Barenſem Archiep. Papam renunciant.*

Tunc demum Cardinales mortem jam ſibi imminere cernentes, ut inſtantem vitarent, omninò decreverunt populo ſatisfacere; Ultramontanis tamen, qui duas partes Collegii complebant, palam in communi conteſtantibus ad hanc præcisè ſibi impoſitam conditionem ſe timore mortis concedere, nunquam alias facturos, ſi libero & ſecuro loco res ageretur; quod etiam *aliqui eorum prius ſecretè in præſentiam Notarii & teſtium fuerant proteſtati*. Cùm ergo nec aliquod tempus conſequi poſſent, ut maturiùs deliberare poſſent de meritis aut vitæ ratione alicujus eligendi, oculos ſubitò & ex abrupto conjecerunt in Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem, patriâ Neapolitanum; credentes, quòd ſi eam dignitatem ipſorum Cardinalium indemnitatis intuitu acceptaret, brevi tamen, quam coactam ac proinde nullam eſſe non ignoraret, cùm ea, quæ fiebant, præ oculis haberet, interfuiſſetque conſiliis Romanorum de his habitis, ac præ ceteris Curiæ Prælatis Juris & Canonum peritiâ excelleret, & æſtimaretur bonæ conſcientiæ ac timens Deum, dimiſſurus eſſet. Sicque eum electum, urgentibus denuò Romanis ipſum inthronizaverunt, qui proprio nomine derelicto, *Urbanus Sextus* voluit nominari. Ita rem geſtam deſcribit, licèt prolixiori narratione Auctor primæ Vitæ Gregorii, quibus non diſſimilia habet Auctor ſecundæ apud Baluzium.

IX. *Eorum aſſertiones de re geſta.*

Hæc uberiùs deſcribuntur in Atteſtationibus duodecim Cardinalium, quæ extant in codice MS. Sancti Victoris Pariſienſis; hi enim poſtquam Anagniam locum ſecurum conceſſerunt, præmiſſo jurejurando coram Petro de Croſo, ex Monacho Benedictino Arelatenſi Archiepiſcopo, S. R. E. Camerario, ac Judice ordinario atteſtationes fecerunt die ſecunda menſis Auguſti ejuſdem anni 1378, quibus prædicta omnia de conſiliis poſt obitum Gregorii à Magiſtratibus Urbis initis pro cogendis Cardinalibus ad ele-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

electionem alicujus Romani, vel ſaltem Itali, quorum uni interfuerit etiam Bartholomæus Barenſis commendans ſe Banderefiis; de cuſtodia Urbis, ne Cardinales Urbem egrederentur ad liberam electionem alibi celebrandam; de conteſtationibus Magiſtratuum apud Cardinales, de periculo ipſis imminente à populo niſi ſatisfieret; & de Cardinalium reſponſione; non fore verum Papam, qui inter iſtiuſmodi terrores & minas nominaretur; de nobilium expulſione, ruſticorum introductione, plebis coacervatione, palatii occupatione & circumſeſſione, Bandereſiorum inſolenti irruptione, populi tumultuoſa intra palatium conclamatione, & parietum ac contignationum concuſſu, campanarum pulſatione, populi concurſu cum armis & minis mortis; ceteraque ſuperiùs narrata confirmantur & uberiùs ac diſtinctiùs explicantur. Addunt inſuper Cardinales, cùm in Conclavi eſſent numerò ſexdecim, quorum duodecim erant Ultramontani, & quatuor tantùm Itali, omnes Ultramontanos excedentes duas partes, antequam ingrederentur Conclave, & poſt uſque ad populi impreſſionem, continuè in ea deliberatione pro bono Eccleſiæ hæſiſſe, ut aliquis de Collegio, non externus, & Ultramontanus, non Italus eligeretur; pariterque Italos in eo propoſito fuiſſe, ut unus de Collegio, Italus tamen, ſi commodè fieri poſſet, eligeretur. Cùm autem periculo mortis compellerentur Italum nominare, conteſtaſſe Ultramontanos id ſe ad vitandum periculum facturos, quod aliàs facturi non eſſent; quoſdam etiam ex Italis aſſeruiſſe, ſi fortè ipſi eligerentur, haud ſe admiſſuros electionem, quæ per notoriam impreſſionem & mortis intentationem fieret. Nominato autem ex abrupto Bartholomæo Barenſi, utpote ſibi notiſſimo, nonnullos ex Cardinalibus dixiſſe eligere ſe ipſum, animo quidem ut eſſet verus Papa, ſed tamen ex terrore mortis: Romanum unum conteſtatum eſſe, nemini ſe daturum ſuffragium, niſi priùs ceſſaret impreſſio, & ipſe libertati ſuæ redderetur: Tres Ultramontanos proteſtatos nullam fore electionem: Aliquos etiam Bartholomæum ea conditione elegiſſe, ut tamen cumprimùm ad locum tutum accedere poſſent, eum liberè iterum eligerent. Poſt hæc Cardinales ante publicationem electionis nonnullos Prælatos in palatium advocaſſe, atque inter eos Bartholomæum. Cùmque interea ceſſaſſet aliquantulum populi tumultus, & plures ex Cardinalibus in Sacello palatii, tribus Ordinum Prioribus abſentibus & inſciis, cœpiſſent ad novam electionem Bartholomæi procedere, antequam rem confeciſſent, populum renovatis majori impetu clamoribus in Conclave quatuor partibus perfractum cum armis perrupiſſe: & Cardinalibus in intimum ſacrarium aufugientibus, illud etiam ſecuribus confregiſſe, & Cardinales metu conſternatos circumdediſſe, ac ſolitis clamoribus contudiſſe. Donec unus ex eis, ut tam ſuæ, quàm ſodalium vitæ conſuleret dixit populo electum eſſe Cardinalem S. Petri (qui Romanus erat, nomine Franciſcus Thebaldeſcus, Archipresbyter S. Petri), ſed nolle electioni conſentire; inducerent ergo illum, & à tumultu quieſcerent. Dum autem ii ſic illuſi eundem Cardinalem invitum & reluctantem in Sede collocarent uti Papam veneraturi, ceteros Cardinales è palatio ſenſim ſe ſubduxiſse, alios latenter in domos ſuas, alios in arcem S. Ang. alios extra Urbẽ diſſimulato habitu.

X. *Bartholomæum coronant.* Electione verò Bartholomæi intellecta & à Romanis approbata; cùm is interim in habitatione Papali ſubſtitiſſet, poſtridie Cardinales, qui in arce Sancti Angeli & domibus ſuis erant, ad ſe per magiſtratus populi acceſſiit; & renuentes, quinimò hortantes ut ipſe in liberiorem locum extra Urbem concederet, ubi de ejus electione ritè agi poſſet, ipſe omninò detrectavit: objectoque majoris ſcandali periculo, adeo frequenter & importunè per Bandereſios & alios Magiſtratus urbanos Cardinales urſit, ut quamvis qui in arce erant, ceteris qui è domibus ſuis ad Bartholomæum jam acceſſerant, ſchedulam miſiſſent propriis manibus ſubſcriptam, qua facultatem eis impertiebant, eum etiam ſuo nomine in throno Pontificali collocandi, voluerit nihilominus omninò Bartholomæus ut & ipſimet ſe ſe ſiſterent. Quare ii Cardinales, qui erant in arce S. Angeli veriti pejora, quæ Bartholomæus minabatur, id tandem præſtiterunt, & unà cum reliquis eum more conſueto in thronum ſublimarũnt. Quo à ceteris, qui extra Urbem erant, audito, & ipſi timentes ſuis domeſticis & bonis in Urbe relictis, redierunt, & ſimul cum aliis Bartholomæum coronarunt. Atque ab eo tempore omnes ei honorem & obſequium utì vero & legitimo Pontifici exhiberi ſolitum exterius in cunctis publicis & privatis actionibus exhibuerunt; ea tamen interius mente, ut nihil inde novi juris ei acquireretur, quàm quod eſſet ipſius electionis jure quæſitum. Cùm autem non auderent electionem ejus in Urbe impugnare, Cardinales Ultramontani quàm primùm potuerunt variis prætextibus Anagniam ſe receperunt ad deliberandum de iis, quæ porrò agenda forent. Hæc Cardinales in ſuis aſſertionibus coram Petro Camerario juridicè factis apud Spondanum laudatum, qui addit ſimilia his habuiſſe omnes quicumque contra partem Bartholomæi aut ſcripſerunt, aut diſputarunt; ſeque reperiſſe in alio codice Sancti Victoris Pariſienſis Tracta-

ctatum Simonis Cramandi Patriarchæ Jeroſolymitani poſtea conſcriptum, in quo habetur quemdam Pontium Veraldi (vocatur hic à Baluzio Pontius Beraldi, Corrector literarum Apoſtolicarum) qui fuerat ſocius & amicus Bartholomæi, ipſi Simoni cum juramento aſſeruiſſe, cùm eſſent ſimul in Baſilica Sancti Petri quando Cardinales ingrederentur Conclave, & fieret tumultus popularium armatorum, Bartholomæum dixiſſe ipſi Pontio: *Vides quales modi ſervantur; verè quicumque erit electus in iſto tumultu, non erit Papa; nec ego vellem ſic ei obedire, nec debent hoc facere quicumque boni catholici.*

XI. *Relatio S. Antonini.* De eadem quoque electione Bartholomæi, proſequitur Spondanus, agens Sanctus Antoninus tit. 22, cap. 2, ex antiquioribus Chronicis; & tumultus populares æquè agnoſcens, ait Cardinales ſibi ab ipſo initio pavere incipientes, antequam Conclave ingrederentur, commiſiſſe Cardinali cuidam Lemovicenſi, ceteris Ultramontanis ſagaciori, modum quærere Romanos placandi: hunc re cum Bartholomæo Barenſi, quem amicum habebat, & aſtutum agnoſcebat, communicata, ab eo conſilium accepiſſe, unum nomine tantùm, alium re & facto eligendum, quem poſtea ſublato periculo nominarent: Cardinales itaque Conclave ingreſſos, poſt aliquot dies cùm ipſummet Bartholomæum eligendum decernerent ad id tantùm ut Romanorum furorem vitarent, alium poſtea tutiori loco creaturi; aliquem ex Cardinalibus (nempe Urſinum) qui Pontificatum adipiſci ſperabat, curaſſe populo ſignificari Ultramontanum electum eſſe: Hocque audito populum furibundè Conclave fregiſſe, & cum minis ac terroribus in Cardinales irruiſſe: Ubi verò intellexit Bartholomæum Barenſem Italicum electum eſſe, conquieviſſe. Quæ quidem S. Antoninus accepiſſe noſcitur ex libro 4 Hiſtoriæ Petri Boninſegni civis Florentini tunc viventis; ex qua nec non ex Baldo inſigni Juriſconſulto Peruſino tit. 34, Si quis aliq. teſt. lib. 6, Cod., & ex Froſſardi Belgæ tunc pariter viventis, & æquè Bartholomæi Pontificatus aſſertoris lib. 2, cap. 12, Nedum vim illatam collegio, ſed ex ſagittis atque lapidibus confectum negotium intelligitur. „ Et ut uno verbo dicam, vix „ ullus fuit uſquam vel illius temporis vel „ poſterioris, cujuſcumque nationis vel „ linguæ Auctor, qui id inficias ierit; quam- „ quam non æquè omnes eamdem vim a- „ gnoverint, aut metum: verba ſunt Spon- „ dani.

XII. *Relationes fautorum Barthol. Barenſis Archiep.* Qui poſtea ſubditi: apud Gobelinum tamen Perſonam in Hiſtoria, quam inſcripſit *Coſmodromium*, quamque ipſemet ait ſe inchoaſſe temporibus Bonifacii IX, qui ſedere cœpit anno 1379, æt. 6, cap. 74, & apud Krantzium in Metropoli lib. 10, cap. 11. Alfonſus quidam ejus temporis Monachus in Tractatu, quem de hoc ſchiſmate edidit, contra plerorumque omnium teſtimonium, clamores populi non fuiſſe urgentium, ſed precantium aſſerit. Et in uno Codice S. Victoris reperitur *Factum*, ut fert titulus, *Magiſtri Jacobi de Sena*, ſeu potiùs de Seva, ut ait Baluzius, quod poſtea editum eſt Tomo 4, Hiſtoriæ Univerſit. Pariſien., miſſum eidē Univerſitati eodem anno 1378, die tertia Julii, in favorem cauſæ Bartholomæi, quo vim omnem tacens, poſt narratam honeſtam Magiſtratuum Romanorum poſtulationem de eligendo Romano, vel ſaltem Italico, ait, Cardinales ante ingreſſum conclavis diſcordes fuiſſe, tam Gallos inter ſe, nempe Lemovicenſes, qui plures erant numero, cum aliis, quàm etiam cum Italis; quod Gallorum dimidium agnoſcunt pariter ceteri omnes auctores. Cùm enim ſexdecim eſſent, & ex iis tantùm quatuor Itali, Gallos, non Lemovicenſes conveniſſe cum Italis, ut potiùs Italus eligeretur, quàm Lemovicenſis; tædebat enim eos longioris Lemovicenſium Pontificatûs, cùm Clemens VI, Innocentius VI, & Gregorius XI ex eadem omnes provincia fuiſſent: Lemovicenſes autem ſtatuiſſe, ſi non poſſent Lemovicenſem, Italum eligere extra Collegium; nempè præcisè Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem, familiarem olim Cardinalis Pampilonenſis, qui erat Lemovicenſis, & pro Gallo ab iis habitum, tum quòd multo tempore converſatus fuiſſet Avenione, tum etiam quòd eſſet ex regno Neapolitano, quod erat in manibus Gallorum. In Conclavi poſt tractatus particulares ſeorſum habitos, cùm numeratis votis Cardinalis de Agrifolio Lemovicenſis à Barenſi ſtans, cernens ultra duas partes in eum concurrere, procedere vellet ad ejuſdem nominationem; Cardinalem Urſinum Romanum, ut eam impediret, ſperans ipſe eligi, propoſuiſſe, expedire ad eludendum populum, qui clamabat velle ſe ſe habere Papam Romanum, ut vocaretur aliquis Frater Minor, & imponeretur ei cappa & mitra, & ipſi alibi alium eligerent: Sed reliquos Cardinales Lemovicenſes reſpondiſſe, nolle ſe facere populum idololatram, nec damnare animas ſuas; atque illicò in Barenſem concordaſſe ſufficientem numerum Cardinalium. Quòd verò timerent, ſi publicaretur electio antequam Barenſis in palatium veniſſet, aliquid ei ſiniſtri à Romanis obventurum in itinere, eò quòd non eſſet Romanus; advocaſſe eum in palatium, & cum illo ne qua de ejus electione ſuſpicio eſſet, nonnullos alios Prælatos, tanquam ad ardua quæ-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

quædam negotia. Qui cùm adveniſſent, haud tamen in Conclave introducti, iterum Cardinales libero conſenſu Barenſem nominaſſe in Papam. Cùm verò interim populus vidiſſet portam Conclavis apertam ad exportanda vaſa argentea Cardinalium in locum ſecurum ne diriperentur, portam unam operuiſſe ne Cardinales exirent antequam facta eſſet publicatio Papæ: tunc Cardinales Ultramontanos ſibi timentes, quòd non elegiſſent Romanum, induxiſſe Cardinalem S. Petri, qui Romanus erat, Papam fingere: & dum populus ei attenderet, ceteros omnes receſſiſſe à palatio, ſex caſtro S. Angeli ſe ſe includentibus, tribus extra Urbem abeuntibus; ceteris quinque in domibus ſuis ſe ſe continentibus, ſolo remanente in palatio Cardinale S. Petri: qui poſt ceterorum abſceſſum declaravit populo ſe non eſſe Papam, ſed Barenſem: idque gratum habentes Magiſtratus Urbis, obedientiam ei exhibuiſſe: Ipſum tamen recuſaſſe accipere, donec accedentes ad eum Cardinales, tam qui intra Urbem, quàm qui in caſtro erant, eundem denuo & unanimiter elegerunt: quorum precibus is tandem devictus, cum timore & tremore conſenſerit. Ita Senenſis ille, vim quidem eludens, ſed nihilominus ſatis eam indicans, inquit Spondanus. Verùm, ut notavit Baluzius col. 1082, Jacobus Auctor iſtius ſcripti non vocabatur *de Sena*, ſed *de Seva*, uti ſcriptum eſt in Codice Victorino, & in Diario Joannis Fabri Epiſcopi Carnotenſis, in cujus præterea folio 115, mentio eſt loci de Seva ſiti in ea parte Galliæ Narbonenſis, quæ nunc Provincia dicitur, à qua ortum fuiſſe hunc Jacobum teſtatur Franciſcus de Urbino Epiſcopus Faventinus apud eundem Baluzium col. 1083, ubi dicitur *valentiſſimus Doctor & Miles Advocatus antiquus, natione Provincialis*. Sancta Catharina Senenſis his quæ ſcribit Jacobus de Seva ſimilia habet pluribus Epiſtolis pro legitima Barenſis electione ad diverſos tunc ſcriptis; aliique omnes quicumque pro eodem Barenſi tractatus aut defenſiones edidêre.

XIII. *Theodorici à Niem aſſertio.* Theodoricus autem à Niem, qui ſe tunc præſto fuiſſe Bartholomæo, ſcribit [Auctor ceteroqui ab Eccleſia damnatus in Hiſtoria, quam de hoc ſchiſmate aſperiori in Eccleſiam Romanam ejuſque Pontifices animo conſcripſit] vim quidem agnoſcens, eum tamen totam inde proceſſiſſe ſignificat, quòd cùm audiſſet populus Barenſem electum eſſe Papam, crediderit fuiſſe Joannem quendam de Bare patriâ Lemovicenſem, Cubicularium Gregorii XI, hominem ſuperbum & laſcivum, ac propterea non tantùm Romanis, verùm etiam cunctis ferè Curialibus exoſum. Denique quiſque pro ſuo affectu, aut commodo de his diſputaſſe noſcitur. Sed fruſtrà: cùm non in eo cardo cauſæ de ſchiſmate ſubſecuto poſitus unquam fuiſſe videatur, utrum vis illata fuerit; ſed utrum talis extiterit, quæ viris conſtantibus juſtum metum incutere potuerit; & utrum, ſi ejuſmodi electio Barenſis fuit ab initio in aliquo vitiata, ex poſtfactis convaluerit. De quibus innumeri penè Tractatus ex utraque parte editi ſunt, quà negantes, quà aſſerentes, quorum nonnulli typis editi, plures manuſcripti conſervantur, quorum plures ſe vidiſſe ait idem Spondanus in Bibliot. S. Victoris Pariſienſis & Fuxenſi Toloſæ; in Vaticana verò extare XXXII volumina de hoc ſchiſmate, in quibus omnia congeſta reperiuntur, quæ pro utraque parte acta, vel ſcripta fuère. Inter editos autem maximè elucere Baldi Juriſconſultorum illius temporis facilè principis ſententiam tit. *Si quis aliquem*, & tractatu de ſchiſmate, qua etſi vim metumque in creatione Urbani apertiſſimè agnoſcit, multis tamen rationibus & argumentis, tam ex iis, quæ tunc geri contigit, quàm ex ſubſequentibus, omninò cenſet Urbanum verum fuiſſe Pontificem. Cùm igitur, ut initio diximus ex S. Antonino, quæſtio illa ſic decidi non potuerit, quia ſemper remaneret apud plurimos dubia: imò cùm Eccleſia ejus deciſionem nunquam tentare voluerit, ideo & nos, his præmiſſis, eam in medio relinquentes, ad electionem & geſta, utriuſque electi, nempe Bartholomæi Barenſis, qui dictus eſt Urbanus VI, & Roberti Gebennenſis, qui dictus eſt in ſua obedientia Clemens VII, accedimus.

XIV. *Fulgur incidit in Conclave.* Die vigeſima ſeptima Martii anni 1378 Gregorio XI mortuo, vivebant viginti tres Cardinales, quorum ſex Avenione remanſerant, quando Gregorius Italiam petiit, ut ſuo loco diximus, unus, nempe Joannes de Grangia Cardinalis *Ambianenſis*, nondum è Legatione Serazaniana pro concordia Florentinorum cum Gregorio redierat; teſtabant itaque Romæ ſexdecim, quatuor nempe Itali, unus Hiſpanus, undecim Galli, quorum ſexdecim hæc ſunt nomina. Petrus Joannes de Croſſo Epiſc. Præneſtinus *Lemovicenſis*; Bertrādus Latgerii, dictus *Glandatenſis*; Robertus tit. SS. XII Apoſt. dictus *Gebennenſis*, Guido de Maleſicco, dictus *Pictavienſis*; Simon de Broſſano, dictus *Mediolanenſis*; Geraldus Flandrini, dictus *Sancti Euſtachii*; Petrus de Bernia, dictus *Vivarienſis*; Petrus de Monteruco, dictus *Pampilonenſis*; Corſinus Florentinus Epiſcopus Portuenſis, dictus Cardinalis *Florentinus*; Guillelmus S. Stephani in Cœlio monte, dictus de *Agrifolio*; Bertrandus, dictus *Coſnacenſis*; Hugo de Montelongo, dictus *de Britannia*; Franciſcus Thebaldeſcus, Abbas Majoris Monaſterii, dictus *de*

Po-

Podio; Jacobus dictus *de Urſinis*; Guillelmus Novelleti, dictus *Sancti Angeli*; Petrus S. Mariæ in Via lata, dictus *de Luna*. Avenione remanſerunt Anglicus Grimoardi, Epiſcopus Albanus; Joannes de Blandiaco Epiſcopus Sabinus; Guillelmus de Chanaco, dictus *Mimatenſis*; Petrus de Verruco, Ægidius Aiſcelini Epiſcopus Tuſculanus, dictus Cardinalis *Nemanſenſis*; & Hugo de Sancto Martiali Card. Diaconus. Hi omnes numero XVI novemdialibus expletis, die ſexta Aprilis Conclave ingredi debebant, ut ſcripſere Cardinales Romæ exiſtentes Cardinalibus Avenione exiſtentibus in literis, quas Oldoinus & Auctor Vitæ Clementis VII apud Baluzium referunt; ſed cùm die illa fulmen cecidiſſet in Conclave, ingreſſus eorum dilatus fuit uſque in diem ſequentem, ut teſtatur Guillelmus Novelleti Diaconus Cardinalis Sancti Angeli in ſua depoſitione apud Baluzium col. 1398. *Poſtquam fuit decima dies ad intrandum Conclave, cùm eſſent ad exequias in dicta Eccleſia S. Mariæ, fuit aliqua aeris mutatio, & cecidit fulgur in Conclave in loco ubi erat alogia Domini de Luna. Et ex iſto, & quia non erant bene diſpoſiti, petierunt à Bandarenſibus & ab illis majoribus Urbis diem uſque in craſtinum ad intrandum Conclave, & ipſi cum magna difficultate conceſſerunt ſibi.* Hujus eventus meminit etiam Hugo Cardinalis de Britannia. *Item quia quidam fulgur percuſſit in illo Conclave, ubi erat camera Domini de Luna*, apud eundem Baluzium col. 1184, & tres alii ibidem. Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii XI meminit etiam hujus fulguris; ait enim intraſſe fulgur inflammatum cum tonitruo, & fregiſſe aliquantulum cooperturam Conclavis, & plura alia, & poſtea exiviſſe per feneſtram, videntibus omnibus ibi præſentibus; ſed non dicit cecidiſſe in cameram Petri de Luna, quod tamen etiam legitur in codice MS. Eccleſiæ Burdegalenſis à Spondano laudato, in quo etiam additur fulmen non ſolùm percuſſiſſe cubiculum Petri de Luna, ſed & illud Roberti Gebennenſis, nec non arma ſeu claves armorum Eccleſiæ in junctura earum, & arma, hoc eſt inſignia Papæ Gregorii tunc defuncti in præſagium futuri ſchiſmatis. Baluzius id inter fabulas recenſere ait Spondanum anno 1378 num. 11, qui ſcribit nomina Petri de Luna & Roberti Gebennenſis, *ſive verè ſive fictè* expreſſa in illo Codice Burdegalenſi; ſed cùm tot teſtes ab eodem Baluzio producti diſertè aſſerant fulmen cecidiſse in cameram Petri de Luna, non video cur id in dubium revocetur; cùm præſertim Continuator Gallicus Guillelmi Nangii tunc vivens, ab ipſis Spondano & Baluzio laudatus, aſserat fulmen percuſſiſſe & deſtruxiſse duas cameras ordinatas pro duobus Cardinalibus, licèt eos non nominet. Utrum autem illud fuerit præſagium futuri ſchiſmatis Deus ſcit.

XV. *Bartholomæi Barenſis patria, genus, primordia, electio, & renovatio ſub Urbani VI nomine.*

Bartholomæus itaque Butillus, Neapolitanus, familia Prignanâ, patre Piſano, matre Neapolitana, ut plures volunt, vel ut S. Antoninus tit. 22 cap. 2 avo Piſano, patre Neapolitano, ortus, utriſque nobilibus, electus, die nona menſis Aprilis die Veneris, ut ſcribunt Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii XI, & Cardinales Romæ exiſtentes ad Avenionenſes, inthronizatus eſt Pontifex Romanus, primò fuerat Juris utriuſque Doctor, domeſticus & familiaris Petri de Monteruco dicti Cardinalis Pampilonenſis, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarii, qui prætextu infirmitatis, Gregorio XI iter Romanum incipiente, remanſit Avenione, quam ob rem commotus Gregorius ſtatuerat illum privare dignitate Vicecancellariatus, ſed ad preces Caroli V Regis Francorum remiſit, ejuſque officii curam plenariè commiſit Bartholomæo Archiepiſcopo Barenſi, ut tradit Jacobus de Seva laudatus, eumque eodem anno 1377 Archiepiſcopum Barenſem dixit, per tranſlationem Nicolai de Brancaciis ejus conſanguinei ad Archiepiſcopatum Cuſentinum. Ejus elogium ita texit apud Auctorem Anonymum illius ævi Scriptorem, ut teſtatur Oldoinus in Notis ad Ciaconium: *Hic ante Papatum per multos annos, me exiſtente cum ipſo, ſingulis noctibus poſtquam ad cubile ſuum cauſa quieſcendi accederet, coram ſe Biblia quouſque dormiret legi fecerat, & raro vel nunquam tempus aliquod vigilando otioſè conſumpſit; ſed aut ſtudebat, ſeu commiſſa ſibi officia exercebat, vel orabat. Et niſi arctatus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus beſtiis contentus erat, una mula ſcilicet, ſuper qua ipſe, & uno equo, ſuper quo ejus familiaris ipſum aſſocians equitabat. Etiam induebatur cilicio, diurno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit deſuper tunica talari alba de mediocri panno laneo, & multum erat patiens tunc temporis in adverſis, compatiens etiam valde calamitatibus aliorum. Omnia etiam jejunia per Eccleſiam indicta ſanctiſſimè obſervabat; nec non per Adventum Domini & per Sexageſimam annis ſingulis jejunabat, & jejunantes ſimiliter, nec non bonos Religioſos ſatis amabat.* Erat tunc Bartholomæus, cùm electus eſt, ut ſcribit Theodoricus Niemus lib. 1 cap. 1, ſexagenarius, exiguâ ſtaturâ, craſſus corpore, coloreque fuſco, & in eo præclaræ virtutes ante Pontificatum eluxere, ſcilicet amor juſtitiæ & caſtitatis, odium ſimoniæ & munerum, benevolentia erga bonos doctoſque viros; diligentia in rebus agendis, pietas & modeſtia; *ſed virtutes illas*, inquit Ciaconius ex Papirio

Maſ-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

Maſſono, *Pontifex factus, viſus eſt aut nunquam habuiſſe, aut uno veluti momento amiſiſſe tunc cùm magnopere illis indigebat*. Poſt electionem cùm inthronizaretur ſumpſit nomen Urbani ſexti, & ſymbolum ſive ſignum ad rem valde appoſitum: *Exurge Domine, judica cauſam meam* (pſalm. 73) & die decimo octavo Aprilis in die Paſchæ, omnibus iiſdem Cardinalibus præſentibus & comprobantibus, publicè coronatus eſt à Jacobo de Urſinis S. R. E. Archidiacono.

XVI. *Cardinales ejus electionem comprobant.*

Urbanus poſtridiè ſuæ Coronationis, ſeu die 19 menſis Aprilis cum Cardinalibus, qui ei præſentes fuerant, in magna capella Palatii Apoſtolici celebrari fecit coram ſe ſolemniter, & cantando Miſſam pro defunctis propter reverentiam & memoriam ſanctæ memoriæ Gregorii immediati prædeceſſoris ſui, & *eam celebravit in veſtibus & ornamentis Pontificalibus Cardinalis Pictavienſis*, inquit Jacobus de Seva. Iidem Cardinales, uno excepto Roberto Gebennenſi, Cardinalibus Avenione exiſtentibus Urbani electionem intimarunt liberam & concordem fuiſſe, ſignificantes literis, quæ referuntur ab Oldoino in novis Additionibus ad Ciaconium, nec debere credi iis, qui aliter narrarent aut ſcriberent, ſatis quidem innuentes famam rei geſtæ diſperſam ubique, ſed nolle ſe, aut non audere, ut poſtea excuſarunt, eam explicare. Eaſdem Cardinalium literas refert etiam Raynaldus num. 19 cum ſubſcriptione Roberti Gebennenſis; ſed cùm Oldoinus, qui poſt ipſum Romæ ſcripſit, eaſdem referat ſine ejus ſubſcriptione, & disertè ſcribat, eum non ſubſcripſiſſe, major hac in re fides ei adhibenda videtur; quòd ſi revera non ſubſcripſit, ex eo forsàn quis non ineptè conjiceret de eo intelligendum eſſe Henricum de Aſſia Dialogo de hoc ſchiſmate tunc compoſito, ubi ait, unum Cardinalium ſecretò Regi Francorum ſcripſiſſe ne literis ab ipſis quamdiu Romæ eſſent datis ullam fidem adhiberet; quia metu conſtricti ſcriberent, & facerent omnia pro libito electi & populi, ut vitæ ſuæ conſulerent; extat ille Dialogus in Codice Victorino juxta Spondanum, qui addit id etiam teſtari Continuatorem Gallicum Chronici Nangii: Scripſiſſe item palam ad omnes Principes & alios cum approbatione Urbani: nec potuiſſe aliter, timore ne literæ in manus Romanorum vel Italorum, vigiles in id oculos intendentium, inciderent, omneſque de vita periclitarentur. Quare & Joannes de Grangia ſeu Cardinalis Ambianenſis è ſua Legatione rediens, die vigeſima quinta Aprilis in publico conſiſtorio reverentiam & obedientiam eidem Urbano exhibuit. Ac ceteri omnes quamdiu Romæ manſerunt, omnia eidem conſueta præſtiterunt obſequia; atque ita ſe cum eo tam in gratiis pro ſe ipſis, aliiſque petendis, quàm denique in omnibus & publicis & privatis actionibus, veluti cum vero & legitimo Pontifice geſſerunt: quamtumvis poſtea ipſi, excuſarint metu evidentis periculi, ſi quid ſecus feciſſent, aut etiam Româ abſcedere tentaſſent.

XVII. *Urbani aſperitas præcipua ſchiſmatis cauſa.*

Habent tamen alii, & inter eos Ciaconius, hanc non fuiſſe præcipuam cauſam Cardinalium ab Urbano ſeceſſionis; ſed magis intempeſtivam in ipſos ſuccenſionem; cùm enim eſſet rigidus, durus, aſper, inexorabilis, arrogans, habendi cupidus; ac cunctis hominibus, & iis præſertim, qui de eo bene meriti fuerant, Cardinalibus ingratus, quibus honeſta petentibus, cuncta negando, & graviſſimis objurgationibus cum aliis Prælatis vexatos, ad ſubſequens ſchiſma parum opportunè incitavit. Statim enim à ſua Coronatione mores Cardinalium omnium acerrimè redarguit, pompam, ſuperfluas epulas, domeſticorum copiam reſcindere juſſit; iis qui munera & penſiones à Principibus acciperent, pœnas minatus eſt. Duris increpationibus eoſdem Cardinales laceſſiit, quòd clandeſtina cum hoſtibus Eccleſiæ conſilia agitarent: ob non redditam ſubitò Sancti Angeli arcem ab eo, cujus fidei tradita fuerat ſub Gregorio XI, eos atrociter minatus eſt. Et cùm eos ita atrociter tractaret, Romanis facilis & benignus erat; imò illis Romanis civibus, qui Collegium Cardinalium in conclavi offenderant, quibuſcumque rationibus poterat, gratificabatur. Othonem Brunſvicenſem Ducem, Principem Tarentinum Joannæ Siciliæ Reginæ maritum, virum omni virtutum genere egregium, quo potiſſimùm procurante inita pax fuerat inter Eccleſiam & Florentinos, Romam pro ejus confirmatione adeuntem ſprevit; unde ipſi Cardinales, inquit Ciaconius, eum delirum & fatuum eſſe exiſtimantes, exitialis ſchiſmatis conſilia clàm agitare cœperunt.

XVIII. *Cardinales ſeceſſionem faciunt & juridicè contra illum agunt.*

Conjuratione itaque in eum facta, Cardinales omnes Galli, uno excepto Petro de Luna Hiſpano, ſpecie vitandi æſtus Romani Gallis maximè adverſi, Anagniam, ubi jam cum Gregorio XI præteritam æſtatem tranſegerant, & ubi magnam partem cibariorum habere cauſabantur, permittente aut non prohibente Urbano, non quidem omnes ſimul, ſed ſingulatim diverſis diebus & temporibus adfuerunt ad finem menſis Junii: Urbano ipſo Tibur cum quatuor Italicis concedente; prout moris erat Urbem tempore æſtivo deſerere clementioris auræ captandæ gratiâ. Cum Urbano nihilominus iidem Cardinales, uti cum vero & legitimo Pontifice tractare per literas & nuncios non ceſſarunt, quouſque res

ſuas ita diſpoſuiſſent, & deliberata abſque periculo exequi poſſent. Menſe itaque Julio prædicti Cardinales, qui omnes electioni Urbani interfuerant, uno excepto Joanne de Grangia ſeu Cardinali Ambianenſi, qui tunc abſens erat, nec niſi poſt creationem Urbani, Romam, ut vidimus, acceſſerat, ut res ordine judiciario, ritéque ac legitimè fieri viderentur, coram Petro de Croſo Archiepiſcopo Arelatenſi S. R. E. Camerario, ac Judice ordinario, qui cum multis aliis Prælatis unà cum Cardinalibus Anagniæ erat, pro tribunali ſedente, ſe ſe ſiſtentes, pro teſtimonio dixerunt & juramento ac ſubſcriptione firmarunt, quæcumque poſt obitum Gregorii Romæ pro electione ſucceſſoris, & in nominatione Archiep. Barenſis actitata, nulla eſſe ex vi ſibi illata, ut jam ſuperiùs ex eorundem atteſtationibus retulimus. Poſt hæc ſemel iterumq; per quos Religioſos & Prælatos, ac tertiò per Cardinales ab Urbano ad ſe miſſos honeſtè monuerunt Urbanum, ut qui optimè noſſet ſe non eſſe legitimum Pontificem, eam dignitatem deponeret, & non pateretur graviſſimum ſchiſma in Eccleſia oriri. Sicuti & ipſe ter ad eos, Oratores ſuos nobiles quoſdam, nec non tres Cardinales Florentinum, Mediolanenſem & Urſinum miſit, ut ad obſequium & concordiam redirent. Cùmque fruſtra hæc omnia fierent, iidemque tres Cardinales ad ipſum reverſi, de inſtante ſchiſmate monuiſſent, & tamen ille flocci id facere videretur, ut intelligitur ex ipſorummet trium Cardinalium poſtea ſcripta ad Principes Epiſtolâ, quæ ex codice Vaticano refertur a Bzovio anno 1378, demum eoſdem tres Cardinales, ipſumque Franciſcum Thebaldeſchi dictum Cardinalem Sancti Petri, qui cum Urbano Tibure erant, citarunt, ut ſecum convenirent ad novum legitimum Pontificem vacante Sede eligendum. Quinimò & idem Petrus Camerarius ipſimet Urbano diem dixit, ut jus ſuum tueretur, & proceſſus contra ipſum habitos audiret, nominans eum Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem in Papatu intruſum.

XIX. *Sententiam in eum pronunciant.*

His præmiſſis, die nona Auguſti iidem Cardinales ibidem Anagniæ congregati, facienteſque, ut dicebant, ultra duas partes omnium Cardinalium in Urbe exiſtentium tempore obitûs Gregorii Papæ XI ſententiam in eundem Barenſem, una cum literis circularibus ad univerſos Chriſti fideles, publicè promulgari fecerunt per unum Clericum, poſtquam Miſſam de Sancto Spiritu Jacobus Patriarcha Conſtantinopolitanus & Archiepiſcopatus Hydruntini Adminiſtrator, natione Italicus celebraſſet, & orationem elegantem in ejuſdem ſententiæ rerumque geſtarum confirmationem habuiſſet. Iis literis poſt narrata breviter, quæ ab iis atteſtata fuiſſe vidimus, de vi ſibi illata, & Barenſis, ut loquebantur intruſione, propter quæ non Papa & Apoſtolicus, ut ſe nominabat, ſed juxta Sanctorum Patrum doctrinam & jus commune, apoſtaticus & anathematizatus, Antichriſtus, & totius Chriſtianitatis illuſor & deſtructor meritò numerandus eſſet: ſignificant ſe non valentes præmiſſa ſalvis conſcientiis ampliùs ſub diſſimulatione tranſire, maximè cùm diu expectatus, & ex charitate admonitus ad cor redire non curaret; ipſum anathematicum & intruſum nulla præcedente electione Canonica, declarare & denunciare: hortantes omnes & exorantes, ut nollent ei ullatenus adhærere, aut ejus dictis & mandatis obedire. Datæ ſunt literæ Anagniæ, quem locum ſe elegiſſe dicunt ob probitatem & fidelitatem conſtantiſſimam Magnifici viri Honorati Gaytani Comitis Fundorum, & Campaniæ, ac Maritimæ Rectoris, tanquam magis ſecurum & idoneum ad præmiſſa peragenda; extant teſte Spondano in Bibliothecis S. Victoris Pariſienſis, Fuxenſi, & Vaticana, & nuper editæ ſunt in ſecunda Vita Gregorii XI apud Baluzium, & in ſecunda pariter Clementis VII. Porrò eoſdem Cardinales ſcripſiſſe pariter ad omnes Orbis Chriſtiani Principes, nec non ad ipſum Barenſem intruſum conſtat ex eodem Spondano, qui aſſerit hanc ad Urbanum Epiſtolam extare ibidem, & apud Valſinghamum in Richardo II.

XX. *Cardinales Itali, & Joanna Siciliæ Regina Urbanum deſerunt.*

Circa idem tempus Franciſcus Thebaldeſchi dictus Cardinalis Sancti Petri obiit, & Cardinales Florentinus, Mediolanenſis, & Urſinus itali, qui ſoli apud Tibur Urbanum ſecuti fuerant, a Petro de Croſo Camerario citati ipſum Urbanum deſeruerunt, ſed quia ceteris ſe ſtatim non junxerunt, Urbanus rem jam in manifeſtum ſchiſma tendere videns, eos ad ſe revocare tentavit, operâ Beatæ Catharinæ Senenſis, quæ graviſſimam ad eos ſcripſit Epiſtolam, quâ, vehementiſſimâ invectivâ eis objecit abſceſſionem ab eo, quem ipſimet verum Pontificem, uti revera erat, toto Orbe proclamaverant. Ipſa tamen ex aliâ parte non deſiſtebat ipſum quoque Urbanum hortari ad manſuetudinem, & ne cederet naturali animi impetui; ut ſunt aliquot ejus ad ipſum eo argumento Epiſtolæ. Cunctantibus nihilominus Cardinalibus italis ad Urbanum redire, ipſe Urbem repetiit cum præſidio militari ducentarum lancearum, & multorum peditum, quos ad ejus defenſionem miſerat Joanna Siciliæ Regina, quæ tamen jam ab eo averſa erat, quia licèt non ſolùm copias armatas, ſed etiam pecunias & cibaria, aliaque neceſſaria ei abundè ſubminiſtraſſet, uti ſcribit Niemus; nihilominus Urbanus intentione

ſuos

Digitized by Google

SÆC. XIV. URBANUS VI.

ſuos faciliùs evehendi, jam tractaverat de Carolo Dyrrachii Duce, Reginæ patruele, in regnum Siciliæ intrudendo, ut Summontius narrat. Præterea idem Urbanus Otonem Brunſvicenſem Ducem Joannæ maritum, quantumvis & ipſe multis humilibusque obſequiis, eum demereri ſtuduiſset, idem Urbanus inurbanitate & ferocia ſua, ut Niemus tradit, ab ſe aballenaverat.

XXI. *Omnes Fundos ſe recipiunt, & in ſchiſmate creant Robertum Gebennenſem ſub Clemente VII nomine.*

Joannâ itaque Reginâ annuente, Cardinales omnes, qui Anagniæ erant, ſub tutela prædicti Honorati Gaytani Comitis Fundani, & Britonum aliorumque armigerorum, quos in ſui cuſtodiam accerſierant, Fundos urbem regni Neapolitani non procul à mari mediterraneo viâ Appiâ ſitam acceſſerunt, ubi poſt multa habita conſilia cum Oratoribus Reginæ, aliiſque proceribus, de ratione vitandi ſchiſmatis, demum novum Pontificem creare conſtituentes, ad tres prædictos Cardinales Italos, Sueſsæ, quæ urbs eſt Epiſcopalis Campaniæ inter Cajetam & Capuam ſub Archiepiſcopo Capuano, morantes ſcripſerunt literas, quibus rogarunt ad electionem accedere, ſingulis ſeorsùm Pontificatum, ſi rem ſecretam haberent, polliciti: Quibus ea ſpe inductis, aut aliàs jam ſua ſponte ab Urbano animo abalienatis, Fundos accedentibus, creatus non eſt aliquis eorum; ſed quem tum propriis meritis, tum proſapiæ nobilitate, quâ maximos Principes contingebat, ei muneri aptiſſimum cenſuerunt, Robertus ex Comitibus Gebennenſibus frater Petri tunc Comitis, qui primò Sedis Apoſtolicæ Notarius, pòſt Morinenſis, indeque Cameracenſis Epiſcopus factus, à Gregorio XI creatus fuerat Presbyter Cardinalis tituli SS. duodecim Apoſtolorum, & ab eodem Legatus cum exercitu miſſus in Italiam: agens, cùm Pontifex renunciatus eſt, ætatis annum trigeſimum ſextum, naturâ mediocri, & uno pede non nihil claudicans, ceterum facundia & animi magnitudine inſignis. Qui Pontifex renunciatus à Cardinalibus Gallis, nam tres Itali ei non dederunt voces ſuas, licèt præſentes fuerint & non contradixerint, aſſumto nomine Clementis VII, coronatus eſt ſolemni ritu ante Eccleſiam majorem Fundanam, præſente Otone Brunſvicenſi Joannæ Reginæ marito, aliiſque plurimis proceribus. Ciaconius rectè ſcribit eam electionem factam die vigeſima Septembris, & in craſtinum, die nempe XXI, fuiſſe publicatam; id enim expreſsè aſſerit Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii XI, & Auctor primæ Vitæ Clementis, quorum primus poſtquam dixit electionem factam die vigeſima Septembris, ſubdit: *Et facta electione, antequam publicaretur, receſſerunt dicti Cardinales Italici. Et in craſtinum, quod erat* 21 *Septembris, fuit publicatus, & Clemens appellari voluit.* Quod attinet ad ejus coronationem, de qua hic Auctor non loquitur, cùm certum ſit Petrum Camerarium priùs tiaram Pontificalem, ſeu quod vocant Regnum, quo Pontifices coronari conſueverunt, una cum aliis ornamentis ad Cameram Apoſtolicam ſpectantibus, ſecum Romà Anagniam aſportaſſe, nec Urbano monenti reſtituere voluiſse, ut aſserit ipſemet Spondanus, non video qua ratione fultus dicat poſt Ciaconium Clementis coronationem dilatam eſſe uſque ad diem ultimam menſis Octobris in Dominica; id ſine dubio acceptum eſt ex Onuphrio, qui id aſſerit in Chronico ſuo Eccleſiaſtico, & in Epitome Pontificum Rom. Venetiis anno 1557 edita, in qua ait, eum fuiſse coronatum die pridie Kal. Novembris Fundis in Eccleſia Cathedrali, & *ſuæ Coronationis inſignia* ſuſcepiſſe *per Jacobum Urſinum S. R. E. Archidiaconum Romanum*; quod certè verum eſſe non poteſt, cùm Cardinales Itali, inter quos erat Jacobus Urſinus, Fundis receſſerint ſtatim poſt electionem & ante publicationem, ut mox ex Auctore ſecundæ Vitæ Gregorii XI dixi; quæ cùm facta ſit die 21 Septembris, magna mihi ſuſpicio eſt, coronationem eadem die factam, nulla enim videtur aſſignari poſſe cur tandiu dilata fuerit; imò ſtatim facta cenſeri debet; quia Pontifices Romani ante ſuam coronationem nihil arduum agere poterant, ut in Joanne XXII, & alibi diximus. Hanc porrò Clementis electionem eoſdem Cardinales mox literis ſuis, quæ extant in Codicibus MSS. Vaticano & Fuxenſi, promulgaſſe, repetentes omnia quæ hactenus tam Romæ quam Anagniæ circa hæc geſta fuiſsent, ſcribit Spondanus num. 16.

XXII. *Principes in hoc ſchiſmate inter ſe diviſi.*

Sicque ortum eſt *ſchiſma peſtiferum in Eccleſia, adeoque horrendum & deteſtabile, quod vix legitur aliàs gravius extitiſſe*, ut ait Auctor primæ Vitæ Clementis, qui fatetur totum Mundum diviſum tunc fuiſſe; ſed majorem partem, imò & ipſum quaſi totum Urbano VI adhæſiſse; in ejus enim obedientia permanſerunt Italia & Germania penè tota, Anglia, Hungaria, Luſitania, ac ceteræ ferè nationes & gentes; Clementi verò adhæſerunt Galliæ, Hiſpaniæ, Scotiæ, Siciliæ, Cypri Reges, aliique minòres Principes, nec non & Inſula Rhodus. Variarunt tamen nonnunquam aliqui, ut ſibi liberum exiſtimabant in re controverſa, pro temporum rerumque mutationibus; nonnulli etiam in neutralitate, ut vocabant, perſeverarunt, donec in Concilio Generali res tota decideretur. Jus enim partium, ut initio hujus Pontificatûs ex Sancto Antonino diximus, adeo dubium & incertum videbatur, ut utraque pars peritiſſimos quoſque Theologos & Juriſcon-

riſconſultos habuerit, nec non & religioſiſſimos Viros, &, quod majus eſt, etiam miraculis fulgentes, qui ſuam partem ſanctam, adverſam profanam aſſererent; nec potuerit unquam ſic illa quæſtio decidi, quin ſemper remaneret apud plurimos dubia; imò & ex ipſiſmet Actis Conciliorum Piſani, & Conſtantienſis conſtat eam non fuiſſe deciſam.

XXIII. *Urbanus ante ſchiſma conſtitum VVenceslai in Regem Romanorum electionem confirmat.*

Wenceslaum Bohemiæ Regem Caroli IV Imperatoris filium, annuente Gregorio XI, Romanorum Regem in Imperatorem poſtmodum promovendum die decima Junii anni 1376 electum jam ſuperiùs in ejus Vita diximus. Poſt hæc tam Carolus, quàm Wenceslaus ad Gregorium ſcripſerunt, & Wenceslaus procuratorium confecit ad poſtulandam electionis ſuæ confirmationem. Reſcripſit Pontifex proceſſurum ſe ad factum approbationis cum ſolemnitatibus opportunis, ea tamen cautione adhibita, ut Wenceslaus primùm mitteret literas continentes juramenta à Rege Romanorum præſtari ſolita, quæ promiſsa erant, & de jure debebantur. Sed cùm inter hæc obiiſſet Gregorius, reſumptus eſt tractatus de confirmatione Wenceslai coram Urbano per ambaxiatores ejuſdem Wenceslai, mediante Cardinali Florentino; & dum ſuper hoc orirentur difficultates, Cardinales Anagniam recedere volentes commiſerunt vices ſuas ſex aliis Cardinalibus Romæ remanentibus, nempe, Florentino, de Luna, S. Petri, Mediolanenſi, Glandatenſi, & de Urſinis, qui determinaverunt Wenceslaum in Imperatorem per Urbanum confirmari debere, quod & factum fuit, ut legitur in depoſitione Angeli Epiſcopi Piſaurienſis apud Baluzium col. 1264: verùm cùm Angelus nec locum, in quo facta eſt confirmatio, nec diem memoret, utrumque habemus ex Epiſtola Marcelli de Inghen Doctoris Pariſienſis, qui ab Univerſitate ad Urbanum miſsus ad eandem ſcripſit Epiſtolam datam Tibure, ubi erat Urbanus, die 27 Junii, in qua ait: *Papa heri publicè in conſiſtorio confirmavit electionem factam de Rege Alamanorum per electores, & ipſum denunciavit futurum Imperatorem, quamvis ex parte Imperatoris nulli ambaſſiatores pro illo fuerint miſſi*, quæ pugnant cum eo quod ait prædictus Angelus Piſaurienſis in ſua depoſitione, tractatum nempe fuiſse cum Urbano de hac confirmatione per ambaſſiatores Imperatoris. Extat dicta Marcelli de Inghen Epiſtola Tom. 4 Hiſt. Univerſitatis Pariſ. pag. 446. Tunc porrò cum Urbano erant tantùm quatuor Cardinales Itali, ut ex eadem Epiſtola conſtat. Auctor etiam Vitæ primæ Clementis VII apud Baluzium eam confirmationem factam teſtatur ab Urbano ultrò & omiſſis ſolemnitatibus ſervari conſuetis, ut Carolum, ejuſque filium in partes ſuas alliceret. Bzovius tamen ad annum 1378 ex Vaticanis MSS. refert miſsam fuiſse ea de re ad Urbanum illuſtrem Legationem, & in *Facto miſſo per Bartholomæum ſub bulla Regis Caſtellæ*, quod extat apud Raynaldum anno 1378 num. 73, & ſeqq. legitur num. 99, Urbanum *ad inſtantiam præfatorum tunc Dominorum Cardinalium, & procuratorum Regis sereniſſimi Principis Domini noſtri Wenceslai Bohemiæ Regis, habita prius deliberatione matura, & concordi conſilio omnium prædictorum tunc Cardinalium, electionem de ipſo in Regem Romanorum* confirmaſſe & approbaſse.

XXIV. *Clement eandem electionem confirmat.*

Robertum tamen Gebennenſem, qui in ſua obedientia Clemens VII dicebatur, ſive ſponte, eodem fine alliciendi ad ſe Imperatores, ſive ab aliquo alio rogatû ex parte Wenceslai, quò in Pontificatûs dubietate utrimque ei proſpectum eſset, eandem electionem confirmaſse Fundis menſe Octobri ejuſdem anni ſcribit Spondanus num. 23. Verùm Bzovius ad annum 1377, poſtquam num. 3 dixit Wenceslai Romanorum Regis Oratores, quorum princeps erat Amedæus Sabaudiæ Comes, a Gregorio XI confirmationem electionis poſtulaſse, num. 4 ſubdit, Clementem anno 1378 eoſdem Wenceslai Oratores & procuratores præſumpta auctoritate audiviſse, & decretum emiſiſse, *datum Fundis menſe Octobri*, quo ejus electionem confirmans, Regem Romanorum, habilemque ad ſuſcipiendam opportuno loco & tempore Imperialis dignitatis conſecrationem & coronationem declaravit. Quod tamen Spondanus anno 1376 num. 5 magis factum putat petitione Amedæi Sabaudiæ Comitis, qui, ut diximus, Legationis Wenceslai princeps erat, & Clementi neceſſitudine conjunctus, quàm ipſius Wenceslai, aut patris ejus conſenſu; quandoquidem conſtat eos ab Urbano ſtetiſse contra Clementem; idque, ut ait Auctor Vitæ Clementis, eò quod Urbanus electionem Wenceslai etiam non requiſitus confirmaſset. Quæ conjectura Spondani certa videtur; idem enim Auctor poſtquam dixit Carolum IV, & Wenceslaum declaraſse ſe tenere Urbanum pro vero Papa, ſubdit, hujuſmodi ordinationi neminem auſum fuiſse contraire, *Comitibus Sabaudiæ conſanguineo, & Gebennenſi fratre dicti Clementis, Ducibuſque Lotharingiæ & Barrenſi, ac aliquibus aliis Comitibus, & Dominis temporalibus, civitatibus & locis, eorumque territoriis & dominiis circumadjacentibus duntaxat exceptis.* Ceterùm non multùm poſt hæc, tertio ſcilicet Kalendas Decembris ejuſdem anni 1378, Carolus Imperator Wenceslai pater obiit apud Pragam in Bohemia.

XXV. *Urbanus Cardinales XXIX creat.*

Poſt abſceſſum trium Cardinalium Italo-

lorum, & mortem Cardinalis Sancti Petri, Urbanus videns ſe tunc ſine Cardinalibus exiſtere, & Curiales de die in diem aufugere, *cœpit dolere*, inquit Theodoricus à Niem lib. 1 de ſchiſmate cap. 12, *& quandoque me videute flevit amarè; & tunc primùm cognovit quia minus cautè egiſſet in principio regiminis, & quòd mala hæc propterea fierent. Et tunc quond maneutes Curiales in ejus Curia ſe humiliando, plures eorundem ad diverſa officia prædictæ ſuæ Curiæ tunc vacantia promovit, & ſe valde gratum, adverſitate docente, tunc reddidit erga ipſos, nec non ſimul & ſemel viginti ſex Cardinales una die creavit, exiſtimans forte, quòd de tanto numero eorum aliqui hujuſmodi Cardinalatûs faſtigium utique acceptarunt*; *prout, nec ipſum fefellit opinio, factum fuit*. Addit poſtea quoſdam fuiſse Romanos, alios ex diverſis nationibus. Sed Auctor ſecundæ Vitæ Gregorii XI, cui omnes ferè conſentiunt, aſserit Urbanum creaſse Cardinales numero XXIX, ex quo Baluzius exiſtimat, eos, qui ponunt tantùm XXVI, haud dubiè prætermittere illos, qui hunc honoris gradum accipere noluèrunt. Diem hujus creationis nos docet idem Auctor, ſcilicet XVIII *menſis Septembris, quæ fuit die Sabbati quatuor Temporum*, non verò die XXVIII, ut ibidem Librariorum errore legitur, quem diem etiam exhibet Ciaconius ex Conteierio, ſed malè; quatuor enim Tempora non poſsunt convenire cum die XXVIII menſis Septembris; anno autem 1378 ſabbatum quatuor Temporum cum die XVIII ejuſdem menſis concurrebat. Certè Auctor etiam primæ Vitæ Clementis aſserit eam Cardinalium nominationem ab Urbano factam *paulò ante creationem Clementis*, quæ ex dictis contigit die XX Septembris, & fuiſse *viginti novem*, hoc eſt tam numeroſam, ut huic parem nullus unquam Romanorum Pontificum fecifse reperiatur, præter Leonem decimum, qui anno 1517 triginta & unum eodem die creavit. Fuerunt porrò iſti Cardinales juxta Ciaconium ex editione Auguſtini Oldoini, *Guillelmus*, cujus agnomen & patria ignorantur, Presbyter Cardinalis S. Euſebii; *Philippus de Aleuconio* Gallus, Regii ſanguinis Princeps, Rotomagenſis Archiepiſcopus; *Thomas de Frignano*, patria Mutinenſis, Ordinis Fratrum Minorum Miniſter Generalis; *Franciſcus Moricottus*, patria Piſanus, vel, ex Panvinio, Neapolitanus Urbani ex ſorore nepos; *Pileus de Prata*, Forojulenſis ex Concordia civitate, Ravennatenſis Archiepiſcopus; *Joannes* Corſienſis Archiepiſcopus; *Bartholomæus de Cucurno*, Genuenſis, Ordinis Fratrum Minorum; *Andreas Martini*, Peruſinus Epiſcopus; *Agapitus Columna*, nobilis Romanus, Uliſſiponenſis Archiepiſcopus; *Nicolaus Meſquinus*, Neapolitanus, Archiepiſcopus Meſſanenſis, Ordinis Prædicatorum; *Bartholomæus de Mezzavacca*, Bononienſis, Epiſcopus Reatinus; *Guillelmus*, Comitis Altævillæ filius, Capuanus, Salernitanus Archiepiſcopus; *Ludovicus* Patricius Venetus, Ordinis Fratrum Minorum, *Ludovicus de Capice*, Campanus; *Stephanus Columna*, nobilis Romanus; *Philippus Cezza* Romanus, Tiburtinus Epiſcopus ex Ordine Fratrum Prædicatorum; *Gentilis de Sangro*, Neapolitanus; *Poncellus Urſinus*, nobilis Romanus, Averſanus Epiſcopus, *Lucas de Gentilibus*, Camerinenſis, Epiſcopus Nucerinus; *Rainulphus de Monteruco*, Gallus, Lemovicenſis, Siſtaricenſis Epiſcopus; *Elzearius de Sabrano*, Comitis Ariani filius, Epiſcopus Theatinus; *Philippus de Caraffa*, Neapolitanus, Bononienſis Epiſcopus; *Adamus de Eſton*, Anglus, ex Monacho Benedictino Londinenſis Epiſcopus; *Stephanus Sanſeverinus*, Neapolitanus; *Petrus Hiſpanus*, Palentinus Epiſcopus [hic Palentinus Epiſcopus, non vocabatur Petrus, ut ait Ciaconius, ſed Guterus Gomecii, admodum charus Henrico Regi Caſtellæ, de quo infrà ſermo erit], & *Galeottus Tarlatus de Petramala*, Aretinus, Protonotarius Apoſtolicus. His XXVI addit Ciaconius *Joannem* Epiſcopum Urgelenſem; N. Epiſcopum de Edena, & N. Epiſcopum de Seme, aliàs Scandienſem. Sed horum trium in MSS. Vaticanis aut alibi nullam mentionem inveniſse ſcribit Contelerius. Quod attinet ad Joannem Archiepiſcopum Corſienſem, ſive Corſienſem, ſive Corcyrenſem, qui ſextus numero eſt, Baluzius col. 1143 dubitat an poſſit colligi ex Ægidio Bellamera eum fuiſse natione Provincialem, quia hic Auctor in cap. *dilecti filii* de libelli oblatione, vocat eum *Joannem de Aurelia tunc Archiepiſcopum Corſienſem*, & in Diaro Joannis Fabri Epiſcopi Carnotenſis dicitur extare circa Arelatem locum quemdam vocatum Aureliam, vulgò *Aureille*, quem conſtat ſitum eſse æquali fermè ſpatio inter Arelatem & Avenionem. Porrò Bonaventuram de Padua Generalem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in hac promotione dictum Cardinalem aſſerit Oldoinus, loquens de quarta promotione Cardinalium Urbani, quæ facta eſt anno 1384, ubi rectè obſervat Panvinium & Ciaconium falli, qui ejus aſsumptionem illi anno conſignant, Bonaventura enim ſubſcripſit ut Cardinalis conceſſioni de regno Siciliæ factæ Carolo Dyrrachino per Urbanum anno 1381, die prima Junii, ut legere eſt apud Raynaldum eo anno numero 2.

Ubi hæc Cardinalium creatio Cardinalibus Fundis exiſtentibus innotuit, ſtatim, die nempe vigeſima Septembris, Robertum Ge- XXXI. *Clemens ſex etiam creat.*

Gebennenſem elegerunt, & coronarunt ſub Clementis ſeptimi nomine, qui & ipſe cùm quoſdam ex ſuis Cardinalibus ad Imperatorem, Reges Franciæ, Angliæ & Hiſpaniæ alioſque miſiſſet, ut in ipſorum abſentia, inquit Auctor ejus Vitæ, haberet alios ſibi aſſiſtentes, die decima ſeptima menſis Decembris ejuſdem anni milleſimi trecenteſimi ſeptuageſimi octavi, quæ fuit feria ſexta quatuor Temporum, ſex novos creavit Presbyteros Cardinales, videlicet Dominum *Jacobum de Ytro*, Patriarcham Conſtantinopolitanum, natione non Gallum, ut ſcribit Ciaconius, ſed Italicum, & quidem de Comitatu Fundorum, ut legitur in ſecunda Vita Gregorii XI, in quo eſt magnum caſtrum vocatum Ytro, ut legitur apud Baluzium ex depoſitione cujuſdam Decani Tiraſonenſis col. 1233, *Petrum Amelii* Alvernigenam Monachum Ordinis Sancti Benedicti, tunc Archiepiſcopum Ebredunenſem; *Nicolaum de Brancaciis*, Neapolitanum, tunc Archiepiſcopum Cuſentinum, Urbani VI conſanguineum; *Petrum de Barreria*, Gallum, tunc Epiſcopum Æduenſem, *Nicolaum de Sancto Saturnino* Alvernigenam, Ordinis Fratrum Prædicatorum, tunc Lectorem ſacri Palatii, in ſacra pagina Magiſtrum; & *Leonardum de Giffono* Italum, Miniſtrum Generalem Ordinis Minorum; qui omnes, uno excepto Nicolao de Brancaciis, erant abſentes, ut oſtendit Baluzius in Notis, ex quo eruitur perperam ſcripſiſſe Auctorem vitæ Clementis; ideo hunc feciſſe hos Cardinales, ut in abſentia aliorum, haberet alios ſibi aſſiſtentes; rectè tamen ſcribit Leonardum de Giffono recuſaſſe dignitatem Cardinalis ab Urbano VI oblatam, licèt eam acceptarit a Clemente; ſed quod addit idem etiam feciſſe Nicolaum de Sancto Saturnino mihi non probatur, cùm alibi non reperiatur, & probabile non ſit Urbanum voluiſſe ad Cardinalatû evehere Nicolaum, qui eodem tempore, quo facta eſt ab eo Cardinalium creatio, erat Pariſiis delegatus à Cardinalibus, qui ſententiam in Urbanum pronunciaverant, & Clementem elegerant, ut conſtat ex iis, quæ habet Baluzius col. 1261.

XXVII. *Recipit ſe Avenionem.*

Interea Clemens Fundis commorans bellum cruentum per ſuos Britones, & Vaſcones, nobileſque Romanos, qui ab eo ſtabant, Urbano, Urbique inferebat cum non parvo ex utraque parte rerum, hominumque damno, ſed tandem majore Clementinorum, qui demum compulſi ſunt cedere auxiliis aliunde Urbano collatis. Nam Clemens amiſſis copiis, quas in Urbanum & Romanos immiſerat, anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo nono de Fundis mutavit Curiam ad locum de Splonata in diœceſi Cajetæ, [illegible] paulò [illegible] cum paucis Cardinalibus per mare ivit Neapolim ad Joannam Reginam; quæ ei confeſtim adhæſit, licèt Urbanus de Neapoli traxiſſet originem. Sed Neapolitanis rumorem contra ipſum & contra Reginam excitantibus, Clemens unde venerat remeavit; ibique cùm comperiſſet Urbanum velle eum comprehendere, conſiderans ſe ibi diutius ſecurè manere non poſſe, deliberavit in Galliam tendere, & occurrentibus ibi caſualiter certis galeis & navigiis, in menſe Maji anni 1379 mare intravit cum Cardinalibus ſuis, & non ſine magnis periculis Maſſiliam applicuit die decima menſis Junii. Inde iter ſuum continuando Avenionem pervenit, ubi fuit receptus cum magnis ſolemnitate & gaudio, tam à Cardinalibus quinque, quos ibi reliquerat Gregorius XI (ſextus enim, nempe Ægidius Aiſcelini jam defunctus erat die quinta Decembris anni 1378), quàm ab incolis exceptus eſt. Ita Auctor Vitæ Clementis, qui addit eum pro ſuorum negotiorum proſecutione & ſuorum conſolatione Fundis reliquiſſe duos Cardinales, nempe Jacobum de Ytro & Leonardum de Giffono. Clementem die vigeſima Junii Avenionem perveniſſe ſcribit Surita lib. 10 Annal. Aragon. cap. 24. Sed Baluzius in Notis col. 1252 ait, conſtare ex libro Obligationum Petrum Amelii, dictum Cardinalem Ebredunenſem, ei occurriſſe Maſſiliæ die xxv Junii, ex quo evincitur Clementem eo die nondum Avenionem perveniſſe.

XXVIII. *Univerſitas Pariſ. Clementi adhæret.*

Academiam Pariſienſem cauſæ Urbani initio faviſse intelligimus ex Literis Marcelli, ſeu Marcellini de Inghen ab eadem Academia antea miſſi ad Urbanum, ad Rectorem & Doctores die vigeſimo ſeptimo Julii anni 1378, ſcriptis Tibure, de quibus ſuperiùs locuti ſumus, & ex Epiſtola quam idem Urbanus undecimo Kalendas Novembris ejuſdem anni, ad eandem Academiam ſcripſit, qua hortatus eſt ſchiſmati ſe viriliter opponere; in ea enim ait gaudere ſe, quòd intra felicia caſtra Pariſienſis ſtudii doctiſſimos & magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intueretur, qui victricibus ſpiculis hæreticorum & ſchiſmaticorum hoſtium præcordia penetrarent: neque præterire ſe, quòd audiſset ipſos adversùs eorundem hæreticorum & ſchiſmaticorum ſubdolam aſsertionem, contra ipſum Urbanum impudenter loquentium, nonnullas cauſas veras ac ſaluberrimas in ipſius, immò catholicæ fidei favorem, & veritatis defenſionem, ſententias publicè tenuiſse, & contra quoſcumque contrarium ſentientes defenſaſse. Hanc Epiſtolam refert Raynaldus num. 61. Sed eodem fermè tempore quo eam ſcripſit Urbanus, ſcilicet die decimo ſexto Novembris, ſolemnis ea de re apud Saltum Vicennarum, Prælatorum, Theo-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

Theologorumque conſultatio jub ·Carolo Rege facta eſt, inſtante Cardinale Lemovicenſi, ſeu Joanne de Croſso à Clemente, ut ait Vitæ ejus Auctor, Pariſios delegato, & rerum geſtarum ſeriem magno jurejurando confirmante, ut deſcribit Continuator Nangii, quâ pro Clemente judicatum eſt, tuncque Academia Pariſienſis Clementi utcumque adhæſit; haud tamen unquam ceſſans pro extinctione ſchiſmatis omnem operam impendere: Rege interim variis ad alios Principes Legationibus eos ad partem Clementis attrahere ſatagente.

XXIX. *Urbanus Regem Hungariæ concitat adverſus Joannam Siciliæ Reginam.*

Intereà, Clemente Avenione exiſtente, Urbanus Pontifex rebus proſperis recreatus, ut tradunt Niemus lib. 1 cap. 21, & Sumoetius lib. 3, quod ab initio conceperat animo de Joannæ Reginæ Siciliæ abdicatione, quò faciliùs, ut volunt, quàm concupiſcebat, nepotis ſui exaltationem conſequeretur, ſolicitiùs urgens, eo jam ſpecioſiſſimo prætextu quòd Clementis electioni & admiſſioni apertè faviſſet; Ludovicum Hungariæ Regem per Legatos & literas hortatus eſt, ut dimiſſam necis Andreæ ipſius fratris in Joannam vindictam reſumens, Carolum Dyrrachinum Gravinæ Comitem Regii illius ſanguinis Principem, apud ipſum militantem cum copiis tranſmitteret, cui ipſe Urbanus, abdicata Joanna, collaturus eſset regnum, quod & alioquì ad ipſos pertineret, cùm ſoli ſupereſsent maſculi ex numeroſiſſima Caroli Claudi Siciliæ Regis progenie. Bene uſus eſt Urbanus ſautrice ſua Sancta Catharina Senenſi, quæ ſuis Epiſtolis partes ejus egregiè promovit, virgo omnium judicio acceptiſſima Deo. Extant enim duæ ejus Epiſtolæ, prima ad eundem Ludovicum Hungariæ Regem pro defenſione Urbani contra Antichriſtum, ut vocabat Clementem, & unam fœminam, nempè Reginam Joannam; ſecunda eſt ad ipſum Carolum Dyrrachinum, tum hortatoria ad virtutum cultum tam in ſe, quam in familia; tum maximè ad accelerandum adventum, cum pollicitatione proſperi ſucceſsûs. Ejuſdem Sanctæ ſuperſunt & nonnullæ aliæ ad ipſam Reginam Joannam Epiſtolæ, objurgatoriæ de receſſu ab obedientia Urbani, & hortatoriæ ad reſipiſcentiam priuſquàm ab eo excommunicaretur, & regno privata declararetur.

XXX. *Sententiam abdicationis in eam pronunciat.*

Ludovicus Hungarus oblatam conditionem libenter accepit, & confeſtim poſt receptam Urbani Legationem, eidem Carol[illegible]chino, tunc in agro Tarviſino [illegible]netos ejus nomine pro fœde[illegible] Genuenſibus bellum gerenti, mandavit ad opus ſe accingere. Carolus pluribus inſignibus beneficiis Joannæ devinctus, quæ illum à pueritia propè ut filium educaverat, honoribus auxerat, & datâ ei in matrimonium Margaritâ nepte ſuâ, in certam ſpem ſucceſſionis regni erexerat; Initio hujuſmodi ſuaſionibus minùs conſentire viſus eſt; ſed tamen poſtea ſolemni ambitioſorum perfidia, quâ ſibi fas eſse volunt regnandi causâ jus violare, non ſolùm conſenſit, ſed etiam procedente tempore, ut infrà videbitur, ingratiſſimis ac nefandiſſimis modis in Joannam Reginam, ſed & in ipſum Pontificem Urbanum malitiam ſuam exercuit. Urbanus itaque de futuro ejus adventu certior redditus, ut ei omnem dubitationem tolleret, ſimulque viam faciliorem & apertiorem ſterneret, Reginam, ob exhibitum Clementi adverſario ſuo obſequium & favorem, velut ſchiſmaticam, perduellem, hæreticam, & læſæ majeſtatis ream damnavit, regnoque Siciliæ Eccleſiæ Romanæ beneficiario privatam declaravit, aliaque ejus bona publicavit, ſubditoſque ab obſequio illius liberos pronunciavit. Id disertè aſerunt Niemus lib. 1 cap. 9, Auctor Vitæ Clementis ad annum 1380, & ipſe Urbanus in literis, quibus hortatus eſt populos regni Neapolitani ad excutiendum Reginæ jugum, quæ extant apud Raynaldum eodem anno num. 2, de Joanna Regina: *Sententialiter declaravimus, eam fuiſſe & eſſe ſchiſmaticam, hæreticam, & blaſphemam, & conſpiratricem etiam contra nos, & ream criminis læſæ majeſtatis, & tanquam hæreticam puniendam; ipſamque fore privatam, ac privavimus & depoſuimus à quibuſcumque dignitatibus & honoribus ac regnis & terris, & omnibus feudis, quæ à dicta Romana Eccleſia & à quibuſcumque aliis Eccleſiis & à Romano Imperio & quibuſvis aliis obtinebat, ac ipſius Joannæ bona omnia fuiſſe & eſſe confiſcata, & confiſcavimus, omneſque & ſingulos, qui eidem Joannæ juramento fidelitatis ſeu homagii..... prius tenebantur adſtricti, abſolvimus & decrevimus abſolutos*, &c. *dat. Romæ apud Sanctum Petrum XI Kal. Maji, Pontificatus noſtri anno III*, ſeu die 21 Aprilis anni 1380, quo ideo die, vel paulò ante Urbanus hanc in Joannam Reginam ſententiam pronunciavit.

XXXI. *Joanna, permittente Clemente, Ludovicum Andegavenſem adoptat & hæredem conſtituit.*

Adverſus Urbani conatus & ingruentem inde tempeſtatem, cùm alia auxilia deficerent, Joanna Regina ex Gallia, unde originem trahebat, advocare conſtituit; cùmque liberos non haberet, nec ob ætatem ampliùs ſpes eſset habendi, quamquam virum haberet Ottonem Brunſvicenſem, Ludovicum Ducem Andegavenſem, fratrem Caroli V Sapientis dicti, Regis Francorum, in filium hæredemque adoptavit, tam regni quàm ceterarum omnium ditionum, quas in Galliis & Italia poſſidebat: Donato ei interim Calabriæ Ducatu, ut hæredibus regni Siciliæ fieri conſueverat. Id autem fecit Joanna poteſtate acceptâ à Clemente diplomate dato Avenione Kalendis

Fe-

Februarii anni ejuſdem 1380, quod citat Raynaldus num. 11, quo ipſi poteſtatem fecit Ludovicum Andegavenſem in filium cooptandi, regnique Neapolitani jura poſt ipſius Reginæ obitum devolvendi. Confecit ea de re Joanna literas datas *in caſtro noſtro Ovi prope Neapolim anno à Nativitate Domini* 1380, *indictione III, die penultima menſis Junii, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ prædicti anno II*. Hanc adoptionem pro auctoritate ſupremi dominii regni Siciliæ confirmavit Clemens Avenione undecimo Kalendas Auguſti. Hincque jus prodiit ſecundæ ſtirpis Andegavenſium in regnum Neapolitanum; quo diu, multumque res Chriſtiana conflictata eſt.

XXXII. *Rex Caſtellæ à Petro de Luna perſuaſus, Clementi adhæret.*

Clementem ſtatim poſt ſuam creationem Legatos ad Imperatorem & Reges miſiſse diximus, ex Auctore ejus Vitæ, qui ait Petrum de Luna Cardinalem Aragonium directum eſse ab eo ad Reges Hiſpaniæ, cujus opera cùm eſset inanis in Aragonia patria ſua, Regis ac Procerum animis incertis adhuc ſuſpenſiſque remanetibus, Joanni tamen Caſtellæ Regi anno 1381 perſuaſit, ut Clementi obedientiam præſtaret; ſed antequam id faceret Rex convocavit Prælatos, & Doctores Hiſpaniæ ac Conſiliarios Regios, qui in unum collecti apud Medinam Campeſtrem in diœceſi Salmanticenſi circa finem anni 1380, & prioribus menſibus anni ſequentis, omnibus perpenſis & diſcuſſis uno conſenſu Regi ſuggeſſerunt Urbanum eſse intruſum, & Clementem verum ac legitimum Pontificem, cui obediendum eſset. Quibus Rex perſuaſus, id publicis ſuis literis, datis Salamanticæ decimo quarto Kalendas Junii anni 1381 per univerſam ſuam ditionem ſervari edixit. Huic Conventui adfuerunt Petrus de Luna Cardinalis Clementis VII nomine, nomine verò Urbani VI Franciſcus de Urbino Epiſcopus Faventinus, & Franciſcus de Ciclenis de Papia Legum profeſsor, primi electi ambaxiatores, ut diſertè aſseritur in proceſſibus in eo factis. Erat tamen tunc in Hiſpania Urbani VI Legatus Gutterus Gomecii ex Epiſcopo Palentino dictus Cardinalis, qui eodem tempore Cardinalis dignitate abdicata, quam ab Urbano acceperat, Clementi adhæſit, à quo in gratiam Regis Joannis ad eamdem Cardinalatus dignitatem de novo aſsumptus fuit, quod teſtatur Clementis Vitæ Auctor, & diſertè aſserit ipſe Joannes Rex in ſuo edicto, quod apud Raynaldum anno 1381 num. 31 his verbis definit: *Dat. Salmanticæ ſub noſtro aureo ſigillo Regio anno Domini 1381, die Dominica XIX menſis Maji, in Eccleſia Cathedrali ſtatim poſt Miſſarum ſolemnia, hora ferè ſexta, in præſentia Reverendiſſimorum in Chriſto Patrum Dominorum Petri de Luna Diaconi Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legati, & Gutterii noviſſimè in Romanæ Eccleſiæ Presbyterum Cardinalem aſſumpti per præfatum Dominum noſtrum Papam Clementem VII, & aliorum quamplurium Prælatorum, Doctorum, & Cleri ac populi multitudine copioſa*. Malè itaque Ciaconius in Clemente VII ſcribit Gutterum Gometii dictum eſse Cardinalem anno 1382 ab eodem Clemente.

XXXIII. *Clementinorum rapina in Academia Pariſienſi turbas excitant.*

Cum interea Carolus V, Sapiens dictus, Francorum Rex die decima ſexta Septembris anni 1380 obiiſset, & Carolus ſextus ejus filius ſucceſſiſset anno ætatis duodecimo nondum completo, Ludovicus Dux Andegavenſis, quem Joanna Siciliæ Regina adoptaverat, regni Franciæ Regens dictus eſt, utpote patruorum Regis natu maximus, qui Clementi impensè favit, quòd egens magno theſauro ad expeditionem Neapolitanam, prædæ participare diceretur Cardinalium Clementinorum, quorum ſumptibus ſola propè Gallia propoſita erat: adeò ut quæque pinguiora beneficia Eccleſiaſtica, non ſolùm dum vacabant, ſibi conferri procurarent, verum etiam expectationum ac reſervationum muneribus obſtricta tenerent, nullo reſpectu Virorum Literatorum, aut aliorum bene meritorum, qui ſpe privabantur aliqua unquam conſequendi. Cùm præterea multæ pecuniæ ab Eccleſiis exigerentur nomine decimarum & reliquiarum debitorum Cameræ Apoſtolicæ, vacantiarumque Sacerdotiorum, & aliarum ejuſmodi artium; non parum in Clementem à Viris Eccleſiaſticis & literatis conclamatum eſt, & Academia Pariſienſis tam à Magiſtris quam à ſcholaſticis, omniumque liberalium diſciplinarum ſtudioſis turmatim deſerta, apud Regem de prædictis vexationibus conqueſta eſt, rogavitque, ut iis remedium afferret; & hoc per Joannem quemdam Roſseum, ſeu Ronceum, Doctorem Theologum, quem nocte proxima Ludovicus Dux Andegavenſis ea de re vehementer offenſus, ex Muſæo per vim raptum in cuſtodiam arctiſſimam conjecit. Quo audito univerſa Schola de injuria ſibi illata conqueſta eſt, donec poſt multas perendinationes Joannes Roſseus redditus eſt eâ conditione, ut omnes Clementi obedirent; ſed Roſseus confeſtim ad Urbanum ſe contulit. Urbanus autem literas inde benevolas & hortatorias ad Academiam ſcripſit; quas cùm Rector Academiæ in publico conſeſsu legiſset, eum etiam Andegavenſis Dux comprehendi juſſit, eo prætext[illegible] non priùs Regi, ipſique Regenti ob[illegible] Rector periculum fugâ vitavit: eadem[illegible] de cauſa plures Romam ſe ſe receperunt, vel ad alia loca migrarunt. Hæc ex Juvenali in Rebus geſtis Caroli VI. Æmilio & Gaguino lib. 9, ac aliis refert Spondanus ad annum 1381 num. 5, [illegible] & addit

Cic

Clementem, ad captandam eò magis Regentis gratiam, novam ei decimam beneficiorum Eccleſiaſticorum conceſſiſſe; quæ per laicos indignis planè extorſionibus collecta eſt, adeò ut pro decima pluribus locis ultra totum proventum exigeretur, nequicquam Sacerdotibus; oppoſitionibus & appellationibus ſua tueri connitentibus. De quibus Nicolaus de Clemangiis, Doctor Theologus domûs Navarræ Pariſienſis, in tractatu, quem compoſuit *de corrupto Eccleſiæ ſtatu* cap. 27, dolet vehementer quòd ita Clemens, ut Principes in ſua obedientia contineret, ſe ſe ſervum ſervorum Gallicis Principibus adjeciſſet, ut eas ferret etiam ab aulicis quotidie injurias & contumelias, quas vix deceret in viliſſimum mancipium dici: quippe qui cedere cogeretur furori, tempori, flagitantium importunitati; fingere, diſſimulare, largiter promittere, diem ex die ducere, his beneficia dare, illis verba: ſicque omnem Clerum, Sæcularium Magiſtratuum diſpoſitioni ita ſubjeciſſe, ut Papa magis quilibet eorum, quàm ipſe Papa putaretur. Hæc erat miſera Clementis conditio.

XXXIV. *Urbanus Carolum Dyrrachinum coronat Siciliæ Regem.*

Urbanus verò, qui Carolum Dyrrachinum evocaverat, ut abdicata Joanna Regina, folio Siciliæ imponeret, magnamque regni illius partem Franciſco Prignano nepoti ſuo cederet, ingentem auri vim pro ſumptibus in rem militarem faciendis Carolo ſuppeditavit, eaque de cauſa bona Eccleſiarum & monaſteriorum ad octoginta aureorum millia diſtraxit, conflavit aut vendidit argentea Sanctorum ſigna, cruceſque & calices & alia pretioſa ornamenta, ut refert Raynaldus anno 1381 num. 24 ex Niemi lib. 1 cap. 21. Carolus itaque Dyrrachinus eodem anno 1381 cum magnis copiis Hungaricis adveniens, Romæ ab Urbano receptus eſt honorificè, creatus primò, ut quidam volunt, Urbis Senator, deinde Rex Siciliæ & Jeruſalem, iiſdem conditionibus & obligationibus, quibus Carolus I à Clemente IV, qua de re confectum eſt Pontificium diploma, quod extat apud Raynaldum num. 2, *Datum in Baſilica S. Petri de Urbe per manum meam Raynulphi tit. S. Potentianæ Presbyteri Card. S. R. E. Vicecancellarii Kal. Junii, indictione quarta, Incarnationis Dominicæ milleſimo trecenteſimo octuageſimo primo, Pontificatus verò Domini Urbani Papæ VI anno quarto.* Admiſit Carolus propoſitas ſibi ab Urbano leges, omniaque fiduciarii Principis officia ...itus eſt formulâ, quam refert idem Ray...aus, num. 3 & ſeqq. ex qua confirma... qu..d Theodoricus Niemus, qui præſens Romæ erat, loco laudato refert, Carolum ...empe antequam coronaretur ſpondiſſe Urbani nepoti Franciſco Prignano, cognomento Butillo, homini effeminato & inutili, Ducatus Capuanum & Amalphitanum, ac multos nobiles Comitatus in regno; in prædicto enim fidelitatis juramento ait Carolus: *Donationes & infeudationes factas per Vos Dominum Papam Urbanum VI nobili viro Franciſco Prignano Principi Capuano & ſuis hæredibus ex ſuo corpore legitimè deſcendentibus de Principatu Capuæ, Ducatu Amalphitano, Comitatibus Caſertano, Fundano, Menerbini, & Altemare, & civitatibus Averſana, Cajetana, Inſulana, Capritana, Caſtrimaris, de Scabia, Surrentina, & terris Nuceriæ, ac Summæ, nec non aliis civitatibus, caſtris, terris, villis, fortalitiis, & locis, ac bonis mobilibus & immobilibus, feudalibus & burgenſaticis, cum mero & mixto imperio &c. ſalvabimus & ſalvari procurabimus* præfato Franciſco vel hæredibus ſuis. Factum eſt illud juramentum in eadem Principis Apoſtolorum Baſilica iiſdem anno & die, quibus datum eſt diploma Urbani VI. Quo facto Carolum regio diademate ab Urbano fuiſſe redimitum obſervant Gobelinus ætat. 6, & Walſinghamus in Richardo II. An verò, inquit Raynaldus, tot Principatus ab Urbano nepoti jure collecti ſint, poſtea diſceptatum eſt, dum in ea re nimiùm inſito erga ſuos amori indulgebat Urbanus, quod neque iis profuiſſe, ac ſibi & Eccleſiæ graves conſciviſſe calamitates viſuri ſumus, cùm parto regno Carolus ampliſſimos principatus, ac magnam aliam regni partem è Corona avita divelli pati non poſſet, illumque Urbanus perfidiæ nota aſpergeret.

XXXV. *Capta à Carolo Neapoli, Cardinales & alii Clementini à Legato Urbani crudeliter habiti.*

Carolus cognomento dictus *Parvus* à brevi ſtatura; & *de pace* ab ea quam molitus eſt ſancire inter Venetos & Genuenſes, Neapolim verſus ſumens iter, à cunctis fermè proceribus ac populis, inter quos educatus fuerat, gratanter receptus, ipſam Neapolim favore populi ad ipſum concurrentis intravit die decima ſexta Julii ejuſdem anni 1381, Reginamque Joannam in caſtro Ovi obſedit: Othonem Brunſvicenſem ejus maritum, cum exercitu ad ejus liberationem venientem, prælio fudit, ut ſcribit Summontius Hiſt. Neapol. lib. 3, vel ut Niemus laudatus cap. 23, Nauclerus Generat. 47, & Krantzius lib. 10 Metropol. cap. 15 abſque certamine proditoriè cepit, & captivum duxit; ac ſequenti die Reginam in deditionem accepit: quam aliquot diebus honorificè habitam, deinde in arcem civitatis Muri provinciæ Lucaniæ relegavit, & Othonem ejus virum in arcem Altamuræ Apuliæ; ſorores propriæ uxoris ſuæ Margaritæ diverſis carceribus Neapoli incluſit, in quibus vitam finierunt. Inter alios verò, qui cum iis in poteſtatem Caroli venerunt, duo fuere Cardinales partis Clementis, Jacobus ſcilicet de Ytro, & Leonardus de Giffono, quos Gentilis de

SÆC. XIV. URBANUS VI.

Sangro Diaconus Cardinalis partis Urbani Carolo Legatus adjunctus valde crudeliter afflixit, ut Ciaconius ex Niemi cap. 26 obſervat, unà cum pluribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Prælatis & Eccleſiaſticis Reginæ adhæſerant, quos miſerè torſit, ſpoliavit, horridæ cuſtodiæ tradidit, nulla habita ratione dignitatis, ætatis, ſcientiæ, aut virtutis; quibus ut nihil deeſſet calamitatis, alios Urbanus ſubſtituit ex iis qui Carolo in occupanda Neapoli favebant; adeò ut nemo eſſet tam miſer & iners Clericus Neapolitanus, qui non Epiſcopatum adipiſceretur, ſi modò vellet. Prædicti verò duo Cardinales ab eodem Gentili Legato publicè in Eccleſia S. Claræ præſente Carolo pileos ſuos Cardinalitios in ignem conjicere coacti ſunt, Clementemque ejurare, & Urbanum verum Pontificem profiteri. Sed duris carceribus longo tempore detenti, tandem libertati redditi Avenionem petentes ſuam dignitatem à Clemente receperunt, ut ſcribit Ciaconius in Clemente VII ex Regiſtro, ut ait, regni Siciliæ; cùm tamen Auctor Vitæ Clementis, & antiquum chronicon manuſcriptum Bibliothecæ Victorinæ à Spondano num. 13 laudatum, afferant Jacobum de Ytro, poſt multa dira in carcere tolerata, demum miſerè mortuum ibi eſſe, *poſt multas afflictiones vitam velut martyr conſummavit*, inquit Auctor Vitæ Clementis. Eundem porrò Gentilem de Sangro Cardinalem Legatum quadriennio pòſt læſæ majeſtatis reus ab eodem Urbano factus, quaſi in Pontificem unà cum Carolo Rege conſpiraſſet, ejus juſſu in carcerem detruſus, acerbiſſimis tormentis cruciatus eſt, tandemque vinctus Genuam adductus, cum aliis anno 1385 necatus, in ſe Urbani ſeveritatem illam Dei permiſſu expertus fuit, quam pro Urbano in alios fortaſſe injuſtè Neapoli exercuerat, inquit Ciaconius.

XXXVI. *Urbanus ſeptem Cardinales creat.*

Urbanum menſe Septembri anni 1378 viginti novem Cardinales creaſſe vidimus; ſed quia ex illis quidam dignitatem recuſaverant, alii ab eo deſecerant, in Imperatoris & Hungariæ Regis gratiam anno 1379, ex Theodorico à Niem teſte oculato, duos alios, vel ex Panvinio & Ciaconio tres de novo creavit, nempè *Joannem Oczkonem* Boëmum, Epiſcopum Olmucenſem ac deinde Pragenſem; *Demetrium* Hungarum, Epiſcopum Strigonienſem; & *Valentinum* Hungarum, quem Theodoricus à Niem vocat Ludovicum, Epiſcopum Quinquecclesienſem. Anno verò poſtea 1381 in quatuor Temporibus Adventûs Domini quatuor alios creavit, nempe *Marinum de Judice*, natione Italum, patria Amalphitanum, Archiepiſcopum Tarentinum, quem tamen Oldoinus exiſtimat, dictum Cardinalem poſt annum 1382; *Landulphum Marramaurum*, Neapolitanum, Archiepiſcopum Barenſem; *Petrum Tomacellum*, natione Italum, ortum Neapoli, qui Urbano ſub Bonifacii IX nomine ſucceſſit; & *Thomam Urſinum*, Romanum, Protonotarium Apoſtolicum. Ex illis poſtea Urbanus Landulphum Marramaurum tanquam Caroli Dyrrachini Siciliæ Regis fautorem, & proditæ majeſtatis reum Cardinalitia dignitate ſpoliavit, ad quam reſtiturus eſt à Bonifacio IX.

XXXVII. *Clemens Ludovicum Andeg. Siciliæ Regem dicit, & Cardinalem unum creat.*

Cùm Ludovicus Andegavenſis, quem à Joanna Siciliæ Regina in filium & hæredem adoptatum vidimus, omnia pararet, ut ei in caſtro Civitatis Muri incluſæ auxilio eſſet, Carolus Dyrrachinus omnium hominum ingratiſſimus, contra fidem datam, die vigeſima ſecunda menſis Maji anni milleſimi trecenteſimi octogeſimi ſecundi, eam in capella flexis genibus orantem per ſatellites ſuos ſtrangulari juſſit, ut ſcribit Niemus lib. 1 cap. 25, vel, ut alii, injecto ori pulvillo ſuffocari. Quam luctuoſam animadverſionem viſum eſt cœlum ulciſci, cùm velut in vindictam, ſæviſſimam immiſit in civitatem Neapolitanam peſtilentiam, qua ſublati ſunt viginti ſeptem mortalium millia. Eodem tempore Ludovicus Joannæ mortem ignorans, paratis omnibus, quæ ad ejus auxilium neceſſaria erant, Avenionem pervenit, ubi à Clemente regni Siciliæ inſignia accepit tertio Kalendas Junii ejuſdem anni, octavo die à morte Joannæ, ut ſcribit Spondanus, Auctore neſcio quo, nam Auctor primæ Vitæ Clementis ait tantùm anno 1383, legendum 1382, Ludovicum Andegavenſem & Amedeum Sabaudiæ Comitem cum magno exercitu Avenionem veniſſe, ut irent in Italiam contra Urbanum & pro liberatione Joannæ Reginæ; & Clementem conſtituiſſe dictum Ludovicum dicti exercitus Ducem, ut nedum nomine proprio, ſed etiam Eccleſiæ & ſuo ad ſupradicta procederet, die 30 dicti menſis Maji in Presbyterum Cardinalem aſſumpſiſſe Thomam de Caſſato Ordinis Prædicatorum, antea Inquiſitorem hæreticæ pravitatis in provincia Lombardiæ, origine Pedemontanum, licèt non in Theologia Magiſtrum. Hujus Cardinalis meminit Ciaconius, ſed ignorat diem, quo ad eam dignitatem à Clemente evectus eſt.

XXXVIII. *Urbanus ſeditionem Romanorum compeſcit.*

Eodem anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſecundo Walſinghamus in Richardo II memorat Romanos ſeditionem aliquam in Urbanum & ejus Cardinales moviſſe; adeò ut Cardinalibus la[...] quærendæ fuerint: Urbanum autem [...] manibus accepta, fidenter ſe ſe concit[...] multitudini objicientem, eam facilè co[n]ſtantiâ ſuâ placaſſe, & ad veniam peten[...]dam flexiſſe. Cauſam ſeditionis Auct[or] non tangit, quam Krantzius lib. 10 M[...]

tr[...]

trop. lib. 14, ex tractatu cujuſdam Alfonſi Monachi de rebus Urbani, quibus ſe interfuiſse profitetur (& nihilominus multa eis abſona & inepta immiſcet) exritiſse ait, ex eo quòd aliquid Urbanus Romanis denegaret, quod ipſi petebant: Urbano autem audito eorum cum armis ad palatium adventu, ſediſse infulatum ad ingreſſum atrii, & vultu truculento adeò terruiſse irruentes, ut pacati reverſi ſint ad ſua. Quod etiam apud Gobelinum Coſmodrom. æt. 6, cap. 76, legitur. Ad hanc fortè ſeditionem reſpexit Auctor Viræ Clementis, cùm loquens de itinere Ludovici Andegavenſis cum exercitu ad regnum Neapoliranum, ait: *Veniendo tamen obliquavit viam, quæ de directo Romam tendebat, quæ etiam rectior & melior exiſtebat, quam ſi tenuiſſet, & aliqualem moleſtiam Romanis ſeu eorum territorio intuliſſet, creditur indubiè quòd dicti Romani Bartholomæum intruſum* (ita Urbanum Papam nominat) *ibi tunc exiſtentem cum ſuis Anticardinalibus ſibi tradidiſſent, & ita inter ſe facere deliberaverant audientes ejus potentiam, cui ſe non poſſe diutiùs reſiſtere exiſtimabat, nolebantque perire aut damnificari propter ipſos*, quæ Ludovici potentia porerat eſse una ex cauſis ſeditionis Romanorum.

XXXIX. *Urbanus ſpretis Cardinalium monitis & invito Carolo Rege Neapolim pergit.* Sed quæcumque tandem cauſa fuerit hujus ſeditionis, Urbanus, ut ait Platina, terrore Gallico liberatus, anno ſequenti 1383, ad virandum periculum peſtilentiæ graſſantis in Urbe, Tibur petiit, ibique permanſit per menſem, vel circa, indeque tranſivit ad caſtrum Vallemontanis in Campania, quod licèt eſser nimis ſtrictum pro ſua Curia, in eo tamen permanſit duobus circiter menſibus, & in principio menſis Septembris inde recedens, acceſſit ad civitatem Ferentinam, in qua remanſir uſque ad feſtum ſancti Michaelis, & poſtea Neapolim perrexit, ur ſcribit Niemus lib. 1, c. 28; Walſinghamus verò ſcribit, Urbanum invitis & deluſis Romanis, à quibus ſibi diffidebat, ſpecie purioris hauriendi aëris Urbem deſerentem fugiſſe potiùs, quàm acceſſiſse Neapolim, eoque audiro, Romanos miſſo Nuncio minatos eſse, ni protinus reverteretur, evecturos ſe aliquem ex Cardinalibus, qui remanſerant in Pontificem. *Audientes autem Romani*, inquit, *Papam repentè fugiſſe, cum magno ſupercilio miſerunt ad eum, andantes ut revertatur; alioquin affirmabant eum velle deponere, & aliquem de Cardinalibus, qui in Urbe remanſerant, in Papam eligere*. Deliberavit autèm ire Neapolim dubiæ Romanorum fidei naralis ſoli dulcedinem præponens, promirrens tamen brevem reditum, tum ut turbatum bello Ludovici Andegavenſis regnum ſtabiliret, tum ut promiſsos à Carolo Dytrachino in ſua regni inauguratione nepoti ſuo Franciſco Prignano ſeu Buryllo Principatus, quorum traditionem Carolus differebar, vindicaret, ut ſcribir Niemus laudatus, qui addit, ſex vel ſeptem de ſuis Cardinalibus ipſi diſsuaſiſse nequaquam ad regnum Siciliæ accedere, *cauſam aſſignantes, quòd ſi illuc accederet, ipſe & omnes ſui ſequaces grandiſſima poſſent veriſimiliter ſubire pericula, prout ipſi à pluribus perceperunt*; quibus nullatenus acquieſcere voluit, imò potiùs eos loco hoſtium habuir; & quòd ſequi diſtuliſsent rebelles repurans, etiam dignitate deponere cogitavit. Ad Urbanum etiam multi Prælati è regno ſcripſerant, ne accederet; ac denique ipſe Carolus Dyrrachinus ſibi fore adventum ejus ingrarum non diſſimulanrer oſtenderat.

Pagi Tom. II Part. II.

XL. *Ei occurrit Carolus, & ſtratoris officio fungitur.* Proceſſir nihilominus Urbanus & ineunre Octobri Averſam pervenir, cujus appropinquationem cùm audiſset Carolus advolans in occurſum obvius ei factus eſt extra Averſam: *cùm prope quamdam capellam pulchram & novam juxta viam publicam ab iſta parte Averſæ conſiſtentem quaſi per medium milliare Italicum perveniret, deſcendit de equo, & ſe Pontificalibus veſtibus adornavit. Veſtitus equum rurſus aſcendit, ubi occurrit ei, me præſente* (verba ſunt Niemi loco laudato) *Rex Carolus præfatus indutus nigris veſtimentis, nec per iter rectum, ſed per vineas equitando: & cum prope Papam eſſet, ipſum ſalutavit: quo facto multi ruſtici advenientes pedes dicti Urbani oſculabantur ibidem; ſed antequam hæc facerent, terram ſeu humum tribus vicibus oſculati fuerant. Rex verò præcedens Pontificem, egit officium ſcutiferi, quem Papa cum ſuis Curialibus & exercitu uſque ad Averſam ſequebatur*. Raynaldus anno 1383, num. 3, ait, Diatia Hectoris Pignatelli tradere Regem Carolum Urbano occurriſſe die quarta Octobris. Quæ verò poſtea ſecura ſunt ex eodem Niemo lib. 2, cap. 28 ad 34, ex Krantzio lib. 10, Metrop. cap. 17, ex Summontio lib. 4, cap. 1, & ex Gobelino ærat. 6, cap. 77, paucis hic deſcribenda.

XLI. *Ab eodem Carolo malè habetur.* Urbanum civitarem Averſam ingreſſum, cùm vellet Carolus Rex in arcem amplam & hoſpitio longè commodiorem deducere, abnuit ille ne fortè non liberum ei foret inde egredi, ſed ad ædes Epiſcopales divertit. Rebus ſequenti die quietè procedentibus miſit Carolus qui eum ad arcem invitarent, & tunc *ipſius diei hora ſexta*, inquit Niemus, *clam dicebatur in Neapoli à multis, quòd Rex ipſe cepiſſet Papam, & eum detineret captivum, & quòd ſecum exiſtentes Cardinales & Curiales eſſent liberi, ac contra eos nihil eſſet penitus attentatum, de qua quidem captivitate totus populus Neapolitanus videbatur valde triſtari*. Ibi coactus eſt revocare conditiones; quibus regnum Carolo conceſserat. Poſt

hæc

hæc Neapolim concedens, die nona menſis Octobris, ut apud eundem Raynaldum dicitur ex citatis diarijs Hectoris Pignarelli, prætenſo umbraculo aureo urbem ingreſsus eſt, Rege Carolo ante portam Capuanam in ſublimi ſolio, cincto Principibus diaconi cultu inſigni, conſidente, geſtante coronam in capite, atque altera manu liliatum ſceptrum, altera pomum præferente: cùm verò Urbanus propiùs acceſſiſset, Rex aſsurrexit è ſolio, provolutuſque in genua ante eum, ejus pedes oſculatus eſt; Urbanus verò Regiæ fronti oſculum dedit: denique Carolus, ut regia nitebat pompa, Pontificii equi fræna capeſſivit, & ſtratoris munere perfunctus eſt. Cùmque Urbanus ad ædium Epiſcopalium gradus applicuiſset, in iis ſubſiſtere voluit, & revera eum ibi manſiſse uſque ad feſtum omnium Sanctorum diſertè docet Gobelinus landatus ſcribens: *Vigilia omnium Sanctorum de anno Domini 1383, noctiſque ſequentis per urbem diffuſa caligine, Rex damnoſo conſilio circumventus ad curiam, in qua Papa reſidebat, quoſdam viros armatos dirigens Papam ad ſe venire mandavit: qui cùm illam horam ſe ad Regem venire poſtulari illi hora, qua Judæi Chriſtum comprehenderunt, aſſereret ſimilem, illi qui miſſi fuerant, in Papam manus violentas mittere tentant. Unde Papa quaſi malefactor ductus eſt, & nihilominus ſe ducentes excommunicatos denunciat, eoſque ut ſacrilegos voce libera damnat; & poſtea expertum eſt, quòd principis illius manus & latus dextrum, qui manus primùm miſit in Papam, eodem anno exarnerunt; tribus itaque diebus dictus Papa ſolatio & conſilio deſtitutus, totaque ejus Curia perturbata in caſtro cum Rege permanſit invitus.* Rursùs itaque cuſtodiæ traditus eſt Urbanus, ne liberè à Neapolitanis adiri, & conferre cum iis conſilia poſset. Demum interceſſione Cardinalium ac nonnullorum procerum, initâ inter Urbanum & Carolum concordiâ, Rex publicè veniam de præteritis à Pontifice petiit, promiſsa Butyllo adimplere pollicitus eſt, ac Pontificem in ædes Archiepiſcopales migrare, & à populo Neapolitano ſolitis honoribus recipi ac coli permiſit: quinimò & cùm idem Butyllus inter hæc quandam nobilem Monialem profeſsam violenter rapuiſset, ac conſtupraſset magno totius civitatibus ſcandalo, Rexque contra eum capitalem ſententiam tuliſset; in gratiam tamen Pontificis noxam remiſit.

XLII. *Clemens novem Cardinales creat.*

Inter hæc eodem anno 1383, dum Urbanus quoſdam à ſuis Cardinalibus, quos ſuæ captivitatis conſcios credebat, deponere cogitaret, Clemens Avenione die vigeſima tertia menſis Decembris feria quarta quatuor Temporum novem Cardinales creavit, ſeptem Presbyteros & duos Diaconos. Presbyteri fuerunt *Petrus de Croſo*, ſeu de Croſso, Ordinis Sancti Benedicti, diœceſis Lemovicenſis, tunc Archiepiſcopus Arelatenſis & Camerarius ſuus; *Faiditus de Agrifolio*, diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Avenionenſis; *Petrus Ayſselini de Monteacuto*, Ordinis Sancti Benedicti, diœceſis Claramontenſis, tunc Epiſcopus Laudunenſis; *Walterus de Wardelan*, Scotus, tunc Epiſcopus Glaſcuenſis; *Aymericus de Manchaco*, diœceſis Lemovicenſis, tunc Epiſcopus Pariſienſis; *Joannes de Novocaſtro* Burgundus, conſanguineus & Cubicularius Clementis, tunc Epiſcopus Tullenſis; *Jacobus de Mentonay* diœceſis Gebennenſis, tunc Archidiaconus in Eccleſia Remenſi, ejuſdem Clementis Cubicularius; Diaconi verò fuerunt *Amedeus de Saluciis* Pedemontanus, tunc electus Valentinenſis, nepos vel conſanguineus proximus Clementis; & *Petrus de Fetiniaco*, Advocatus Parlamenti Pariſienſis, & Archidiaconus Eccleſiæ Carnotenſis. Hæc ex Auctore Vitæ Clementis apud Baluzium, ex quibus illuſtrandus Ciaconius, qui exiſtimat ultra illos novem, creatum eſse decimum, nempe Martinum Epiſcopum Ulyſſiponenſem, qui poſtea adhæsit Benedicto XIII; hic enim Martinus obiit die tertia Decembris ejuſdem anni 1383, ut docet Rodericus à Cunha apud Baluzium col. 1301, ideoque mors ejus præceſſit creationem horum Cardinalium, ex quo factum eſt ut Auctor Vitæ Clementis eum non numeravit inter Cardinales, cujus rei exemplum retulimus in Urbano V.

XLIII. *Urbanus Crucem publicat contra Ludovicum Andegav.*

Urbanus, facta cum Carolo Rege concordia Neapoli in ædibus Archiepiſcopalibus, remanſit uſque ad menſem Majum anni ſequentis 1384, ubi Kalendis Januarii celebrata ſolemniter Miſsa in majori Baſilica, præſente Rege Carolo pronunciavit ſententiam condemnationis in Ludovicum Andegavenſem, quem hæreticum & ſchiſmaticum declaravit, quòd Clementis partes foveret, & regnum Neapolitanum armato milite invaſiſset; nam interim dum distineretur Carolus cum ipſo Urbano, non parvos progreſsus faciebat in Apulia. Præterea ſacram in eum militiam indixit; atque iis, qui contra illum arma corriperent, veniam delictorum promiſit, Carolum ſummum ſacrarum copiarum Vexilliferum, atque Præfectum conſtituit, conſecrato priùs vexillo, imagine ſancti Petri Apoſtoli & clavium Eccleſiæ inſignito, quod Rex toto Miſsæ tempore manu propriâ tenuit. In feſto Purificationis B. Mariæ die ſecunda Februarii in eadem Eccleſia peracto de more ſacrificio, ſacris candelis Regem, Reginam, & Cardinales donavit. Profecto autem Rege ad principium menſis Aprilis adverſùs Ludovicum, Margarita Regina acer-

acerbis edictis prohibuit, ne quid ſalis, aut ednlii, vel etiam candelarum, præterquàm in regiis cellis & horreis, emi aut vendi, tam Neapoli quàm vicinis provinciis poſſet; quos inſolentes agendi modos cùm ferre non poſſet Urbanus die, 26 Maji, Neapolitani æſtus vitandi prætextu, Luceriam, ſive Nuceriam, civitatem unius diei itinere Neapoli diſtantem, fertili & amœna plaga locatam, quam Rex nepoti ejus Butyllo conceſſerat, ſe ſe recepit. Sed rebus in pejus ruentibus, contigit etiam ut aliquot diebus familiares Pontificis Nuceriæ exiſtentis, neque pretio, neque precibus neceſſaria vitæ obtinere potuerint. Quare cùm facile intellectu eſſet, hæc in contemptum & odium ipſius Urbani fieri: timentes Cardinales & familiares ne quid ſibi locis non tutis conſtitutis à Reginæ ſatellitibus, vel ab agreſtibus incolis inſerretur, maluerunt Neapolim redire, ſpe tutioris in tanta urbe manſionis; ſolus enim Urbanus cum paucis è ſuis intra arcem agebat.

XLIV. *Cardinalis Reatinus res novas contra Urbanum molitur.*

Sed illi omnes Cardinales paucis pòſt diebus ab Urbano revocati, Nuceriam reverſi ſunt, uno excepto Cardinale, qui jam antè Pontifici ſuſpectus ob gratiam, quâ apud Regem Carolum valebat, ac propterea ab eo depoſitus, non ſolùm redire noluit, verùm etiam res novas apertè moliri cœpit. Quæ Theodoricus Niemus à cap. 36 ad 40, pluribus refert, & profitetur ſe omnibus interfuiſſe, & Urbano in revocandis Cardinalibus inſerviſſe. Quis fuerit iſte Cardinalis Reatinus in obſcuro eſt, nam Walſinghamus ad annum 1385, vocat eum Abbatem Montis Caſſini quondam Cardinalem Reatinenſem, & Gobelinus laudatus cap. 78, Petrum Tartarum Abbatem Montis Caſſini. Unde apud Ciaconium in Gregorio XI Petrus de Tartaris natione Romanus ex Abbate Caſſinenſi dicitur factus Cardinalis ab eodem Gregorio in ſecunda creatione; ſed cùm Auctor Vitæ Gregorii XI tunc vivens, & Cardinales ab eo creatos ſtudioſè recenſens, ejuſdem Petri de Tartaris Cardinalatus non meminerit, ideo eum rejecimus è numero Cardinalium ab eodem Gregorio creatorum. Certè Auguſtinus Oldoinus in nova editione Ciaconii rectè probat ex Contelorio erraſſe eos qui Petrum de Tartaris inter Cardinales numerant, eumque fuiſſe tantùm Abbatem Caſſinenſem, cùm, diplomate dato IV Idus Octobris anni 1387, Urbanus VI eum ſchiſmaticum declaravit, imò & eum obiiſſe anno 1395, cùm adhuc Abbas eſſet. Cardinalis itaque iſte alius eſſe non poteſt, quàm Bartholomæus Mezavacca Bononienſis, qui antea erat Epiſcopus Reatinus, quem Urbanus Idibus Octobris anni 1383, ex Oldoino, abſentem, & ſibi maximè inviſum, ac tanquam omnium diſcordiarum fomitem, ſolemni ritu Cardinea purpura, & reliquis honoribus privavit; videtur tamen hic errorem cubare, quoad annum ejus depoſitionis; veriſimile enim non eſt Urbanum menſe Octobri anni 1383 Cardinalem Carolo Regi gratum depoſuiſſe, cùm præſertim Urbanus quaſi captivus eſſet Averſæ vel Neapoli. His adde Theodoricum Niemum cap. 42, apud Raynaldum anno 1385, num. 1, aſſerere Cardinalem Reatinum tunc cum aliis Cardinalibus litem moviſſe Neapoli an Urbano dandus eſſet curator.

XLV. *Caroli Dyrrachini arrogantia in Urbanum.*

Eodem anno 1384, mortuo Ludovico Andegavenſi die decima Octobris, ut ſcribunt aliqui, vel die vigeſima prima Septembris ut Juvenalis, aliique volunt, Carolus Dyrrachinus periculo liberatus, ſicuti & morbo, quem in ſua contra eum expeditione ſuſceperat, menſe Novembri Neapolim rediit, una cum exercitu non virtute victore, ſed oſtentatione felici; hocque ſucceſſu tumidior factus, & incentivis Cardinalis Reatini irritatus, arma in Urbanum inermem convertere decrevit, eò iniquiora, inquit Spondanus num. 6, quò in patrem ſuum ſpiritualem, & in dominum temporalem, autoremque regiæ ſuæ dignitatis ſumpta. Quippe contemnens Urbanum viſitare, ut par erat, & tanta locorum proximitate facillimum, miſit ad eum, ut ſcribit Summontius lib. 4, cap. 1, Oratorem ſciſcitantem cur Neapoli diſceſſiſſet: rogatumque ut quantocyus reverteretur, quod multa eſſent magni momenti quæ cum ipſo conferret. Cujus arrogantiâ commotus Pontifex, qui jam antea exulcerato in eum animo erat, reſpondit conſueviſſe Reges ac Principes Chriſtianos ad pedes Pontificum ire, non bos ad illos, ſi autem ſe amicum habere vellet, tot gravia vectigalia & inſoluta tributa, quibus regnum Romanæ Eccleſiæ fiduciarium opprimebat, abrogaret. Ferocior his factus Carolus, renunciari juſſit, non ſolùm non abrogaturum ſe, aut imminuturum vectigalia, verùm etiam graviora propriâ auctoritate additurum, regnum quippe ſuum eſſe jure uxoris & armorum. Quod & reapſe præſtitit; ſpecie quidem ſolvendorum ſtipendiorum exercitûs contra Andegavenſem armati; re tamen veriori in iter, quod jam animo conceperat, in Hungariam ad regnum illud capeſſendum, ad quod vocabatur à magna parte Procerum. Ex quibus in apertum diſſidium ventum eſt inter Urbanum iracundum & vindictæ cupidum, ac Carolum ingratum & vanâ gloriâ captum.

XLVI. *Urbanus ſex Cardinales carceri mancipat, torquet, & diris affligit.*

Cùm enim Cardinalis Reatinus non ſolùm Carolum Regem in Urbanum concitaſſet, verùm etiam nec is contentus, aliis Cardinalibus Nuceriæ cum Urbano exiſtentibus ſe-

SÆC. XIV. URBANUS VI.

ſecretò inſinuaret, num ſi Papa negligentior eſſet, aut adeo inniteretur ſuo ſenſui, ut inde periclitaretur univerſalis Eccleſia, aut abſque conſilio Cardinalium pro libito voluntatis omnia agere vellet, an ei ſic conſtituto liceret curatorem aut aliquos idoneos curatores per Cardinalium electionem addere, juxta cujus, ſeu quorum conſilium Papa expedire ſingula Eccleſiæ negotia teneretur; poſſeque & debere fieri, nonnullorum Theologorum & Juriſconſultorum comprobatione ſuaderet: adderetque inſuper crimina hæreſis in fide, perfidiæ in Carolum Regem, & Romanos, avaritiæ, ambitionis, & alia hujuſmodi, quibus ut indignus Pontificatu, aut in ordinem redigendus eſſet, aut de medio tollendus; facta etiam in ejus vitam atroci conjuratione; Urbanus iis cognitis, ut ſcribit Niemus cap. 42, operâ Thomæ Urſini de Manupello Romani Diaconi Cardinalis, qui apud Urbanum Nuceriæ agebat, quique ſive timens ne & ipſe in ſuſpicionem conjurationis incideret, ſive ſceleris horrore ductus cuncta ſecretò Pontifici ſignificavit iis: inquam, cognitis Urbanus, irâ incenſus, celebrato de more conſiſtorio die undecima menſis Januarii anni 1385, atque in eo narratis quæ acceperat; oſtenſâque inſuper Epiſtolâ à Cardinale Gentili de Sangro ad quatuor alios, qui relictâ Nuceriâ Neapolim ſe receperant, occultis notis, quas Siffras vocant, conſcriptâ, graviterque in eorum perfidiam invectus, vocavit ad ſe Franciſcum Butyllum nepotem ſuum commendans ei, tum eundem Gentilem de Sangro, tum alios quinque Cardinales examinandos, nempe Ludovicum de Venetiis, Adamum de Eſton Anglum, Bartholomæum Archiepiſcopum Januenſem, Joannem de Aurelia Archiepiſcopum Corſienſem, & Marinum de Judice Archiepiſcopum Tarentinum. Butyllus eos ſtatim detinuit & ferreis compedibus adſtrictos diris atque anguſtiſſimis carceribus ſeparavit. Id autem actum eſſe die undecima Januarii, quæ cum die Mercurii concurrebat, nos docet Gobelinus laudatus cap. 78. Hi porrò cum Petro Epiſcopo Aquilano diriſſimè pluries torti, equuleis ſuſpenſi, aliiſque ſuppliciis variè affecti, ſeu vi tormentorum, ſeu ex conſcientia facinoris, crimen faſſi, detenti ſunt iiſdem ergaſtulis, & fame, ſiti, frigore, æſtu, vermibus, & pædore afflicti per ſeptem menſes uſque ad menſem Auguſti, quo illos ſecum Urbanus Nuceria ſe ſe eripiens abduxit, ut ex iiſdem Gobelino, & Niemo refert Spondanus. Quid de iis actum ſit, infrà dicetur. Addit Gobelinus Urbanum comprehenſos conjuratos Cadinalitia dignitate privatos pronunciaſſe, omnibus aliis honoribus, Sacerdotiis, ac bonis ſpoliaſſe.

Ceterùm Niemus non dicens diem, quo Cardinales illi carceribus mancipati ſunt, ſupponit tamen id factum ante diem ſeptimum Januarii, quo novos Cardinales ab Urbano creatos ſcribit cap. 43. *Die ſequenti*, inquit, *poſt epiphaniam Domini, me præſente, ad pronunciationem multorum novorum Cardinalium ipſe* (Urbanus) *in præfato caſtro in publico conſiſtorio exordium ſermonis, quem tunc fecit*, *Lætare Germania* &c. & nominavit eos, inter quos erant Colonienſis, & Moguntinenſis, atque Trevirenſis Archiepiſcopi, & Arnoldus Leodienſis, nec non Wenceslaus Wratislavienſis Epiſcopi, ac nobilis Petrus de Roſemberg nobilis genere & honeſtæ converſationis Presbyter in regno Boëmiæ natus; qui tamen unanimiter poſt longam deliberationem inter ſe habitam, omni ambitione ſemota, hujuſmodi Cardinalatus honorem acceptare noluerunt, licèt Urbanus Eccleſiarum ſibi commiſſarum adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus, quoad viverent, eis non petentibus conſervaſſet. Gobelinus id etiam aſſerit cap. 84 de tribus Electoribus, ſed de aliis tacet. Subdit Niemus *tunc* Urbanum pronunciaſſe *multos Cardinales de Neapoli ortundos*, ſed hos ipſius Caroli metu Cardinalium purpuram non eſſe auſos induere, ſed domi ſe continuiſſe. Ciaconius qui hanc promotionem perperam conſignat menſe Decembri anni 1384, quinque nomina refert, nempe Franciſci Carboni ſeu Carbonarii; Marini, ſeu Marinelli Bulcani; Raynaldi Brancacii; Angeli de Anna ſeu de Summaripa; & Franciſci Caſtagnola, quos omnes dicit Neapolitanos. Illos Cardinales Contelorius in Elencho ab Urbano Genuæ promulgatos ſcribit; ad quam civitatem circa menſem Septembrem ejuſdem anni 1385 pervenit, ut mox dicetur.

XLVII. *Cardinales creat, quorum ſex Germani acceptare renuunt.*

Urbanus poſt captos illos Cardinales, ut Walſinghamus in Richardo II, Krantzius lib. 10 Metropol. cap. 18, Niemus cap. 49, & Gobelinus laudatus ſcribunt, convocans ad concionem omnem Clerum, longo ſermone habito de conjuratione in ſe deſignata, & vinctorum confeſſione, quâ præcipuus ejus architectus detectus fuiſſet Reatinus, conſcii Rex Carolus, ejuſque uxor Margarita, quos ipſe ad tantam dignitatem evexerat; erectâ cruce & accenſis candelis, eoſdem Regem, Reginam, & Reatinum, ſexque mox nominatos Cardinales, complices, conſiliarios, adjutores, fautores, conniventes, ac communicantes, excommunicavit, Regem, Reginamque regno depoſuit; Cardinales & alios dignitatibus exuit, urbem Neapolitanam interdicto ſubjecit; ac demum in eorundem execrationem, candelas extinxit, & in terram projecit. Quare Carolus omnes Prælatos &

XLVIII. *Regem Carolum, ac Reginam excommunicat, & regno privat.*

& Clericos, qui Neapoli partes Urbani fovere detecti ſunt, carceribus includi, tormentis vexari, nonnullos in mare præcipitari juſſit. Qui verò Neapoli interdictum ſervare, nec jubenti Regi in re divina facienda obtemperare voluerunt, peſſimè habiti ſunt, nec tamen vix inventi qui Regi acquieverint præter paucos.

XLIX. *A Carolo Rege obſidetur.* Antequam Urbanus excommunicationis & privationis ſententiam in Carolum Regem ferret, præmiſerat, ut iidem Auctores & Blondus lib. 2 Dec. 10, habent, de more citationem, cui Rex, ſicut dicebat, ut faciliùs reſponderet, collecto exercitu, cui Rearinum ex-Cardinalem, quem ſuum Cancellarium creaverat, præfecit, Nuceriam ſeu Luceriam obſidione cinxit. Ac primò quidem in quodam caſtro, Scaſati dicto, Franciſcus Butyllus Pontificis nepos, proditus ab iis quos receperat, captus apud Neapolim in cuſtodia poſitus eſt. Luceria quoque capta, direpta & incenſa: præter eminentiorem arcem vulgò *la Rocba* dictam, in qua erat Pontifex gravi penuria preſſus, & in qua armis uſus Pontificiis, ter ſingulis diebus ex feneſtra arcis cum tintinnabulo & candelis accenſis maledicebat exercitui Caroli. Unde commoti Neapolitani cives Carolum de pace ineunda ſollicitarunt; eoque annuente, res tamen effectu caruit adverſariorum improbitate, ſperantium Urbanum brevì in manus ſuas perventurum; quem deponere, aliumque ejus loco ſufficere conſtituerant. Baluzius in Notis ad Vitas Paparum Aven. col. 1332 ſcribit extare in codice 3317 Bibliothecæ Colbertinæ, qui tempore Urbani VI ſcriptus eſt, denunciationem publicam factam per præconem die Mercurii decima Maji, qua Duces Caroli, qui obſidionem Nuceriæ faciebant, polliciti ſunt de mandato ejus ſe decem millia florenorum auri daturos ei, qui eundem Urbanum vivum, aut mortuum ipſis vel alteri eorum, vel alicui miniſtro regio aſſignaverit.

L. *Confugit Genuam.* Sed providens ipſe rebus ſuis, rogatis clàm Januenſibus decem ad ſe mittere triremes, quæ ipſum educerent; interim ope Raymundi de Baucio de Urſinis filii Comitis Nolani, & Thomæ Sanſeverinatis, egregiorum Ducum partis Andegavenſis, invitis hoſtibus è Luceria ereptus die ſeptima Julii, non ſine magno labore & periculo deductus eſt terreſtri ac difficili itinere, unà cum ſuis Cardinalibus tam liberis, quàm captivis, primò Beneventum, deinde Minerbium civitatem Apuliæ: demumque inter Barletum & Tranum à triremibus exceptus multa littora Siciliæ Italiæque legens, tandem pervenit Genuam die vigeſima tertia Septembris, ut ſcribit Gobelinus Perſona, qui Pontificem comitabatur cap. 78. *Die Sabbati vigeſima tertia menſis Septembris ad civitatem Januenſem pervenimus, ubi Papa ad hoſpitale S. Joannis in Occidentali burgo ſitum ſe contulit, captivos Cardinales ſecum deducendo, quos ibidem carceribus mancipavit.* Genuæ uſque ad finem anni ſequentis 1386 permanſit, detentis ſemper magnâ curâ diro carcere Cardinalibus captivis; uno excepto Adamo Anglo, qui in gratiam Regis Angliæ, & quòd nihil aliud peccaſſet, quàm quòd Pontificem dixiſſet intolerabili eſſe faſtu, ſeu, ut quidam habent, quòd ſciens conjurationem non detexiſſet, ſatiſque jam pœnarum expendiſſet ſuæ taciturnitatis, dimiſſus eſt, ut ait Gobelinus cap. 81, ſub cuſtodia cujuſdam Clerici Cameræ Apoſtolicæ Galli, depoſitus tamen à Cardinalatu; quem poſt obitum Urbani reſtituit ei Boniſacius nonus ejus ſucceſſor. Hæc ferè de verbo ad verbum ex Spondano, qui ea deſumſit ex Niemo, Gobelino, VValſinghamo, Krantzio, Summontio & aliis. Addit ex Niemi cap. 50, Epiſcopum Aquilanum cùm in itinere è Luceria ad triremes parvo & invalido equo inſideret, & fractus adhuc eſſet tormentis, quæ paſſus fuerat, haud ita velociter, ut neceſſe erat, equitare valeret, juſſu Pontificis exiſtimantis occaſionem ipſum evadendi hac arte quærere, trucidatum ipſa via fuiſſe & inſepultum relictum. Cujus tamen inhumaniſſimæ crudelitatis prædicti ceteri Auctores non meminerunt.

LI. *Clemens Cardinales creat.* Eodem anno milleſimo treceteſimo octogeſimo quinto Robertus Gebennenſis, Clemens VII in ſua obedientia dictus, aliquibus ex ſuis Cardinalibus noviter defunctis, die duodecima Julii extra quatuor Tempora ſeptem novos Cardinales Presbyteros fecit, ſcilicet *Bertrandum de Chanaco* diœceſis Lemovicenſis, tunc Patriarcham Jeroſolymitanum; *Thomam de Amanatis* Italicum, tunc Archiepiſcopum Neapolitanum, & Referendarium Clementis; *Joannem de Placentinis* Lombardum, tunc Epiſcopum Caſtellanenſem, ſeu Venetiarum; *Amelium de Lautreco* Canonicum Regularem Ordinis Sancti Auguſtini, de Albigeſio, tunc Epiſcopum Convenarum, ac etiam ejuſdem Clementis Referendarium; *Joannem de Murolio* diœceſis Claromontenſis, tunc Epiſcopum Gebennnenſem; *Petrum de Tureyo* Burgundum, tunc Epiſcopum Malleacenſem; & *Joannem de Bronaco* diœceſis Gebennenſis, tunc Epiſcopum Vivarienſem, & ipſius Clementis Cubicularium. Baluzius in Notis col. 1333 exiſtimat Clementem tunc octo Cardinales creaſſe, & octavum, nempe Joannem Rotlandi Epiſcopum Ambianenſem, quia in Diario Joannis Fabri Epiſcopi Carnotenſis dicitur octo fuiſſe Cardinales creatos; iſtius autem Joannis Rotlandi mentio reperitur in libro obligationum, ex quo Panvinius,

&

& Contelorius eum inter illos octo numerant, ideoque illum octavum ab Auctore Vitæ Clementis prætermiſſum. Verùm, cùm nulla ejus Cardinalatus mentio reperiatur in ejus epitaphio, neque in Necrologio Eccleſiæ Ambianenſis, & Ægidius Bellamera, qui anno 1386 commentarios ſuos in Decretales ſcribebat, eùm in cap. *Examinata* de judiciis vocet eum ſimpliciter modernum Epiſcopum Ambianenſem, inde & ex aliis colligi fortaſſis poſſe putat idem Baluzius, illum ſua ſorte contentum, Cardinalatum reſpuiſſe, & de eo verè dici poſſe quod legitur in epitaphio ejuſdem Bellameræ: *Noluit & potius Romano cardine fungi*. Sed cùm in epitaphio ejus nulla ſit mentio hujus rei, quæ ſine dubio omiſſa non fuiſſet, hæc conjectura non videtur admittenda.

LII. *Quo anno Petrum de Lucemburgo Cardinalem dixerit.*

Magna etiam difficultas eſt de tempore, quo Clemens Petrum de Lucemburgo in Cardinalium numerum cooptavit. Auctor Vitæ ejuſdem Clementis ejus creationem revocat ad tempus Paſchale anni 1384 poſt promotionem, quæ facta eſt menſe Decembri anni 1383, eamque factam dicit ad inſtantiam Caroli VI Regis Franciæ, & Joannis Ducis Bituricenſis ejus patrui. Verùm eam retrahendam eſſe ad annum 1386 probat Baluzius col. 1319 & ſeq. quia eum conſtet illum ad eam dignitatem vocatum *adveniente tempore Paſchali*, & ex veteri libro cameræ Computorum Pariſ. citato inter probationes hiſtoriæ Cardinalium Gallorum pag. 529, intelligamus Regem Carolum VI ei die 24 Aprilis anni 1386 dediſſe duo millia librarum in ſumptus itineris Avenionenſis, & ex libro Obligationum conſtet illum perveniſſe Avenionem & intraſſe Curiam die quarta Junii ejuſdem anni, videtur, inquit Baluzius, ambigi non poſſe, quin Petrus factus ſit Cardinalis anno 1386 menſe Aprili, & conſequenter quin Auctor Vitæ Clementis ejus promotionem loco ſuo non poſuerit. Sed ad hæc reſponderi poſſet, ideo Petrum de Lucemburgo Avenionem petiiſſe anno tantùm 1386, quia Clemens ejus creationem publicavit tantùm eodem anno, licèt eam promiſiſſet Duci Bituricenſi anno 1384, quo idem Dux tempore Paſchali, nempè menſe Majo, Avenionem perrexit, ut teſtatur Ægidius Bellamera in cap. *Sacris* de his quæ vi, metuſque cauſa fiunt; ſic enim non cogimur erroris inſimulare Auctorem Vitæ Clementis quando ſcripſit, promotionem ejus factam, id eſt promiſſam, tempore Paſchali anni 1384, ſed promulgatam tantùm anno 1386. Quòd ſi quæratur cur Clemens anno 1384 promiſſis ſtatim non ſteterit, non ineptè forſan dici poteſt, ætatem Petri de Lucemburgo huic dilationi cauſam præbuiſſe; cùm enim Petrus obierit die quinta Julii anni 1387 anno ætatis XVIII nondum completo, ut ait Auctor Vitæ Clementis, tempore Paſchali anni 1384 nondum compleverat annum ætatis decimum quintum; nullum autem exemplum præceſſerat alicujus in tam tenera ætate Cardinalis creati. Solus ante hæc tempora Petrus Rogerius, qui poſtea dictus eſt Gregorius XI in Pontificatu, reperitur dictus Cardinalis eùm nondum decimum octavum annum ætatis compleſſet, quod forſan exemplum ſequi voluit Clemens, cùm Petrum de Lucemburgo ad Cardinalatum aſſumptum eſſe publicavit, eo tempore, quo annum ætatis decimum octavum inchoare debebat. Quo caſu Petrus fuiſſet, ut nunc loquimur, reſervatus in pectore anno 1384, & publicatus anno 1386: id non fuiſſe inuſitatum dedocuit ex eo quòd non multò poſt, anno ſcilicet 1423, Martinus V teſte Ciaconio duos renunciavit Cardinales, nempe Dominicum Ram Hiſpanum, & Dominicum Capranicum Romanum, quos tamen tunc temporis non publicavit, ſed aliquorum ſententia poſt nonnullos annos. Quæ ex conjectura tantùm à me dicta profiteor.

LIII. *Petri de Lucemburgo genus, primordia, mors & vitæ ſanctitudo.*

Natus erat Petrus de Lucemburgo die vigeſima Julii anni 1369 Linæi in diœceſi Tullenſi ex Guidone Lucemburgico & Mathilde de Chaſtillon Comitiſſa Sancti Pauli. Fratres habuit duos, nempè Valeranum Sancti Pauli & Linæi Comitem, ſummum in Francia Militiæ Præfectum, quem Comeſtabilem vocabant; & Andream Cameracenſem Epiſcopum. Licèt autem *ex Imperiali & Regali ſtirpe*, ut ait Molanus loquens de Sanctis Belgii ad VI Nonas Julii, parentes ejus prodiiſſent, doctrina tamen, virtute & pietate inſignior erat. Penè puer, ſed vir ſenſu, Canonicus Pariſienſis, indeque Carnotenſis Archidiaconus factus, anno ætatis decimo quinto, vel circiter, Metenſis Epiſcopus deſignatus eſt ob morum præſtantiam & vitæ ſanctitudinem; paulòque pòſt Diaconus Cardinalis Sancti Georgii in Velabro a Clemente creatus, brevi ex vitæ auſteritate, poſt ejus acceſſum Avenionem, in morbum incidens, gaudens migravit ad cœlum die quinta Julii anni 1387. Sepultus eſt, uti ipſe teſtamento mandaverat, in communi cœmeterio pauperum, ubi ſtatim magnis & ſtupendis miraculis eum inclaruiſſe ſcribit Auctor vitæ Clementis; ejus namque tumulum viſitantes, *nedum liberati à febribus, ſed ab aliis infirmitatibus, quæ communiter accidere ſolent, ſed etiam cæci viſum, ſurdi auditum, claudi greſſum, muti loquelam, leproſi munditiam ſunt ejus meritis conſecuti, ſed &, quod majus eſt, plurimi mortui ad vitam priſtinam ſunt revocati*: quibus valde exaltata eſt pars Clementis, cùm viderent homines tanta divinitùs teſtimonia ſanctitatis

vi-

viri, qui eum ut verum Pontificem coluerat. Petrum ſtatim poſt mortem miraculis inclaruiſſe ex eo patet, quòd in Diario Joannis Fabri Epiſcopi Carnotenſis legitur die 24 Auguſti ejuſdem anni quo obiit, Mariam Reginam Siciliæ Ludovici II matrem, quæ tum erat apud Villamnovam, veniſſe Avenionem, & Miſſam cotam ſe celebrari feciſſe in conſpectu ejus ſepulchri; annoque ſequenti 1388 die prima Februarii expeditam fuiſſe literam ſupplicatoriam *ad Papam ex parte Dominæ Reginæ pro Canonizatione Petri Cardinalis de Lucemburg.* Anno 1389 Petrus de Alliaco Cancellarius Pariſienſis miſſus eſt à Rege, ab Univerſitate & ab Eccleſia Pariſienſi ad poſtulandam eandem Canonizationem, ut videre eſt Tom. 4 Hiſt. Univerſit. Pariſ. Clemens autem in his maturè procedere volens, commiſit ſuper præmiſſis inquiri diligenter & informationem recipi tam per Prælatos, quàm certos Cardinales ad hoc per ipſum deputatos. Eandem poſteà Canonizationem à Concilio Baſileenſi poſtulavit Philippus Dux Burgundiæ anno 1436, ut conſtat ex ejus Epiſtola edita Tomo XII Concil. Labbei pag. 973. Sed fortè, inquit Spondanus, ea canonizatio non obtenta, eò quòd Cardinalatum à Clemente dubio Pontifice accepiſſet, & in ejus obedientia deceſſiſſet. Ejus tamen ſacras reliquias Julius de Medices Clemens verè ſeptimus anno 1527 honorificè elevari, ipſumque pro Beato coli conceſſit, in qua tamen eum non Cardinalem, ſed R. ſeu Reverendum Petrum appellat. Clementis VII conſtitutionem edidére Victorellus in Additionibus ad Ciaconium, & Saxius in Pontificio Arelatenſi ſub Ludovico Alemanno, ſeu Alemando, Archiepiſcopo Arelatenſi. Obſervandum venit, anno 1395, ædificatam eſſe Capellam in loco in quo requieſcebat Petri Lucemburgi corpus, pro cujus ædificatione Joannes de Lucemburgo Comes Converſanenſis ſex millia ducatorum expendi voluit, & in ea ſepeliri; & Andreas de Lucemburgo Epiſcopus Cameracenſis Petri frater anno 1396 ſtatuit, *quòd cor & inteſtina ſua deferantur Avenionem, & Eccleſiaſticæ tradantur ſepulturæ in Eccleſia ubi jacet intumulatus idem Dominus Petrus de Lucemburgo ejuſdem germanus ſanctæ memoriæ dudum Cardinalis*: quibus ex verbis Baluzius colligit eam Eccleſiam fuiſſe tunc ſaltem ex parte perfectam. In ea porrò Eccleſia inſtitutum cœnobium Patrum Cæleſtinorum, quod hodie celebre eſt.

LIV. *Carolus Franc. Rex Clementinorum extorſiones reprimit.*

Ut verò jam ad annum 1385 redeamus, refert Spondanus, Carolum VI Franciæ Regem adverſus immoderatas Clementis Pontificis Avenionenſis, ejuſque famelicorum Cardinalium, quibus ſatiandis ſola ferè Gallia objecta erat, exactiones, Cleri cauſam ſuſcepiſſe. Quippe, ut ait Juvenalis, eùm miſiſſet Clemens Abbatem Sancti Nicaſii Remenſis, ut de omnibus beneficiis Eccleſiaſticis mediam proventuum partem exigeret; iſque mandatum acerbè exequens, etiam in Sacerdotia quorumdam Academiæ Pariſienſis Scholaſticorum manus injiceret: facta inde apud Regem expoſtulatione ab Academiâ, utpote ipſius & Eccleſiæ protectorem ac defenſorem; poſt multam conſultationem Rex edixit die ſexta Octobris, ne aurum vel argentum extra regnum exportaretur; ſed & fructus Sacerdotiorum ſub manu regia cuſtodirentur, quorum pars victui Sacerdotum, altera oneribus exolvendis, tertia Eccleſiarum atque ædificiorum inſtaurationi impenderentur. Miſſuſque Avenionem Arnaldus de Corbia Senatûs Pariſienſis princeps, qui rem Clementi exponeret, eumque ab ulteriori Cleri Gallicani vexatione dimoveret: quod Clemens promiſit.

LV. *Urbanus Cardinales & Prælatos captivos necat.*

Gobelinus Perſona in Coſmodrom. æt. 6 cap. 81 refert Urbanum Papam anno 1386 apud Genuam exiſtentem, ab amicis Cardinalium, quos captivos ſecum duxiſſe diximus, tam veneno, quàm nocturnis armis non ſemel tentatum, ab iis ſe expedire decreviſſe: Niemus ait eum rejectis omnium, qui pro eis interpellabant, precibus, inſigni aut ſævitiæ aut juſtitiæ exempio, quinque eorum vel ſaccis inſutos in mare demerſiſſe, vel in carcere ſtrangulatos ſtabulo equorum repletâ foſſa calce infodiſſe, vel ſecuri mactari juſſiſſe, quos tres modos miſerandi eorum exitus ex varia ſparſa fama Niemus tum è Curia abſens cap. 60 recitat. Auctor Vitæ Clementis etiam ex ſparſa fama ſcribit vel ſuiſſe in mare ſubmerſos, vel in terra vivos ſepultos, vel plantatos in terra uſque ad mentum capite truncatos; ſed in hoc errat, quòd ſex ita immaniter habitos ait, cùm Adamo Anglo parſum eſſe aſſerat Gobelinus loco laudato, qui & de jugulatione & infoſſione ſtabularia teſtis eſt; Blondus verò lib. 2 decad. 10, & plerique poſt eum immerſionis; nonnulli ſimplicis cædis, haud indicato genere. Cum iis quatuor alios inſignes Prælatos necatos eſſe ac pariter ſtabulo infoſſos Boninſegnius Florentinus tunc vivens lib. 4 memorat.

LVI. *Urbani duo Cardinales ad Clementis partem accedunt.*

Eodem tempore duo Urbani Cardinales, nempe Pileus de Prata Presbyter tituli Sanctæ Praxedis, Ravennas ab Archiepiſcopatu dictus, ac Legatione Germanica & Anglica pro eo olim eximiè functus, & Galeotus Tarlatus de Petramala Aretinus Diaconus tit. Sanctæ Agathæ, qui pariter Urbano ſemper comes fidus extirerat, ſive veriti inexorabilis & præcipitis, nimiùmque ſuſpicacis Urbani iram, ut ſcribit Hieronymus Rubeus lib. 6 Hiſtoriæ Ra-

Ravenn. pag. 591, ſive ſuſpecti de intentato Pontifici veneno, ut volunt alii, eo dimiſſo, Avenionem ad Clementem acceſſerunt. Gobelinus Perſona cap. 81 loquens de quadam conjuratione facta adversùs eundem Urbanum, addit: *Dominus Pileus Cardinalis de Ravenna & Cardinalis de Petramala de Curia fugiendo, ſe circa præmiſſa ſuſpectos reddiderunt: Et tandem Avenionem ſe transferentes ab Antipapa in Cardinales recepti ſunt. Sed & Dominus Pileus in majorem Domini Urbani contumeliam capellum, quem ab eo inſigne honoris Cardinalatus acceperat, Papiæ in foro publicè combuſſit, Comite Virtutum hoc gratum habente;* id eſt Joanne Galeatio Comite Virrutum & Mediolanenſium Domino in Urbanum commoto, ſi vera ſcribit idem Gobelinus, quòd negaſſet ipſi Regis titulum, quem in Lombardia ab eo petierat. Et paulò pòſt: *Hinc Urbanus duos Cardinales prædictos excommunicavit, & Cardinalatus honore privavit* literis datis Peruſii, quò ſe jam è Genua contulerat, Nonis Octobris anno decimo, ideoque anno 1387 eas ſe vidiſſe teſtatur Rubeus; Pileus enim eo tantùm anno ad Clementem acceſſit: Avenionem enim intraſſe dicitur in libro Obligationum die 13 Junii ejuſdem anni 1387: Galeorus verò die quinta Maji anni ſequentis. Porrò hi duo Cardinales novos titulos à Clemente acceperunt, Pileus quidem Sanctæ Priſcæ, Galeotus verò S. Georgii in Velabro. Primus, mortuo Urbano, ad Bonifacium IX Urbani ſucceſſorem remeavit, ut infra videbitur; ideoque, ut ait Auctor Vitæ Clementis, vulgariter dictus eſt *Cardinalis de Tricapelli, hoc eſt trium Capellorum, id eſt à tribus capellatus.* Galeotus autem uſque ad obitum in partibus Pontificum Avenionenſium perſtitit, cumque literis politioribus egregiè inſtructum fuiſſe apparere air Spondanus ex binis literis Nicolai de Clemangiis ad eum ſcriptis de ſtudio eloquenriæ & poëſis, ac de levi cujuſdam dicto, quòd extra Italiam non eſſent Oratores & Poëtæ: nec non ex aliis de ejuſdem morte ex morbo calculi, ad Guntherum Regis ſecretarium exararis.

LVII. *Urbanus Genua Lucam concedit.*

Poſtquam Urbanus anno uno & amplius Genuæ reſediſſet, inde ſolvit menſe Decembri anni 1386, ſive quòd, ut ait Folieta lib. 9 Hiſt. Gen. inter ipſum & Antoniotum Adornium civitatis Ducem parum conveniret; ſive quòd, ut Gobelinus ſcribit, debira reverentia ei non exhiberetur à Genuenſibus, qui ab eo, ſi verum dicit VValſinghamus in Richardo II, magnam auri ſummam extorſerunt: *Januam uſque*, inquit, *perductus eſt, à qua civitate transmigrare non permittitur donec ineſtimabilem auri ſummam pro ſua ereptione perſolviſſet Januenſibus, qui plus propter nummum quàm propter Deum ejus ereptioni intenderant, prout patet.* Niemus Urbanum menſe Decembri maritimo itinere Genuâ ſolviſſe & Lucam petiiſſe aſſerit, his verbis: *Urbanus menſe Decembri navali ſubſidio ab urbe Genuenſi verſus Lucam transfretabit, ubi novem menſes continuò reſedit;* ideo autem Genuâ diſceſſiſſe affirmat, quia novos motus ab Othonis Brunſvicenſis Principis olim Joannæ Reginæ mariti adventu pertimeſcebat; hic enim cuſtodia emiſſus ad Clementem profectus eſt, ac menſe Novembri Liguriæ litora legit, in Siciliam curſum intendens, ut ex ea irrumperet in Apuliam, cùm jam ineunte anno Carolus Dyrrachinus in Hungaria occiſus fuiſſet, in cujus locum ejus fautores Ladiſlaum ejus filium Regem renunciarunr, cùm à contraria factione Ludovicus filius Ludovici Andegavenſis anno 1384 in Apulia mortui Rex acclamatus fuiſſet.

LVIII. *Magiſtratum Lucæ Enſe & Pileo benedictis donat.*

Urbanus Lucæ exiſtens nocte Natalis Domini divinis peractis, ſupremum Magiſtratum Lucenſem Enſe & Pileo, gemmis auroque exornatis donavit, inquit Ciaconius, quæ verba eſſe Nicolai Tegrimi Lucenſium Oratoris, in oratione ad Alexandrum VI, qui Enſem & Pileum à Pontifice datos libertatis & juſtitiæ, ſine qua libertas ſtare non poteſt, inſignia vocavit, obſervat Victorellus in Notis. Uſum autem illum benedicendi Euſem auratum ante Urbanum VI invaluiſſe probat exempium Urbani V, qui anno 1368, talem enſem benedictum Joannæ Siciliæ Reginæ Romæ dedit, ut in ejus Vita diximus. Sed præter Enſem, Pontificem in nocte Natalis Domini Pileum benedixiſſe ſolemni ceremonia teſtantur Auguſtinus Patricius lib. 1, ſect. 7, cap. 6, Rituum S. R. E. Liber benedictionum Sacrarii Apoſtolici MS. & Ordo Romanus Paridis Craſſi apud Edmundum Martene in Tractatu de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina pag. 600. Priſcam Enſis benedictionem non potuiſſe invenire Patritium aſſerit Victorellus; ſed recenſuiſſe benedictionem & verba præſcripta à Sixto IV, dicenda cùm Enſis datur & Pileus. Urbanus poſtea VIII anno Jubilæi 1625, Poloniæ Principi ejuſmodi Enſem, Pileumque dedit, præſcripſitque egregias ſacras preces, quas MSS. ſe vidiſſe teſtatur Victorellus in libro benedictionum Sacrarii Apoſtolici; non tamen vetuit, quin inſtitutis à Sixto IV ſucceſſores uti poſſint, ſi velint. Enſem & Pileum benedictos Paulum II anno 1468, Friderico III Imperatori Romæ dediſſe in nocte Natalis Domini ſcribit idem Auguſtinus Patritius in deſcriptione adventus Friderici ad Paulum, armigerumque Imperatoris Enſem, alium verò ea aſtantibus Pileum ante illum detu-

tu-

tuliſſe, & poſtea ſubdit: *Imperator poſt hæc ante Pontificis thronum accedens ſtrictum Enſem ex armigeri manu accipiens, eum tertiò vibrat, redditque ſtatim armigero.* Deinde cantavit Evangelium, quod finito, *ille, qui gladium tenebat ſacrum, eum in aurea vagina condidit, ſuperpoſuitque pileum.* Deſcriptio Friderici adventus Romam extat Tomo I Muſei Italici part. 2, pag. 256, & ſeqq. Ante Paulum II Pius II ejuſdem generis Enſem miſit Philippo Burgundiæ Duci, & alium alterius anni benedictione Sacrum Ludovico XI Galliarum Regi, his verſibus ornatum:

Exerat in Turcas tua me, Ludovice, furentes
Dextera, Grajorum Sanguinis ultor ero.
Corruet Imperium Mahumetis, & inclyta rurſus
Gallorum virtus, te, petit aſtra, duce.

Antiquitùs Enſis & Pileus in nocte Nativitatis Domini à Pontifice benedicebantur; ſed nunc hæc benedictio fit in quocumque feſto ſolemni; anno enim 1716 Clemens XI, cùm Enſem & Pileum ad Principem Eugenium de Sabaudia miſit ob victoriam ab eo de Turcis ad Varadinum eodem anno relatam, eos benedixit in Eccleſia S. Mariæ de Populo die octava Septembris. Idem donum Innocentius XI antea miſerat Joanni Sobieskio Poloniæ Regi, & Alexander VIII Franciſco Moroſinio Venetiarum Duci.

LIX. *Legatio Germanorum ad Urbanum pro concordia irrita.*

Anno 1387 Clementis obedientia aucta eſt acceſſione regnorum Navarræ & Aragoniæ, cùm enim *Carolus* Rex Navarræ, cognomento *Malus*, ineunte anno Pampelone mortem obiiſſet, eique filius ejuſdem nominis *Carolus* eorum Regum tertius illius nuncupationis, cognomento *Nobilis*, à ſuis ſapientia & prudentia Salomoni æquiparatus ſucceſſiſſet, confeſtim ac regni habenas ſuſcepit, in Procerum conventu Clementem verum Pontificem declaravit: quod pater Petri Aragoniæ Regis exemplo eatenus ſuſpenderat. Sed cùm & ipſe Petrus Aragoniæ Rex quarto die poſt obitum Caroli Navarri, nempe nonis Januarii Barcinone deceſſiſſet, eique ſucceſſiſſet Joannes ejus primogenitus, hic agitatâ in Epiſcoporum & Procerum conventu ſchiſmatis cauſâ, Petri de Luna Cardinalis Aragonii partis Clementinæ diligentia & auctoritate edixit potiora eſſe ejuſdem Clementis jura, ut jam univerſa Hiſpania, Luſitaniâ exceptâ, ejus factioni inhæreret. Eodem tempore Urbano adhuc Lucæ exiſtente, nonnullos Principum Germaniæ Oratores ad concordiam cum Clemente ſollicitandam ad Urbanum acceſſiſſe refert Theodoricus Niemus cap. 66, his verbis: *Dum eramus Lucæ, quidam magni Principes Alemanni & Prælati apud eumdem Urbanum per quoſdam ſecretos Nuncios eorum ſollicitè laborabant, conantes eum inducere, ut unionem faceret in Eccleſia cum dicto Clemente, offerentes ſibi multa, ſumptus, loca, & alia ad illa perficienda quomodolibet opportuna; ſed perficere nihil poterant; dicebat enim quòd ipſe eſſet verus Papa, nec expediret illud in dubium vertere.*

LX. *Urbanus fruſtra tentat regnum Neap. ſibi comparare.*

Non ſolùm itaque hujuſmodi concordiam rejecit Urbanus, ſed etiam non minùs Ladiſlao, quàm Ludovico Siciliæ Regibus adverſatus, quamvis ærario & exercitu imparatus, meditatus eſt regnum Neapolitanum, quod contendebat ad Eccleſiam Romanam devolutum, armis ſibi comparare, ratus propoſitis ampliſſimis indulgentiis, fideles ad ſumptus bellicos tolerandos, ſtipem neceſſariam collaturos, atque ad ſigna Eccleſiæ concurſuros; qua de re encyclicas literas ad Præſules dedit *Lucæ IV Kal. Septembris, Pontificatus anno X*, quæ extant apud Raynaldum num. 2, & ſeqq. ut populus in arma ſacra concitarent. Sanctus quoque Antoninus part. 3, tit. 22, cap. 2, § 13, Urbanum antequam Lucâ excederet Crucem promulgaſſe contra Othonem Brunſvicenſem & Thomam Sanſeverinatem, qui Neapolim occupaverant, diſertè ſcribit, ſed parum, vel nihil profeciſſe, quia nullus aſſumpſit arma contra eos. Niemus porrò loco laudato ait, Urbanum Lucâ Peruſium acceſſiſſe circa feſtum Sancti Michaelis, ſeu circa finem Septembris. Certè Nonis Octobris Peruſii verſabatur, ut jam diximus ex Rubeo loquentes de Pileo de Prata & Galeotto Tarlato Cardinalibus, quos eo die Peruſii exiſtens Cardinalatu privavit.

LXI. *Clemens proponit celebrationem Concilii pro extinctione ſchiſmatis.*

Clemens verò Avenione exiſtens, res ſuas per acceſſionem regnorum Aragoniæ & Navarræ, & ex proſperis quibuſdam in Italia fautorum ejus ſucceſſibus, nec non ex inhumanis Urbani moribus, valde augeri; ut magis ceterorum animos oſtenſione deſiderii extinctionis ſchiſmatis ſibi conciliaret, miſit Legatos per Provincias, quibus peteret Concilium convocari ad rem diſcutiendam; paratum ſe aſſerens cedere, ſi ita videretur Eccleſiæ, abſque cujus judicio non poſſe ſalvâ conſcientiâ vocationi renunciare: offerenſque, ſi ipſe à Concilio confirmaretur, Urbanum ſe primæ notæ Cardinalem facturum. Qua re multorum corda ſibi devinxiſſe narrat Mutius in Chronico Germanico lib. 26. Sanctus ipſe Antoninus laudatus § 14, meminit Legatorum à Clemente menſe Novembri miſſorum Florentiam petentium, *quòd communitas Florentinorum operam daret, ut fieret Concilium univerſale, in quo determinaretur uter è duobus verus eſſet Pontifex, & alter apoſtaticus; & ſi in Concilio ipſo determinaretur ipſum eſſe Apoſtolicum, decernebat Ur-*

Digitized by Google

banum facere Cardinalem ſuum: ſi autem judicaretur Urbanus Papa legitimus, ſe totum ponebat in manibus ejus, ut de ſe diſponeret quomodo ei placeret; multumque commendantes communitatem ipſam, multa obtulerunt, & inter cetera, ut Clemens faceret Florentinos vicarios in terris Eccleſiæ vicinis ſibi, & interea reditus Eccleſiæ nulli darentur, ſed tenerentur ſequeſtrati per communitatem, uſque ad determinationem cauſæ poſtea declarandæ per Concilium, illi conſignarentur. Addit S. Antoninus reſpondiſſe Florentinos, quòd non videbatur ſpectare ad eos de Concilio tractare, ſed ad Reges & Principes majoris poteſtatis, quos tamen ad hoc ipſi ſolicitarent. Quantum verò ad obedientiam, non intendere ſe aliquo modo diſcedere ab eo, quod tunc uſque tenuerant, quouſque per Eccleſiam ſeu Concilium aliud determinaretur.

LXII. *Urbanus Neapolim properat, ſed iter ejus impeditur.*

Se ut ad Urbani iter redeat ſermo, cùm Lucâ recederet Peruſium iter intendens, frenum equi fractum eſt, & mitra de capite ejus cecidit: idque in malum omen quidam interpretati ſunt. Ab ineunte Octobri anni 1387, ad menſem Auguſti anni 1388 Peruſii permanſit, in ſpemque erectus Neapolitani regni obtinendi, cum ſatis amplo equitatu, relicto Peruſio, eò iter ſumſit. Egreſſus verò Peruſio, cùm vix decimo milliario abeſſet, ceſpitante mulo, cui inſidebat, corruens in terram, variis corporis partibus læſus, vehiculo Tibur delatus eſt, ubi obvios occurrit plures Romanos, qui eum multis officiis & precibus rogarunt, ut in Urbem rediret; ſed ipſe parum iis fidens ultra proceſſit uſque Ferentinum Campaniæ oppidum: poſcente autem ſtipendia militiâ, nec præ inopia ærarii impetrante, ab iis deſertus eſt, coactuſque Romam reverti. Ita Theodoricus Niemus lib. 1, cap. 69. Sanctus Antoninus laudatus confirmat Urbanum Neapolitanam expeditionem intermiſiſſe ob ſubortum militum diſſidium: *Anno*, inquit, *Domini 1388 menſe Auguſti Urbanus receſſit à Peruſio cum copiis Anglorum, ut pergeret Neapolim ad capiendam civitatem; ſed cùm eſſet juxta Narnium orta eſt diſſenſio inter Capitaneos ſtipendiariorum; nam multi eorum jam conducti à Florentinis noluerunt cum eo progredi, ſed fidem ſervare quibus ſe obligaverant: remanſeruntque cum Pontifice ducenti equites, cum quibus profectus uſque Ferentiam civitatem Campaniæ, & non multò poſt reverſus eſt ad Urbem.*

LXIII. *Romam redit.*

Gobelinus Perſona in Coſmodrom. æt. 6, cap. 81, ſcribit Eremitam quemdam tunc viſione admonitum, Urbanum hortatum eſſe, Romam petere: *Intendebat iterum*, inquit, *ad regnum Siciliæ greſſus dirigere, quoniam Romam ire voluntatis ſuæ omninò non erat: ſed venit ad eum quidam Eremita, dicens ei:* Velis, nolis Romam ibis, & ibidem morieris; *unde poſt hoc quadam nocte, voluntate mutata, Romam ſe transferre decrevit. Cùmque verſus Romam flecteret iter, viſa eſt imago S. Petri in ea forma, quæ exciſa eſt de petra ſtans ante porticum baſilicæ ejuſdem Romæ, ipſe Papæ & quibuſdam aliis in aere, quaſi viam, quæ verſus Urbem protendit, oſtendens; & Papa præcepit eis, qui hoc ſecum viderant, ne cuiquam revelarent: & poſt obitum ejus Epiſcopus Tarentinus Confeſſor ſuus ſermonem faciens hoc miraculum publicè prædicavit. Cùm igitur Urbi appropinquavit, Romanos obviam habuit cum magna ſolemnitate, & multis in campo tractatibus cum eo habitis, Romam cum honore magno regreſſus eſt*. Ita Gobelinus Urbani impensè ſtudioſus; Niemus autem ait Urbanum Romam perveniſſe ad principium Octobris, parum gratè jam receptum à Romanis. VValſinghamus denique Anglus, in rebus exteris ſemper ingenioſus, ut ſcribit Spondanus, ait, cùm Urbanus latenter vellet Neapolim ſe transferre, obvios habuiſſe Romanos armatos, qui eum vi Romam ducerent, ſi ſponte ire recuſaret: ſed cùm reperiſſent eum validioribus copiis comitatum, ſimulaſſe adventum obſequioſum ad eum quòcumque vellet deducendum: rejecto verò ab Urbano eorum obſequio, monuiſſe illos Abbatem Montis Caſſini, nempe Cardinalem illum Reatinum, de quo ſuprà, hoſtem Urbani infenſiſſimum; qui illicò collecta manu militari tranſitus occupavit: Urbanum autem nimio patriæ deſiderio obtuliſſe Abbati reſtitutionem ademptæ ipſi dignitatis Cardinalitiæ: ſed reſpondiſſe illum minimè egere ſe hujuſmodi reſtitutione, quippe qui eam dignitatem accepiſſet à vero & indubitato Papa Gregorio XI ante ſchiſmatis ortum; de ipſo autem Urbano dubitaretur an legitimus eſſet, vivente ejus adverſario Clemente: rediret autem Romam, quòd incommodum nimis eſſet iis, qui obedientiam ei præſtabant, in partibus remotis eum quærere. *Rediit ergo Papa*, inquit, *vellet nollet Romam, ubi à civibus ſummo cum honore receptus eſt*. Verùm tota hæc VValſinghami narratio videtur fabuloſa, nam Petrus de Tartaris per iſta tempora Caſſinenſis Abbas, nunquam fuit Cardinalis, ut ſuperiùs obſervavimus; & Cardinalis Reatinus, ſeu Bartholomæus Mezavacca nunqam fuit Abbas Montis Caſſini.

LXIV. *Coloniæ Academiam inſtituit, & Heidelbergenſem confirmat.*

Antequam Urbanus Peruſio recederet, Colonienſi civitati, quæ ab antiquo habuerat Gymnaſium, etiam omnium publicarum doctrinarum Academiam, honorumque Scholaſticorum gradus conferendi licentiam tribuit, ſi vera ſcribit Middendorpius in Commentario ſuo de Academiis, quod probat

ex

ex Urbani reſcripto dato anno 1388, undecimo Kalendas Julii, quo tempore adhuc erat Peruſii, ubi manſit uſque ad menſem Auguſtum; ut mox oſtenſum eſt. Eam tamen inſtitutionem ad eundem annum refert etiam Calviſius in opere ſuo Chronologico, eamque in rem citat Trithemium. Urbanus etiam, quo tempore me latet, confirmavit fundationem Academiæ Heidelbergenſis à Ruperto, ſeu Roberto Bavariæ Duce & Comite Palatino, antequam diceretur Rex Romanorum, factam anno 1346, juxta Aventinum & Lexicon Geographicum Michaelis Baudrand; confirmationem verò factam ab Urbano VI ſcribit Spondanus anno 1410, num. 6.

LXV. *Jubileum ad annum trigeſimum tertium reducit.*

Cùm Urbanus totum ferè Pontificatum, per Italiam diſcurrens, laborioſum & inquietum egiſſet, anno 1389, Romæ quietè agens tria conſtituit, quæ ad augendam fidelium pietatem, ſacrorumque amplificandam dignitatem conducere poſſent, de quibus agit Gobelinus Perſona laudatus cap. 81. *Dominus Urbanus Papa*, inquit, *anno Pontificatus ſui XI, Nativitatis Domini* 1389 *tertio Idus Aprilis* (legendum ſexto Idus, ut mox oſtendetur) *tria memorabilia inſignia conſtituit. Primum fuit, quòd annus Jubilei per Clementem VI de centeſimo ad quinquageſimum annum deductus, deberet temporibus inde futuris de trigeſimo tertio anno in trigeſimum annum tertium obſervari: & ſtatuit quòd annus Nativitatis Domini tunc proximè venturus, videlicet* 1390, *deberet eſſe Jubileus: & movit eum, quòd totum tempus vitæ Domini noſtri Jeſu Chriſti in humanitate, poſtquam natus eſt de Virgine, per cujus mortem theſaurus Eccleſiæ, unde indulgentiæ peccatorum quæcumque emanant, cumulatus eſt, triginta trium annorum curriculo complebatur.* Ejuſdem reductionis Urbani ad dictum numerum annorum Vitæ Chriſti meminerunt etiam alii illius temporis Scriptores, Niemus, Auctor Compilationis Chronologicæ, Walſinghamus, & plures alii. Paulus autem in ſua de Jubileo conſtitutione teſtatur, Urbanum conſiderantem ætatem hominum plus ſolito in dies labi pauciores, Jubileum ex quinquageſimo in trigeſimum tertium annum reduxiſſe: *Urbanus VI*, inquit Paulus apud Raynaldum anno 1389 num. 2, *in ſua obedientia nuncupatus, conſiderans quòd ætas hominum amplius ſolito in dies laberetur pauciores, ac deſiderans quamplurimos ejuſdem Indulgentiæ fieri participes, cùm ad annum quinquageſimum propter brevitatem vitæ plurimi hominum minimè perveniant*, annum quinquageſimum ad trigeſimum tertium reduxit, ſtatuens *quòd univerſi fideles verè pœnitentes & confeſſi, qui in anno à Nativitate ejuſdem Domini milleſimo trecenteſimo nonageſimo & deinceps perpetuis temporibus de triginta tribus annis in triginta tres annos* Baſilicas Apoſtolorum ac Lateranenſem & S. Mariæ Majoris viſitarent, eandem conſequerentur remiſſionem & veniam peccatorum &c. Ex quibus patet, errorem irrepſiſſe in textum Niemi, in quo legitur indictum fuiſſe Jubileum celebrandum anno milleſimo trecenteſimo octogeſimo octavo.

LXVI. *Feſtum Viſitationis B. Mariæ inſtituit.*

Statuit inſuper Urbanus eodem die teſte Gobelino, ut feſtum Viſitationis Beatiſſimæ Virginis, quando ſcilicet viſitavit Elizabetham matrem Sancti Joannis Baptiſtæ, ad exaltationem fidei Catholicæ in perpetuum celebraretur in Eccleſia annis ſingulis ſexto Nonas Julii, *ut Beata Virgo ſuis precibus Eccleſiæ unionem reformare, & reformatam conſervare dignaretur*, inquit Gobelinus laudatus cap. 81. Licèt autem Urbanus hoc feſtum inſtituerit, ſuperveniente tamen ejus morte, literas Apoſtolicas de eo non edidit, ſed Bonifacius IX ejus ſucceſſor, Romæ quinto Idus Novembris anni primi Pontificatûs, Urbani ſanctioni auctoritatem adjecit Conſtitutione, quam refert Raynaldus num. 3, in qua ait, Urbanum *ſexto Idus Aprilis Pontificatûs ſui anno undecimo* ſtatuiſſe, ut præfatum feſtum Viſitationis ſexto Nonas Julii ſub duplici officio ſolemniter celebraretur. Addit poſtea, Urbanum etiam ſuaſiſſe, ut ipſius feſti Vigilia cum jejunio & octava obſervaretur, additis etiam indulgentiis pro illis, qui officiis ſacris ejuſdem celebritatis intereſſent: quare Urbani & Bonifacii votis ſtatim paruerunt omnes Eccleſiæ, quæ illorum parti favebant; quæ verò Clementi VII, aliiſque Pontificibus Avenione reſidentibus, eandem feſtivitatem poſt Concilii Baſileenſis decretum 33 ſeſſione 43 editum ſuſceperunt. De ea lege Edmundum Materne in tractatu de Antiqua Eccleſiæ Diſciplina pag. 571: cujus tamen diligentiam fugit, Gobelinum Perſonam officium de feſto Viſitationis compoſuiſſe, quod Joannes XXIII confirmavit; id enim ipſemet Gobelinus expreſsè aſſerit in Coſmod. æt. 6, cap. 90 his verbis; *Ipſe* (nempe Joannes XXIII) *confirmavit, ſeu confirmari mandavit Hiſtoriam ſeu cantum, quam, vel quem ego anno præcedente* (id eſt anno 1409) *de feſto Viſitationis Beatæ Mariæ Virginis feceram, qui cantus incipit:* Tecum principium. *Hoc fecit poſt coronationem ſuam infra ſex ſeptimanas, me in præſentia ejus conſtituto.* Sed illud officium, ſeu cantus ſine dubio periit. Quod porrò ait Gobelinus, hæc duo, nempe reductionem Jubilei, & inſtitutionem feſti Viſitationis eodem die, ſcilicet tertio Idus Aprilis ab Urbano fuiſſe inſtituta, corrigendum videtur, cùm Bonifacius IX in ſua Conſtitutione dicat, feſtum Viſitationis celebrandum

dum ſtatuiſſe Urbanum ſexto Idus Aprilis, ideoque tam Jubilei reductio, quàm Viſitationis inſtitutio ad ſexrum Idus Aprilis pertinent, & in Gobelino pro *tertio Idus Aprilis*, legendum, *ſexto Idus*.

LXVII. *Decretum aliud facit in honorem feſti Corporis Chriſti.*

Eodem inſuper die conſtituiſſe Urbanum, ut non obſtante interdicto Eccleſiaſtico, in feſto Corporis Chriſti aperris januis divina celebrari poſſent, eodem modo quo id conceſſerat Bonifacius VIII in quatuot feſtivitatibus, teſtarur idem Gobelinus, qui addit ſic completum eſſe quod de feſto Corporis Chriſti ceteris adjungendo venerabilis Doctor Joannes Andreæ ante annos octoginta prædixerat in Clementina *ſi Dominum*, verb. *revelatum*. Itemque huic gratiæ Urbanum adjeciſſe, *quòd quicumque ſequuntur corpus Dominicum, quando defertur de Eccleſia ad infirmum, & de infirmo ad Eccleſiam, illi ſi confeſſi & contriti fuerint, centum dies indulgentiarum auctoritate Apoſtolica conſequentur, & ſuper omnibus his literæ Apoſtolicæ per Bonifacium IX poſt obitum Domini Urbani conceſſæ ſunt*, inquit Gobelinus. Daræ ſunt eæ literæ Romæ apud S. Petrum V Idus Novembris, anni primi ejus Pontificatûs, & extant apud Raynaldum anno 1389 num. 4 & ſeq. ex quibus conſtat, quaruor anni feſtivitates, in quibus ſtatuerat Boniſacius VIII ut apertis januis tempore interdicti divina celebrarentur, fuiſſe dies Natalis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. Virginis. Has porrò literas Boniſacii tam pro feſto Viſitationis, quàm pro feſto Corporis Chriſti, datas eſſe anno 1390 aſſerit Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtotico, quia, inquit, datæ ſunt ab eo jam conſecrato die nona Novembris, quo die anno 1389 nondum erat conſecratus, ſed tantùm electus. Qua de te infrà in Boniſacio.

LXVIII. *Moritur.*

Non multò poſt hæc ſtatuta Urbanus, qui toro ſui Pontificatûs tempore nullibi quietè commoratus, ſedes multas commutare coactus fuerat, quietè tunc Romæ vivens, eodem anno 1389 die decima quinta Aprilis non ſine ſuſpicione veneni, quia, ut ait S. Antoninus part. 3 tit. 22 cap. 2, *corpus etiam poſt obitum tumuit*, mortuus eſt poſtquam infeliciter ſediſſet annos undecim, menſes ſex, dies ſex vel ſeptem, computandos à die ejus electionis, quæ, ut diximus ſuperiùs, facta eſt die nona Aprilis anni 1378. Urbanum die 15 Octobris demortuum rectè ſcripſit Onuphrius, cùm die ſequenti Cardinales Romæ exiſtentes Wenceslao Imperatori mortem ejus ſignificantes, diſertè aſſerant eum mortuum *heſterna die*, ſeu die 15 Octobris; literæ enim Cardinalium apud Raynaldum num. 10 datæ ſunt *Romæ apud S. Petrum ſub ſigillis trium ex nobis ſuorum Ordinum priorum 17 Kal. Novembris Apoſtolica Sede vacante*. Mortuus traditur ab Onuphrio nullo recepto Eccleſiæ ſacramento, quamvis Niemus ſcribat, eum continuos viginti dies ægrotaſſe. Sepulturam habuit in Vaticano, ejuſque ſepulchrum viſebatur olim in illa Baſilica; nunc autem cum multis aliorum monumentis everſum eſt, ut tradit Auguſtinus Oldoinus, ei epitaphium poſitum fuiſſe aſſerit Ægidius Cardinalis Viterbienſis apud Ciaconium in Notis Victorelli, ſcribens: *Ne illaudata interiret ruſtica inurbanitas, epitaphio commendatus eſt . . . . . ineptiſſimo, quod in ſepulchro etiamnum viſitur*, extabat itaque adhuc tempore Ægidii ejus ſepulchrum cum epitaphio, imò adhuc extabat tempore Onuphrii Panvinii, ut ipſemet ſcribit in Nota ad vitam ejus à Platina ſctiptam. Idem Ægidius apud Georgium ab Eggs in Pontificio Docto de eodem Urbano ait: *Urbano ex humanis erepto, nemo, qui potuerit lacbrymas dare, inventus eſt*, & Trithemius in Chronico Hirſaugienſi Tomo 2 pag. 291, loquens de ejus morte: *Flentibus paucis*, inquit, *mortem ejus propter duritiam & ruſticitatem, quibus gravis & inexorabilis & auſterus nimium videbatur eſſe mortalibus*; unde Otho Brunſvicenſis, ſi non piè, certè non impropriè eum *Turbanum*, loco *Urbani*, nuncupare ſolebat. Certum tamen eſt Urbanum, ſi mitior & tranquillior, minùſque ſuorum amans fuiſſet, inter laudatiſſimos numerari potuiſſe ſtudio caſtitatis & juſtitiæ, odio ſimoniæ & luxus, vitæque auſteritate, ac fermè continua corporis per jejunia & cilicia maceratione, ut tradit Spondanus.

LXIX. *Ejus familiæ infelix extinctio, ejuſque ſcripta.*

Franciſcus Prignanus, Buryllus dictus, ejus nepos de vita patrui deſperans, cùm iret ad Marchiam Anconitanam, in qua habebat quædam caſtra, dolo quorundam interceptus ad Peruſium, dicta caſtra pro redemptione ſua tradere coactus eſt; & creato jam Boniſacio IX Urbani ſucceſſore ad Urbem pauper rediit; cùmque ab omnibus deſpiceretur, ſeceſſit ad Raymundum Baucium in Apuliam; unde ſexto pòſt anno, ut ſcribit Theodoricus Niemus lib. 2 cap. 31, unà cum matre, liberis, totaque familia Venetias navigans, navi tempeſtate exortâ periit, extinctaque eſt tota Urbani poſteritas: cùm enim ſtirpis ſuæ Principatibus & divitiis cumulandæ ſtudio multa præter Pontificum morem manſuetudinemque geſſiſſet Urbanus, mirum extitit illam funeſto & violento exitu fuiſſe brevi conſumptam. Scripſit Urbanus teſte Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia, *Hiſtoriam Epiſcoporum Barenſium uſque ad ſua tempora*: Item *Formulas precum*, quæ prodierunt Dilingæ in Germania anno 1567 vulgari idiomate, unà cum indulgentiis, quas ipſe conceſſit: *Epiſtolas* quaſdam, quæ

cx-

extant Tomo II Conciliorum Labbei: *Conſtitutiones Eccleſiaſticas*, quæ ſequuntur in Collectione Romana anni 1579: *Literas Apoſtolicas*, ſeu bullas, quæ habentur in magno Bullario Laertii Cherubini, & apud Ughellum in Italia Sacra. Quibus Georgius ab Eggs in Pontificio Docto addit *Hymnos de quibuſdam Sanctis*; ſed à quo id acceperit, & ubi reperiantur non dicit.

BONIFACIUS IX *Pontif. CCIII.*

Anno Domini MCCCLXXXIX.

I. *Cardinalium Urbani VI litera encyclica de ejus obitu.*

URbanum VI Idib. Octobris, ſeu die 15 Octob. anni 1389 obiiſſe jam diximus de ejus obitu loquentes, ex Onuphrio Panvinio, cujus opinionem confirmant literæ encyclicæ, quas Cardinales Romæ exiſtentes, die ſequenti, nempe decima ſexta ejuſdem menſis ad Wenceslaum Imp. ſcripſerunt, quæ extant apud Raynaldum eodem anno num. 10 datæ *Romæ apud S. Petrum ſub ſigillis trium ex nobis ſuorum Ordinum priorum 17 Kal. Novembris, Apoſtolica Sede vacante*; in iis enim ita loquuntur: *Superveniens heſterna die judicio divino & naturalis curſu labilis vitæ tranſitus felicis recordationis Domini Urbani Papæ VI benigniſſimi Patris & Domini noſtri* &c. Hortantur deinde Wenceslaum ut unà cum Proceribus & populis ſuæ ditioni ſubjectis preces ad Deum fundat, aliis pietatis & miſericordiæ operibus inſiſtendo, ut ſi quid ipſe Dominus noſter pro fragilitate imbecillitatis humanæ, reatus contraxit, illud ei remittat, eumque collocet cum electis; ipſiſque Cardinalibus concedat in talem virum dirigere vota ſua, quòd ſit ad Dei laudem, & ad reſtaurationem, unitatem & bonum ſtatum Eccleſiæ & reipublicæ, ac propagationem & exaltationem fidei. Iiſdem verbis conceptas literas tranſmiſiſſe Cardinales ad Joannem Luſitaniæ, Sigiſmundum Hungariæ, Richardum Angliæ Reges, Margaretam Reginam Norvegiæ, Antonium Venerium Venetorum & Antoniotum Adurnum Genuenſium Duces, Florentinos, Piſanos, Galeatium è Vicecomitibus, Virtutum Comitem, Edmundum Eboracenſem, Othonem Brunſvicenſem, Fredericum, Stephanum, Joannem Albertum Bavariæ, Albertum Auſtriæ, Duces, ac plures alios Proceres, tum ad Archiepiſcopos & ſuffraganeos Epiſcopos conſtare ait Raynaldus ex Regeſto Urbani, quod ideo hic annotare viſum, ut videat Lector qui populi Urbano adhærerent.

II. *Petrus Tomacellus eligitur Pontifex, & inthronizatur.*

Ex Cardinalibus ab Urbano creatis novemdecim ſupererant, juxta Ciaconium, ex quibus tres abſentes erant, duo ab ipſo degradati; alii enim vel obierant, vel trucidati fuerant, vel ad partes Clementis tranſierant. Quatuordecim itaque Romæ præſentes, finitis Urbani exequiis, conclave ingreſſi, poſt aliquas inter partes contentiones, cùm primo ſcrutinio ſex Poncellum Urſinum Romanum tituli Sancti Clementis Archipresbyterum, ac totidem Angelum Acciajolum Florentinum Presbyterum tituli Sancti Laurentii in Damaſo virum laudatiſſimum, poſtulaſſent; nec alter alteri cedere vellet: inſtauratis comitiis, ſuadente maximè Franciſco Carbono Neapolitano tit. S. Suſannæ Majori Pœnitentiario, Monacho Ciſtercienſi, convenerunt omnes in *Petrum*, ſeu Perinum *Thomacellum* nobili familia quamquam paupere Neapoli ortum, tunc Presbyterum Cardinalem tituli S. Anaſtaſiæ. Diem electionis notarunt Onuphrius Panvinius & Codex MS. à Papebrochio laudatus, nempe ſecundam Novembris; nam Theodoricus Niemus lib. 2 cap. 6 eum quidem electum ſcribit, ſed diem non memorat: *Quo electo*, inquit, *infra horam prandii publicabatur ejus electio, & ſtatim concurrentibus illic ad palatium multis Romanis ac Curialibus ipſum ad majus Altare in Baſilica Principis Apoſtolorum more ſolito trahebant: quo facto cùm ad palatium rediret obviantibus & congratulantibus ſibi omnibus una ſententia reſpondebat, dicens: Gaudium meum, gaudium veſtrum eſt.* Ita Niemus de ejus electione & inthronizatione.

III. *Conſecratur & coronatur ſub Bonifacii IX nomine.*

Quod attinet ad ejus conſecrationem & coronationem, eam factam dicit in feſto S. Martini, ſeu die undecima Novembris: *Deinde in feſto Sancti Martini ſuæ coronationis recepit inſignia, & dum ad Eccleſiam Sancti Joannis Lateranenſis progrederetur, per Urbem iter agendo, non multùm honorificè comitatus propter vehementes imbres per plures horas ejus diei decidentes, Bonifacius parum curare præ magno gaudio videbatur*, nomen enim Bonifacii ejus nominis noni ſumſerat. Gobelinus tamen in Coſm. æt. 6 cap. 81 eum coronatum & conſequenter conſecratum ſcribit die nona Novembris; nam coronatio fiebat ſtatim poſt conſecrationem in Baſilica Sancti Petri, & inde fiebat proceſſio ad Eccleſiam Lateranenſem. Cùm verò conſecratio de more fieret die Dominica, vel feſto aliquo ſolemni, potior fides videtur habenda Gobelino, quàm Niemo, quia licèt dies

no-

Digitized by Google

nona Novembris non concurreret anno 1389 cum Dominica, ſed cum feria tertia, hic tamen dies erat Romæ ſolemnis ob dedicationem Baſilicæ Apoſtolorum; dies autem undecima Novembris concurrebat cum die Jovis. Vidit difficultatem Papebrochius, ideoque ſcripſit ex Niemo Bonifacium conſecratum in die Sancti Martini, & ex ſuo coronatum die Dominica ſequenti decima quarta Novembris, qua in re non ſolùm Niemum, ſed & Gobelinum Auctores tunc viventes contrarios habet. Quod ideo hîc ſcrupuloſius examinandum cenſui, quia cùm Bonifacius anno primo ſui Pontificatus, die nona Novembris, Conſtitutiones duas ediderit pro feſto Viſitationis B. Mariæ, & pro feſto Corporis Chriſti, de quibus in Urbano VI num. 67 locuti ſumus, inde refert Papebrochius, Bonifacium annos ſuos numeraſſe à die ſuæ electionis, ideoque has Conſtitutiones editas anno 1390, quod ex dictis deſtruitur; nam cum juxta Gobelinum conſecratus & coronatus ſit die nona Novembris anni 1389, eæ Conſtitutiones datæ ſunt eodem anno ipſamet die ſuæ coronationis; Gobelinus enim ea narrata, addit: *Et ſtatim*, ſeu eadem die, *confirmavit ea, quæ dominus Urbanus ſtatuit de reductione anni Jubilei de quinquageſimo ad trigeſimum tertium annum, & de feſto Viſitationis B. Mariæ Virginis, ac de feſto Corporis Chriſti quando defertur ad infirmum*; quòd ſi eas Conſtitutiones edidiſſet Bonifacius die tantùm nona Novembris anni ſequentis 1390, non dixiſſet Gobelinus eum ea Urbani ſtatuta confirmaſſe *ſtatim* poſt ſuam coronationem, à qua ideo, non à die electionis, annos ſuos exorſus eſt Bonifacius.

IV. *Bonifacii primordia, & virtutes.* Bonifacius, ut jam dixi, ante Pontificatum vocabatur Petrus de Tomacellis, nobili familia quamquam paupere Neapoli ortus, qui ex Clerico paupere ac ſolivago, decimo quinto, ex quo Romam venit, die, anno 1381, ab Urbano VI pimùm Diaconus Cardinalis ſancti Georgii in Velabro, mox Presbyter Cardinalis ſanctæ Anaſtaſiæ, ac Baſilicæ Lateranenſis Archipresbyter renunciatus eſt. Ajunt illum, ſcribendi quidem & canendi peritum & præceptis Grammaticæ imbutum fuiſſe, ſed gravioribus diſciplinis non valde excultum. Erar autem ſtatura & facie decorus, ut ſcribit Niemus loco laudato, qui & ait eum natum annos quadraginta quinque cùm electus eſt Pontifex; cùm Boninſegnius lib. 4, & Antoninus tit. 22, cap. 3, dicant triginta tantummodò; Platina etiam nonniſi circiter triginta ei tribuit: ajens tamen ita ipſum vixiſſe in tam florida ætate & tanta peccandi licentia, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi vel objici poſſet; ac juventutem cum ipſa ſenectute commutaſſe videretur: fuiſſe verò etiam tanti animi, conſiliique, ut primus Pontificum, populi Romani vim omnem in ſe tranſtulerit. Ceterùm Bonifacius confeſtim poſt electionem ſuam Principes omnes ac Prælatos literis encyclicis de ea pro conſuetudine admonuiſſe; & tam illos qui Urbano adhæſerant confirmaſſe, quàm ceteros ad unionem Eccleſiæ hortatum eſſe, refert Bzovius ex Regeſto Vaticano.

V. *Cardinales creat, & alios ab Urbano depoſitos reſtituit.* Adveniente autem Sabbato quatuor Temporum menſis Decembris, die decima octava ejuſdem menſis quatuor novos creavit Cardinales; & quatuor ab Urbano deceſſore ſuo exauctoratos dignitati reſtituit. De novo creati fuerunt Henricus Minutulus Archiepiſcopus Neapolitanus ſub titulo ſanctæ Anaſtaſiæ; Bartholomæus de Uliariis Patavinus, Ordinis Minorum, Florentinus Epiſcopus, tit. S. Pudentianæ; Coſmatus Melloratus Archiepiſcopus Ravennatenſis tit. S. Crucis in Jeruſalem, qui Bonifacio ſucceſſit & dictus eſt Innocentius VII; Chriſtophorus Maro, aliàs de Maronibus, Romanus, Epiſcopus Iſternienſis, tit. ſancti Cyriaci in Thermis. Reſtituit etiam Cardinalitiæ dignitati Adamum Anglum Epiſcopum Londinenſem ſub titulo S. Cæciliæ; Bartholomæum Mezzavaccam Epiſcopum Reatinum, ſub titulo Sancti Martini in Montibus; Landulphum Mattamaurum Barenſem Archiepiſcopum electum, quem dixit Diaconum Cardinalem ſub titulo ſancti Nicolai in Carcere Tulliano, ab Urbano exauctoratos. Gobelinus laudatus his tribus addit Pileum de Prata, quem ſuperiùs diximus ab Urbano deſeciſſe, & ad partes Clementis acceſſiſſe, à quo iterum pileum Cardinalitium acceperat; hic enim, mortuo Urbano, audita electione Bonifacii, *ſtatim* ad eum acceſſit, eique adhæſit relicto Clemente, ut hujus Vitæ Auctor apud Baluzium aſſerit, dictuſque eſt tertiò Cardinalis à Bonifacio, unde appellatus eſt Cardinalis trium Pileorum. Quare videntur falli Ciaconius, Contelorius, Baluzius, & alii quando ſcribunt Pileum de Prata anno tantùm 1391, reſtitutum eſſe à Bonifacio IX, & dictum Epiſcopum Tuſculanum. Non minus erravit Ciaconius numerans inter reſtitutos à Bonifacio Petrum de Tartaris; hic enim, ut ſuperiùs diximus, nunquam fuit Cardinalis.

VI. *Clemens Avenione Ludovicum II Neapolis Regem coronat.* Dum hæc Romæ agerentur, Carolus VI Francorum Rex, ſepiùs rogatus à Clemente eum Avenione inviſere, menſe Octobri exeunte ejuſdem anni 1389, Avenionem peregrinatus eſt unà cum fratre ac patruis, multoque alio Principum ac Procerum comitatu. Ejus Avenionem ingreſſum Auctor Vitæ Clementis conjungit cum die penultima Octobris; verùm Bertrandus

Boyſ-

Boyſſeti tunc vivens & ſcribens ait illum ingreſſum eſſe Avenionem die vigeſima quinta Octobris, & veniſſe ad peragendam coronationem Ludovici II Regis Siciliæ filium Ludovici in Apulia defuncti, quem Clemens die prima menſis Novembris in feſto omnium Sanctorum, quod illo anno occurrebat feria ſecunda, coronavit in Regem Siciliæ, præfato Carolo Rege aſſiſtente, qui etiam *pro tunc fudit aquam manibus Papæ prædicti Miſſarum ſolemnia celebrantis*, inquit Auctor Vitæ Clementis; Boyſſetus verò addit, Miſſam celebrante Clemente, Evangelium cantatum fuiſſe à Rege Carolo, adfuiſſe autem huic ceremoniæ Regem Armeniæ, Philippum Ducem Aurelianenſem & multos alios Magnates. Illius coronationis Acta edita eſſe in Tomo primo Miſcellaneorum hiſtoricorum Philippi Labbei pag. 640, & in annotationibus ad Hiſtoriam Caroli VI pag. 566, obſervavit Baluzius in Notis ad Vitam Clementis.

VII. *Cardinales creat.*

Antequam Carolus Rex Avenione diſcederet, Clemens, qui anno 1388, juxta Ciaconium, Jacobum de Aragonia Hiſpanum Regio genere ortum, filium Petri Comitis Pratarum, & Jacobi Aragoniæ Regis nepotem Presbyterum Cardinalem creaverat, anno 1389, & quidem die tertia menſis Novembris ad preces Caroli Regis aſſumpſit etiam in Presbyterum Cardinalem Joannem de Talaru tunc Archiepiſcopum Lugdunenſem, Gallum, virum admodum virtuoſum & literatum, qui etiam pro juribus Eccleſiæ ſuæ, quandiu eidem præfuit, multa & magna fuerat operatus, inquit Auctor Vitæ Clementis. Joannis de Talaru nobiliſſimam familiam adhuc in Lugdunenſi provincia ſuo tempore extaſſe ſcribit Victorellus, hoc eſt ineunte ſæculo elapſo. Poſt hæc eodem Vitæ Clementis Auctore teſte, Carolus Rex ivit ad partes Toloſanas, ubi manſit uſque ad menſem Januarium ſubſequentem, & rediens in Franciam tranſitum fecit per Avenionem, factaque ibi mora ſatis modica iter ſuum continuavit. Ceterùm ubi Bonifacii IX electionis nuncium Avenionem pervenit, Clemens in eum ac ſequaces, viciſſimque Bonifacius in Clementem, proceſsus confecit, & ſententias damnationis protulit, ut narrat Auctor Vitæ Clementis & confirmant alii.

VIII. *Bonifacius Jubileum Romæ celebrat, & in alias provincias mittit.*

Cùm, ut ſuperiùs dictum eſt, Urbanus indixiſset Jubileum anno 1390 celebrandum, factus eſt eo anno magnus Romam concurſus præcipuè è regionibus, qui Bonifacio adhærebant, ut Niemus lib. 1, cap. 68, narrat. Cùm verò difficile eſset Principes eò peregrinari, licèt quidam acceſserint, petentibus nonnullis ſibi eas indulgentias in ditionibus ſuis concedi indulſit Bonifacius, ejuſque conceſſionis Regibus Angliæ & Luſitaniæ eorumque conjugibus factæ ſub principium anni, Ducibuſque Bavariæ poſt abſolutum Romæ Jubileum, extare teſtimonia ex literis ipſius Bonifacii deprompta in libro Andreæ Victorelli idiomate Italico ſcripto de celebratione Jubileorum, aſſerit Spondanus num. 1, aliaque de pari conceſſione indulta poſtea aliis Principibus ac populis, ex diverſis Auctoribus allegat Victorellus. Niemus pariter laudatus ſcribit Bonifacium miſiſſe ad diverſa regna, qui indulgentiam promulgarent, & iis qui ad Urbem accedere non poſſent, in alia pœnitentiæ ac pietatis opera acceſſum commutarent; addit tamen multos eorum hac facultate turpiter abuſos in queſtum proprium, peccata pœnitentibus ſine pœnitentia relaxando, & ſuper quibuſcunque irregularitatibus interventu pecuniæ diſpenſando; ideoque nonnullos ex illis à Bonifacio carceribus intruſos eſſe, alios mala morte plexos, nonnullos graviorum ſuppliciorum metu ſibi ipſis mortem intuliſſe: quoſdam in fruſta à plebe conciſos; denique alios erroribus hæreſis involutos miſerè periiſſe: Bonifacium verò ex collectis Romæ pecuniis, Eccleſias Urbis, quarum pleræque penè corruerant, reſtauraſſe. Extat apud Raynaldum ad Benedictum Epiſcopum Ferrarienſem in Romandiola Eccleſiæ Romanæ Theſaurarium Diploma Bonifacii, quo jubet in eos animadverti, qui obtenta Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſacra indulgentiarum præmia ad queſtum promulgantes pœnitentiæ ſacramentum profanabant; datum eſt illud Romæ XIV Kal. Novembris anno primo Pontificatûs, ex quo, ſicut & ex aliis ejuſdem Bonifacii mandatis ad quoſdam Germaniæ Epiſcopos datis, ut omni ſtudio nefarios ejuſmodi ſimoniacos nebulones in Germania coërcerent, conſtat emendandum Gobelinum, dum cap. 86, & ſeq. Bonifacio labem aſpergit, quæ ab impoſtoribus ex nimia adminiſtratorum Pontificiorum licentia avaritiaque manabat.

IX. *Ladislaum Neapolis Regem declarat.*

Bonifacius non minùs cetera curans, cùm mox poſt electionem ſuam Oratores excepiſſet à Margarita Regina Siciliæ, ejuſque filio Ladislao Cajetæ commorantibus, fidem & obedientiam ei deferentes, rogantesque & à diris, quibus ab ejus deceſſore Urbano execrati fuerant, & ad regnum, quo depoſiti fuerunt, reſtitui, annuit Bonifacius, ut diſertè teſtatur Theodoricus Niemus lib. 2, cap. 4. *Ipſe etiam*, inquit, *paulò poſtquam electus fuit in Papam, Dominum Ladislaum coronari fecit in Regem Siciliæ tunc ætatis fortè XVII annorum, & ipſum & Dominas Margaritam matrem & Joannam præfatas, ſororem ipſius Regis Ladislai recepit in plenitudinem* gra-

gratia ſua ac Sedis Apoſtolicæ, abſolvens ipſos ab omnibus Eccleſiaſticis cenſuris & proceſſibus, quos præfatus Urbanus tulit in eos propter Regem Carolum, dudum in Hungaria interfectum. Miſit autem Bonifacius ad Ladislaum coronandum Angelum Epiſcopum Florentinorum S. Laurentii in Damaſo Presbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, quem Balium regni conſtituit, unà cum Margarita Regina ejus matre, donec ipſe Rex adoleſceret, ut conſtat ex literis ab eo datis *Romæ apud S. Petrum IX Kal. Martii Pontificatûs anno primo*, ideoque anno 1390, quæ extant apud Raynaldum num. 10. Angelus Legatus regiæ dignitatis ornamenta Ladislao, ejuſque conjugi Conſtantiæ contulit menſe Majo ejuſdem anni, regnumque beneficio Sedis Apoſtolicæ gerere profitentem Ladislaum ſacramento adegit futurum præſidio Sedi ipſi adverſùs Clementem, ejuſque Cardinales: illud ſacramentum refert ibidem Raynaldus numeris ſeqq. *Actum Cajetæ anno Domini milleſimo treceenteſimo nonageſimo, die vigeſimo nono menſis Maji tertiæ decimæ indictionis, Pontificatûs Bonifacii IX anno primo*; ex quo patet pactiones eaſdem repetitas, quæ ab Urbano VI cum Carolo Dyrrachino Ladislai patre confectæ fuerant, detractâ tamen eâ, quæ tot mala invexerat, ex qua Carolus, ut Urbani VI nepoti Principatum Capuanum, alioſque amplos Comitatus traderet, obſtrictus fuerat.

X. *Ferrariam Alberto Ateſtino tradit.*

Eodem anno 1390, cùm gravis terror urgeret Bonifacium, ne Ludovicus Andegavenſis regno Neapolis potiretur, indeque arma in ditionem Eccleſiæ inferret, plures ejuſdem Eccleſiæ urbes, arces & oppida viris nobilibus jure fiduciario contulit, & inter alios Albertum Marchionem Ateſtinum Ferrariæ Vicarium conſtituit, & civitatem ei tradidit, ea pactione, ut conſtitutam auri vim, decem nempè aureorum millia, ſingulis annis in Pontificium ærarium inferret, pactumque militum numerum ſuis ſtipendiis in Pontificiis obſequiis ſuſtentaret, centum ſcilicet equites & ampliùs, ſi res poſceret, egregiè inſtructos. Statim Albertus Marchio Oratorem Romam miſit, qui fidei ſacramento Bonifacio ſe obſtrinxit ad ſervandas illas pactiones, quod refertur à Raynaldo eodem anno num. 18, datumque dicitur. *Romæ apud S. Petrum IX Kal. Junii*, Pontificatûs Bonifacii anno primo. Cùm verò non multò pòſt Albertus Marchio è vita migraſſet, nullis liberis legitimis ſuperſtitibus, idem Bonifacius anno milleſimo treceenteſimo nonageſimo quartò Ferrarienſem Principatū ad decennium conſtituto eodem decem millium aureorum cenſu, ac vectigali militari conſueto, Nicolao Ateſtino Marchioni ex impuro thoro procreato, quod jam ante ex pactionibus à Gregorio XI initis, atque à Bonifacio IX confirmatis, cautum fuiſſe ſcribit Raynaldus anno 1394, num. 21. Cùm Nicolaus eſſet tunc tantùm undennis, ejus nomine Antonius è Monte Catino Juriſperitus clientelarem ſponſionem de more præſtitit quinto Nonas Julii, & ſingulas pactiones in ſacramento contentas die 17 menſis Septembris publicis tabulis ratas habuit. Arcem Ferrarienſem à Marchione Eſtenſi fuiſſe ædificatam diximus in Innocentio III num. LXXII, à quo forſan tempore initium familiæ Eſtenſis dominationis Ferrariæ repetendum eſt, non verò ab anno 1240, quo, ut ſcribit Spondanus num. 3, Azoni Marchioni Eſtenſi Eccleſiæ ac Pontificis nomine & auctoritate gubernanda Ferraria tradita eſt. Anno poſtea 1309 Veneti eam occuparant, Azone Eſtenſi ſine legitima prole defuncto, ſed eam eodem anno recuperavit Clemens V; & Benedictus XII anno 1340 Opizonem Eſtenſem Ferrariæ, Mutinæ & Argentæ Vicarium conſtituit vectigali impoſito, ut quotannis decem millia nummûm Eccleſiæ Romanæ, cujus peculiaris dominii erat Ferraria, perſolveret; tandemque, ut jam dictum eſt, anno 1390, Bonifacius ſub eodem cenſu Albertum Marchionē Ateſtinum Ferrariæ Vicarium dixit. Denique Spondanus anno 1391, Bonifacium IX Studium Generale in Civitate Ferrariæ erexiſſe, auctore neſcio quo, ſcribit; quod Studium plurimùm debet Bartholomæo Salliceto Juriſconſulto hoc tempore florentiſſimo, qui profeſſioni Juris primus in eo felix auſpicium dediſſe traditur.

XI. *Clemens plures Cardinales creat.*

Eodem anno 1390, Clemens Avenione ſedens, tres novos creavit Cardinales; cùm enim Carolus Navarræ Rex ad eum Nuncios miſiſſet ſupplicantes, ut Martinum de Salva ſuum Cancellarium & regnicolam, Epiſc. Pampilonenſem à Gregorio XI promotum in Cardinalem aſſumeret, Clemens, qui id facere diſpoſuerat vivente adhuc Carolo patre dicti Caroli Regis, ſi ipſe tunc Martinus aſſentiri voluiſſet, die XXI menſis Julii eum dixit Presbyterum Cardinalem ſub titulo Sancti Laurentii in Lucina, ut ſcribit Auctor Vitæ Clementis; non verò die XXIII, ut legitur apud Ciaconium. Non multò poſt cùm peſtis & mortalitas Avenione invaluiſſet, & Clemens Avenione Bellicadrum in diœceſi Arelatenſi receſſiſſet, vocavit ad ſe aliquos Cardinales tam Avenione, quàm circumcirca morantes, & cùm nonnulli ex aliis noviter obiiſſent, die decima ſeptima menſis Octobris Joannem Flandrini diœceſis Vivarienſis, tunc Archiepiſcopum Auxitanum, & Petrum Gerardi ſive Girardi de Foreſio diœceſis Lugdunenſis, tunc Epiſcopum Anicienſem, Cubicularium ſuum, Presbyteros

Car-

Digitized by Google

Cardinales creavit, illum ſub titulo SS. Joannis & Pauli, hunc ſub titulo S. Clementis, vel,ut ſcribit Ferdinandus Ughellus, ſub tirulo Eudoxiæ, aliàs S. Petri ad vincula. Ita Auctot Vitæ Clementis. Anno ſequenri 1391, inquit idem Auctor, cùm orta diſcordia inter Philippum Ducem & Comitem Burgundiæ, & Guillelmum de Vergeyo Archiepiſcopum Biſuntinenſem, diu duraſſet, nec poſſet ſedari Guillelmo eidem Eccleſiæ præſidente, Clemens ad ejuſdem Ducis inſtantiam, & pro bono pacis Guillelmum jurium Eccleſiæ ſuæ defenſorem Presbyterum Cardinalem creavit ſexto Kalendas Maji, ut ſcribir Ciaconius, vel die decima ſeptima Aprilis, ut ait Baluzius col. 1390, qui ait, eum tunc fuiſſe abſentem, & intraſſe Curiam anno tantùm 1393, die decima Aprilis, & tunc habuiſſe tirulum S. Ceciliæ. Anno tandem 1394, juxta eundem Auctorem, die XX Januarii ad inſtantiam Henrici novi Regis Caſtellæ, Clemens Presbyterum Cardinalem dixit Petrum Ferdinandi de Matina Hiſpanum, tunc Epiſcopum Oxomenſem; Petro, quem Ciaconius appellat Petrum Fernandi Frias, abſenti nullum dedit titulum Clemens, ur vult idem Ciaconlus, vel Oldoinus; in Actis enim electionis Benedicti XIII legitur Petrum Epiſcopum Oxomenſem, dictum Cardinalem de Hiſpanla ei non adfuiſſe, *quia non habebat titulum, & erat abſens*. Titulus itaque Sanctæ Praxedis à Benedicto XIII ei datus eſt tantùm poſt mortem Thomæ de Amanarls Cardinalis tit. S. Praxedis, quæ contigit anno 1396 exeunte, ur obſervavit Baluzius col. 1408, contra Oldoinum, qui in hac ultima crearione putat etiam Ludovicum Allobrogem Epiſcopum Maurianenſem, & Joannem de Rupecavardi Gallum, Bituricenſem primùm, dein Arelatenſem Archiepiſcopum dictos etiam eſſe Presbyreros Cardinales; farerur tamen Ludovici nullam mentionem haberi apud Claudium Robertum, neque in libris ſacri Collegii, & quoſdam non diſtinguere Joannem de Rupecavardi à Joanne de Broniaco, de quo ſupra; nullamque dicti Joan. de Rupecavardi etiam mentionem haberi in libris ſacri Collegii, nec horum duorum in Vita Clementis, qui omnes à Clemenre crearos exactè memorat. Has omnium Cardinalium creationes à Clem. factas hìc uno tenore referre viſum eſt.

XII. *Clementis poſteritas maſculina extincta.* Cùm Petrus Gebennenlis Comes Clementis frater unicus anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo ſine prole obiiſſet, Clemens tam rarione propinquitatis, quàm ex ſubſtitutione paterna ſucceſſit ei in Comitatum, tenuitque illum ab inde quandiu vixit, nomineque ſuo fecit illum gubernari. Sed Clemente decedente ceſſavit ex toto in domo antiquiſſima Gebennenſi poſteritas maſculina; cùm enim nullus tunc remanſerit maſculus ex ea procedens per lineam maſculinam, quod nunquam contigerat in ea familia, Imbertus de Villariis nepos ex ſorore dictorum Petri & Clementis eis ſucceſſit in Comitatum. Ita ſcribit Auctor Vitæ Clementis. Theodoricus tamen Niemus lib. 2, cap. 4, Comitatum Gebennenſem ad Comitem Sabaudiæ perveniſſe poſt mortem Clementis his verbis aſſerit apud Raynaldum anno 1394, num. 5. *Licet multos haberet fratres & ſorores, ac etiam ex quibuſdam eorum nepotes, tamen eo defuncto, Comitatus Gebennenſis exiſtens magnum, & nobile feudum Imperiale in Gallia ad Comitem Sabaudiæ pervenit, excluſis qualitercumque veris hæredibus, qui de jure ſuccedere debuerunt.*

XIII. *Bonifacius IX ſcribit Epiſtolam encyclicam de Schiſmate, contra Regem Francorum.* Boniſacium IX inito Pontificatu encyclicas literas ſcripſiſſe ad omnes ſibi adhærentes ſuperiùs oſtendimus; ſed anno 1391 ſui Pontificatûs ſecundo Kalendis Martii encyclicam pariter Epiſtolam ad univerſos Chriſti fideles ſcripſit, quam Spondanus n. 1 ſcribit ſe vidiſſe in Bibliotheca Victorina Pariſienſi, in deteſtationem ſchiſmatis, manifeſtationem divinæ providentiæ in defendenda Eccleſia Romana, & exhortationem ad obedientiam Pontifici in Sede Apoſtolica ejuſdem Eccleſiæ ſedenti ab omnibus præſtandam. Quâ Epiſtolâ præcipuè in Regnum Francorum commotus, cujus potiſſimùm patrocinio ſciebat Clementem æmulum ſuum conſiſtere; inter alia velut indignans memorat, Sedem Apoſtolicam detentam in Galliis ſeptuaginta quinque annis, detentionem hujuſmodi atque aliena crimina ad ripas Rhodani in triſtitia fleviſſe, priùſquàm velut Iſraëliticus populus de Ægipto ad locum ſanctuarii principalem, ac principii ſedem, & alveum proprium divina diſpoſitione reduceretur: Hancque reductionem ex eadem diſpoſitione procedere, illud tunc temporis Hiſpaniæ decus, Petrum Infantem Aragoniæ, virum regiæ ſtirpis religioſum, grandævum & vitæ probabilis per ſe ipſum, & Birgittam de Suecia piæ memoriæ per Confeſſorem ſuum Priorem Eccleſiæ Lincopenſis, Joanni Franciæ & Eduardo Angliæ Regibus tempore Clementis Papæ ſexti nunciaſſe, admonitione ſubjuncta ex parte Altiſſimi, ut quilibet ipſorum eandem reductionem promoveret, alioquin contra facienti proſperitatem omnem abfuturam; prout deſpicientem Franciæ Regem in bello captum, obedientem Regem Angliæ victoriâ potitum cernere licuit. Sic etiam Urbanum V cùm è Roma contra prædictam diſpoſitionem ei ab eadem Birgitta per Comitem Nolanum ſignificatam, Avenionem redire præſumeret, ante completum iter ab huma-

nis exemptum eſſe. Et ipſum Gregorium XI diſponentem de regreſſu in Gallias, miſſo per eum ad Hiſpanias pro galeis habendis, ante ipſarum adventum in Sede propria Romæ perpetuò quieſcere compulſum eſſe. Ceterùm domum Franciæ, quæ aliàs principalis murus defenſionis fidei ſoleret eſſe, in hoc horrendo ſchiſmate principaliter non peccaſſe, ſed falſis deceptam literis, quaſi Urbanus VI voluiſſet ei auferre regnum Arelatenſe, & ſpe Monarchiæ Orbis ac perpetuitatis decimarum à ſchiſmatico Papa ei oſtentatam, in ſchiſmatis defenſionem converſam eſſe. Pro qua delenda macula, tam ſe preces Deo offerre, quàm alios hortari ut idem faciant. Hæc, „ ſubdit Spondanus, iis literis Bonifacius ſatis artificioſè, quibus non pauca nos docet, quæ abſque iis fortè ignoraremus, cùm nullibi alibi exarata legerimus, ea verò ipſe vel ex certioribus monumentis hauſit, vel auditu ab aliis percepit: quæ non eſt animus ad examen revocare, ne videamur Pontifici inſultare. Illud omninò dicimus, quamvis haud dubium convenientius ac decentius fuiſſet nunquam Sedem in Galliam traduxiſſe; ſi tamen Urbis Romæ & Italiæ commoda dempſeris, non adeò æquè pœnitere debuiſſe reliquum Chriſtianum Orbem de Pontificibus, qui Avenione ſederunt, ſi cum aliis conferantur. Itemque, nunquam per Reges ſtetiſſe quin ſchiſma tolleretur, ſi prius ſublatum fuiſſet dubium de juribus partium; de quibus controverſum vidimus non ſolùm inter Reges ac Principes, verùm etiam inter Academias florentiſſimas, inter Antiſtites religioſiſſimos, inter Sanctos virtutibus & miraculis illuſtriſſimos. Eo verò dubio ſublato, quo zelo & ardore unionem & reformationem Eccleſiæ, exemplo majorum ſuorum Regum Chriſtianiſſimorum Rex perſecutus fuerit, novit univerſus Orbis, & videbitur inferiùs. Ita rectè Spondanus; nam ut de ceteris in ea Epiſtola contentis taceam, ſi geſta Pontificum, qui Avenione ſederunt, ſpectentur, de illis meritò dici poteſt, quod Odoricus Raynaldus anno 1314 num. 15 de Clemente V ſcribit, eum *religione, zelo, fideique augendæ ſtudio magnis æquandum Pontificibus*, quod ex omnibus eorum geſtis manifeſtè conſtat.

XIV. *Angliæ Regem contra Regem Francorum concitat.*

Eodem anno 1391, cùm, ut narrat Walſinghamus in Richardo II, factum eſſet in comitiis Anglicanis decretum, ut omnes Angli beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, qui Romæ eſſent, redirent in Angliam circa feſtum Sancti Nicolai, ſub pœna amiſſionis eorum; & qui nondum obtinerent, etiam nihilominus redirent ſub pœna noxæ: Bonifacius miſit Abbatem quemdam ad cauſas hujus decreti, quo lædebatur libertas Eccleſiaſtica, explorandas, quam ita tueri vellet, ut tamen non intenderet minuere auctoritatem Regiam in rebus licitis & rationi congruis. Significavit quoque Angliæ Regi, Robertum Gebennenſem dictum in ſua obedientia Clementem VII, ac Regem Francorum pacta invicem iniiſſe de inveſtiendo Duce Turoniæ Regis fratre de omnibus terris Eccleſiæ, quæ in Italia erant, & alium quemdam coronare Regem Tuſciæ & Lombardiæ; ac Ducem Andegaviæ confirmare in regno Siciliæ; propterea que rogavit Regem Angliæ ut defenſionem fidei & Eccleſiæ ſuſcipere vellet, & ad idem Imperatorem per literas hortari: nec ullam concordiam cum Francis iniret, niſi per eam cautum eſſet ſecuritati Eccleſiæ & Italiæ: Si enim Rex Francorum occuparet Italiam, etiam Angliam facilè uſurpaturum. Juſſit ergo Rex Nuncio Papæ, ut expectaret Parlamentum futurum, in quo de communi conſilio reſponſum ſibi daretur. His verò ad Comitia relatis, *tractatum eſt*, ſubdit Walſinghamus, *de Papali negotio, quoad ſtatutum nuper editum contra proviſores, & quanquam Rex ipſe & Dux Lancaſtriæ viderentur Papæ deferre, tamen milites Parliamentales nullo modo conſentire voluerunt, ut liceret Romipetis impune acquirere ſibi beneficia ſicut prius; ſed ne viderentur nullum honorem Papæ vel Regi detuliſſe, hoc toleraverunt, ut per Regis gratiam liceret eis acquirere uſque ad Parlamentum futurum.* Circa verùm Regem Franciæ, id ſtatutum eſt, ut Regi dimidia decima, & dimidia quintadecima concederetur, quæ pecunia deſerviret tractatui habendo pro pace cum Gallicis, quem Dux Lancaſtriæ proſecuturus erat. Ex quibus conjicere eſt hunc de Francis terrorem de induſtria fortè à Bonifacio ſimulatum, ex eo quòd, ut ex Froſſardo vol. 4 cap. 24 intelligitur, ſparſus rumor erat de expeditione, quam Carolus VI Franciæ Rex in Italiam decreviſſet. Porrò Bonifacius eodem anno 1391 Romæ apud S. Petrum 2 Nonas Februarii Conſtitutionem ediderat à Raynaldo eodem anno num. 15 relatam, qua Richardi Regis edictum de proviſionibus beneficiorum Eccleſiaſticorum Angliæ reſcindit, ſed de illo nulla apud Walſinghamum mentio, quamvis reſponſio Parlamenti facta ſit Nuncio Papæ novem menſibus poſt Conſtitutionem Bonifacii, id eſt, ut Walſinghamus ait, *feria ſexta proxima ſequente Commemorationem animarum*, ſeu defunctorum, quæ celebratur die 2 Novembris.

XV. *Birgittam Suecam Sanctorum honoribus donat.*

Sanctam Birgittam viduam, Suecam, anno 1373 decimo Kalendas Auguſti Romæ mortuam, ex Eccleſia Sancti Laurentii in Paliſperna collis Viminalis, in qua ſepulta fuerat, anno ſequenti 1374 à Catha-

tharina ejus filia ac peregrinationum ſocia, multorum miraculorum coruſcatione in Sueciam delatam, Bonifacius IX anno 1391 die ſeptima menſis Octobris ſolemniter canonizavit in magna capella Palatii Romæ prope Sanctum Petrum. Hujus Canonizationis ceremonias refert Petrus Amelius tunc vivens & videns in Ordine Romano XV, apud Mabillonium Tomo 2 Muſei Italici pag. 533 & ſeqq. Eadem die ſeptima Octobris literis encyclicis ad Præſules datis recolendam anniverſaria precatione ejus memoriam decimo Kalendas auguſti indixit, quibus præcipua ejus vitæ præclariſſima geſta & miracula perſtrinxit, quorum tanta fuit gloria, ut etiam antequam proditet in lucem, Deus ipſius cauſâ matrem naufragio liberarit, ut legitur in Hiſt. Bohem. Æneæ Sylvii lib. 9, cap. 24, illique fœtum cum chatitate educandum imperarit; recenter natæ futuram ſanctitatem pio Parocho cœlitùs oſtenderit, trimulæ elingui repente cœleſti dono expeditum loquendi prudenter de omnibus uſum tribuerit; toto verò vitæ curſu & poſt mortem innumera mortalibus ad ejus opem preceſque apud Deum confugientibus beneficia contulerit. De auſtero autem & ſanctiſſimo vitæ genere plura in Apoſtolico diplomate narrantur apud Raynaldum num. 29. Petrus Amelii loco laudato ſubdit, Bonifacium pronunciata Canonizationis ſententia conceſſiſſe *indulgentiam iſta die & in ſequenti viſitantibus Eccleſiam S. Petri & Sancti Laurentii in Paniſperna, & qui interfuerint in divino officio iſto illam indulgentiam Jubilei & multas alias in terris.* De Ordine à Sancta Birgitta fundato, ejuſque per Urbanum V confirmatione ſuperiùs in ejus Pontificatu diximus num. 46. Quòd verò pingatur Birgitta plerumque habitu Monachæ, non tam indicium eſt facti, quàm voti, inquit Spondanus anno 1378 num. ult. quippe certum eſt neque induiſſe illius Ordinis, quem fundaverat, veſtes, nec cujuſquam alterius; ſed quamvis vili habitu, communi tamen uſam eſſe, quòd Monaſticus minùs conveniens videretur peregrinationibus, quas divino monitu adimplere compulſa fuit. Ejus Vita extat apud Surium die 23 Julii, quo obiit; ejus tamen ſolemnitas celebratur nunc in Eccleſia die octava menſis Octobris. De ea iterum ſermo redibit in Concilio Conſtantienſi.

XVI. *Vagari cogitur per Italiam.* Inter hæc cùm Bonifacius Romæ à Bandereſiis, ſeu Regionum Urbis Præfectis deſpectui haberetur, & varias ab iis perſecutiones pati cogeretur, nec ferè haberet quò recurreret ob tumultuoſiſſimum totius ferè Italiæ, ac ſingularum civitatum ſtatum, anno 1392 à Peruſinis domeſticis cladibus feſſis evocatus quarto Kalendas Octobris, ut ſcribit Theodoricus Niemus lib. 2 cap. 15, & ex eo Sanctus Antoninus tit. 22 cap. 3 §. 1, profectionem ſuam ad urbem Peruſinam publicis literis evulgavit, creatoque Arnulpho Comite Peruſii Prætore, ut pacem ea in urbe poſtliminio revocaret, omnes qui ad eam diem fuſi humani cruoris flagitium commiſerant veniâ donatos patriæ reſtituit. Quare extinctis, ut credebatur ſimultatibus, Peruſini cives ingenti gaudio delibuti ſummas Bonifacio gratias egére, confectiſque publicis tabulis, quæ extant apud Raynaldum num. 6, Peruſium juris eſſe Apoſtolici, ac Pontificum imperia ſemper ſe culturos profeſſi ſunt die ultima menſis Novembris ejuſdem anni 1392. Sed non multò pòſt rurſùs factionibus civium, & exulum, quibus beneficium contulerat reductionis in urbem, in graviora pericula incurrens, circa finem menſis Auguſti anni 1393 Aſſiſium confugit, relicto Pileo Epiſcopo Tuſculano Cardinali, quem Apoſtolicæ Sedis Legatum creavit, eique Vicariatum Peruſinum tradidit diplomate dato Aſſiſii Kalendis Septembris Pontificatûs anno IV, cujus partem refert idem Raynaldus anno 1393 n. 3. Aſſiſio Spoletum, indeque Romam profectus eſt, juxta S. Antoninum loco laudato.

XVII. *Erfordienſem in Turingia Academiam instituit.* Hic porrò non omittendum quod ſcribit Albertus Krantzius lib. 10 Saxoniæ cap. 15. Bonifacium nempe IX anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo ſecundo Erfordienſi Scholæ in Turingia privilegium donaſſe, quo Theologica facultas ipſi concedebatur, eoque pacto Academiam Erfordienſem inſtitutam. Ibidem Krantzius admiratur Germaniam tandiu ſine publicis egiſſe literarum Gymnaſiis. Franciam quidem à memoria Caroli primi eo genere claruiſſe: Italiam non longè pòſt Bononiæ, & quibuſdam aliis publice docere cœpiſſe: Bohemiam non diu ante hoc tempus ſub Carolo IV Imperatore & Rege ſuo, Pragæ publicum meruiſſe literarum Gymnaſium: Germaniam tamen omnium ad cultum noviſſimam provinciam, nunc primùm incepiſſe publica excolere palladia. Sed mihi videtur jure merito dici poſſe longè ante hæc tempora fuiſſe Gymnaſia publica in Germania, verùm non Academias ſeu Univerſitates, quibus conferendæ laureæ doctoralis jus tributum eſſet. Nam Academiam Colonienſem ab Urbano VI inſtitutam docet Middendorpius in Commentario ſuo de Academiis, qui licèt Viennenſem in Auſtria velit à Friderico II Imp. ex Romana & Pariſienſi inſtitutam, fatetur tamen eam ducentis tantùm circiter pòſt annis à Pio II circa annum 1460 confirmatam & privilegiis auctam; & Raynaldus anno 1364 num. 13 refert ex Tomo 2 Epiſt. Secret. Urbani conſtare Rodulphum Auſtriæ Ducem flagitaſſe ab Ur-

ba-

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

bano V, ut Viennæ Academiam inſtitueret, datamque à Pontifice Joanni tit. S. Marci Preſbytero Cardinali provinciam explorandi an ea urbs ad id apta eſſet. Quo referente idoneam videri, reſcripſit Pontifex ſe, antequam de ea condenda diploma Apoſtolicum ederet, habere in votis ab ipſo certiorem fieri, quibus privilegiis eam Academiam ipſe ac fratres decorare vellent. Viennenſis itaque Academia à Friderico II non eſt inſtituta. Sed, ut ad Erfordienſem redeam, hæc civitas ab Anno 1664 ſubeſt Electori Moguntino, eſtque celebris Academiâ ſuâ & arce S. Ciriaci dictâ.

XVIII. *Inter Bonifacium & Regem Franciæ tractatur de unione Eccleſiæ.*

Cùm Eccleſiæ diviſionem multi dolerent, inter alios qui ei mederi curarunt, recenſentur Carthuſiæ Aſtenſis in Lombardia Prior, nomine Petrus, inſigni pietate vir, qui cujuſdam Cardinalis conſilio Bonifacium adiens literas ab eo anno 1392 quarto Nonas Aprilis Pontificatûs anno 3 datas, quas ſe vidiſſe commemorat Spondanus num. 5, ad Carolum VI Gallarum Regem impetravit, quibus Bonifacius commemorabat, quòd Rex ex non ſolùm vetuſtiſſima atque nobiliſſima, ſed etiam Chriſtianiſſima & virtuoſa progeniæ duceret originem, de qua multi venerandi, memorabiles, & inclyti Reges ac principes prodiiſſent, ut etiam eorum aliqui fluctuantem Eccleſiam & Rempublicam fide, integritate, induſtria, indefeſſis laboribus, magniſque ſumptibus, gravibus periculis, foverint, defenſarint, & ad portum ſalutis & tranquillam duxerint ſtationem: ac vice versâ, cùm fuit opus, nonnulli ex ipſius progenitoribus, etiamque recenti memoria, ab eadem Eccleſiâ præcipuos honores & optima commoda reportaſſent: atque eam ob tem intet Eccleſiam piam matrem & progenitores ipſos præclariſſimos filios connexio indiſſolubiliter viguiſſet, ut etiam Eccleſia abſque illis, & illi abſque Eccleſia, ſi recenſerentur annales, nunquam, vel raro magnificum quid tentaſſent. Poſt hæc prædictis ipſis verbis commemorata, Bonifacius enixiſſimè Regem rogavit, ut Eccleſiæ unioni attenderet, ſpondens nihil ſe omiſſurum quo id optatum finem conſequi poſſet. Ut verò maturiùs res tractaretur, prædicto Priori comitem dedit Bartholomæum de Ravenna Carthuſiæ inſulæ Gorgonæ Priorem. Hi Avenionem primò accedentes, à Clemente ingratè excepti, atque detenti fuere: donec re Pariſiis cognita, Rex Univerſitatis poſtulatu Clementem monuit eos dimittere: & Lutetiam venientes circa feſtum Natalis Domini, gratioſéque habiti, reſponſum ore tenus acceperunt, ſe monita à Bonifacio miſſa æquo animo ſuſcepiſſe, omneſque vires Regias promptas fore ad unionem Eccleſiæ promovendam. Non reſcripſit quidem Rex ad Bonifacium, ne filialem reſcriptionem profitens videretur ſubitò à Clemente deſciſſere, ſed ut perſuaderet Italis ſe unionis bonum promovere velle prædictis duobus Prioribus Carthuſienſium, duos alios ejuſdem Ordinis adjunxit, nempe Divionenſem & Paritienſem.

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

XIX. *Clemens ſimulat ſe eam unionem cupere.*

Hæc conſtant ex Monacho Dionyſiano tunc vivente in Hiſtoria MS. Caroli VI, & Juvenali Archiepiſcopo Remenſi in eodem Carolo, qui addunt tunc Pariſiis cœpiſſe fieri eo fine ſupplicationes & proceſſiones; ipſumque Clementem ut perſuaderet ſe pariter unionem percupere, etiam officium peculiare Miſſæ compoſuiſſe, magnaſque indulgentias conceſſiſſe iis qui illud celebrarent; quod diſertis verbis aſſerit Clementis Vitæ Auctor ita ad annum 1393 ſcribens: *Eodem tempore memoratus Clemens Papa pro ſedatione ſchiſmatis & unione Eccleſiæ obtinenda, ordinavit quòd ubique proceſſiones fierent, orationes ad Deum & Sanctos ejus devotè funderentur, & Miſſæ celebrarentur continuè, & ſpecialiter illa, cujus officium incipit*: Salvos fac nos Domine, & congrega nos de nationibus &c. *quæ cum aliis ad eam pertinentibus fuit per ipſum tunc propter hoc ordinata. Dedit etiam multas indulgentias præmiſſa facientibus uſque ad effectum petitionis hujuſmodi duraturas.* Verùm hæc fictè à Clemente fieri creditum eſt: maximè cùm miſſus ab eo venit Lutetiam quidam Magiſter Joannes Goulain Ordinis Carmelitarum, qui cùm largitione indulgentiarum viam unionis diſſuaderet, & omnes in Bonifacium concitaret, magno odio habitus eſt Lutetiæ.

XX. *Bonifacii & Clementis Legationes ad Regem Francorum.*

Bonifacius inter hæc Peruſii exiſtens, auditis quæ Priores Cartuſienſes retuliſſent à Rege duodecimo Kalendas Julii ejuſdem anni 1393, ad eundem Regem iterùm ſcripſit dolere ſe nihil ex iis intelligere potuiſſe, niſi quòd ipſe Rex ac regnum ejus ambagibus Roberti de Gebenna (id eſt Clementis Avenione ſedentis) detinerentur involuti: repetenſque legitimam electionem Urbani, & ſchiſmaticam Roberti, hortatus eſt ad hunc abdicandum: &, ſi cuperet, miſſurum ſe qui plenius ei ſingula explicarent. Sed his literis ægrotante Rege acceptis, Duces Biturigum & Burgundiæ Regis patrui, qui regnum adminiſtrabant, haud reſpondendum exiſtimarunt; eò quòd illis Bonifacius non niſi adverſarii abdicationem poſtulabat, relictis aliis unionis viis, de quibus jam agi cœptum erat in Univerſitate Pariſienſi. Hæc narrat ad annum 1393 ex Monacho Dionyſiano laudato Spondanus, qui addit fortè de hac Bonifacii Legatione loqui Froiſſardum vol. 4 cap. 52, cùm ait, Bonifacium ejuſque Cardinales audito Regis Caroli VI infortunio, quòd ſcilicet in amentiam in-

ci-

Digitized by Google

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

cidiſſet, habuiſſe quidem id tanquam immiſſum à Deo ob patrocinium Antipapæ Avenionenſis; verumtamen conſilium iniiſſe mittendi ad eum tacitè & ſine ulla pompa Franciſcanum quemdam virum prudentem, qui eum in viam rectam reducere conaretur; eò quòd, ut ait, haberent illum ut ſupremum Regem totius Chriſtianitatis, per quem, pluſquam per ullum alium, Sancta Eccleſia deberet illuminari. Jam antea miſſus etiam fuerat à Clemente ad eumdem Regem Petrus de Luna Cardinalis Aragoniæ, qui tam eum quàm patruos, Academiamque Pariſienſem a viis unionis perſequendis averteret, deſiderium pacis ita præ ſe ferens, ut tamen de juſtitia ſuæ partis nihil dubitari vellet.

XXI. *Univerſitas Pariſienſis vias proponit pro unione Eccleſiæ.*

Univerſitas enim Pariſienſis extinguendi ſchiſmatis zelo ducta, cùm apud Regem, qui ex intervallis tantum mente periclitabatur, impenſius inſtitiſſet ea de re, demum anno 1394 obtenta facultate indagandi viam, quâ unio fieri poſſet, poſt ſupplicationes publicas, maturamque deliberationem tres commodiores ſtatuit: nempe *Ceſſionis* & renunciationis plenariæ utriuſque contendentis, quam faciliorem exiſtimabant; vel *Compromiſſionis* mutuæ in aliquos deligendos; vel *Determinationis Concilii Generalis*. Hoc ſtatutum eſſe die ſexta Junii in Vigilia Pentecoſtes conſtat ex Epiſtola à Nicolao de Clemangiis patria Catalaunenſi, tunc adhuc Theologiæ Baccalaureo in regio Collegio Navarræ, poſtea Præcentore, ac demum Archidiacono Bajocenſi, eloquentia præſtantiſſimo, Univerſitatis nomine compoſita, & Regi oblata ultimâ die ejuſdem menſis, qua ei vias prædictas propoſuerunt & explicarunt; in hæc enim verba deſinit: *Data in noſtra generali congregatione apud S. Bernardum, ut moris eſt in arduis, celebrata unanimi facultatum ſingularum & nationum conſenſu 8 Idus Junii, vigilia videlicet Pentecoſtes: quo die Spiritus Sanctus diſcipulorum mentibus in unum congregatorum illapſus eſt, & charitate concordes ſuæ inundantis gratiæ perfuſione replevit: quem & noſtro tam concordi conventui eâ horâ adſtitiſſe piâ & veriſimili conjectura credimus.* Prætereà Univerſitas eandem ſupplicationem, quam Regi obtulit, etiam ad Clementem Avenionem miſiſſe, eum incitantes, ipſumque requirentes, ut alteram ex viis, quas proponebant ad extinguendum ſchiſma, quam ſibi videretur utiliorem eligere vellet, teſtatur ipſius Vitæ Auctor apud Baluzium, qui addit: *Hujuſmodi autem incitationi & exhortationi favebant & cooperabantur Rex Franciæ cum ſuis regalibus & multi prælati regni ſui, qui votis ſuis ſibi ab invicem communicatis ſatis concordabant, quòd inter vias prædictas motas & tactas erat illa brevior & convenientior toti mundo occaſione dicti ſchiſmatis jam diviſo, quòd tam dictus Clemens, quàm ſecum ſuper papatu contendens* (id eſt Bonifacius) *pariter cederent juri, quod ipſorum quilibet in eo prætendebat habere, & eis unus tertius ſubrogaretur in eodem.* Et poſt pauca: *Et hæc eadem cenſuerunt eſſe perſuadenda adverſario ſuo* (Bonifacio) *per ſibi obedientes & faventes.* Literæ hortatoriæ Univerſitatis, quarum hic Auctor meminit, editæ ſunt Tomo ſexto Spicilegii Dacheriani pag. 109, & Tomo 4 Hiſt. Univerſitatis Pariſ. ex codice S. Victoris Pariſienſis.

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

XXII. *Robertus Gebenn. dictus in ſua obedientia Clemens VII moritur.*

Stephanus Baluzius in Notis ad Vitam Clementis col. 1396, obſervat in laudato S. Victoris Pariſienſis codice poſt deſcriptam Epiſtolam Univerſitatis ad Clementem, iſta antiquitus ſcripta eſſe: *Ad iſtas literas non dedit Papa reſponſionem literatoriam, ſed verbalem tantum, quæ fuit talis, ſcilicet quòd literæ iſtæ malæ erant & venenoſæ, &c. & de poſt non multum gaudium habuit, & ſatis citò mortuus eſt, ſcilicet die Mercurii 16 Septembris, anno Domini 1394, & ſepultus eſt apud Dominam noſtram de Donis.* Monachus Dionyſianus, & Juvenalis Urſinus addunt, Univerſitatem privatas etiam literas dediſſe hanc in rem ad Cardinales Avenionenſes, qui cùm petitionem Univerſitatis de una ex Viis propoſitis aſſumenda æquam judicaſſent, majori iracundia & anxietate correptum Clementem paucis poſt diebus apoplexiâ percuſſum diem obiiſſe Avenione, quæ eadem confirmat apud Baluzium laudatum Continuator Nangii, qui fortè idem eſt ac Monachus Dionyſianus a Spondano laudatus: *Apices*, inquit, *Dominus Papa recipiens in præſentia aſſiſtentium perlegit; ſed dum modicum ſcripturæ attigiſſet, aſſurgens cum iracundia magna cunctis audientibus inquit: Iſtæ literæ ſunt Sanctæ Sedis Apoſtolicæ diffamatrices, veneno detractionis plenæ, nec lectu nec recitatu dignæ ſunt.* Et paulò infra: *Inde dolore tactus intrinſecus cœpit plurimùm anxiari, nec diu poſtea vixit. Levis enim infirmitas ſecundùm apparentiam eum fere per tres dies detinuit; de qua non lecto decumbens, cùm XVI die Septembris audita miſſa intraſſet cameram, & vippa cor aliquantulum gravatum refocillari petiiſſet, antequam vinum offerretur, ſedens apoplexiâ percuſſus fatale debitum ſolvit.* Auctor denique Vitæ Clementis etiam aſſerit eum mortuum, *poſt ſatis brevem infirmitatem, die XVI menſis Septembris, anno Dom. 1394, Pontificatus ſui XVI* nondum completo, cùm electus fuerit die vigeſima Septembris anni 1378, ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali S. Mariæ de Donis, indeque corpus ejus fuit poſteà tranſlatum ad Eccleſiam Cæleſtinorum Avenionen-

Digitized by Google

nionenium, non verò Pontis Sorgiæ, ut perperam ſcribit Ludovicus Jacob in Bibliotheca Pontificia, cum epitaphio quod exhibet Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſtorico ſimul cum delineatione ejus ſepulchri. Translatio autem hæc facta ad Eccleſiam novam Cæleſtinorum die Dominica 18 Septembris anni 1401, Benedicto XIII exiſtente in palatio obſeſſo & incluſo, eaque die celebravit & fecit ſermonem Cardinalis Albananſis, nempe Nicolaus Brancacius. Interfuerunt autem huic translationi Archiepiſcopus Narbonenſis, Camerarius, Remenſis, Rotomagenſis; Epiſcopi Magalonenſis, Catalaunenſis, Valentinenſis, Vaſionenſis, Avenionenſis & Autaicenſis, ut legitur in codice Colbertino 817, apud Baluzium col. 538. Corpus porrò Clementis tunc intra tumbam marmoream perquàm elegantem compoſitum fuit, contra gradus majoris Altaris; unde non ita pridem tumba illa remota eſt paſſibus aliquot versùs Occidentem, ut inter ipſam & gradus Altaris tranſitus daretur miniſtrantibus, nec ampliùs opus eſſet vel circuire tumbam, vel per ipſos gradus tranſitum facere minùs ordinatum.

XXIII. *Cardinales Avenionenſes ſucceſſoris electionem præcipitant.*

Audita Clementis morte, non ſolùm Carolus Franciæ Rex, ſed & Univerſitas Pariſienſis ſemel & iterum ad ejus Cardinales ſcripſerunt, rogantes electionem ſucceſſoris differre, quouſque cognitum eſſet de Bonifacii voluntate ad concordiam Eccleſiæ, eſſetque undique tentatum quonam modo pax obtineri poſſet. Scripſit & ad eoſdem Rex Aragoniæ, graviterque monuit, hortatuſque eſt ſolicitè inquirere, atque inter ſe deliberare de modis & viis, quibus ſchiſma extingui & pax Eccleſiæ reſtitui valeret. Sed Cardinales Avenionenſes numero viginti & unus (tres enim, nempe Jacobus Sabinenſis, dictus de Valentia, in Aragonia, Joannes Oſtienſis, dictus de Novocaſtro, & Petrus, qui fuit Epiſcopus Oxomenſis, dictus de Hiſpania, aberant, ut diſertè legitur in Actis electionis Benedicti XIII apud Baluzium) expletis Clementis novemdialibus electionem præcipitarunt, ne Regis Nuncii, qui in itinere erant, eam impedirent, ut ſcribit Monachus Dionyſianus, velut Juvenalis Urſinus, prætexentes neceſſitatem unius è ſuo corpore capitis ad reſiſtendum inſultibus Raimundi Turenii, nepoti ex fratre Gregorii XI, qui velut obſeſſos eos tenebat Avenione, ſuſcepto in eos & Clementem bello, prætextu recuperationis bonorum patrui ſui. Die itaque Sabbati vigeſima ſexta tembris poſt horam veſperarum, conclave intraverunt, & die Lunæ ſequenti vigeſima octava ejuſdem menſis elegerunt Petrum de Luna Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Coſmedin, cùm tamen antequam ad electionem procederent, ne ſchiſmatis fautores viderentur, confeciſſent jurisjurandi formam, qua omnes & ſinguli ſe obſtrinxerunt, laboraturos ſe fideliter & diligenter, quatenus ad eos pertineret, in tollendo ſchiſmate, daturoſque ei qui foret electus auxilium, conſilium & favorem, ad unionem Eccleſiæ faciendam; & quicumque eligeretur obſervaturum ſine excuſatione vel dilatione, etiam uſque ad ceſſionem incluſivè, ſi Cardinalibus, qui tunc forent, vel majori parti eorum, pro bono pacis & Eccleſiæ videretur expedire. Hæc Jurisjurandi formula extat apud Raynaldum ſine ſubſcriptionibus Cardinalium, apud Baluzium cum ſubſcriptionibus octodecim eorum; & In fine legitur, Petrum Portuenſem, dictum Cardinalem Florentinum, Guillelmum tit. S. Stephani in Cœlio monte, dictum de Agrifolio, & Hugonem S. Mariæ in Porticu, dictum de Sancto Martiale, ſe non ſubſcripſiſſe.

XXIV. *Petrus de Luna eligitur ſub nomine Benedicti XIII.*

Hoc igitur jurejurando à decem & octo Cardinalibus præſtito, die vigeſima octava Septembris electus eſt omnium conſenſu, ut jam diximus, Petrus de Luna Diaconus Cardinalis Sanctæ Mariæ in Coſmedin, qui paulò ante Clementis obitum è Lutetia, ubi Legatus ejus erat, Avenionem reverterat, nobiliſſima familia Aragoniæ ortus, juris cognitione excellens: Theodoricus enim à Niem lib. 2, de ſchiſmate cap. 33, teſtatur ſe eum vidiſſe in Gymnaſio Montiſpeſſulani legentem in Jure canonico anno 1375, eo tempore quo Gregorius XI illum fecit Cardinalem. Vocari autem voluit Benedictus XIII. Petrus de Luna ſic electus iterum jurejurando ad prædicta firmius ſe obſtrinxit, ſi Spondano credimus, ſed labiis magis quam animo, ut ex poſtfactis apparuit, unde & Benedicti nomen, quod ſuſcepit, ei in maledictionem verſum eſt. Ex Actis ejus electionis apud Baluzium conſtat, eum die Sabbati ſubſequenti tertia menſis Octobris fuiſſe in Presbyterum ordinatum à Guidone Epiſcopo Præneſtino, & poſtmodum die Dominica, quæ fuit undecima ejuſdem menſis, in magna capella Miſſam celebraſſe; infra cujus ſolemnia per Joannem Epiſcopum Oſtienſem, dictum de Novocaſtro, qui poſt electionem a Lotharingia Avenionem advenerat, ante diem XI Octobris conſecratus, & per Hugonem Sanctæ Mariæ in Porticu Diaconum Cardinalem coronatus, per Urbem Avenionenſem de more equitavit.

XXV. *Sopiendi ſchiſmatis deſiderium ſimulat.*

Spondanus num. 12 ait extare in Codice Bibliothecæ S. Victoris Pariſienſis, & apud Suritam in Indic. lib. 3, literas Petri de Luna poſt ſuam electionem ad Principes, quibus perſuadere conatus eſt invi-

tis-

tiſſimum ſe coactum fuiſſe unanimi omnium Cardinalium de ſe judicio acquieſcere, quòd ardens ſchiſmatis ſopiendi deſiderium præ ſe ferret. Et cùm Univerſitas Pariſienſis nuncios ſuos cum literis, quæ extant in dicto Codice Victorino, ad eum in hoc bono propoſito confirmandum deſtinaſſet, aſſeruerit tam paratum ſe eſſe ad quamcumque viam ab iis propoſitam, etiamque Ceſſionis amplectendam, quam facilè cappam ſuam deponeret, quam tunc fortè deponebat ad ſumendum prandium. De his Univerſitatis Pariſienſis Nunciis agunt ſæpè nominati Monachus Dionyſianus Latinè, & Juvenalis Urbinus Gallicè, res ſub Carolo VI geſtas accuratè deſcribentes. Idem quod dixit illis Nunciis profeſſus eſt Benedictus Petro de Alliaco inſigni Theologiæ Doctori, Univerſitatis Cancellario, regioque Eleemoſynario, poſtea Cardinali, quem Rex ad eum ſalutandum miſit. Denique in eodem codice Victorino traditur, Petrum de Luna ante & poſt electionem ſuam eadem ſemper protuliſſe, dolorem ſimulando, quòd Clemens lentiorem ſe in extinguendo ſchiſmate exhiberet, ac prædicando, ſi ſibi contingeret ei ſuccedere, totis viribus operam ſe ei rei daturum; ac propterea fuiſſe à Cardinalibus ejus ſimulationibus deceptis extemplò & unanimi conſenſu electum. Porrò Benedictum fuiſſe brevis ſtaturæ ac gracilis, hominem ingenioſum, & ad inveniendum res novas valde ſubtilem teſtatur Niemus loco laudato.

XXVI. *Bonifacius periculum incurrit à Romanis.*

Eodem anno 1394, excitatus eſt Romæ ingens tumultus popularis in Bonifacium, ſeditioſis nonnullis Urbis imperium ad plebem derivare affectantibus, qui Ladislai Apuliæ Regis ope repreſſus eſt. Hunc tumultum narrat S. Antoninus tit. 22, cap. 3, § 2, his verbis: *Menſe Maji Romæ inſurrexerunt Banderenſes ſimul cum populo contra Bonifacium Pontificem ex quibuſdam diſcordiis ortis inter eos, & adeò contra eum ſuccenſuêre, ut crederetur, quòd manus in eum injeciſſent, nec vitæ ejus pepercisſent: ſed obviatum eſt ne tantum ſacrilegium ſequeretur; nam Rex Ladislaus jam ab eo coronatus, cum tunc Romæ adeſſet pro quibuſdam à Pontifice gratiis impetrandis, armis correptis cum ſuis eum defenſavit, ac demum concordiam poſuit inter Pontificem & Banderenſes illos cum populo, qui ſibi uſurpare quærebant totale dominium Urbis & eos in pace dimiſit.* Pro quibus gratiis à Bonifacio impetrandis Romam acceſſerit Ladislaus variant Auctores: in Supplemento Coſti ad librum quintum Collenutii legitur, motum fuiſſe Ladislaum ad viſitandum Bonifacium, ut impetraret ab eo diſpenſationem contrahendæ affinitatis per matrimonium cum Bajazete Turcarum Rege, de qua per nuncios fuerat ab eo ſollicitatus; ſed licèt ex Hiſtoria Hungarica Thuroſii in Sigiſmundo cap. 12, & ex Bonfinio Decad. 2, conſtet Bajazetem egiſſe de nuptiis filiæ ſuæ cum Ladislao, quia tamen hæc tractatio facta eſt tantùm poſt cladem Nicopolitanam, quæ anno tantùm 1396 contigit, rectè inde deducit Spondanus, non potuiſſe Ladislaum hoc itinere de iis nuptiis cum Bonifacio agere, ſed alio, aut per internuncios. Rectius itaque videtur ſcripſiſſe Summontius lib. 4, cap. 2, hoc iter à Ladislao ſuſceptum ad tractandum cum Bonifacio de ratione belli contra Ludovicum II Neapolis Regem, quod jam felici aliquo ſucceſſu inchoaverat, proſequendi: fuiſſeque ab eo pecuniarum auxiliis adjutum.

XXVII. *Pariſiis agitur de extinctione ſchiſmatis Via Ceſſionis.*

Interea Carolus Franciæ Rex extirpationi ſchiſmatis intentus, menſe Februario anni 1395 ineunte, præcipuos regni Antiſtites ac Doctores Pariſiis congregavit, qui Simone Cramando Patriarcha Alexandrino Præſide, omnibus diligenter penſatis, decreverunt Viam Ceſſionis commodiorem & compendioſiorem eſſe, neque aliam exquirendam aut ſequendam: In modo autem executionis ſic procedendum eſſe, ut primùm per ipſum Benedictum ac Regem ſignificaretur Principibus obedientiæ ſuæ; deinde per ſolum Regem Principibus partis adverſæ, qui fortè hanc ſignificationem libenter non accepturi forent à Benedicto. Poſtquam autem illi Bonifacio, cui obediebant, viam unionis perſuaſiſſent; tractaretur de modo futuræ electionis, quæ vel à Compromiſſariis, ab utraque parte electis, vel à Cardinalibus utriuſque partis in Conclavi ſecundùm conſuetam formam fieret. Ita rem ex Monacho Dionyſiano, qui de his ſic agit quaſi præſens omnibus fuiſſet, narrat Spondanus, quem, ut initio hujus ſchiſmatis profeſſi ſumus, ducem eò lubentiùs ſequimur, quò eum, deficientibus multis libris, verbatim in multis exſcribere cogamur.

XXVIII. *Benedictus Viam Ceſſionis rejicit, & alias proponit.*

Petierat antea Rex à Benedicto authenticum ſcripti jusjurandi, quod ab eo, ceteriſque Cardinalibus præſtitum, antequam ad electionem procederetur; ſed cùm reſpondiſſet Regi Benedictus non expedire illud divulgari, illud tamen ſe communicaturum illis, quos ad ſe Rex miſſurus eſſet, rogans ut tales eſſent, quibus poſſet omnia ſecretiora liberè aperire: Rex perſpiciens ipſum ambagibus agere, ac propterea auctoritate opus eſſe ad eum in rectum deducendum, decrevit fratrem ac patruos, Duces Aurelianenſem, Biturigum & Burgundiæ, unà cum aliquot inſignibus Prælatis, Doctoribus, ac nobilibus ad eum mittere, flagitatum ut memor jurisjurandi, frequentiumque promiſſionum, pacem

Eccleſiæ redderet. Qui Avenionem pervenientes vigeſimo ſecundo die Maji, & à Benedicto honorificè ſuſcepti, ei Viam Ceſſionis perſuadere non potuerunt, ſed reſponſum ab eo acceperunt, eam viam penitus rejiciendam, quòd nec à Jure ſtatuta, nec à Patribus unquam in uſum inducta, quin imò aliquando repulſa, poſſet non ſolùm in Dei offenſam, damnum Eccleſiæ, exempli perniciem, contemptum clavium, ac libertatis Eccleſiæ læſionem, ſed etiam in ſcandalum Prælatorum, & aliorum Catholicorum Principum ac populorum, qui parti ſuæ adhærebant, ignominiam redundare. Propoſuit autem, ut duo contendentes cum ſuis Collegiis aliquo loco ſub fida protectione Regis Francorum ſimul convenirent, & ibi inter ſe rationes quærerent unionis, cùm ante omnia conſenſus partium eſſet requirendus. Quòd ſi per hanc viam non poſſent concordare, tunc eligerentur utrimque viri probi, qui ſingulorum juribus atque rationibus auditis & ponderatis, decernerent quis eorum deberet remanere Pontifex, eorumque decreto ſe omninò acquieturum. Si verò nec ſic tolleretur ſchiſma, aliam ſe viam tunc ibidem propoſiturum, aut ab aliis propoſitam accepturum, quæ foret rationi conſentanea & honeſta, cùm alioqui nullatenus dubitaret quin ipſe verus eſſet Pontifex, nec poſſet ab ullo, præterquàm à ſolo Deo, cujus eſſet Vicarius, ad aliquid cogi: nec denique ita obſtringeretur juramento præſtito, ut ejus vi teneretur ſe abdicare.

XXIX. *Cardinales partis Benedicti approbant Viam Ceſſionis.*

Legati Regii obſtmatum Benedicti animum conſpicientes, privatim Cardinales rogarunt, ut ſuam de iis ſententiam aperirent; qui omnes ſimul in unum collecti apud Villamnovam prope Avenionem die prima Junii Viam Ceſſionis approbarunt, inſtrumento ea de re confecto, quod in Codice MS. ſancti Victoris Pariſienſis extare ait Spondanus num. 4. Solus Martinus de Salva, dictus Cardinalis Pampilonenſis, contrariam ſententiam amplexus eſt. Hec conſtant ex Actis electionis ipſius Benedicti, quæ apud Baluzium ſic deſinunt: *Et demum anno Domini 1395, die prima menſis Junii in Villanova omnes Domini Cardinales prædicti, uno excepto Pampilonenſi, in præſentia Dominorum Ducum Biturienſis, Burgundiæ & Aurelianenſis reputarunt Viam Ceſſionis Domini Papæ & ſui adverſarii meliorem, breviorem, faciliorem pro unione aſſequenda, & magis ſedativam conſcientiarum. Ex prædicta autem cedula & deliberatione Dominorum Cardinalium præfatorum orta fuerunt multa dubia.* Baluzius in Notis col. 1383, obſervat extare in Codice 818 Bibliothecæ Colbertinæ allegationes Cardinalis Pampilonenſis, quibus probare & confirmare nititur opinionem à ſe prolatam adversùs Viam Ceſſionis. Citat etiam Tomum VI Spicilegii Dacheriani, ſed hic libet ad manum non eſt.

XXX. *Univerſitatis Pariſ. rationes pro Via Ceſſionis.*

Cum Regiis Nunciis ſuos etiam miſit Univerſitas Pariſienſis, ſcripta ad Benedictum ſatis prolixa Epiſtola, quam & encyclicam eſſe voluit ad univerſos Chriſti fideles, ſuper eadem materia ſedandi ſchiſmatis per viam Ceſſionis utriuſque contendentis, qua demonſtrare conata eſt hanc viam ceteris faciliorem, & compendioſiorem multis rationibus & argumentis, deſumptis ex quadruplici radice; videlicet Viæ ipſius, Cauſæ, Contendentium, & Eccleſiæ. Ex parte Viæ quadruplici etiam ratione, nimirum ob facilitatem, ſecuritatem, perfectionem, & honorem utriuſque obedientiæ. Ex parte Cauſæ quadruplici pariter fundamento; hoc eſt ex ſchiſmatis diuturnitate, ex vehementi colore rationum utriuſque partis, ex earundem partium in rebus geſtis inextricabili contrarietate, atque ex difficultate judicum & præſidentiæ. Ex parte Contendentium, ex ſempiterna gloriæ mercede ob inſigne hoc charitatis opus, quod etiam fortè martyrium ſuperaret, atque etiam ex honore & nomine ſempiterno, quod apud homines & poſteritatem adepturi eſſent: & contrà ex damnatione æterna de qua periclitarentur, ſi obſtinatè remedium unionis fugerent, & Eccleſiam Dei lacerare pergerent, atque opprobrio, quod apud homines & futura ſæcula incurſuri eſſent. Denique ex miſeranda & lugubri Eccleſiæ deſolatione & aſſidua ejus prædictæ Viæ poſtulatione. Sed nec hanc Univerſitatis Epiſtolam Benedicto redditam fuiſſe, nec ejus Nuncios potuiſſe unquam obtinere audientiam in conſiſtorio publico, quamquam rogantibus Principibus & Cardinalibus, ex iiſdem monumentis Victorinis conſtare ſcribit Spondanus num. 5.

XXXI. *Altercationes inter Benedictum, & eandem Univerſitatem.*

His mora Univerſitas, ut ſe à Benedicti minacibus iris tueretur, appellare ab eo decrevit, & procuratorem miſit Joannem de Croana Presbyterum Laudunenſem Magiſtrum in artibus, qui appellationem ei denunciaret. Joannes nomine Rectoris ac Decanorum Theologiæ, Decretorum ac Medicinæ facultatum, nec non nationum in facultate artium ac ſingulorum, itemque pro adhærentibus vel adhæſuris, ob læſiones per Sanctiſs. Patrem Benedictum ejuſque commiſſos jam acceptas, & quas poſſent impoſterum accipere, à dicto Domino Bened. prætenſiſque commiſſis, & committendis, ad proximum futurum unicum verum orthodoxum & univerſalem Papam, ejuſque Sanctam Sedem Apoſtolicam, ſeu ad illum vel illos, qui de hujus cauſa appellationis de jure cognoſcere poſſent, provocavit & appellavit coram teſtibus & tabellionibus pu-

publicis, à quibus petiit primò, ſecundò & tertiò, ac inſtanter & inſtantiſſimè Apoſtolos, caſu quo Benedictus, aut ejus commiſſi contra dictam Univerſitatem, ſingulosque, ad actuum beneficiorumque privationem, ſeu perſonarum quarumcumque inhabilitationem, citationem, excommunicationem &c. procederent. His auditis Benedictus iracundior factus, tertio kalendas Junii, Pontificatûs anno ſecundo, ſeu anno 1396, Conſtitutionem edidit, qua conqueſtus de audacia prædicti Procuratoris, ejuſque rebellibus auſibus in detractionem dignitatis & plenitudinis Apoſtolicæ poteſtatis, &c. auctoritate Apoſtolica declaravit non licuiſſe ſeu licere à Romano Pontifice appellare, ſeu provocare; provocationem hujuſmodi à jure prohibitam & damnatam eſſe, ac nullius roboris exiſtere, & contra temerarium appellantem, ejuſque appellationi adhærentes, ſe pro eorum culpa ſeu protervia proceſſurum. Ad quæ reſpondit Univerſitas, nunquam ſe rebellaſſe contra Romanam Eccleſiam, ſed ſemper honoraſſe ac viriliter defendiſſe; & poſt multa in ſuæ appellationis defenſionem, & encomio regiæ domus Franciæ & Univerſitatis, concluſit haud potuiſſe Benedictum, à quo appellatum eſt, de appellatione judicare, ideoque Procuratorem perſtare in appellatione.

XXXII. Via Ceſſionis ab Anglia Rege admiſſa, ab Hiſpanis rejecta.

Sententiam Univerſitatis Pariſienſis de Via Ceſſionis ſtatim examinavit Studium Oxonienſe de mandato Regis Angliæ, & Epiſtola ſcripta die decima Martii anni 1395 ad eundem Richardum Regem ſatis longa diſputatione reprobavit, & argumentis pro illa adductis reſpondit; cenſuitque Concilii Generalis Viam potiùs eligendam, tanquam dignitate, & auctoritate cæteris præſtantem quibuſcumque. Sed in Studii Oxonienſis opinatione diù non perſtitit Richardus Rex; cùm enim pro eadem Ceſſionis Via ad exteros Chriſtianos Reges, & Principes nuncios mittere decreviſſet, Carolus Francorum Rex, & *Petrus Regis* Abbas montis Sancti Michaelis in Normannia cum Patriarcha Alexandrino, & Archiepiſcopo Vienneſi in Angliam tranſmiſiſſet, & re coram Richardo Rege diſputata, & confutatis Viis diſcuſſionis juris utriuſque contendentis, & Concilii, ac Compromiſſi, illam Ceſſionis tam iis, quàm cæteris omnibus præponendam eſſe pluribus argumentis, auctoritatibus, & rationibus firmaſſet; ad eamque omninò teneri Benedictum, tam earundem vi rationum, & argumentorum, quàm ex vi juramenti præſtiti in conclavi, ita ut non poſſet ullo pacto ab eo reſilire: his demonſtrationibus ſimul & auctoritate Francorum Regis, cum quo novum nuptiarum fœdus Anglus tractabat, factum eſt ut idem Rex Angliæ Viam Ceſſionis admiſerit. De ea diſputatione in Anglia habita meminit Juvenalis Urſinus in Carolo VI. Eandem Viam ab aliis Univerſitatibus, & Academiis examinatam, quà approbatam, quà improbatam, ſatis intelligitur ex multiplicibus Univerſitatis Pariſienſis literis ad alias, & aliarum ad ipſam; necnon diverſorum Regum, & Principum ultro citroque de eadem, cæteriſque Unionis viis ſcriptis pariter Epiſtolis, aliiſque ubique compoſitis tractatibus, qui in Codicibus MSS. Bibliothecæ Victorinæ Pariſienſis aſſervantur. Alii, qui vel Bonifacium deſerere, vel Benedicto non adhærere, cujus deceſſori Clementi obedientes ſe ſe præſtiterant, turpe exiſtimantes, omnes Vias unionis rejecerunt, inter quos præcipuè numerandi omnes Reges Hiſpaniarum, qui Benedictum utpote Hiſpanum omnino tueri decreverunt: excipiendus tamen Rex Luſitaniæ, qui ſemper in fide perſtitit Pontificis Romæ ſedentis.

XXXIII. Duo contendentes conatus Principum pro Via Ceſſionis eludunt.

Anno 1396 exeunte Octobri factus eſt ſolemnis congreſſus Caroli Francorum Regis & Richardi Angliæ inter Ardram & Caletum, in quo inter alia inter Reges conventum eſt, Viam Ceſſionis pro extinctione ſchiſmatis Eccleſiæ proſequendam eſſe, mittendoſque communiter ad utrumque contendentem Legatos, ut ei conſentirent: pariterque ad Wenceslaum Romanorum Regem, ut & ipſe eandem acceptaret, & contendentibus ſuaderet. Miſſi à Regibus Franciæ & Angliæ nuncii ad utrumque de Papatu contendentem; ſed illis rem ludificationibus agentibus, neutro cedere volente, quaſi ex condicto rem gravem eſſe reſponderunt, ſeque ideo cum ſuis tractaturos, Regibuſque reſponſum reddituros dixerunt. Solicitaverat item Carolus Franciæ Rex Caſtellæ & Aragoniæ Reges; verùm habito Salmanticæ in regno Caſtellæ conventu Epiſcoporum aliorumque eruditione præſtantium Virorum, cui interfuêre Legati Regis Aragoniæ, novari nihil placuit, ſed tantùm ut contendentes reſciſſis ab utraque parte decretis, quæ in alteros promulgarant, loco communi conſenſu deſignando convenirent, ubi inter ſe tractarent de unione. Quod miratur Spondanus à tot Viris prudentibus & eruditis decerni potuiſſe, ſi ex animo pacem deſiderarent; cùm è contra nulla videatur commodior via excogitari potuiſſe ad perennandum ſchiſma. Sanctus tamen Antoninus tit. 22 cap. 3 § 2 ſcribit non ſolùm à Regibus Francorum & Angliæ, ſed etiam à Regibus Hiſpaniæ, Navarræ, & Aragonum Oratores anno 1396 miſſos ad Bonifacium, qui hortarentur ad removendum ſchiſma, renunciare omni juri, quod prætenderet in Papatu, cùm & Benedictus paratus eſſet ad idem faciendum: Bonifacium autem reſpondiſſe ſe eſſe verum & in-

indubitatum Pontificem, & nullum alium, ac propterea nullâ viâ intendere ſe renunciare. Tandem Niemus lib. 2 cap. 33 aſſerit anno Bonifacii octavo, ſeu anno 1397 menſe Aprili celebratum eſſe magnum conventum Principum Francofordiæ, ad quem etiam Univerſitas Pariſienſis & multi Reges ac Principes ſuos nuncios deſtinarunt. Indeque miſſos ab iiſdem Principibus ad Bonifacium Oratores, & cum iis nuncios Regis Angliæ, ita deluſos ab eo eſſe, ut nihil certi ſuper materia Ceſſionis, pro qua directi fuerant, reſponderit: hocque potiſſimè ex eo contigiſſe, quoniam Wenceſlaus Rex Romanorum & Boëmiæ rogatus per Principes in favorem catholicæ fidei, Francofordiam accedere neglexiſset, quantumvis venire promiſiſset.

XXXIV. *Bonifacius ſatagit impedire congreſſum Imperatoris cum Rege Francorum.*

Verùm anno ſequenti 1398 idem Wenceſlaus, ſive deſiderio videndi Regem Francorum, ut quidam habent, ſeu potiùs, ut alii ejus invitatu, ad tractandum communiter de ratione extinguendi ſchiſmatis, quæ in conventu Germanico Francofordienſi ventilata fuerat, decrevit in Galliam proficiſci, idque ad inſtantiam Univerſitatis Pragenſis. Quod cùm audiſſet Bonifacius, literas ad eum ſcripſit, quæ extant in Codice Victorino Pariſienſi, quibus queſtus eſt, quòd ad inſtantiam Regis Francorum, qui ſolus Antipapam defendiſſet, unà cum illo ad locum inter ipſos ſtabilitum convenire promiſiſset, atque ab ipſo Bonifacio petiiſset, ut & ipſe duos ex ſuis Cardinalibus cum plena poteſtate eò mittere dignaretur, cum ſpe fore, ut talis Via eo conventu reperiretur, quâ ſchiſma aboleri poſset: & poſtquam multis rationibus conatus eſt oſtendere quàm inconveniens res hæc eſset, demum rogavit, & monuit, ut aut conventum hujuſmodi honeſto aliquo prætextu detrectaret, aut tantiſper ſaltem differri curaret, quò ipſe Bonifacius ſuos ad Wenceſlaum Nuncios mitteret, per quos apertè cogniturus eſset mentem ipſius, quam ei ſine dubio placituram ſperaret. Quid reſponderit Wenceſlaus ignoratur, certum eſt tamen ex Froſsardo vol. 4 cap. 91 eum cum Rege Carolo conveniſſe Remis menſe Martio, ſpecie pangendi matrimonii inter filium Marchionis Brandeburgenſis fratris Wenceſlai cum filia Ducis Aurelianenſis fratris Caroli.

XXXV. *Illudit Imperatori, & Regi Francorum.*

Meminit ex antiquiori auctore hujus conventus Remenſis Auctor Magni Chronici Belgici: *Rex Wenceslaus*, inquit, *ad instigationem Univerſitatis generalis ſui ſtudii Pragenſis anno Domini* 1398 *ex Bohemia ad civitatem Remenſem venit, ubi Carolus VI tunc Francorum Rex cum ſuo germano Ludovico Duce Aurelianenſi, ſuiſque & dicti Wenceslai patruis Joanne Bituricenſi & Philippo Burgundiæ Ducibus certo prævio tractatu convenerant ad conſultandum de extirpatione ſchiſmatis inter Benedictum XIII & Bonifacium tunc vigentis: ubi conſultum fuit inter cætera ad id conſequendum ſecuriſſimam & breviſſimam eſſe viam, ut uterque de Papatu contendentes juri ſuo cedant, ſive renuncient, & per utrumque collegium novus Papa eligatur. Sic igitur Wenceslaus Cæſar de conſilio Regis & Principum Franciæ prædictorum miſit Legatos ſuos ad Bonifacium prædictum, ſimul & Avenionem.* His addit Froſsardus de communi utriuſque Regis conſilio miſsum eſſe Petrum de Alliaco Epiſcopum Cameracenſem Romam ad Bonifacium, rogatum ut acquieſceret Ceſſioni Pontificatus, & novæ alterius electioni; Ita tamen ut ſi ipſius creatio legitima cenſeretur, confirmaretur in Sede; ſin minùs abſtineret: & qui ex duobus contendentibus huic Regum decreto contradiceret, deponeretur, ac ſubtraheretur ei omnis obedientia. Verùm Bonifacius teſte eodem Froſsardo cap. 96 ambiguè & diſſimulanter reſpondit, poſtquam Benedictus abdicaſset, tunc ſe quoque Regibus ſatisfacturum.

XXXVI. *Benedictus fruſtrà Cardinalem Pampilonenſem ad Regem Francorum mittere deſtinat.*

Benedictus verò ubi audivit Regem Francorum per Legatos ſuos Reges & Principes ad Viam Ceſſionis reducere conari, deſtinavit ad eum mittere Martinum de Salva Cardinalem Pampilonenſem, & quendam alium; quod cùm Rex intellexiſset, Benedicto ſignificari curavit ne mitteret, fortè ut legitur in ſecunda reſponſione Univerſitatis Pariſienſis ad Epiſtolam Studii Toloſani, quæ edita eſt Tomo quinto Hiſtoriæ ejuſdem Univerſitatis Paris. *tum quia non de regno, & per conſequens in regni Concilio non fuit ejus præſentia neceſſaria: tum quia partialis & ſenſus proprio innitens, quem multæ literæ fortaſſis inſanire faciunt, ſpiritum rectum, in quem obſtinatio peccatum eſt, à ſe creditur expuliſſe. Quare ipſius præſentia ſanctum Concilium facilè turbare valuiſſet.* Ex qua narratione colligitur vanitas eorum, quæ Oldoinus tradit de Martino de Salva, eum nempe in carcere à Regem detentum eſſe, cùm Pariſios non ierit, inquit Baluzius. Benedictum autem hanc rem graviter tuliſse liquet ex Epiſtola ad Carolum ab eo ſcripta, quam recitat Continuator Nangii, quæ edita eſt Tomo 4 Hiſt. Univerſ. Pariſ. & dicitur data die nona Junii.

XXXVII. *In Conventu Pariſ. tractatur de ſubtractione ab obedientia Benedicti.*

Eodem porrò tempore tractabatur Pariſiis à Prælatis & Procuratoribus Univerſitatum Regni unà cum Principibus ac Proceribus in unum congregatis de fine aliquo his negotiis imponendo. Eam in rem agebatur Conventus, ſive Concilium, quod vocant *tertium ſuper proſecutione Unionis Eccleſiæ*, cui cœpto die vigeſima ſecunda

Maji

Maji interfuerunt (Rege ob morbum abſente) Joannes Bituricum & Philippus Burgundiæ Duces, Ludovicus Aurelianenſis Regis frater, Carolus Rex Navarræ, Ludovicus Borbonii Dux Regis avunculus, Arnaldus de Corbia Cancellarius Regni, aliique Principes ac proceres Conſilii Regis; Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, unà cum Archiepiſcopis Lugdunenſi, Senonenſi, aliiſque ſex; Epiſcopi Pariſienſis, Belvacenſis, aliique triginta. Froſſardus tamen laudatus cap. 97 ait, Regem noluiſse Archiepiſcopos Remenſem, Rotomagenſem, Senonenſem, Epiſcopos Pariſienſem, Belvacenſem, Altiſſiodorenſem, cum aliis intereſse Concilio, eò quòd nimis addicti eſsent parti Avenionenſi ob accepta à Clemente beneficia. Interfuerunt præterea quamplurimi Abbates, Prælati minores & Capitulorum procuratores: Rector Univerſitatis Pariſienſis unà cum procuratoribus ſingularum facultatum ejus, procuratores Univerſitatum Aurelianenſis, Andegavenſis, Magalonenſis & Toloſanæ, Magiſtri & Doctores ſacræ paginæ & utriusque Juris magno numero. Hi omnes congregati auctoritate Regis ad diſcutiendum an pro executione Viæ Ceſſionis facienda eſset ſubtractio particularis obedientiæ, id eſt pecuniarum, ſubſidiorum, & proviſionum Epiſcopatuum, aliorumque beneficiorum per Papam conferri ſolitorum, an verò totalis. Quod ut maturiùs ac ſervatis juris formulis diſcuteretur, electi ſunt ex una parte ſex Viri præſtantes, qui partem negantem, hoc eſt neutram obedientiam ſubtrahendam eſse pro viribus propugnarent, ſcilicet Archiepiſcopus Turonenſis, Epiſcopi Anicienſis, & Sancti Pontii, Abbas Sancti Saturnini, aliique duo Doctores Toloſani, omnes Benedicto addictiſſimi ac familiariſſimi. Electi ſunt etiam qui totalem ſubtractionem aſsererent ex altera parte, Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, Epiſcopus Attrebatenſis, Abbas Sancti Michaelis, ac tres Doctores Pariſienſes.

XXXVIII. *Totalis ſubtractio decernitur.*

Poſt quorum diſputationes, perpenſis quæ ab iiſdem hinc inde dicta, propoſita, confutata, diluta, explicata fuêre, examinatis trecentorum, qui vota ſua dederunt ſententiis, inventi ſunt ducenti quadraginta ſeptem, qui totalem ſubtractionem continuò faciendam eſse cenſuerunt. Quo ad Regem delato, ejus auctoritate per Cancellarium publicè denunciata die vigeſima octava Julii & decreta fuit totalis ſubtractio ſine mora facienda. Promulgatæ ea de re Regis Caroli literæ, quibus diffusè narrata ſunt quæ hactenus à Rege & Clero Gallicano geſta eſsent tam erga contendentes de Pontificatu, quàm erga Reges ac Principes, extant apud Raynaldum anno 1398 num. 3 & ſeqq. ſic deſinunt: *Ab obedientia totali ipſius Benedicti, de cujus adverſario hic mentionem non facimus, cùm nuſquam ſibi obedientiam, ſicut nec obedire volumus, nec debemus; nos, Eccleſia, Clerus & populus regni noſtri ac Delphinatus de prædictorum vocatorum conſilio, & aſſenſu recedimus, & nunciamus auctoritate præſentium receſſiſſe; volentes inter cætera, quòd ab inde in antea ipſi Benedicto, ſuiſque Collectoribus & aliis officialibus quibuſcumque, ſuis etiam complicibus, fautoribus, & ſequacibus, ac procuratoribus eorum nullus cujuſcumque conditionis fuerit de redditibus, proventibus, & emolumentis Eccleſiaſticis quomodocumque & ex quacumque cauſa ſolverant, reſpondere præſumat*, &c. Addit Raynaldus nonnulla ad collationem & adminiſtrationem Sacerdotiorum ſpectantia decreta eſſe, quæ omiſit. Literæ autem dicuntur datæ *die 28 menſis Julii, anno Domini* 1398. Spondanus num. XV ex Monacho Dionyſiano & Juvenali addit, decretum etiam eſſe, interim Eccleſiam Gallicanam ſuis antiquis libertatibus fruituram: ceſſaturaſque omnes expectativas & reſervationes beneficiorum Eccleſiaſticorum; eorumque collationes, ac confirmationes electorum, factum iri ab Ordinariis, vel datum in commendam donec aliàs canonicè provideretur. Ceterùm Caſtellæ Regis Legatum, qui Pariſiis aderat, huic ſubtractioni aſsenſum præbuiſse, & affirmaſſe ſuum quoque Regem ejuſdem eſse ſententiæ, quidquid per literas ejus nomine ſuppoſitas aliqui contrarium ſuadere voluiſsent, ſcribit Spondanus num. VI legi in codice Sancti Victoris Pariſienſis.

XXXIX. *Cardinales Aven. ſubtractionem amplectuntur.*

Cardinales duodeviginti obedientiæ Benedicti Avenione exiſtentes, percepto decreto ſubtractionis, menſe Septembri Regi ſcripſerunt literas, quæ juxta Spondanum num. 7 extant in Codice Victorino, quibus ſignificarunt ſe à Benedicto receſſiſse. Imò cùm accepiſsent eum Aragonenſes copias adversùs ipſos & ad ſuam ſecuritatem evocaſse, Villam-novam ultra Rhodanum oppidum Regis Francorum ſe receperunt, ut narrant Monachus Dionyſianus & Juvenalis. Ipſe autem Benedictus in palatio ſe abdere coactus eſt, ubi per quinquennium fermè velut obſeſsus detentus eſt. Quo tempore Aragoniæ Rex binas ſcripſit literas ſexto Kalendas Decembris anni 1398 Cæſarauguſtæ datas, alteras ad Cardinales, alteras ad cives Avenionenſes: quibus valde conqueſtus eſt tam de obſidione Benedicti, quàm de nonnullis Aragonenſibus à plebe necatis. Extant etiam hæ literæ juxta Spondanum num. 3 in Codice Victorino. Surita Indic. lib. 3 addit, paratam quoque fuiſse ab eodem Aragoniæ Rege claſsem validam ſubſidio Benedi-

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

dicti; ſed cùm in Rhodani oſtinm projiceretur, adeo flumen exatefactum reperisſe, ut actuariæ naves ſumma hyeme transmittere non poſsent; ita magnis tempeſtatibus frigore milites & nautas conflictatos eſse, ut magna eorum pars fœdè perierit. Idem Surita ait decem & novem Cardinales à Benedicto ſeceſſiſse, quinque alios obedientes permanſiſse.

XL. *Benedicti creationes Cardinalium.*

Benedictus enim poſt ſuam electionem tres Cardinalium creationes ſecerat; primam quidem octavo Kalendas Januarii anni 1396, in qua Petrum Blavi ſeu Blani, natione Gallum, diœceſis Mimatenſis, è proſapia Urbani V, & Orlandinum Vulpellium, natione Italum, patria Lucenſem, Cardinales Diaconos renunciarat; ſecundam duodecimo Kalendas Octobris anni 1397, in qua Ferdinandum de Carniello, aliàs Perezium Calvillium, natione Hiſpanum, Taraſconæ oriundum; Jauſridum, ſeu Gauſridum, natione Gallum, vel ut alii Hiſpanum; & Petrum Serra, natione etiam Hiſpanum, Martini Regis Aragoniæ ſobrinum, Cardinales dixerat; ac denique anno 1397 ex Ciaconio, vel ut aliis placet, anno 1398, Berengarium Angleſolam Hiſpanum, Bonifacium Amanatum, natione Italum, patria Piſtorienſem inter ſuæ obedientiæ Cardinales adnumeraverat.

XLI. *Benedictus quaſi obſeſſus in palatio Avenion. detinetur.*

Ceterùm ut ad Martinum Aragoniæ Regem redeat ſermo, Surita loco laudato refert, cum menſe Novembri anni 1398 ad Benedictum circumſeſsum miſiſse Oratores, qui ei concordiam ſuaderent; ſed ipſum ægrè eò recidiſse, ut cauſam ſuam poteſtati Regum, qui eum ſecuti fuerant, Franci præſertim, atque Aragonii committere promiſiſset: quo accepto reſponſo Oratores, uti in mandatis habebant, Lutetiam profectos eſse, reque in conſilio Regis tractata, in eam pactionem deventum eſse, ut ſi Benedictus promitteret, adverſario cedente, vel mortuo, vel ægroto, renunciare, & ad conventum ſeu congregationem, quæ fieret pro unione Eccleſiæ, ire, interimque è palatio vel alio loco, ubi ejus manſio expediens videretur, ſine conſenſu Regum non recedere: Regem curaturum ut Cardinales ac cives Avenionenſes à quacumque via facti in ipſum Benedictum ceſſarent, illumque unà cum centum perſonis, quæ cum eo erant ſine armis, in protectionem ſuam ſuſcepturum, atque præſidio idoneo ejus ſecuritati, rebuſque ad vitam neceſsariis proviſurum: haud tamen propterea intendente Rege à concluſione denegationis obedientiæ in aliquo recedere, ſed illam firmiter obſervare; adeò ut qui ejus nomine ad Benedictum acceſsuri forent, Papalem ei obedientiam nequaquam exhiberent. His ægerrimè à Benedicto Oratoribus Regiis initio menſis Aprilis anni 1399 promiſſis, permanſit Benedictus in Palatio Avenionenſi ab omni vi & injuria ſecurus; ſed adhibita foris cuſtodia, ne arbitrio ſuo recedere poſset. Ibi velut obſeſsus detentus eſt uſque ad annum 1403, ut infrà videbitur. Decretum porrò Regium verbatim refertur à Surita ad annum 1399.

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

XLII. *Bonifacius Annatas Beneficiorum inſtituit.*

Eodem anno Bonifacius IX, ſi Niemo lib. 2 de ſchiſmate cap. 7 fides, Annatas beneficiorum inſtituit, id eſt primos fructus unius anni omnium Eccleſiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium ſuæ Cameræ reſervavit; ita ut quicumque in Archiepiſcopum, vel Epiſcopum aut Abbatem promoveri vellet, ante omnia cogeretur ſolvere primos fructus Eccleſiæ vel monaſterii, cui præfici peteret. Hæ autem Annatæ non ſunt inſtitutæ tanquam acceptorum beneficiorum pretium, ut objiciunt quidam maligni, ſed velut penſio in ſuſtentationem Pontificis & Cardinalium, aliorumque miniſtrorum pro Eccleſiæ utilitate laborantium: qua conſideratione omnes nationes hoc onus ſubierunt, exceptis Anglis, qui Annatas pro ſolis Epiſcopatibus conceſsêre. Quidam tamen putant Annatas non fuiſse novum Bonifacii inventum, ſed eas jam extitiſse tempore Joannis XXII, qui eas *Annalia & Vacantias* vocat in Extravag. *Suſcepti. de Electïon.* imò ante Joannem XXII; eamque in rem citant non ſolùm Oſtienſem in C. *Inter cætera de off. Ordin.* qui vixit ante Joannem XXII; ſed etiam Zabarellam ſcribentem in Concilio Viennenſi ſub Clemente V ſtatutum fuiſse, ut ſublatis Annatis vigeſima pars vectigalium Sacerdotiorum quotannis Romano Pontifici penderetur. De his & aliis quamplurimis tunc uſu receptis exigendarum pecuniarum modis acerrimè Niemus laudatus invehitur, multa tamen excuſans privata rapacitate aulicorum, & avariſſima cupiditate matris ac fratrum Bonifacii, qui eo inſcio multa ejuſmodi perpetrabant. Ceterùm Annatæ principio modicæ & tenues fuêre, ſed tempore ac ſordibus quorundam Pontificum ſic crevêre, ut nonnullis intolerabiles viſæ ſint; juſtæ nihilominus ſi in pios uſus, quod à bonis Pontificibus ſemper factitatum eſt, utiliter impendantur atque religioſè.

XLIII. *Romam revocatur, & dominium Urbis adipiſcitur.*

Agebat ea tempeſtate Bonifacius IX Peruſii vel Aſſiſii ob rebelliones Peruſinorum; ſed cùm appropinquaret tempus Jubilei anno milleſimo quadringenteſimo ex inſtitutione Bonifacii octavi celebrandi, verentes Romani ne per ejus abſentiam minùs ſolemniter celebraretur magno ipſorum incommodo, qui ex peregrinorum adventu ingentem conſuetum quæſtum præſtolabantur, miſſis ad eum oratoribus, ut ex Flavio Blondo Decad. 10 ſcribit Platina,

cui-

Digitized by Google

SÆC. XIV. BONIFACIUS IX.

enixè poſtularunt, ut in Urbem ſe reciperet. Licèt Bonifacius id magnoperè cuperet, diſſimulato tamen prudenter deſiderio facturum ſe quod petebant, negavit; eò quòd Pontifices in Urbe contemptui haberentur; cùm nollent Romani, ſicut priùs conſtitutum & obſervatum fuerat, recipere Senatores ex nobilitate externa: quòdque Cameræ conſervatores parum idoneos eligerent, quorum licentia Banderefiis omnia licerent. Tum verò Romani, ut rem gratam Pontifici facerent, & Banderefios ſuſtulerunt, & Malateſtam Pandalphi filium Piſaurienſem, virum doctrina & virtute conſpicuum, Bonifacii nomine in Senatorem recipiunt; pecuniaſque inſuper Bonifacio dant, quò ei proficiſci ad Urbem liceret. Romam itaque ingreſsus Bonifacius munita mole Hadriani, ſeu caſtelli S. Angeli, Capitolio, mœnibus, & turribus, Dominatu Urbis ſenſim potitus eſt. Quarè rectè ſcripſit Ciaconius ex S. Antonino tit. 22 cap. 3, in principio Bonifacium IX primum Romanorum Pontificum omnem populi Romani vim ad ſe tranſtuliſse, creatis ſuo nutu Magiſtratibus omnibus, munita arce Sancti Angeli, & pontibus; quod etiam eleganter indicat Ægidius Cardinalis Viterbien. in Hiſtoria ſua MS. *Nulla vis*, inquit, *nulla arma, nulli Imperatores, nullum barbarorum robur, Romanæ hactenus domare, aut obtemperantes reddere potuêre: tot bella, tot exercitus, tot incendia, tot direptiones, tot cenſuræ, tot anathemata, tot anni, tot ſæcula in vanum adhibita fuiſſe ſunt viſa. Solus id Bonifacius fecit: ſolus poſt tot ſæcula præſtitit: & quod alii jubendo, bellando non potuere aſſequi, hic fugiendo, diſſimulando, cunctando eſt aſſecutus: rurſuſque à Sacerdotibus illud Ennii cantitatum:* Unus homo cunctando reſtituit rem. *Fecit itaque Pontificis ſapientia, ut obſervato tempore pareret jam Eccleſiæ urbs Roma; fecit continentia & ſanctitatis opinio, ut Romani contraire non auderent; fecit magna virtutis auctoritas, ut poſt tot ſæcula omnia tandem Romæ nutu Pontificis adminiſtrarentur*. Vixit porrò Ægidius Cardinalis Viterbienſis ſub Leone X.

XLIII. *Jubileum Romæ anno 1400 celebrari permittit.*

Utrum Bonifacius Jubileum in annum 1400 indixerit, nemo ex antiquis affirmat, & Victorellus apud Spondanum anno 1399 num. 4 teſtatur ſe diligenter quæſiſse in Regeſto Bonifacii, nec tamen ullam hujus rei memoriam invenire potuiſse. Quidquid ſit, ſi Bonifacius illum non indixit, ſaltem non prohibuit, ſed reliquit antiquiſſimæ populorum devotioni viſitandi annis centeſimis Apoſtolorum limina, cujus occaſione vidimus inſtitutum fuiſse Jubileum à Bonifacio VIII; certum eſt enim adveniſse Romam anno milleſimo quadringenteſimo ex cunctis Orbis Chriſtiani partibus magnam hominum multitudinem tanquam ad Jubileum, præſertim nationis Gallicæ, non obſtante edicto Regio, quo Juvenalis Urſinus ait, propter regni pauperiem, ac penuriam pecuniarum, & ne videretur Bonifacius pro legitimo Pontifice agnoſci, probibitum fuiſſe, ne quis Romam peteret, addens ingentem nihilominus multitudinem eò perrexiſse. Niemus, qui tunc Romæ Bonifacio adſtitit, cap. 28 de ſchiſmate, aſserit Gallos utriuſque ſexûs ad Urbem catervatim causâ devotionis penè per totum annum adveniſse; quorum multi erant nobiles & egregiæ perſonæ, & larga offertoria ad Eccleſias attuliſse, ut anni centeſimi indulgentias lucrarentur, licèt Wicleſiſtæ indulgentias, ut furioſi canes lunam, allatrarent. De concurſu ceterorum quoque populorum, plura ſunt Auctorum teſtimonia. Hoc tamen conſtat ex tanta mortalium colluvie, maximam partem peſtilentia tum ſæviente abſumptam eſse, & Boninſegnius, qui prope erat, lib. 4 aſserit, ſingulis diebus eâ abreptus fuiſse in Urbe ſexcentos & octingentos homines.

XLV. *Ruperti Imperatoris electionem approbat.*

Cùm Wenceslaus Imperator turpiſſimam vitam ageret, & Imperium diſſiparet, nec Principum hortationibus perditiſſimam vitam in melius reformaret, Electores re cum Bonifacio priùs communicata, ejuſque aſsenſione habita, anno 1400 convenerunt in unum apud Caſtrum Lonſtein diœceſis Trevirenſis, Joannes Moguntinus, Fridericus Colonienſis, Wernerus Trevirenſis, Archiepiſcopi, ac Rupertus Comes Palatinus Rheni, Duxque Bavariæ, Imperii Electores, unà cum aliquot aliis Principibus, ac civitatum Oratoribus, & abſentibus Duce Saxoniæ & Marchione Brandeburgico, item Electoribus, qui vocati noluerunt adeſſe, ipſoque Wenceslao rogato non comparente, de communi prædictorum omnium conſenſu, ſententiam in eum exauctorationis & privationis regni Romanorum & Imperii, protulit cunctorum nomine Moguntinus Archiepiſcopus die vigeſima Auguſti, feria ſexta, Pontificatus Bonifacii noni anno undecimo, ut in ea legitur. Poſt hæc de ſubſtitutione digni alicujus Principis tractantes, convenêre in Fridericum Ducem Brunſvicenſem, rei militaris peritiſſimum; ſed eo cùm à Comitio rediret, nefariè occiſo, coëuntes iterum Electores elegerunt Rupertum, ſive Robertum Bavariæ Ducem mox nominatum, cognomento *Parvum*, virum belli paciſque artibus clarum. Hunc Franci diu negarunt eſſe Regem Romanorum, ſed approbatus eſt à Bonifacio, quamobrem de eo graviter conqueſtus eſt Sigiſmundus Wenceslai frater Hungariæ Rex, Cardinalibus Bonifacii, quòd Wenceslaus non vocatus, non convictus, & ſine cauſæ cognitione pri-

Digitized by Google

privatus eſſet. Sed hæc fruſtrà fuere; ipſemet enim Wenceſlaus Bohemia contentus, depoſitionem ſuam contempſit: imò ut aliquo jure magni momenti cederet, auto repudiato, tantùm aliquot vini plauſtra exegit, quo facto docuit ſe pluris facere convivium, quàm imperium.

XLVI. *Benedictus evadit Avenione.*

Non multò poſt, anno nempe 1403, Benedictus XIII, ſeu Petrus de Luna, cùm jam fermè quinquennium incluſus in palatio Avenionenſi teneretur, ut nemo permitteretur ad eum accedere, vel palatium intrare, niſi priùs inveſtigaretur quid ferret aut vellet, die duodecima Martii operâ quorumdam Francorum, ſimul & Aragoniorum, clam indè eductus, primùm ad caſtrum Reginaldi, quarto Avenione lapide ductus eſt, indeque Maſſiliam ditionis Ludovici Comitis Provinciæ & Siciliæ Regis, qui ad eum confeſtim acceſſit. Dicitur autem cum tribus tantùm familiaribus exiiſſe, nihilque ſecum abſtuliſſe præter Corpus Domini in pixide, & literas quaſdam Caroli Regis Francorum, quibus teſtabatur nunquam ſe conſenſiſſe ſubtractioni ab ejus obedientiâ. Cardinales & cives Avenionenſes, qui ab eo ſeceſſerant, petierunt à Benedicto in gratiam recipi, quod poſt aliquam repulſam obtinuerunt. Egreſſus è palatio Benedictus, mox barbâ tonſâ, quam toto illo quinquennio nutrierat, literas de ſua evaſione ad Regem, Principes, & Univerſitatem Pariſienſem ſcripſit, promittens per ſe non ſtaturum, quin quod ſpoponderat, adimpleret.

XLVII. *Reſtituitur ei obedientia in Galliis.*

Quibuſdam diebus elapſis Guidonem de Maleſicco Epiſcopum Præneſtinum, qui Cardinalis Pictavienſis dicebatur, & Amedeum de Marchionibus Salutiarum Diaconum Cardinalem S. Mariæ Novæ, Legatos ad Francorum Regem miſit, quorum audita Legatione, tem præcipuè urgente Duce Aurelianenſi Regis fratre; ad finem menſis Maji Benedicto reſtituta eſt obedientia, his inter alias conditionibus, de quibus agunt Monachus Dionyſianus, & Juvenalis in Carolo VI; ſcilicet, quòd ſcripto declararet ſe acceptare Viam Ceſſionis tribus caſibus; nempe adverſario cedente, decedente, vel ejecto: Omnes injuriæ occaſione ſubtractionis, ultrò citròque factæ remitterentur: Benedictus intra unum annum convocaret Concilium Univerſale ſuæ obedientiæ, quo tractaretur de proſecutione unionis, de Eccleſiæ libertatibus, de ſubſidiis & oneribus impoſitis à Pontificibus Eccleſiæ Gallicanæ, & quidquid in eo ſtatutum eſſet obſervaretur ab ipſo.

XLVIII. *Sed ni mulò poſt interrumpitur.*

Reſtitutam ſibi à Francis obedientiam mox ferociâ ſuâ perdidit Benedictus. Siquidem cùm incidiſſet quæſtio de confirmatione electionum, conſecrationum & collationum, quæ tempore ſubtractionis ab Ordinariis factæ fuerant, perſeveravit Benedictus in ſua ferocitate, eam omnino recuſavit, nec miſſis ea de re ad illum ſemel & iterum Oratoribus, aliquid ab eo obtineri potuit. Inter illos Oratores miſſus eſt ab Univerſitate Pariſienſi *Joannes*, inſignis ille Theologus & Cancellarius, qui proprio familiæ cognomine *Charlierus*; à pago agri Remenſis, ubi natus eſt honeſtis & piis parentibus, *Gerſonius* dictus eſt, & quantum hæc ferebant tempora magnæ eruditionis, cujus Operum Tomo primo extat luculenta de his ad Benedictum Oratio Maſſiliæ habita die nona Novembris; ſed nec Gerſonius, nec ipſe Benedicto addictiſſimus Aurelianenſis Dux ultimò ad eum Legatus, quamvis amantiſſimè ab eo exceptus, eum à propoſito dimovere valuit. Qua re in deliberatione poſita, decretum fuit Regem poſſeſſores defenſurum, nec permiſſurum diplomata Pontificia ſuſcipi; neque item aliquid à Benedicto exigi pro beneficiorum vacantiis, aut alio quocumque prætextu. Publicatæ ſunt ea de re literæ Regiæ die vigeſima nona Decembris anni ejuſdem 1403, ut diſertè habet Juvenalis laudatus. Illud tamen ad laudem Benedicti non parum facit, quod narrat in dicta Oratione Gerſonius, fuiſſe quendam non infimæ fortunæ, qui ultrò ipſimet confeſſus eſſet, voluiſſe ſe eum ſemel atque iterum interficere: Benedictum autem ſereno vultu ac blandis verbis præconcepti flagitii veniam indulſiſſe; benevolentiamque eidem, etiam jurejurando, ut omnino ſecurum redderet pollicitum eſſe. Qua de re eum, ut meritus erat, multis præconiis Gerſonius effert.

XLIX. *Bonifacius Eccleſiam S. Georgii in Alga Venetiarum in Collegialem erigit.*

Anno 1404, diplomate idibus Martii dato, auctoritatem tribuit Bonifacius IX Angelo Epiſcopo Kiſſamenſi Monaſterium & Eccleſiam *S. Georgii in Alga* apud Venetam urbem inſula Caſtellanenſis diœceſis Ordinis S. Auguſtini, penè deſertam, in Collegiatam Canonicorum ſæcularium ſimul conviventium erigere. Quod tamen non præſtitit Angelus ante mortem Bonifacii; quinto enim tantùm Kalendas Novembris ſexdecim diebus poſt ejus mortem, & aliquot diebus ante Innocentii VII ejus ſucceſſoris coronationem, inſtituit ibi Priorem, & numerum Sacerdotum, Diaconorum & Subdiaconorum: inter quos Sacerdotes fuerunt Antonius Corarius, nepos Gregorii XII ſucceſſoris Innocentii, & Gabriel Condulmerius ejuſdem Gregorii etiam nepos, poſtea Papa ſub Eugenii IV nomine, qui ideo dicuntur Inſtitutores hujus Eccleſiæ Collegiatæ, ſimul cum B. Laurentio Juſtiniano poſtea primo Patriarcha Venetiarum, qui tunc inter Diaconos illius Eccleſiæ eſt annumeratus, ut de his conſtat ex confirmatione hujus erectionis, &

Sta-

SÆC. XV. BONIFACIUS IX.

Statutorum ab Epiſcopo Kiſſamenſi pro ea conditorum, facta anno 1407 à prædicto Gregorio XII Conſtitutione, quæ incipit *Illis, quæ pro divino cultu*, & extat in Bullario, diciturque data V Kal. Julii Pontificatus anno primo. Auguſtinus Oldoinus in Notis ad Vitam ejuſdem Gregorii ex Jacob. Tomaſin. in Annalibus Canonicorum ſæcularium, *confirmavit*, inquit, *inſtitutionem Canonicorum Sæcularium S. Georgii in Alga Venetiarum, quos etiam eodem habitu, quo olim S. R. E. Cardinales uſi fuerant, mutato colore, decorari voluit*. Illum verò habitum fuiſſe veſtem cæruleam, unde & *Cæleſtinos* quoque dictos eſſe, ſcribit Spondanus anno 1404, num. IX, ex Conſtitutione Clementis VIII, quæ extat in Bullario. Poſtea Pius V Conſtitutione data 3 Idus Decembris anni 1569, anno 4 Pontificatus, quæ incipit: *Ex incumbenti*, eos Canonicos ad religioſa vota nuncupanda induxit, & omnes alios Regulares præcedere voluit; & Sixtus V die 7 Septembris anni 1587, Pontificatus anno 3, Conſtitutione, quæ incipit: *Circumſpecta*, declarationem edidit circa proprietatem eiſdem vetitam. Denique Clemens IX literis datis die ſexta Decembris anni 1668, eos ſuppreſſit, eorumque bona Venetis attribuit pro defenſione Candiæ, ut ſuo loco videbitur. Qua porrò in regione ſitus fuerit Epiſcopatus ille Kiſſamenſis mihi prorsùs ignotum eſt.

L. *Benedictus Nuntios mittit ad Bonifacium pro pace.*

Eodem anno 1404, Benedictus Pontifex Avenionenſis, petitis acceptiſque tam à Bonifacio, quàm à populo Romano liberi commeatus literis, Petrum Rabanum Epiſcopum ſancti Pontii Tomerienſis, Petrum Zagartigam Eccleſiæ Ilerdenſis Electum cum nonnullis aliis, unitatis Eccleſiæ causâ, Legatos ad Bonifacium Romam miſit. *Qui quidem Nuntii*, inquit Theodoricus Niemus lib. 2, de ſchiſmate cap. 23, *Bonifacium & ejus Cardinales diligenter exhortabantur, quòd cum eodem Petro* (ſeu Benedicto XIII) *ad faciendam unionem in Eccleſia Univerſali in aliquo loco utrique parti tuto concurrere vellent*. Subdit poſtea Cardinales partis Bonifacii ad id inclinaſſe, ſed Bonifacium aſſignaſſe feſtum ſancti Michaëlis, ut ipſis reſponſum daret; cùmque Bonifacius, Cardinales, & Nuntii conveniſſent eodem die in palatio Vaticano, Nuntios quæ ipſis commiſſa fuerant diſcretè & ſolerter expoſuiſſe, *rogando & exhortando dictum Bonifacium, quòd finem daret huic ſchiſmati, cum eorum domino ad hoc parato, ut dicebant*. Verùm Bonifacius *Pontifex ad hoc parum benignè reſpondit, ſe eſſe Papam, & eundem Petrum Antipapam, & ſimilia verba parum vel nihil ad cauſam facientia adducendo*. Quid ad hæc reſponderint Nuntii ſubjicit Niemus: *Tunc ipſi Nuntii dedignati in ejus præſentia dixerunt, quòd Dominus eorum non eſſet ſimoniacus, notanter Bonifacium eſſe talem: unde Bonifacius valde commotus juſſit eos ex Urbe exire: qui reſponderunt, quòd ſalvum conductum haberent ab ipſo & Romano populo adhuc aliquantulum illic manendi & inde recedendi, quòd illo gaudere vellent*.

LI. *Bonifacius moritur.*

Inde commotior factus Bonifacius febre ad dolorem calculi accedente expiravit kalendis Octobris: *Unde ipſe Pontifex*, ait Niemus cap. 24, *ira immoderatius incaleſcens, & pungente ipſum morbo calculi, lectum ægritudinis ſubitò intravit, in quo tertia die ſequenti feſto ſancti Remigii mane deceſſit, dictis Nuntiis adhuc exiſtentibus in Urbe*. Eundem diem morti Bonifacii aſſignant Gobelinus Perſona in Coſmod. ætat. 6, cap. 87, in fine, & Innocentius VII ejus ſucceſſor in literis encyclicis de ſua electione apud Raynaldum num. 12. Sepultus eſt autem in Baſilica S. Petri Vaticana, ut aſſerit idem Niemus, qui addit Nuntios Benedicti in arce Sancti Angeli incluſos fuiſſe à Præfecto ejuſdem arcis Bonifacii conſanguineo contra fidem ſalvi conductus, nec niſi ſolutis quinque millibus florenorum auri dimiſſos ab eo fuiſſe. Quod confirmat Surita Indic. lib. 3 ex literis Benedicti ad Wenceslaum Bohemiæ Regem, ac referunt Galli Monachus Dionyſianus & Juvenalis. Sed aliter rem ſe habuiſſe ſcripſit poſtea ad Univerſitatem Pariſienſem Innocentius VII Bonifacii IX ſucceſſor; ed eam enim reſcribens decimo tertio Kalendas Martii anni 1405, ait Nuntiorum captivitatem ipſiſmet imputandam eſſe, quòd nolentes in Urbe manere, ubi omnis ſecuritas præbebatur, maluiſſent abſcedere, inque ejus manus incidiſſent, è quibus nec Cardinales, nec ipſemet Innocentius potuiſſet eos eruere in motibus Urbanis, qui mox eruperant.

LII. *Qualis fuerit.*

Ceterùm Theodoricus Niemus multa de rapacitatibus Bonifacii IX habet, quæ, ut ait Spondanus, nemo ſanus non videt ab ulceroſo ſtomacho egeri; etenim Auctor Chronici Burdegalenſis, qui hoc tempore Romæ erat, teſtatur audiviſſe ſe à fide digno, qui obitui Bonifacii interfuit, vix unum florenum auri apud eum repertum fuiſſe. Accuſatur tamen à quibuſdam de nimia pecuniarum congerendarum aviditate, ſed alii neceſſitate rerum eum hac de re excuſant. In Codice MS. apud Papebrochium in Conatu Chronico-Hiſt. habetur eum multos de ſanguine ſuo exaltaſſe in dominio temporali, & *duos fratres ſuos præ cæteris, quorum unum Marchionem Marchiæ, alium Ducem Spoletanum conſtituit: qui omnes, Domino diſponente, ad ma-*

SÆC. XV. BONIFACIUS IX.

gnam inopiam poſtea redacti ſunt, & per D. Regem Ladiſlaum de regno Siciliæ pulſi Has & alias nihilominus vitæ maculas eluere potuit ſumma ejus vitæ caſtitas; Sanctus enim Antoninus tit. 22, cap. 3, §, 3, de eo ſcribit: *à multis vulgatum eſt, quòd cùm ſecundùm medicinam carnalem diceretur ſibi, quòd per coitum cum muliere liberaretur à calculo, ex quo deceſſit, minimè acquieſcere voluit tanto ſacrilegio contra divinam legem; eligens potius pudicè mori, quàm impudicè vivere, & ideo valde commendandus fuit.* Unde morum integritate ac virtutum cultu, cum probis, conſtantibus & utilibus Reipublicæ Pontificibus plurimorum judicio adnumerandus cenſetur.

INNOCENTIUS VII *Pontif. CCIV.*

Anno Domini MCCCCIV.

I. *Cardinales Conclave intrant.*

CUM Bonifacius IX. Kalendis Octobris anni 1404, obiiſſet, & Nuncii ad ipſum à Benedicto XIII directi nullam aliam viam extinctionis ſchiſmatis obtuliſſent, quàm conventionis duorum contendentium, & Cardinales Bonifacii ab iiſdem Nunciis poſt ejus mortem ſciſcitati eſſent, num mandatum haberent ad cedendum ex parte Benedicti, quoniam inter ipſos omninò decretum fuerat, ſi id habuiſſent, non procedere ad aliam electionem quouſque ſuper extinctione ſchiſmatis proviſum foret: prædicti Nuncii reſponderunt ſe mandatum ejuſmodi non habere. Hæc Innocentius VII Bonifacii IX ſucceſſor ſcripſit ad Univerſitatem Pariſienſem menſe Februario anni 1405, apud Spondanum num. 3. Addit Innocentius Cardinales partis Bonifacii hoc audito, ne Eccleſia Dei diutiùs paſtore careret, proceſſiſſe ad electionem. Erant tunc duodecim Cardinales obedientiæ Bonifacii tunc viventes; quorum tribus abſentibus ab Urbe, ceteri novem, ut ex libro Collegii S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalium refert Contelorius in Elencho Cardinalium, vel ſeptem tantùm, ut ex Gobelino in Coſmod. æt. 6, cap. 88, refert Panvinius, die dominica duodecima menſis Octobris conclave ingreſſi, ante omnia ſe ſe juramento obſtrinxerunt coram pluribus Notariis & teſtibus ſolemnibus, ſi quis eorum fortè in Papam eligeretur omnem diligentiam adhiberet, ut Eccleſiæ unitas reformaretur, etiamſi opus eſſet ad hoc renunciare Papatui, & quòd Cardinales abſentes ad ſimile juramentum præſtandum concitarent. Ita referunt Gobelinus laudatus & Niemus lib. 2, de ſchiſm. cap. 34.

II. *Coſmas Melioratus eligitur, & coronatur ſub Innocentii VII nomine.*

Poſt hæc proceſſum eſt ad electionem, & die decima ſeptima ejuſdem menſis Octobris omnibus concordantibus electus eſt Coſmatus Melioratus Presbyter Cardinalis tit. Sanctæ Crucis in Jeruſalem ſub nomine Innocentii VII, qui juxta Panvinium & Contelorium coronationis inſignia ſuſcepit quarto Nonas Novembris, ſeu die ſecunda Novembris, quæ concurrebat cum Dominica; ſed ex laudato ſacri Collegii libro in nova editione Ciaconii ab Oldoino curata, legitur eum coronatum in gradibus ſancti Petri cum omnibus ſolemnitatibus, *die Martis, quæ fuit feſtivitas ſancti Martini, XI Novembris* 1404. Quidquid de die coronationis ſit, cur tandiu eam diſtuliſſet non video aliam cauſam adduci poſſe, quàm motus urbanos, qui mox poſt ſuam electionem eruperunt, de quibus mox. Porrò Carolus VI Francorum Rex confeſtim ut audivit Bonifacii obitum, curſorem Romam ad Cardinales ejus obedientiæ miſit cum literis, quibus rogabat differre ſucceſſoris electionem, donec honorabilem à ſe mittendam ad eos prò rerum accommodatione legationem accepiſſent; ſed curſore Romam adveniente jam electus erat dictus Coſmatus Melioratus, unus ex novem Cardinalibus, qui antequam de electione tractarent dictum juramentum præſtiterant.

III. *Ejus genus, primordia & virtutes.*

Coſmas, ſeu Coſmatus Melioratus, Sulmone diœceſis Valvenſis in Aprutio, Provincia regni Siciliæ versùs Campaniam mediocri familia Meliorata ortus, & utriuſque Juris Doctor factus, ab Urbano ſexto Clericus Cameræ Apoſtolicæ & Collector reddituum ejuſdem Cameræ in Anglia creatus fuit, atque inde Archiepiſcopus Ravennatenſis in locum Pilei Cardinalis depoſiti, poſteaque electus Epiſcopus Bononienſis, unde ab aliquibus vocatur Cardinalis Bononienſis, à Bonifacio IX initio ſui Pontificatus dictus eſt Presbyter Cardinalis Sanctæ Crucis in Jeruſalem, S. R. E. Camerarius, & totius Italiæ pro pace inter diſſidentes bello Principes & Reſpublicas componenda ab eodem Bonifacio Legatus, tandem eo mortuo, ut dictum eſt, electus eſt Pontifex. His addit Onuphrius Panvinius fuiſſe Innocentium cunctis maximi & optimi Pontificis dotibus ornatum, vitæ integritate, egregiis moribus, humanitate, doctrina, pietate & liberalitate præſtantiſſimum. Certè Theodoricus ipſe Niemus laudatus cap. 34, & 36, laudat ipſum maximè, uti mitem, pro-

bum

SÆC. XV. INNOCENT. VII.

bum, benignum, caſtum, non ſuperbum, non avarum aut cupidum, Simoniæ oſorem, & expertæ in rebus agendis induſtriæ. Sunt nihilominus qui eum carpunt, quòd ut familiam Melioratam melioraret, ſuos properè divitiis augere ſategerit. Fuit autem Innocentius juſtâ ſtaturâ, corpore rectè compoſito, ætate quando electus eſt ſexaginta quinque annorum, ut ait Niemus laudatus cap. 43, & in Nemore Unionis tract. 6, cap. 39.

IV. *Diſſidia Romanorum cum Innocentio de Urbis regimine.*

Ladislaus Rex Neapolitanus audito Bonifacii IX deceſſu quam citiſſimè cum magnis copiis acceſſit ad Urbem, intendens operam dare ut ad Sedem Petri eligeretur ſibi benevolus & amicus; ſed appellens Romam reperit Innocentium jam electum, ideoque honeſtiſſimam ſalutandi congratulandique cauſam acceſsûs ſui prætexuit, copiaſque ſe in favorem Eccleſiæ duxiſſe, quò ad electionem faciendam liberiores forent Cardinales. Sed revera Romam venerat augendi regni cupidus, ut expreſſis verbis aſſerit Leonardus Aretinus in Hiſtoria rerum Italicarum ſui temporis: *Ad hunc Pontificem*, inquit, *Ladislaus inter primas gratulationes Romam profectus, cùm honeſtiſſimam ſalutandi gratulandique prætexeret cauſam, eſſet autem revera augendi regni cupiditus, Romanos nec priùs quietos ſuâ præſentiâ in Pontificem concitavit*. Sanctus Antoninus tit. 22, cap. 4, in principio addit Ladislaum, ſimulantem favere Innocentio, conſtituiſſe, ſe quaſi mediatorem ad concordiam inter eum & Romanos perficiendam; hac facta conventione, ut gubernatio Urbis in temporalibus penès populum reſideret, in manu videlicet decem virorum per eos vocandorum; illa autem pars, quæ dicebatur Leonina, ſcilicet circa S. Petrum, Pontifici remaneret cum caſtro ſancti Angeli: Senatorque Urbis de voluntate Pontificis & conſenſu populi aſſumeretur. Capita fœderis inter Innocentium & Populum Romanum habiti ex Regeſto Pontificio refert Odoricus Raynaldus anno 1404, num. 16, & ſeqq. quæ ſic deſinunt: *Acta fuerunt omnia & ſingula ſupradicta Romæ .... ſub anno à nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti milleſimo quadringenteſimo quarto Indictione XII, die XI aſſumptionis Sanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, Domini Innocentii Papæ VII ſupradicti, & XXVII menſis Octob. dicti anni*, quo die conſequenter Innocentius nondum erat coronatus, alioquin in hoc inſtrumento, poſitus non fuiſſet dies aſſumptionis Innocentii in Pontificem, ſed potiùs dies Pontificatus; qua de re vide dicta in Joanne XXII, ex quo & eruitur verum eſſe quod ſuperiùs ſubodoravimus, ſcilicet motus illos Urbanos fuiſſe cauſam cur Innocentii coronatio dilata fuerit.

V. *Innocentius pro Ladislao Rege Neapolis decretum edit.*

Nec his contentus Ladislaus, ſciens Innocentium ante ſuam electionem ſacramento ſe devinxiſſe, ad ponendos Papales apices, ſi Petrus de Luna, Benedictus XIII in ſua obedientia dictus, Papali faſtigio pariter abiret, ſiniſtram ſimulavit ſuſpicionem, ne in Eccleſiarum conſtituenda concordia ſuæ Regali dignitati aliquod periculum crearetur, adduxitque Innocentium, ut Apoſtolica ſanctione vulgaret, publicam pacem nunquam firmandam, niſi Ladislaus ſceptra, quibus hactenus potiebatur, retineret. Decretum hac de re Innocentii dicitur *Dat. Romæ apud S. Petrum III Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno primo*, ideoque poſt coronationem ſuam, quæ, ut jam dixi, peracta eſt die ſecunda Novembris, vel die undecima ejuſdem menſis, quo facto eam ſanctionem edidit eadem die, qua coronatus eſt. Poſt hæc Ladislaus Rex obtenta ab Innocentio in triennium Campania reverſus eſt Neapolim.

VI. *Concilium generale Romæ celebrandum indicit pro unione Eccleſiæ.*

His peractis Innocentius jam coronatus ſequenti menſe Decembri exeunte, ſcilicet ſexto Kal. Januarii Præſules de traditis ſibi Eccleſiæ gubernaculis certiores fecit, rogavitque ut de Viis optimis extinguendi ſchiſmatis inter ſe conferrent, atque ad eas exponendas idoneos viros mitterent antequam proximus omnium Sanctorum feſtus dies anni 1405, laberetur. Literæ hac de re encyclicæ Archiepiſcopo Colonienſi, ac ſuffraganeis datæ extant apud Raynaldum anno 1404, num. 12. Conſtituerat enim Innocentius Romæ Concilium celebrare Kalendis Novembris, ut ſcribit Gobelinus loco laudato: *Innocentius Papa*, inquit, *Archiepiſcopis & Prælatis per diverſa regna conſiſtentis, literas ſuis cum nunciis ſolemnibus direxit, inſinuans eis, quòd in Kalendis Novembris, deinde proximè futuris, Concilium Generale in urbe Roma pro unione Eccleſiæ eſſet celebraturus, & exhortans eos, ut ſe cum Prælatis ſibi ſubditis, vel ſaltem viros idoneos ad idem Concilium dirigere curarent*. Addit Gobelinus Innocentium circa menſem Septembrem anni 1405, Viterbium fugere coactum & Prælatis Teutoniæ non advenientibus, Concilium prorogaſſe uſque ad diem feſtum ſancti Martini, & deinde uſque ad Kalendas Maji anni 1406, propter turbas Romæ exortas; tandemque omnino prætermiſſum eſſe.

VII. *Benedictus Genuam appellit, & pro unione ſe paratum ſimulat.*

Regebat hoc tempore Genuam nomine Caroli VI Francorum Regis Buſſicaldus; hæc autem civitas Pilei Marini Archiepiſcopi Genuenſis, morum ſanctitate ac pietate illuſtris, auctoritate & ſententiâ commota, Benedictum XIII ut verum Pontificem colendum decreverat. Quare hic præ ſe ferens ſtudium unionis, menſe Majo anni 1405 Genuam navigavit, ubi exce-

ptus eſt omni regii apparatus ſplendore, omnique effuſæ lætitiæ ſignificatione. Cùm autem paucam privatam familiam, ſed magnam armatorum copiam ſecum adduxiſſet, iique in dies augerentur, timentes ſibi inde Genuenſes, ſpecie luſtrationis, ſeu recenſionis copiarum, eas foras educentes, civitate deinceps excluſerunt, metum apud Benedictum, non parum ea de re commotum, cauſantes de conjugum ac filiarum pudicitia, ne ea de cauſa rixæ & contentiones in civitate orirentur. Intereà verò, ut non ad nihilum acceſſiſſe in Italiam videretur Benedictus, petiit ab Innocentio Viterbii agente liberi commeatus, ſive ſalvi conductûs literas pro nonnullis, quos ad ipſum miſſurus eſſet ad tractandum de unione; cùm eas Innocentius, fraudulenter eas peti exiſtimans, denegaſſet: occaſione inde arrepta Benedictus, glorians ſe unionis ſtudioſiſſimum, adverſarium refractarium inveniſſe, literas quoquoverſùs adversùs illum direxit, quas aliis contrariis Innocentius refellere contendit, revocans etiam in dubium, num qui verus & legitimus eſſet Pontifex, agere deberet de unione cum intruſo; qua de re eum malè apud plurimos audiſſe, Niemus lib. 2. de ſchiſm. cap. 38, ait, & utrumque arguit, ſic variis ludificationibus ac mutuis accuſationibus inter se certaſſe ne cedere cogerentur. Benedictus autem Genuâ propter peſtem excedere coactus, poſt aliquas moras variis locis ductas, Nicæam Provinciæ reverſus eſt. Sed hæc acta ſunt poſt menſem Auguſtum, quo Innocentius Viterbium ſe receperat.

VIII. *Innocentius Romanos emollire cupiens undecim Cardinales creat, inter quos quinque Romani erant.*

Romæ intereà exagitabatur Innocentius clandeſtinis ſolicitationibus Ladislai Regis Neapolitani abſentis, & maximoperè cupientis Urbe potiri, in qua duæ erant factiones, Gibellinorum nempe, quorum Duces erant Columnenſes, & Sabellici; ac Guelforum, quorum Duces erant Urſini. Priores quærebant recuperare ſtatum libertatis, qualem habuerunt Banderenſes antequam Bonifacio IX traderetur regimen Urbis: poſteriores ſatius eſſe aſſerebant per Eccleſiam, quàm per Cives regi. Joannes Colomnius cum manu armata non longè ab Urbe agebat, fingens partes Benedicti Pontificis Avenionenſis fovere; indeque Gibellini impulſore Ladislao continuis, ac ſubinde novis, & iniquis poſtulationibus Innocentium moleſtabant, qui, ut eorum animos emolliret, eodem anno 1405 die duodecima Junii feria ſexta quatuor Temporum undecim creavit Cardinales, quorum fuere quinque Romani, etiamque unus è familia Columnenſium, ex quibus octo dicti ſunt Presbyteri, tres Diaconi, quorum hæc ſunt nomina. *Conradus Caracciolus* ſummus Pontificii ærarii Præfectus, Neapolitanus; *Jordanus Urſinus*, Archiepiſcopus Neapolitanus, Romanus; *Angelus Corarius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, Venetus, qui Innocentio ſub nomine Gregorii XII ſucceſſit; *Franciſcus* Archiepiſcopus Burdegalenſis, patria Urbinas; *Joannes Melioratus*, Archiepiſcopus Ravennatenſis, Innocentii nepos, patria Sulmonenſis; *Petrus Philargus*, Archiepiſcopus Mediolanenſis, patria Cretenſis, qui Alexandri V accepto nomine, dictus eſt Pontifex anno 1409 in Concilio Piſano; *Antonius Calvus*, ſive *de Calvis*, Epiſcopus Tudertinus, patria Romanus; *Antonius Archiontus*, Epiſcopus Aſculanus, patria Romanus, qui omnes dicti ſunt Presbyteri Cardinales: Diaconi verò fuêre, *Otho*, ſeu *Odo* Columna, patria Romanus, qui in Concilio Conſtantienſi, redintegrata priſtina Eccleſiarum Occidentalium conjunctione, ad Pontificatum evectus, Martinus V appellatus eſt; *Petrus Stephaneſcus*, patria etiam Romanus; & *Joannes Ægidius* Præpoſitus Leodienſis, non Germanus, ut ſcribit Panvinius, ſed Gallus è Neuſtria, ut habent ferè omnes Scriptores. Eodem die Antonium Cajetanum Romanum, Presbyterum Cardinalem à Bonifacio IX anno 1389, creatum, Innocentius renunciavit Epiſcopum Cardinalem Prænestinum & majorem Pœnitentiarium.

IX. *Viterbium fugit.*

Cùm verò nec hujuſmodi beneficiis aliquid proficeret Innocentius apud perverſum illud genus hominum, contigit quinta die menſis Auguſti ejuſdem anni 1405, ut cùm ad eum, qui regimini Urbis deputati fuerant, cum paucis aliis acceſſiſſent ſpecie concordiæ ineundæ, cùm res ad eorum libitum non ſucceſſiſſet, in receſſu capti à Ludovico Meliorato Innocentii nepote, juvene audace & temerario, undecim eorum crudeliter interfecti ſunt, abſque ullo diſcrimine nocentium, vel innocentium, cum eſſent ex iis, qui moleſtiſſimè ferebant, quæ adversùs Pontificem gerebantur. Innocentius ut hæc reſcivit, quorum pœnitus inſcius & innocentiſſimus erat, miro dolore tactus, ſimul & anxius de graviſſima populi Romani commotione ob prædictam ſuorum necem, è veſtigio Urbem deſerens cum feſtinatione primo Sutrium, inde Viterbium aufugit; palatium Apoſtolicum, reſque ſuas ac Curialium, Romanorum expilationi exponens, qui etiam non paucos ex iiſdem Curialibus peremerunt, atque alios carceribus incluſerunt, & peſſimè habuerunt. Innocentium crudele facinus Ludovici Meliorati nepotis abhorruiſſe, ac de eo ingenti dolore fuiſſe affectum refert Leonardus Aretinus Epiſt. lib. 1 Ep. 5. *Ad Ædes Pontificis*, inquit, *ire pergo: ille miro dolore angebatur, res enim tota eo inſcio tranſacta fuerat, vir pacificus & mitis, à cujus lenitate nihil magis abhorre-*

bat

SÆC. XV. INNOCENT. VII.

bat quàm cædes & humani ſanguinis effuſio; mæſtus ſi ſe ac fortunam deplorans ſuam, oculos interdum ad cœlum tollens, quaſi Deum invocaret teſtem ſuæ erga populum Romanum innocentiæ. Niemus cap. 37 inſontem Innocentium & inſcium indigniſſimæ cædis etiam fatetur, quamvis interim nimiùm in nepotem amori indulſiſſe perſtringat. Porrò ipſe Innocentius & Cardinales atque alii *ab Urbe fugientes in fervore diei & æſtus versùs Viterbium iter egerunt; ſed ſiti adeo anguſtiati multi fuerunt, quòd & Papa ſiti tunc vexatus mortem vix evaſit, ac triginta vel circa de comitatu Papæ præ ſitis anguſtia deceſſerunt*, inquit idem Niemus cap. 36.

X. In Urbem à Romanis revocatur.

Poſt Innocentii abſceſſum Joannes Columnius palatium occupavit, a cujus viginti dierum incolatu à Populo Joannes XXIII ironicè appellatus eſt, Ladiſlaum continuò acceſſivit, promittens ei Urbis dominium tradere: à quo miſſus cum exercitu Comes Trojanus, plurimis Romanis contradicentibus admiſſus eſt à Columnio. Sed brevi poſt inſurgente in eum populo omnia potiùs pati parato, quàm Ladiſlao ſubeſſe, omnes ejus fautores Urbem deſerere coacti ſunt, abrogatiſque rectoribus nuper inſtitutis, tres tantum conſtituti ſunt ad Urbem regendam, quos *Bonos viros* nuncuparunt, qui conſultius & mitiùs res agere cœperunt, cùm jam deferbuiſſet civium ira in Pontificem, poſtquam exploratum habuiſſent fuiſſe eum innocentem cædis ab ejus nepote factæ, & vehementer propterea ei ſuccenſuiſſe. Romani itaque ineunte anno 1406 pœnitentia ducti, injuriarum Innocentio illatarum Oratoribus ad eum miſſis, claves Urbis ac dominium integrum eidem obtulerunt veniam deprecantes, ejuſque ad Urbem reditum: *Viterbii*, inquit Leonardus Aretinus in Hiſtoria rerum Italic. ſui temporis, & poſt eum S. Antoninus part. 3 tit. 22 cap. 4 § 1, *cùm eſſet Pontifex jam aliquot menſes commoratus, Romani pœnitentiâ ducti dominationem Urbis illi reddiderunt, ac multis legationibus eum revocaverunt.* Revertens itaque Pontifex Romam menſe Martio poſt principium Quadrageſimæ pompa propemodum triumphali exceptus eſt, ut ſubjectis verbis teſtatur idem Aretinus: *Itaque reverſus Romam Pontifex miro applauſu populi Romani ſuſcipitur.* His conſentit Niemus laudatus cap. 39.

XI. Ladiſlaum Neapolis Regem excommunicat, & excommunicat.

Nec tamen Romæ res quietæ erant, quoniam è caſtro Sancti Angeli, quod à Ladiſlao Rege detinebatur, hoſtiles actus exercebantur; quare Innocentius conſiderans quanta mala & damna tam Sedi Apoſtolicæ, quàm aliis Eccleſiis intuliſſet, atque inferre pergeret Ladiſlaum, poſt aliquot menſes, nempè menſe Junio, proceſſum formans, illum in publico Conſiſtorio, in præſentia ſuorum Cardinalium, & Curialium, nec non multorum aliorum illic congregatorum, contra ipſum Regem ad minus ſexdecim articulos valdè famoſos continentem fecit publicari, in quibus inter alia multa declaravit, eum reatum perjurii ac proditionis & conſpirationis contra eundem Innocentium crimina perpetraſſe, ipſumque a regno & terris, quas in feudum a Romana tenebat Eccleſia, nec non etiam in priſtinas cenſuras, ſententias, & damnationes, quas Urbanus ſextus contra Carolum de Duracio ipſius Ladiſlai genitorem, promulgaverat, incidiſſe, ut diſertè ſcribit Niemus cap. 41. Columnium etiam aliosque ejus fautores ac Miniſtros violatæ pacis Urbicæ, & aliorum facinorum participes eiſdem pœnis & cenſuris ſubjecit: remque geſtam publicis ad Imperatorem, Reges, ac Principes Chriſtianos ſcriptis literis promulgavit. Ea quidem acta à Pontificio regiſtro avulſa eſſe ſcribit Raynaldus anno 1406 num. 6, ſed addit ex aliis literis abundè colligi, Innocentium gravem in eum ſententiam tuliſſe: Inter cæteras quidem illi inflictas pœnas Campaniæ & Maritimæ Præfecturam ei abrogavit diplomate ibidem à Raynaldo relato, *dat. Romæ apud S. Petrum XII Kal. Julii, Pontificatus noſtri anno ſecundo.*

XII. Tamen gratiam recipit.

His perculſus Ladiſlaus, ſuum Oratorem è veſtigio ad Innocentium deſtinavit, à quo obtentis aliquot dierum induciis, impetravit ad ſe mitti Paulum Urſinum, qui fidelem Pontifici ſemper præſtiterat operam, unà cum Ludovico Meliorato Pontificis nepote ad res componendas; quibus à Ladiſlao ſupra modum honoratis, & muneribus oneratis, ſimulatam aliquam concordiam confecit, juſſo etiam Caſtro Sancti Angeli Pontifici reſtitui, ut referunt Niemus laudatus, & Leonardus Aretinus in Hiſt. Rer. Italic. Hujus fœderis ſingulæ pactiones deſcribuntur in diplomate Pontificio, quod extare in Regiſtro Innocentii lib. 2 pag. 23 aſſerit Raynaldus num. 7, quarum præcipuæ fuere: Ut injuriæ hinc inde illatæ acceptæque uſque ad 28 Julii diem oblivioni mandarentur: Ladiſlaus Chriſtiana demiſſione obſequium Pontifici addiceret: Leges omnes diplomate de conceſſis à Bonifacio IX regni Neapolitani juribus comprehenſas religioſè coleret: reſtitueret molem Hadrianam ſeu caſtrum S. Angeli Innocentio: acceptum regnum jure fiduciario illi referret, ac ſacramentum fidei nuncuparet: ſe ſponderet nullos Eccleſiæ clientes bello appetiturum: erepta ſacris locis redderet, atque in gratiam proceres, qui ſtuduerant Innocentio, admitteret. Innocentius verò in Ladiſlai gratiam proceres illius fœderatos Româ pul-

ſos

ſos in Urbem revocavit, edicta in Carolum Ladislai patrem ab Urbano VI conſcripta abolevit, & Campaniæ, Maritimæque adminiſtrationem, pro eo tempore, quo erat conceſſa, Ladislao permiſit. Hæc conventa ab Innocentio confirmata fuêre diplomate, quod extat apud Raynaldum laudatum, dato *Romæ apud S. Petrum Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri anno ſecundo*. Quo eodem die alio diplomate ibidem relato Innocentius Ladislaum Romanæ Eccleſiæ Signiferum ac defenſorem creavit. His addit Niemus, Innocentium poſtea cùm agnoſceret ingratiſſimum in ſe Ladislai animum, decreviſſe renovare proceſſus in eum, ſed morte præventum id perficere non potuiſſe.

XIII. *In Gallia fit ſubtractio à Benedicto.*

Intereà Benedicto XIII ex Italia exeunte anno 1405, vel ineunte anno 1406, reverſo in Provinciam, cùm malè audiretur de colluſionibus ejus cum Innocentio habitis, miſit idem Benedictus Antonium de Chalanto Diaconum Cardinalem tituli S. Mariæ in Via lata ad Carolum VI Regem Francorum, ut eum in obſequio ſuo contineret. Sed urgente contra Univerſitate Pariſienſi, re ad conſilium deducta; die decimo ſeptimo Maji Joannes Parvus egregius Doctor Theologus cauſam Univerſitatis agens, rationibus Cardinalis confutatis, ſubtractionem obedientiæ Benedicto fieri petiit. In eo reprobata eſt Epiſtola Univerſitatis Toloſanæ, quæ ſola è Gallicis ſubtractioni obedientiæ ſe oppoſuerat, atque à Parlamento, cui ejus cognitionem Rex demandaverat, lacerari juſſa, tandemque renovata Via Ceſſionis, & ſtatuta ſubtractio quoad pecuniarum ſubventionem, ac decimarum, ſervitiorum, procurationum, annatarum, reſervationum, expectativarum, gratiarum, aliarumque quarumcumque exactionum à Pontificibus introductarum, & à Benedicto acerbè exactarum, ſolutionem; eademque ſubtractio edicto Regio primùm declarata die decimo octavo Februarii anni 1407 (quamvis enim edictum ponatur anno 1406, quoniam tamen tunc Galli, ut alibi diximus, annum à Paſchate inchoare conſueverant, menſis Februarius anni 1406 pertinet ad Julianum, quo utimur anni 1407) ac deinde Senatûs Pariſienſis decreto confirmata. Edictum Regium extat apud Bochel. in Decret. Eccleſ. Gallic. lib. 4 tit. 21 cap. 3, & decretum Senatûs Pariſienſis ibid. cap. 5, item inter Opera Nicolai de Clemang. & in Faſciculo rerum expetendarum. Ita Spondanus ad annum 1406 num. 3. Subtractio autem ab obedientia remiſſa eſt tractanda in Concilio Antiſtitum ac Doctorum ad Sancti Martini feſtum eodem anno 1406 celebrando, in quo utilius viſum eſt Concilium Generale celebrari ad reformandam Eccleſiam tam in capite, quàm in membris, & interim ſubtractionem non ſolùm pecuniarum & conſuetarum annatarum, verùm etiam totius obedientiæ fieri Benedicto, & Eccleſiam Gallicanam ſuis antiquis libertatibus frui, ſicut jam fuerat in priori ſubtractione anni 1398 ſtatutum.

XIV. *Innocentii VII obitus.*

Sed inter hæc Innocentium VII die ſexta Novembris, ſeu octavo Idus Novembris ejuſdem anni 1406 obiiſſe aſſerit Gregorius XII ejus ſucceſſor in literis encyclicis de ſua electione datis Romæ die undecima Decembris ejuſdem anni, ex quo emendandus videtur Gobelinus Perſona cap. 88 æt. 6 Coſmodrom. ubi ſcribit eum obiiſſe die ſeptima Novembris, niſi dicatur eum obiiſſe nocte inter diem ſextam & ſeptimam Novembris. Obiit autem Apoplexiâ tactus non ſenex & grandævus, ut ſcribit Joannes Palatius, ſed annum tantùm ſexageſimum ſeptimum vel octavum agens; cùm ex dictis anno ætatis ſexageſimo quinto electus fuerit die decima ſeptima Octobris anni 1404, & obierit die ſexta Novembris anni 1406. Sepultus eſt in Baſilica Sancti Petri in ſacello, quod olim Pontificibus ſepeliendis dicatum erat, Sancti Thomæ titulo inſignitum, Pœnitentiariorum uſibus hodie præcipuè ſerviens, quod vetuſtate & ſitu corruens Nicolaus poſtea V reſtituit, notato etiam epitaphio quod refert Ciaconius.

XV. *Ejus laudes ex Niemo, & Gobelino.*

Innocentii laudes plerique Scriptores celebrant, inter quos Theodoricus Niemus lib. 2 de ſchiſm. cap. 39, licèt Pontificibus parum æquus, hoc de eo elogium ſilere non potuit: *Iſte Pontifex fuit mitis, benignus & compatiens afflictis, nec erat aliqua ſuperbia in eo, neque apud ipſum acceptio perſonarum, niſi quòd dictum Ludovicum* (Melioratum) *& quoſdam alios ſibi ſanguine junctos in quibuſdam regiminibus terrarum ejuſdem Eccleſiæ collocavit* (malo utique naturali, à quo vix unquam immunis quis potens reperiatur omnium hominum qui ſunt, quique fuerunt, quique futuri ſunt. *Libens potentibus audientiam dabat, & fere diebus ſingulis, certis horis ſupplicationes ſibi porrectas ſolicitè ſignabat, conſiſtoria privata & publica tenebat diebus & horis conſuetis, nec alicui moleſtus, neque cupidus ſeu avarus exiſtebat; ſimoniacos exoſos habuit*, in quos, ut ſcribit Gobelinus laudatus, graviſſimam ſanctionem edidit, ut eos pœnarum magnitudine à tanto flagitio abduceret, in eos enim excommunicationis ſententiam promulgavit, à qua per alium quàm Romanum Pontificem, præterquam in mortis articulo, abſolvi non poſſent. Idem Niemus laudatus cap. 41 eum incubuiſſe ad alia vitia emendanda refert his verbis: *Dum reſideret in Viterbio, ut præfertur, ſcriptores literarum Apoſtolicarum*

carum

Digitized by Google

carum per privationes officiorum ſuorum & alias formidabiles pœnas compulit ad dimittendas focarias eorundem: & veriſimiliter multa alia peregiſſet in ejus papatu, ſi eum Dominus à ſæculo ita ſubitò non vocaſſet. Erant focariæ *concubinæ*, ut legere eſt in Hierolexico, ſeu Dictionario ſacro Dominici Macri, & in Calepino.

XVI. *Ejus in viros literatos amor, & pietas in Deiparam.*

Pergit Niemus: *Hic erat etiam pulchræ ſtaturæ, nec pinguis nec macer, & bonæ complexionis, & cum viris literatis & doctis delectabatur habere colloquia, eoſque dilexit & pro poſſe promovit.* Scripſit Innocentius, teſte Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia, *Orationem* graviſſimam in conſeſſu Cardinalium *de Eccleſiaſtica unione.* Item juxta Andream Ducheſnium in ejus Vita *Evıſtolas quaſdam*, quas refert Lucas Wadingus Tomo 5 Annalium Minorum. Joannem de Monteſono Theologum Pariſienſem, qui in ſuis concionibus affirmarat Deiparam Virginem in peccato originali fuiſſe conceptam, ad palinodiam recantandam compulit, ut refert Robertus Gaguinus lib. 9 in Carolo ſexto. Gavantus in Theſauro ſacrorum Rituum ait Innocentium edicto jul.ſſe, ut Symbolum recitaretur in Miſſæ ſacrificio diebus S. Joannis Baptiſtæ, & S. Laurentio Martyri ſacris, quando eorum Feſtivitates fideles die Dominica celebrant.

GREGORIUS XII *Pontif. CCV.*

Anno Domini MCCCCVI.

I. *Cardinales tractant de electione ſub quibuſdam conditionibus.*

POST obitum Innocentii VII, Cardinales ejus, qui in Urbe erant, deliberare inter ſe cœperunt, ſuperſederentne electione, an alium Pontificem in demortui locum crearent. Dubitationem faciebat, quòd Galli Benedictum Pontificem ſuum ſtrictis promiſſionibus adegerant ſe ſe abdicaturum eſſe, ſive Cardinales partis adverſæ mortuo Pontifice ſuperſederent electione, ſive Pontifex ipſe item ſe abdicaret, quò utrinſque Collegio in unum conveniente, unica indubitati Pontificis ſequeretur aſſumptio. Sed cùm alia parte in ſuperſedendo, & ſeditionum in Urbe motus, & longior temporis dilatio, & fruſtratio adverſarii, & hujuſmodi mala timerentur, & in eligendo voluntas ejus, qui aſſumptus eſſet, formidabilis videretur: ideo his omnibus diligenter expenſis, eorum Cardinalium ſententia tandem vicit, qui eligendum quidem Pontificem ſuaſerunt, ſed validiſſimè obligandum, quò adverſario ſe abdicare volente, ipſe quoque electus Pontificatum dimitteret. Ea mente Cardinales conclave ingreſſi die 18 menſis Novemb. ejuſd. anni 1406: die verò Martis vigeſima tertia ejuſdem menſis in feſto Sancti Clementis quatuordecim Cardinales, (cautione in hunc modum adhibita) *promiſit, juravit, & vovit unuſquiſque Patrum, idque Chirographo ſolemni inſcripſit, ſi Pontificem eligi ſe contingat, depoſiturum ſe Pontificatum, ſi adverſarius Pontifex idem faceret; idque illi ſtatim per literas ſignificaturum, & invitaturum ad hoc ipſum faciendum; procuraturumque inſuper omni via & modo unitatem, idque bona fide & ſine ulla fraude: promiſſionem & votum & jusjurandum, quod ipſe præſtitiſſet, omnibus Regibus, Principibuſque per ſuas literas primo quoque tempore ſignificaturum; quo eos teſtes haberet obligationis ſuæ*, inquit Leonardus Aretinus, Innocentii VII & Gregorii XII ſcriba, tum in Hiſtoria rerum Italicarum, tum Epiſtolarum lib. 3 Epiſt. 3. His conſentientia ſcribunt Gobelinus in Coſmod. æt. 6 cap. 88. Theodoricus Niemus lib. 3 de ſchiſm. cap. 1, & in Nemore Unionis Tractatu primo cap. 1. Sanctus Antoninus part. 3 tit. 22 cap. 5 in principio, aliique, & extant apud Odoricum Raynaldum num. 11 publicæ tabulæ ea de re in Conclavi confectæ, quibus quatuordecim Cardinales ſubſcripſerunt.

II. *Angelus Corarius eligitur, & coronatur ſub Gregorii XII nomine.*

His ſupra ſancta Dei Evangelia ſolemniter juratis, agitare deinceps de electione inceperunt, & virum quærentes, non tam peritiâ, quam fide & integritate idoneum, tandem die ſecunda Decembris in Angelum Corarium natione Venetum mentem conſenſumque omnes verterunt, virum priſca ſeveritate & ſanctimonia reverendum, qui *conclavi egr.ſſus promiſſionem, votum & juramentum, quæ privatus fecerat, tunc in poteſtate conſtitutus iteratò novavit, atque ita loquebatur de unione primo illo tempore, ut ſi cetera deeſſent, pedibus & baculo ſe iturum ad eam conficiendam aſſeveraret*, inquit Aretinus laudatus. Erat porrò Angelus Corarius genere Patricio Venetiis ortus, qui factus Epiſcopus Caſtellarius Venetiarum, evectus fuerat à Bonifacio IX in titulum Patriarchæ Conſtantinopolitani, & poſtmodum ab Innocentio VII ejus amantiſſimo creatus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Marci. Electus autem Pontifex ſeptuagenario major, ut ſcribit S. Antoninus, vel ut aliqui habent, jam tunc octogenarius, Gregorii XII nomen aſſumpſit. Gregorium electum die

ſe-

ſecunda Decembris probat Raynaldus ex Tomo 24 de ſchiſmate, & invictè confirmatur ex literis ejuſdem Gregorii ad Petrum de Luna, ſeu Benedictum XIII datis die undecima Decembris, quam diem dicit decimam à ſua aſſumptione: falluntur itaque Panvinius, Ciaconius, Papebrochius, aliique ſcribentes eum electum die trigeſima Novembris, & coronatum die quinta Decembris in Dominica; ex prædictis enim Gregorii literis conſtat eum nondum fuiſſe coronatum die undecima Decembris, in iis enim ait: *De hoc autem quòd bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa præſentibus, nullus debeat admirari; nam ante coronationis noſtræ ſolemnia uſus præfatæ bullæ cum hujuſmodi impreſſione nominis non habetur. Datum Romæ apud S. Petrum 10 die ab aſſumptione noſtra, 11 verò Decembris anno à nativitate Domini* 1406. Eadem nota Chronologica inſigniuntur literæ encyclicæ ejuſdem Gregorii, utræque autem extant apud Raynaldum anno 1406 num. 14 & ſeqq. Quare coronatus eſt Gregorius XII die 19 Decembris, qui cum Dominica concurrebat, ut ex aliis literis Gregorii ſcribit idem Raynaldus num. 16 in fine, & diſertè aſſerit Gobelinus Perſona Coſmod. æt. 6 cap. 88.

III. *Ejus pro unione deſiderium.*

Gregorius poſt ſuam electionem votum & juramentum, quo in conclavi ſe obſtrinxerat, extra illud conſtitutus renovavit, ut conſtat ex Aretino num. ſuperiori laudato, & ex Niemo lib. 3 de ſchiſmate cap. 2, ubi teſtatur ſe huic actioni interfuiſſe, ut ſcribit Spondanus; Niemus enim ad manum non eſt. Idem Niemus cap. 6 de deſiderio, quo extinguendi ſchiſmatis flagrabat Gregorius, ait: *Aliquando cum ſuis Capellanis & ſcutiferis domeſticis maximè in collectione poſt cœnam vel prandium conferendo dicebat ad ipſos, quòd pro certo nequaquam per eum ſtaret, quin dicta fieret unio in quocumque loco, etiam quantumcumque ab ipſa Urbe remoto illam fieri oporteret, & ſi galeis ſeu forte navigiis careret, paratus eſſet illic etiam in parva cymba ſeu carbaſa navigare; quodque ſi per terram illuc pertranſire magis expediret, ac convenienti equorum vectura careret, certè non propter hoc dimitteret, quin illuc iret, etiamſi eundo pedeſter baculo arundineo per iter ſuſtentari deberet, multa his ſimilia verba frequentius eructando*, à quibus non diſſentit Aretinus laudatus. Certè hanc tunc fuiſſe Gregorii mentem conſtat ex ejus literis ad Benedictum XIII datis ante ſuam coronationem, quas Leonardus Aretinus, qui ipſi à ſecretis erat, ſe ſcripſiſſe teſtatur quibus expoſuit ſe ad conjungendas ſacro priſtino fœdere Eccleſias, Pontificatu ſe abdicaturum, ſi ipſe affectati ejuſdem honoris inſignia abjiceret, ut tertius Pontifex, utriuſque Collegii communibus votis deſignaretur, ſub quo omnia Chriſti membra coaleſcerent. Hæ literæ, ut jam dixi, extant apud Raynaldum num. XIV. Eodem ſenſu ſcripſit Gregorius ad Benedicti Cardinales, ad omnes Reges, Principes, Reſpublicas, ac Univerſitates. Sed licèt initio Pontificatus hanc mentem habuerit Gregorius, nihilominus poſteà imperii dulcedine ſemel guſtata, & ſuorum promovendorum affectu, doctrinæ, religionis, pietatis, ac morum probitatem, de quibus laudabatur, tergiverſationibus derelinquendi Pontificatus, ac colluſionibus cum adverſario contra præſtitum juramentum, famam commaculavit.

IV. *Benedicti pro eadem unione reſponſum.*

Benedictus Lunenſis acceptis Maſſiliæ Gregorii literis ad eum reſcripſit pr die Kal. Februarii anni 1407, quibus gratulatus eſt de bona ejus mente ad extinctionem ſchiſmatis, hortatuſque ad effectum, ad quem ipſe paratiſſimus eſſet, tam per ceſſionem, quam per alium quemcumque modum: expectaturum ſe interea Oratores, quos ad ſe mittendos ſcripſerat pro diſponendo loco conventûs inter ipſos agendi, hortans quam maximè ad rem celerrimè perficiendam. Iiſdem fermè verbis uſus eſt Benedictus ſalutationis causâ, quibus uſus erat Gregorius; cùm enim hic ad eum ſcribens hunc titulum adhibuiſſet: *Gregorius ſervus ſervorum Dei Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili ſchiſmate Benedictum XIII appellant, pacis & unionis affectum*. Benedictus reſcripſit cum hoc titulo: *Benedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei Angelo dicto Corario, quem nonnulli ſibi in hoc pernicioſo ſchiſmate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ unionis affectum pariter & effectum*. Refert uas literas Raynaldus anno 1407 num. 1 & 2 datas *Maſſiliæ apud S. Victorem II Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno XIII*. Reſtituendæ priſtinæ Eccleſiarum conjunctionis ſpes affulgebat, ſed utriuſque contendentis tergiverſationibus deluſæ ſunt piorum omnium mentes & expectatio; licèt per totum annum 1407 multi tractatus habiti ſint inter eos per nuncios ſolemnes, ut ait Gobelinus laudatus.

V. *Galliæ Regis literæ pro unione.*

Carolus VI Francorum Rex ſtatim ut audivit piam mentem utriuſque contendentis, ut tantò vehementiùs negotium perurgeret, literis publicis quas Niemus laudatus recitat, datis Pariſiis die decima octava Februarii, univerſos Chriſti fideles certiores reddere voluit, decreviſſe ſe mittere confeſtim ſolemnes Nuncios ad eundem utrumque contendentem; qui imprimis ambos collaudarent magnificè, quòd in viam Ceſſionis à ſe tanto ardore procuratam deſcenderent: deinde exhortarentur & obteſtarentur, ut *ad evitandam difficultatem*

ui-

SÆC. XV. GREGORIUS XII.

itineris, pericula perſonarum, querelas litium, tractus præparationum, occaſiones aliarum viarum tractandarum, & alia pleraque diſcrimina formidanda, quæ pacem odioſè poſſent differre, vellent abſentes uterque cedere in ſuo loco, aut in manus ſuorum collegiorum, aut per literas exhibitas, aut procuratores conſtitutos, proviſionibus tamen congruis ita prudenter adhibitis, ut alteri de altero nullus metus fraudis poſſet oriri: qui ſi preces has audirent, mox amba Collegia, ruptâ morâ, ſummâ celeritate in unum locum convenirent ad unici Romani Pontificis electionem celebrandam. Datæ ſunt literæ Regis *Pariſiis die XVIII Februarii anno Domini* 1407, *& regni noſtri* 27, *per Regem eum conſilio & conſenſu Dominorum Ludovici Siciliæ Regis, Ducumque Aquitaniæ, Biturienſis & Aurelianenſis, atque Borboniæ, nec non Patriarchæ Alexandriæ* (nempe Simonis de Cramaudo Patriarchæ Alexandrini) *atque Prælatorum & procerum, nec non plurimorum aliorum Eccleſiaſticorum virorum & ſæcularium de conſilio magno Regis*. Sed in his literis Regiis loco *anno Domini* 1407, legendum 1406; die enim 18 Februarii anni 1407 in Galliis numerabatur adhuc annus 1406, quia anni principium deſumebatur à Paſchate, certè eo anno 1406 Carolus VI annum regni ſui 27 numerabat. Menſis verò Februarius anni Gallicani 1407 eſt anni 1408, quo Carolus annum regni 28 numerabat, cùm patri Carolo Sapienti ſucceſſerit menſe Septembri anni 1380. Ceterùm in iiſdem literis additum erat Regis Nuncios Benedictum, ad quem primò Maſſiliæ exiſtentem acceſſuri erant, omni precum inſtantia rogaturos, ut omnibus ſemotis ambagibus infra dies decem ſcripto promitteret, prædictam ſe viam Ceſſionis, cunctis aliis poſtpoſitis executurum; & infra decem alios dies de circumſtantiis ejuſdem viæ executionem reſpicientibus oratoribus ſatisfaceret: quod ni faceret, ab eo ſe veluti à ſchiſmatico & ab Eccleſia præciſo receſſurum: eaque de re eoſdem Nuncios cum ejus Cardinalibus, vel, iis renitentibus, cum altera parte tractaturos.

VI. *Conventa inter pontifices de mutuo congreſſu.*

Inter hæc Gregorius, ut promiſerat, Nuncios ad eundem Benedictum miſit Antonium ſuum ex fratre nepotem, quem ex Epiſcopo Methonenſi, Bononienſem creavit, cujus tamen Eccleſiæ poſſeſſionem nunquam adiit, Guillinum, ſeu Guillelmum Epiſcopum Tudertinum Theſaurarium ſuum; & Antonium de Butrio Bononienſem inſignem utriuſque juris Doctorem, pro determinando loco, tempore, & conditionibus congreſſûs inter ipſos faciendi; literæ hac de re à Gregorio datæ *Romæ apud S. Petrum III Kal. Martii anno I* Pontificatûs extant apud Raynaldum num. 3. Gregorii Nunciis honorificè à Benedicto Maſſiliæ ſuſceptis, poſt longas diſceptationes demum concordatum eſt, ambos contendentes cum ſuis collegiis conventuros Saonæ in orâ Liguriæ ad feſtum Sancti Michaelis in fine Septembris; vel ſi tunc non eſſet Gregorio copia navium ad illuc navigandum, res differretur ad feſtum omnium Sanctorum. Additæ multæ conditiones de numero comitantium, & armatorum, quos ſinguli ducerent, de diviſione domorum ad habitandum, de ſecuritate urbis Saonæ ac locorum vicinorum, deque aliis hujuſmodi, quæ viginti tribus capitibus contenta recitant Niemus in Nemore unionis tractatu 1, cap. 10, & Raynaldus laudatus num. 4.

VII. *Gregorius tergiverſatur.*

Miſſi à Carolo Franciæ Rege & Eccleſia Gallicana Legati nonnulli inſignes Antiſtites, & Doctores, inter quos Amelius de Brolio Archiepiſcopus Turonenſis, Petrus de Savoſio Epiſcopus Belvacenſis, Philippus de Villeta Abbas S. Dionyſii, & alii, principe Legationis Simone de Cramaudo Patriarcha Alexandrino, Maſſiliæ Benedictum adeuntes, ab eo obtinere nunquam valuerunt, ut Pontificatu cederet, ſed tantum promiſſum per ipſum non ſtaturum quin unio fieret. Quare ne penitùs abrumperetur tractatus unionis Saonæ ineundus, ei ſubtractionem, ut in mandatis habebant non intimarunt, ut ſcribunt Monachus Dionyſianus & Juvenalis Urſinus. Monſtreletus tamen lib. 1, cap. 33, Regis Legatos ſubtractionem Benedicto intimaſſe diſertè aſſerit. Sed quidquid ſit, cùm Legati Maſſiliâ ad regem redirent, Simon Cramaudus princeps Legationis Romam cum parte collegarum ad Gregorium pergens, cùm ad principium Julii Romam appulisſet, eum à conventu Saonenſi alienum reperit, tum quòd diceret adeò ſe pauperem eſſe, ut non haberet quo itineri & expenſis in illo congreſſu faciendis ſufficeret, nec adeò fidere loco Saonæ, quòd hæc civitas tunc eſſet, ſicut Genua, ſub dominio Francorum Regis, & ſub obedientia Benedicti; tum etiam quòd non videretur hanc rem aggredi ritè poſſe abſque ſcitu obedientiæ ſuæ. Fuit tamen alius metus vel prætextus Gregorio ne Urbem deſereret. Narrat enim Niemus Ladislaum Siciliæ Regem, ardore vehementi cupientem Urbem occupare, menſe Junii cum exercitu Romam appropinquantè Romanos exules Columnenſes & alios ſuæ factionis proceres immiſiſſe, qui Urbem noctu proditoriè ingreſſi, & capere poterant Gregorium, niſi protinus ſe in caſtrum S. Angeli recepiſſet, & Cardinales, niſi pleriquc omnes fugâ ſibi conſuluiſſent, uno tantùm aut altero Gregorium in caſtrum ſecuto. Sed Paulus de Urſinis egregius Pontificiarum copiarum ductor magna cæde hoſtes pepullt, & Ladislaus ad ſua

SÆC. XV. GREGORIUS XII. ſua reverti coactus eſt. Quæ nihilominus Gregorii ipſius conniventia vel etiam tacita ſuggeſtione attentata fuiſſe à Ladiſlao, putat Niemus. Leonardus verò Aretinus id de Gregorio non exiſtimat, ſed de propinquis ejus, qui nihil non agebant, quò cœptum tractatum interrumperent, & Gregorii ceſſionem impedirent: *Sunt qui putent hanc totam rem à Pontifice de induſtria compoſitam, quo mentio omnis unitatis obrueretur: quod futurum erat, ſi Rex obtinuiſſet. Nos de Pontifice nullo modo credimus: de propinquis non dubitamus*, inquit Aretinus lib. 2, Epiſt. 7, quibus verbis rectam Gregorii naturam excuſat prava ſuorum ambitione, qui formidines inanes illi incutiebant.

VIII. Senas pergit. Cùm interim Caroli Francorum Regis Legati Romam adveniſſent Gregorio cunctanti & excuſanti triremes ſibi deeſſe, Genuenſium triremes obtulerunt, quas ipſe recuſavit; egreſſus eſt nihilominus tandem Urbe die nona Auguſti, & Viterbium perrexit, ut teſtatur Niemus, lib. 3, de ſchiſm. cap. 18: *Uſque ad vigiliam ſancti Laurentii Martyris*, inquit, *in Urbe remanſit, quem ab urbe tunc recedentem de mane tempeſtive Romani ſub pallio ſericeo, ut moris eſt, extra portam urbis deduxerunt multum honorificè*. Et paulò poſt: *Veniens autem cum ſua Curia circa feſtum aſſumptionis Mariæ Virginis ad Viterbium, illic ad viginti dies conquievit*. Viterbio Senas perrexit Gregorius ineunte menſe Septembri, cujus die octava ibidem literas dedit, quibus de Ladiſlao Siciliæ Rege conquerebatur, quæ extant apud Raynaldum num. 17, & ſeq. Manſit autem Senis uſque ad finem anni 1407: Benedictus verò die vigeſima quarta ejuſdem menſis Septembris Saonam pervenit unà cum ſuis Cardinalibus, ad primum conventus terminum feſti S. Michaelis.

IX. Reluctatur. Gregorius Senis moras nectens, ſi Niemo laudato cap. 21, & in Nemore Unionis tract. 4, cap. 2, fides, Cardinalibus ſuis obtulit Papatui ibidem cedere, dummodò ſibi remanerent ad vitam Patriarchatus Conſtantinopolitanus, quem priùs geſſerat, aliaque nonnulla beneficia Eccleſiaſtica in ditione Veneta, nec non Eccleſia Eboracenſis vel Oxonienſis, quæ tunc vacare dicebantur: darenturque tribus ſuis nepotibus Marco, Franciſco & Paulo, eorumque hæredibus ac ſucceſſoribus, aliquæ terræ Eccleſiæ Romanæ. Quibus cùm annuiſſent Cardinales, nihilominus aliis adinventis excuſationibus res effectu caruit. Imò cùm propoſitum fuiſſet pluribus Juris Doctoribus celeberrimis, num teneretur Gregorius vi ſuorum juramentorum & pactorum Maſſiliæ cum Benedicto Saonam accedere; & ipſo ſive vera, ſive falſa excuſatione detrectante, Cardinales ejus ad idem obligarentur, atque unionem procurare, iique ac alii plurimi aulæ Romanæ aſſertivè reſpondiſſent; quin imò & teneri Cardinales, ſi aliter fieri non poſſet, Concilium ad id celebrare, & alium Pontificem eligere: permanſit tamen Gregorius, inſtigatione ſuorum propinquorum & familiarium, in ſua deliberatione non eundi Saonam: confirmatus etiam in ea, ut ſcribit S. Antoninus tit. 22, cap. 5, § 4, quorundam Principum ſuaſionibus: cùm nihilominus contrarium ei ſuaderetur à Cardinalibus, aliiſque Principibus ac civitatibus, ut ait Niemus in Nemore Unionis tract. 6, cap. 31. Quare & ipſo die poſterioris termini conventus Saonæ faciendi, nempè feſto omnium Sanctorum, per verbi Dei præcones publicè ibidem Senis ad populum ſe excuſari curavit cur non iret, quamplurimis rationibus, quas idem Niemus ibidem tract. 4 cap. 7, & lib. 3 de ſchiſm. cap. 23 recitat, quæ omnes ad violationem conditionum, defectum ſecuritatis, & inſidias ſibi undequaque tenſas referuntur: adeò ut non poſſet eo ſtatu Papatui cedere, ut inde ſequeretur unio, quin peccaret mortaliter, & animam ſuam pœnis infernalibus cruciandam perpetuò condemnaret, propter animarum pericula, atque etiam grandia corporum diſpendia, quæ inde veriſimiliter conſequi poſſent. His Benedictus homo verſipellis in ſpeciem ad unionem, quam revera horrebat, paratus, mirificè confirmatus, lætatus eſt in ventos abiiſſe concordiam, quam deinceps plenis buccis increpuit, & omnibus contra ſe prolatis objecit. Sed cùm inter hæc diverſi per internuncios inter Gregorium & Benedictum tractatus habiti eſſent, magis ac magis ſuſpicionem colluſionis mundo generarunt.

Ne tamen penitus exiſtimarentur unionem deſeruiſſe, deliberarunt propiùs invicem accedere, ſive ad ſpeciem, ſive ad effectum eam procurandi; ideoque cùm ad principium menſis Januarii anni 1408, Benedictus Portum Veneris appuliſſet, eodem menſe exeunte Gregorius Lucam acceſſit, ut ſcribit Niemus lib. 3, de ſchiſm. cap. 23, & in Nemore Unionis tract. 4, cap. 2, Benedictus è Portu-Veneris Nuncios miſit ad Gregorium Lucam, Joannem Archiepiſcopum Rotomagenſem, Comitis Armaniaci fratrem naturalem & Archiepiſcopum Tarraconenſem pro loco intermedio aut proximiori conſtituendo, quo in unum convenire poſſent. Sed, ut ait Auctor Burdegalenſis, qui aderat cum Gregorio, apud Spondanum num. 5, quamvis exiſtimaretur Rotomagenſis bono zelo proſequi negotium unionis; Petrus tamen Tarraconenſis & alii Catalani ac Aragonenſes Legatio-

X. Colluſiones inter duos contendentes.

Digitized by Google

tionis ſocii ficte dicebantur procedere, tractantes ſecretò cum Gregorio ad rem protelandam: adeò ut nunquam potuerit Gregorius à ſuis Cardinalibus aut Principum Oratoribus flecti, ut ulteriùs progrederetur. Extant apud Niemum lib. 3, cap. 26, & 27, de ſchiſm. & in Nemore tract. 6, cap. 2, & 3, & apud Clemangium literæ, tunc à duobus contendentibus ſcriptæ in ſui cujuſque excuſationem, & alterius accuſationem; quæ palam, inquit Spondanus laudatus, ad id fabricatæ apparent, ut fucum facerent & gentibus illuderent, metum utrimque de induſtria fingentes. Sicuti & quæ ſecutæ ſunt conſultationes & tractatus inter utriuſque Nuncios de locis Piſarum à Gregorio, & Liburni à Benedicto, aliiſve eligendis, & ſecuritatibus aſſumendis; ita agitatæ, ut fieri ſolet, inter advocatos aut procuratores, de cauſa aliqua coram Judice litigantes. Has conſultationes refert idem Niemus cap. 28, & in Nemore tract. 4, cap. 3, & tract. 6, cap. 5, & ſeq.

XI. *Gregorius quatuor Cardinales creat.* Sed paulò poſt ſpes omnis unionis evanuit, cùm ſcilicet Gregorius contra fidem ſacramenti in electione ſua præſtitum de non creandis Cardinalibus, die Mercurii nona Maji ejuſdem anni 1408, novos quatuor creavit, nempe *Joannem Dominici* Ordinis Prædicatorum Florentiæ obſcuro genere ortum, Archiep. Raguſinum, quem dixit Presbyterum Cardinalem ſub titulo ſancti Sixti; *Antonium Corarium*, ſeu Corrarium, Philippi fratris ſui filium, Epiſcopum Bononienſem, quem Presbyterum Cardinalem renunciavit titulo non S. Gregorii, neque S. Chryſogoni, ut referunt Panvinius, Ciaconius & alii, ſed, ut ex Diariis, & Diplomatis ipſius Gregorii eruit Oldoinus, ſub titulo S. Petri ad vincula, aliàs Eudoxiæ; *Gabrielem Condulmerium*, ſororis ſuæ filium, quem Presbyterum Cardinalem dixit ſub titulo S. Clementis; hic poſtea Pontifex fuit ſub Eugenii IV, nomine; & *Jacobum*, ſeu *Jacobinum Utinenſem*, quem Cardinalem Diaconum ſine Diaconia & poſtmodùm Diaconum S. Mariæ novæ creavit. Horum quatuor Cardinalium creationi, nemo veterum Cardinalium, quamquam à Gregorio rogatorum, aſſiſtere voluit; quorum loco ad eam ſibi in conſiſtorio conſidere fecit quoſdam alios Epiſcopos & cauſarum palatii Auditores. Non fuére autem hi Cardinales recepti uſque ad Concilium Conſtantienſe, quando Gregorius ipſe Pontificatum abdicavit, tunc enim pro bono pacis in Cardinalium numero recepti ſunt.

XII. *Rex Franciæ ſcribit pro facienda utrique contendenti ſubtractione.* Dum hæc in Italia agerentur anno 1408, Carolus VI Francorum Rex Gregorium & Benedictum ſuis colluſionibus mundum illudere perſpectum habens, ne ampliùs id fieret, duodecimo die Januarii egregiam Epiſtolam parænеticam ad univerſos Chriſti fideles publicavit, quam Niemus in Nemore Unionis tract. 6, cap. 1, & Joannes Gerſon recitant: qua breviter narratis quæ hactenus eâ in cauſâ egiſſet, univerſos Principes & Antiſtites, omnemque populum Chriſtianum hortatus eſt, obedientiam utrique contendenti ſubtrahere: ut ſic decideret vel invitus unus aut alter, immò uterque ab occupata ſede Petri: ſeque cum Eccleſia regni ſui, decreviſſe talem amplecti neutralitatem in feſto Aſcenſionis proximè venturo, quod interim fieret anno: proceſſurum nihilominus ulterius cum aliis Principibus & catholicis omnibus, donec evulſo ſchiſmate pax plantaretur: & ad idem præſtandum cunctos hortatus eſt. His literis commotus Benedictus, reſcribens decimo quarto Kalendas Maji de hoc maximè conqueſtus eſt, ut mox videbitur.

XIII. *Cardinales Gregorii deſerunt, & Piſas pergunt.* Graviſſimâ porrò inter Gregorium, & Cardinales ejus ortâ diſſenſione ex prædicta quatuor Cardinalium creatione, ortâque apertâ ſimultate, quam Leonardus Aretinus, qui aderat, in ſuis epiſtolis deſcribit, Cardinales antiqui de Gregorio deferendo tractare continuarunt, cum nulla ampliùs de unione ſpes ſupereſſet. Quare Gregorius ipſis ſub graviſſimis pœnis, etiamque privationis Cardinalatûs prohibuit, ne abſque ſua licentia, vel Lucâ abirent, vel inter ſe convenirent, aut cum alterius partis, vel Regis Francorum & Univerſitatis Pariſienſis oratoribus tractatus haberent: qua ex prohibitione cùm eorum timor auctus fuiſſet ne vi detinerentur, primus Lucâ receſſit die undecima Maji Joannes Ægidii Diaconus Cardinalis Sanctorum Coſmæ & Damiani, Leodienſis, non à patria [Normannus enim erat] ſed à præpoſitura ejus Eccleſiæ, quam olim geſſerat, dictus, Vir eximiæ probitatis & induſtriæ, Piſas ſe ſe recepit. Poſtridie verò aliorum plerique, favore Rectoris Lucenſis & Florentinorum, collectis ſarcinis Leodienſem Piſas ſecuti ſunt. Gregorius, tam minis abdicationis, quàm feliciorum rerum promiſſionibus revocare conatus eſt, ſed fruſtrà.

XIV. *Appellant ab eo.* Ipſi enim jam à metu liberi, adversùs ejus comminationes & proceſſus, quos poſſet in ipſos publicare, appellationem interpoſuerunt daram Piſis anno Domini 1408, die Dominica decima tertia Maji, Pontificatûs Gregorii XII anno ſecundo: *Ab ipſo Papa Gregorio tanquam malè informato, ad eundem tanquam melius informandum, & ad Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Judicem venturum, & ad Concilium Generale, & ad futurum Papam, ſeptem* Car-

Cardinales in civitate Piſana, ad quam ſe tranſtulerant, 13 *die menſis ejuſdem* (ſc. Maji) *appellaverunt*, inquit Theodoricus Niemus, qui in tractatu 6, de Nemore Unionis cap. 10, eam appellationem recitat: quâ poſt recenſitas ſummâ in Gregorium reverentiâ, & legitimæ obedientiæ ſummiſſione, prohibitiones ſupra dictas ipſis ab eo factas, earumque injuſtitiam demonſtratam; nec non juſtas ſuæ receſſionis, ob immeritiſſimum evidenſque periculum mortis aut carceris, cauſas enarratas, demum declararunt, ſe in quantum eis liceret & poterant, provocare & appellare, primùm ab eodem Gregorio Pontifice irrationabiliter & ſecundùm non rectam rationem decernente, ad ipſummet ſecundùm rectam rationem & meliùs informatum; deinde ab eodem uti Vicario ad Chriſtum Dominum, qui judicaturus eſt vivos & mortuos & ſæculum per ignem: itemque ad Concilium Generale, à quo & in quo ſolerent geſta etiam ſummorum Pontificum quæcumque pertractari, decerni, & judicari: ac demum ad Papam & Pontificem futurum, cujus eſſet geſta inordinata ſui deceſſoris in melius reformare. Ita Cardinales Gregoriani in ſua appellatione, quam, ut ſcribit Niemus lib. 3, de ſchiſm. cap. 32, Gregorio in conſiſtorio ſuorum Cardinalium inſinuari fecerunt: qui excandeſcens reſpondit, haud ſe illi uti frivolæ delaturum. Antonius verò ipſius nepos Eccleſiæ Romanæ Camerarius & Ordinarius Judex, omnes generatim Curiales, imò & Cardinales, qui Piſas abierant, beneficiis & officiis privavit, qui valde ludicram appellationem interpoſuerunt, quam diverſis locis publicis Lucæ affigi fecerunt in contumeliam Gregorii, ejuſque novorum Cardinalium.

XV. *Neutralitas in Gallia promulgatur.*

Cùm interea Benedicto in Portu-Veneris exiſtenti ſignificatæ fuiſſent literæ Caroli VI Francorum Regis, quibus promulgaverat niſi unio ad diem Aſcenſionis Dominicæ, ſeu ad diem 24 Maji facta eſſet, ſe cum Regno ſuo neutralitatem amplexurum, reſcribens ad Regem Benedictus decimoquarto Kalendas Maji, de hoc conqueſtus, hortatus eſt eum, & obſecravit ab eo propoſito deſiſtere: ac niſi faceret, ſignificavit, ultra pœnas & ſententias à jure prolatas, & homine, etiam per quamdam ſuam Conſtitutionem Maſſiliæ decimo quarto Kalendas Junii anni 1407 editam, promulgatas, Regem incurſurum: eâ autem excommunicationis ſententiam promulgaverat in eos qui ſeſe ab obedientia Romani Pont. ſubtraherent, etiamſi Cardinalitia, Patriarchali, Archiepiſcopali, Epiſcopali, Imperiali, Regali, aut alia quacunque dignitate fulgerent: & ſi per viginti dies indurato animo eam ſuſtinerent, graviſſimis aliis pœnis tam ſpiritualibus, quàm temporalibus ſubjecerat. Has literas cùm miſiſſet Benedictus per ſuos curſores, dedit pariter eiſdem alias, quibus ſub anathemate prohibebat ſubtractionem promulgare: dans eis in madatis ut eas poſt alias porrigerent, ac velociter ſe ſubtraherent. Quod cùm ipſi præſtitiſſent, habita ſuper his multa conſultatione in conſilio Regio, & Senatu Pariſienſi, decretum eſt eas literas iniquas, & injuſtas eſſe lacerandas, & igne cremandas, quod & incunctanter præſtitum eſt, & poſtridie diei Aſcenſionis, die nempè 25 Maji, publicata eſt neutralitas amborum contendentium, ac Buſicaldo Genuæ Gubernatori mandatum, ut ſi fieri commodè poſſet Benedictum comprehenderet, & ſolicitè cuſtodiret, ne abire aliò poſſet.

XVI. *Benedictus fugit in Hiſpaniam, & Cardinales creat.*

Benedictus hæc intelligens repentina & inexpectata fuga è Portuveneris ad Illiberitanum Catalauniæ in finibus Galliæ Narbonenſis juxta Pyrenæos portum appulit, Liguſticâ orâ & Gallicâ Provincia excluſus. Antequam verò abiret, menſe Junii Epiſtolam ad Gregorium ſcripſit, qua ſignificavit, etiamſi cogeretur in tutiorem locum ſe ſe recipere, fore tamen ſe paratum ad unionem perficiendam. Ea epiſtola extat apud Niemum lib. 3 de ſchiſm. cap. 35. Cùm verò plerique ejus Cardinales, tractatu priùs cum Gregorianis habito, eum pariter deſeruiſſent, ut ſimul omnes jungerentur, eos ipſe, prout fecerat Gregorius, dignitatibus exuit. Cùmque intellexiſſet omnes utriuſque obedientiæ Cardinales die 23 menſis Junii, ut ſcribit Gobelinus Perſona Coſmod. ætat. 6 cap. 89, deliberaſſe indicere Concilium Generale celebrandum in civitate Piſana in feſto Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis anni 1409; Concilium & ipſe Perpiniani ad Kalendas Novembris anni 1408 indixit: interimque menſe Septembri ejuſdem anni 1408 ex bulla Alexandri V, non verò, ut habet Ciaconius, menſe Septembri anni 1409 quinque Cardinales creavit, ut ſcribit Surita, vel duodecim ut habet Niemus lib. 3 de ſchiſ. cap. 45; & poſt eum Onuphrius, vel tandem ſexdecim, ut Oldoinus in Nova editione Ciaconii, ubi omnes vel dubios, vel poſtea ante mortem renunciatos enumerat, qui omnes fuerunt, *Petrus Ravarius*, ſeu *Ravatius* Archiepiſcopus Toloſanus; *N.* Archiepiſcopus Roſſanenſis incerti nominis; *Joannes Martinius Murillius* Hiſpanus; *Petrus de Fuxo* ſenior, Gallus Bearnenſis Ordinis Minorum; *Exbrminus Dabæ*, quem Ciaconius Hiſpanum vocat; *Julianus Dobla*, ſeu de Lobera, vel de Loba Benedicto à ſecretis; *Dominicus de Bonaſpe*, ſeu de Bonafide, Hiſpanus; *Carolus de Urries* ex Aragoniæ regno; *Alphonſius Carillius*, nobilis Hiſpanus

nus

nus; *Petrus Fonſeca*, Luſitanus; *Jordanus* Hiſpanus; *Antonius Veneris*, ſeu Venenz, nobilis Hiſpanus ex Epiſcopo Legionenſi; *Chriſtophorus*, aliàs Rodulphus *Amerius*, Hiſpanus Ordinis B. Mariæ de Mercede, eique quatuor alii ejuſdem Ordinis adduntur ab aliis Scriptoribus, ſcilicet, *Joannes Virinus*; *Arnaldus Laurentius*; *Bartholomæus Celſor*; & *Bernardus de Riera*, Hiſpani; ſed quidquid ſit de iis quatuor, enumerandi veniunt alii tres, nempè, *Joannes de Arminiaco*, natione Gallus; *Joannes Carrerius*, Gallus, diœceſis Ruthenenſis; & *Raymundus de Anignone* antea Epiſcopus Ilerdenſis. Sed obſervandum oſt omnes illos à Benedicto fuiſſe creatos Cardinales, verùm non omnes in hac promotione; nam, ut in Martino V videbimus, Exhiminus Aragonenſis; Julianus Dobla etiam Aragonenſis; Dominicus de Bonaſpe ſeu de Bonafide, Gallus; & Joannes Carrerius etiam Gallus, creati fuerunt Cardinales à Benedicto die 27 Novembris anni 1425 paulò ante mortem.

XVII. *Perpiniani Concilium celebrat.*

Poſt hæc Benedictus Kalendis Novembris ejuſdem anni 1408, Concilium, quod indixerat, Perpiniani inchoavit, quod Theodoricus Niemus lib. 3 de ſchiſmate cap. 36 & ſeq. his verbis deſcribit: *Præfatus verò Petrus de Luna in ipſo regno Aragoniæ tunc temporis, aliud conciliabulum, in quo erant quamplures Epiſcopi, Abbates & alii Eccleſiaſtici Prælati de Hiſpania, Catalonia & quibuſdam adjacentibus provinciis de ipſius obedientia celebrabat. In quo quidem Conciliabulo per eundem Petrum facto, in diverſis Seſſionibus dicti Epiſcopi & alii ſui Prælati, qui illuc convenerant, conſuluerunt finaliter in hæc verba.* Refert poſtea Niemus ſententiam Patrum Concilii in nonnullis ampliorem quàm Surita, qui eandem refert lib. 3 Indicum Aragonenſium ad Annum 1408. Ex utroque autem auctore & ex monumentis Vaticanis ab Odorico Raynaldo productis, conſtat, Benedictum patres conſuluiſſe quid è Republica Chriſtiana eſſe cenſerent; ne in progreſſione rerum ad reliquias Eccleſiæ lacerandas pravis conſiliis converteretur. Sed ſumma diſſenſione diſtractis Patrum centum circiter & viginti in diverſas partes ſententiis, quibuſdam Benedictum per Legatos continuò Pontificatui renunciare debere cenſentibus, aliis tempus ducentibus, & maximè contraria aſſerentibus: eâ opinionum diſcrepantiâ factum eſt, ut Perpiniano penè omnes diſceſſerint. Sed Octodecim in ſententia permanentibus, tandem ſeſſione Kalendis Februarii anni 1409 habitâ, Patriarcha Conſtantinopolitanus Alphonſus Exeas eorum reſponſum Benedicto obtulit: quo profitentes imprimis ſe illum fidelem Chriſtianum atque Catholicum, ac verum Chriſti Vicarium credere; nihilominus conſuluerunt ac ſupplicarunt, ut dignaretur propter Deum & bonum Chriſtianitatis proſequi efficaciter unionem Eccleſiæ per viam renunciationis, omnibus aliis viis præponendam: Ut oblationem per ipſum factam adverſario de renunciatione in caſu ſimilis renunciationis, vel mortis ejus, extenderet ad caſum dejectionis ejuſdem: Ut dignos Nuncios mitteret cum plenaria facultate concordandi, firmandi & obligandi omnia neceſſaria ad præmiſſa, etiam uſque ad renunciationem incluſivè: Ut tales proviſiones adhiberet, quòd ſi ipſe ante unionem decederet, non poſſet poſt ejus obitum ſchiſma continuari. Ac denique ſi qui vellent unioni obſtacula opponere, eos pœnis deterreret. Hæc ab illis utiliùs ac prudentiùs quàm à tali cœtu expectabatur oblata, à Benedicto benignè ſuſcepta fuêre, ac de ejus acceptatione factum Inſtrumentum publicum manu ipſius Benedicti, omniumque aliorum ſubſcriptum, ut narrat Niemus lib. 3 de ſchiſmate cap. 37, qui & ibidem recitat prædictum conſultationis Benedictinæ reſponſum, ex quo etiam translatum in Tomum XI Conciliorum Labbei pag. 2109 & ſeqq. ſimul cum narrationibus Suritæ, & Raynaldi eadem de cauſa.

XVIII. *Gregorius novos Cardinales creat & Concilium Utini celebrandum indicit.*

Antequam Benedictus Italiâ ſolveret Cataloniam petiturus menſe Junio ad Gregorium ſcripſerat, ut jam dictum eſt, ſe paratum ad perficiendam unionem. Gregorius verò die vigeſima ejuſdem menſis aliam excuſatoriam publicavit, & die ſecunda menſis Julii ſequentis Concilium indixit ad feſtum Pentecoſtes anni ſequentis 1409 celebrandum in provincia Aquilejenſi, vel Exarchatu Ravennate, loco ſpeciali poſtea declarando. Poſt hæc Gregorius Senas abivit, ibique diu permanſit; ea enim in civitate adhuc erat VI Kalendas Novembris, ut conſtat ex diplomate ea die Senis ab eo dato, relato à Raynaldo num. 59. Ut autem partem ſuam tutiorem faceret, die 19 menſis Septembris novem creavit Cardinales, juxta Contelorium in elencho Cardinalium, ſcilicet *Ludovicum Brancacium* Archiepiſcopum Tarentinum; *Angelum* Epiſcopum Recanatenſem; *Angelum Barbaricum* Epiſc. Veronenſem; *Bandellum de Bandellis Lucenſem*, Epiſcopum Ariminenſem; *Philippum Repindonum* Epiſcopum Lincolnienſem; *Matthæum* Epiſcopum Wormacienſem; *Lucam Manzolium* Florentinum Epiſcopum Feſulanum; *Vincentium*, ſeu *Vicentium Valentinum* Priorem Montisferrati, quos omnes Presbyteros Cardinales dixit; & *Petrum Maurocenum* Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Coſmedim creavit; quibus Ciaconius decimum addit, nempe *Octavianum de Octavia-*

vianis, quem Ughellus hunc è numero Cardinalium delendum affirmat. Sed iſti pro Cardinalibus habiti ſunt, antequam Gregorius in Concilio Conſtantienſi ſponte Papatum deponeret; tunc enim pro bono pacis ex totius Synodi ſententia in Cardinalium numerum ſunt recepti. Senis Gregorius Ariminum petiit, qua in civitate Idibus Decembris Antonium nepotem ad Robertum Romanorum Regem ire juſſit, ut conſtat ex ejus diplomate apud Raynaldum num. 60. Arimini exiſtens, die decima nona Decembris, eo ipſo die quo coronatus fuerat, & quo conſequenter annum tertium Pontificatus inchoabat, elegit *civitatem Auſtriæ & Utinum Aquilejenſis diœceſis* pro celebrando Concilio quod jam Lucæ exiſtens die ſecunda Julii indixerat vel in provincia Aquilejenſi, vel in Exarchatu Ravennatenſi celebrandum in feſto Pentecoſtes anni 1409. Literæ indictionis extant apud Raynaldum num. 67, *datæ Arimini 14 Kal. Januarii Pontificatus noſtri anno III*, ideoque die 19 Decembris anni 1408.

XIX. *Fit compater Poloniæ Regis.*

Antequam Gregorius Ariminum pergeret, imò interjectis paucis diebus à ſuo in urbem Senenſem adventu, cùm ab Wladislao Rege Poloniæ rogatus eſſet ut prolem, quam Anna ejus uxor editura eſſet, de ſacro fonte ſuſciperet, diplomate dato Senis VIII Kal. Auguſti Pontificatus anno II Alberto Poznanienſi & Petro Cracovienſi Epiſcopis mandavit, ut eam prolem quamprimum naſcituram nomine ſuo de ſacro fonte levarent, & omnia ac ſingula facerent, quæ in baptiſmali myſterio & compaternitatis glutino ſecundùm ſacrorum canonum ſanctiones reperiuntur, Wladislao Rege & Anna Regina communiter vel diviſim petentibus. Extat diploma illud apud Raynaldum num. 42.

XX. *Utriusque obedientiæ Cardinales Concilium Piſanum indicunt.*

Dum hæc à duobus contendentibus agerentur, Cardinales Gregoriani Liburni in Etruria exiſtentes, die vigeſima tertia Junii anni 1408 inter ſe deliberarunt convocare Concilium Piſis anno 1409 die 25 Martii inchoandum, ut jam ex Gobelino Perſona cap. 89 æt. 6 Coſmod. diximus, ideoque die ſequenti 24 Junii ad Epiſcopos & alios de ejus obedientia literas dederunt, quæ extant Tomo XI Concil. Labbei col. 2146, quibus eos ad Concilium convocaverunt. Die verò prima Julii epiſtolam, à Niemo in Nemore Unionis tract. 6 cap. 13 relatam, ad univerſos Chriſti fideles publicarunt, qua expoſitis cauſis cur à Gregorio ſeceſſiſſent, hortati ſunt omnes pariter ab ejus obedientia recedere, & ipſis Cardinalibus ad unionem Eccleſiæ perficiendam auxiliari. Tum Cardinales partis Benedicti, qui Liburni Gregorianis ſe adjunxerant die decima quarta ejuſdem menſis Julii ad Epiſcopos & alios de ejus obedientia literas dederunt, quibus eos pariter ad Concilium Piſanum convocarunt, extant eodem Tomo Concil. col. 2140. Eadem die literas dederunt ad Benedictum, ibidem col. 2114 relatas hoc titulo: *Sanctiſſimo Domino noſtro Benedicto XIII miſeratione divina ſummo Pontifici, Deo humiles, & devoti Oratores, Epiſcopi, Presbyteri & Diaconi S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, nunc in Liburno Piſanæ diœceſis exiſtentes, pro nobis & aliis Reverendiſſ. Patribus Dominis Cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus, & adhærere volentibus in hac parte, cum ſuplici & devota recommendatione utriuſque hominis ſoſpitatem* &c. Scriptæ ſunt illæ literæ præſentibus Oratoribus Regis Francorum, Simone Patriarcha Alexandrino adminiſtratore perpetuo Carcaſſonenſis Eccleſiæ, Petro Epiſcopo Meldenſi cum nonnullis Doctoribus, ut in eorum fine legitur. Cardinalium verò Gregorianorum literas ad Gregorium eadem de cauſa refert Raynaldus num. 33 & ſeqq. datas *in Caſtro ſeu loco Liburni Piſanæ Diœceſis ſub trium Priorum noſtrorum ſigillorum appenſione, decima ſexta menſis Julii, prima indictione, anno à nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti* 1408.

XXI. *Benedictus & Gregorius monentur ei intereſſe.*

In literis tam ad Benedictum, quàm ad Gregorium datis Cardinales, poſt narratas cauſas ſeceſſionis nihil ſe in hujuſmodi indictione Concilii aut vocationis contendentium de Pontificatu indiſcretè aut inconſultè agere dicebant: ſed cùm poſt ſeceſſionem Gregorianorum, quatuor ex ipſis Benedictinis de expreſſa ipſius Benedicti voluntate cum totidem Gregorianis Liburni conveniſſent; omnes demum utriuſque partis communi conſenſu, & maturâ habitâ cum multis aliis Prælatis, viriſque literatis ac piis deliberatione, judicaſſe neceſſarium extinguendo ſchiſmati Eccleſiam Univerſalem congregari, quod non poſſet in ſchiſmate ab alterutro contendentium efficaciter fieri: quoniam præterquam quòd erant, qui neutri contendentium obedientiam præſtabant, nec Gregoriani vellent Benedictinæ convocationi intereſſe, nec Benedictini Gregorianæ. Si verò uterque Concilium ex ſua tantummodò obedientia locis diſſitis colligeret, non fore illa Concilia Generalia, ſed particularia. Rogarunt deinde utrumque contendentem, ut per ſelpſum intereſſe dignaretur, aut ſaltem per procuratores poteſtatem habentes eorum nomine ceſſionem faciendi; quòd ſi acquieſcere recuſarent, Synodum proceſſuram in negotio unionis ſecundùm quod dictaret Spiritus Sanctus, & jurata promiſſa utriuſque eorum. Niemus numero ſuperiori laudatus addit ad Gregorium Senis non longè à Piſis agentem miſſos eſſe

duos

duos Cardinales ex ejus obedientia, ad eum monendum, ut per ſe, vel per procuratores indictæ Synodo ſuo tempore intereſſe vellet, eoſque, cùm non permiſſi fuiſſent ad eum accedere, rem apud majorem Eccleſiam Senenſem & aliis publicis locis, coram tabellionibus & teſtibus promulgaſſe.

XXII. *Legati, à Cardinalibus in Galliam, Angliam, & Germaniam mittuntur.*

Poſt hæc utriuſque partis Cardinales de communi conſenſu præſtantes viros ad Principes per omnes provincias legarunt, qui eos de cunctis inſtruerent, ab obedientia contendentium obſtinatorum averterent, & Synodo favere rogarent. Ad Reges Galliæ & Angliæ, utpote majoris auctoritatis & conſiderationis, Legatus fuit Franciſcus Cardinalis Burdegalenſis dictus, qui, ut ait Walſinghamus in Henrico IV, faciè in Anglia exemplo Galliæ, quæ voluit impetravit. Extat Tom. 1 Operum Gerſonii ejuſdem Gerſonii oratio ad Oratores Anglorum Piſas ad Concil. euntes, nomine Univerſitatis Pariſienſis cùm illàc tranſirent habita: qua eorum zelo congratulatus, nonnullis conſiderationibus neceſſitatem oſtendit celebrandi Concilii ad pacem Eccleſiæ obtinendam ſub uno capite miniſteriali, & quanta ſit in his hoc rerum ſtatu Eccleſiæ in Concilio congregatæ auctoritas demonſtrat. De Franciſco Presbytero Cardinali tit. SS. quatuor Coronatorum, dicto Burdegalenſi hæc ſcribit Walſinghamus loco laudato: *Circa feſtum omnium Sanctorum venit in Angliam Cardinalis Burdegalenſis, vir potens in opere & ſermone, miſſus à Collegio Cardinalium ad informandum Regem regnique clerum de inconſtantia Papæ Gregorii, prout prius edocuerat Regem Franciæ & incolas regni ejus, quatenus hi duo Reges, qui cenſebantur in Orbe præſtantiſſimi, manus apponerent adjutrices ad inducendum dictum Gregorium ad ſervandum juramentum præſtitum, ut ipſorum duorum Regum auctoritate magnifica, unio fieri poſſet in Eccleſia.* Ad Robertum verò ſeu Rupertum Romanorum Regem Landulphus Maramaurus Cardinalis Diaconus S. Nicolai in Carcere Tulliano, Barenſis dictus ab Archiepiſcopatu, ad quem electus fuerat, ab iiſdem Cardinalibus legatus, ut Principes & Antiſtites ad Synodum Piſanam invitaret, circa feſtum Epiphaniæ anni 1409, Francofordiam venit, ubi erant Rupertus Rex, Archiepiſcopi Colonienſis & Moguntinenſis, ac multi alii Antiſtites, in unum congregati ad tractandum de unione Eccleſiæ: Ad quem conventum acceſſit etiam Antonius Cardinalis & Camerarius, nepoſque Gregorii, à quo miſſus erat literis datis Arimini Idibus Decembris, quæ extant apud Raynaldum num. 60, qui licèt parum cæteris acceptus, quòd venire ſciretur ad turbandam unionem, à Ruperto tamen ſupra modum honoratus, cauſam Gregorii egit multum in Cardinales Piſanos invectus. Illud verò demum ibi concluſum eſt, Rupertum & prædictos Archiepiſcopos Moguntinum & Colonienſem miſſuros ſuos in Italiam Nuncios ad unionem ſollicitandam, ut ſcribit Niemus lib. 3 de ſchiſm. cap. 39. *Et poſtea infra duos dies*, inquit, *Rex & Antonius prædicti & paulatim etiam alii ad propria redierunt, concludendo finaliter, quòd Rex Robertus ſuos, & Moguntinenſis & Colonienſis Archiepiſcopi & Marchio Miſnenſis prædicti eorum ambaſſiatores ad Italiam mittere vellent ad ſollicitandum factum unionis.*

XXIII. *Concilium Piſanum celebratur.*

Quamvis à multis obiiceretur non poſſe celebrari Concilium Univerſale abſque auctoritate Pontificis Romani, nihilominus anno 1409 adveniente termino Synodi Piſis celebrandæ, nempe die 25 Martii feſto Annunciationis Beatæ Virginis ſacro; tum quòd nullus eſſet certus Pontifex, & impoſſibile eſſet ab altero eorum, qui de Pontificatu contendebant, ejuſmodi Concilium celebrari; tum etiam quòd Sede vacante, qualis cenſebatur in duorum incertorum dubio, ad Cardinales pertineret certum Pontificem eligere: nec denique de fide ageretur, ſed de ſchiſmate tollendo, quod percupere uterque contendens, etiam cum dubiæ dignitatis abdicatione, ſignificaverat, ac voto & juramento præſtare promiſerat, utriuſque obedientiæ Cardinales, aſſentiente maxima parte Antiſtitum Eccleſiæ Catholicæ, faventibuſque præcipuis Orbis Chriſtiani Regibus ac Principibus, cœperunt Concilium celebrare Piſis eadem die vigeſima quinta Martii, cui initio interfuiſſe quindecim tantùm Cardinales, videlicet ſeptem Benedictinos, & octo ex Gregorianis, diſertè tradit Monachus Dionyſianus, qui editus eſt Tomo XI Concil. col. 2231, qui Acta per ſingulos dies deſcripſit uſque ad ſententiam diffinitivam Concilii, in multis ampliora editis, & quibuſdam circumſtantiis nonnihil diverſa, ſed in rerum ſubſtantia planè eadem. Cardinales tamen ſive initio, ſive paulatim accedentes numerantur ferè ab omnibus numero viginti duo. In Actis editis Tomo XI Concil. col. 2130 Seſſioni XIX adfuiſſe legitur Cardinales viginti quatuor, qui Alexandrum V elegerunt. Ad eam etiam Synodum acceſſiſſe tres Patriarchas, Alexandrinum Simonem Cramaudum, Antiochenum Wenceslaum, & Jeroſolymitanum, ſcilicet Hugonem de Robertis plerique Auctores conſentiunt; Raynaldus verò num. 45 his quatuor addit Patriarcham Gradenſem, ſcilicet Franciſcum Laudonem. Adfuerunt etiam Archiepiſcopi & Epiſcopi centum octoginta, Abbates circiter trecenti, vel per ſe vel per procuratores. Do-

ctо-

Digitized by Google

ctores Theologi ducenti octoginta duo, licèt initio pauciores fuerint. Addit Spondanus, præter Acta laudata, extare alia breviora, ab Abbate Sancti Maxentii, qui interfuit, ſcripta ad Epiſcopum Pictavienſem de rebus per ſingulos dies geſtis uſque ad diem 24 Maji, ſimilia illis quæ Dionyſianus Monachus habet, ſed contractiora, quæ Monſtreletus lib. 1 cap. 52 recitat, ex quibus conſtat fuiſſe tunc Piſis cùm ea ſcripta ſunt, in univerſum Patres mitratos centum & quadraginta, atque in iis Cardinales undeviginti; advenire tamen undique alios quotidie, præterquam plurimorum Nuncios, necnon Oratores Regum Franciæ, Angliæ, Jeruſalem, Siciliæ, Cypri, & Poloniæ, ac multorum aliorum Principum. Seſſionum Concilii hiſtoriam cum eodem Spondano hic referre viſum ex Monacho Dionyſiano, Acta enim eodem Tomo XI Concil. edita in pluribus diverſa ſunt quoad numerum & Acta in Seſſionibus.

XXIV. *Inchoatur de more à precibus.*

Prima Seſſio Concilii dicta die vigeſima quinta Martii in Eccleſia Cathedrali Piſana habita eſt, in eaque poſt publicam proceſſionem ac ſupplicationem, cùm ſediſſent in eminentiori loco quindecim Cardinales, & aliis ſedibus ceteri Antiſtites, capitulorumque & conventuum Procuratores, aliique Doctores, ac Nuncij Regum Francorum, Angliæ, Siciliæ, & Alemanniæ, necnon plurimorum aliorum Principum & Magnatum; Guido de Maleſicco, ex Epiſcopo Pictavienſi creatus à Gregorio XI ante ſchiſma Cardinalis Sanctæ Crucis in Jeruſalem, dictus propterea Cardinalis Pictavienſis, poſtea à Clemente VII, cui adhæſit, Præneſtinus Epiſcopus renunciatus, omnium utriuſque obedientiæ Cardinalium tunc viventium antiquiſſimus, partis Benedictinæ, vir doctus, prudentia & virtute clariſſimus, Miſſam de Spiritu Sancto celebravit, & quidam Doctor orationem habuit de cauſa convocationis Concilii, hortatusque eſt omnes ad unionem Eccleſiæ: preces item & Litaniæ dictæ; nihilque præterea ea ſeſſione actum. Ita Monachus Dionyſianus; in Actis autem editis Tomo XI Concil. Labbei legitur, Miſſam celebratam à Petro Cardinali de Thurejo dicto Cardinali S. Suſannæ à Clemente VII, partis etiam Benedictinæ, & ſermonem factum à Cardinali Mediolanenſi, partis Gregorianæ, in additione etiam ad idem Concilium, quæ refertur in eodem Tomo Concil. ex Tomo VI Spicilegii Dacheriani dicitur quidem Miſſam celebratam à Cardinali de Thurejo, ſed ſermonem factum à Fratre Leonardo de Florentia Ordinis Prædicatorum. Cùm porrò, ut jam dictum eſt, ſeſſionum ordo tam in Actis editis, quam in aliis ita diverſus ſit, ut confuſio vitetur, immorandum non cenſemus cum eodem Spondano in diſtinguendis per numeros ſeſſionibus, donec ceſſarit confuſionis periculum, ſeu uſque ad Seſſionem decimam ſextam, ſed tantùm in rebus geſtis ſuo ordine recenſendis.

XXV. *Duo contendentes citantur juridicè, & declarantur contumaces.*

Die ſequenti vigeſima ſexta Martii dictus Cardinalis Mediolanenſis Miſſam celebravit, preceſque etiam & Litaniæ dictæ ſunt, ſicut etiam in cæteris Seſſionibus de more cæterorum Conciliorum, antequam procederetur ad negotia tractanda. Deinde Officiales Concilii electi, & unus Advocatus ad accuſandos ambos contendentes. Hic ambonem conſcendens pertinaciâ ipſorum exagitatâ, concluſit, quòd ſi publicè vocati non comparerent, haberentur pro contumacibus. Tuncque unus ex promotoribus Concilii inſtanter poſtulavit, ut quod Advocatus requiſierat Concilium approbaret. Quo facto duo Cardinales cum uno Archiepiſcopo & uno Epiſcopo, Advocato quoque & Notariis, ad valvas Eccleſiæ procedentes, tam prædictos contendentes, quàm quatuor Cardinales, nempe de Fliſco, Auxitanum, & de Chalento partis Benedictinæ, ac Tudertinum Gregorianæ, qui ſoli ex tunc exiſtentibus apud eos permanſerant, cùm ceteri ſeceſſionem feciſſent, alta voce vocarunt & à populo ibi adſtante quæſierunt, num ſcirent, aliquem ex eorum familiaribus in civitate exiſtere, cùmque nemo reſpondiſſet, Cardinales ad ſuas ſedes reverſi retulerunt neminem eorum reperiri. Accuſatores propterea petierunt eos declarari contumaces, ſed Patres benignitate uſi rem diſtulerunt in ſequentem diem vigeſimamſeptimam ejuſdem menſis Martii, qua rurſum id ipſum repetitum: reſque ad penultimam menſis relata. Eâ demum cùm nemo comparuiſſet, declarati ſunt contumaces, lectâ ex ſcripto ſententiâ per dictum Cardinalem Pictavienſem Epiſcopum Præneſtinum, eademque ad valvas Eccleſiæ affixa. Poſt publicationem contumaciæ indicta eſt ſeſſio in diem decimum quintum Aprilis feria ſecunda poſt Dominicam in Albis.

XXVI. *Audiuntur Nuncii Ruperti Romanorum Regis.*

Interea Landulphus Matamaurus Cardinalis Barenſis dictus, ex Legatione Germanica reverſus eſt, & advenerunt Archiepiſcopus Rigenſis, Epiſcopus Wormacienſis, & electus Verdenſis, qui ſe Nuncios dicebant *Ducis Ruperti de Bavaria, quem Regem Romanorum nominabant*, ut ait Monachus Dionyſianus, cùm in Actis editis Tomo XI Concil. Rupertus de Bavaria dicatur *S. Sedis Imperatoriæ elector*, & in Actis Tomi VI Spicilegii *Rex Romanorum electus*. Poſt eorum adventum die Lunæ poſt Dominicam in Albis, ſeu die decima quinta Aprilis, ſeſſio habita eſt, in eaque præſentibus nonaginta Archiepiſcopis & Epi-

SÆC. XV. GREGORIUS XII.

Epiſcopis, nonnulliſque Abbatibus, Doctoribus, Clericis & Notariis, qui non interfuerunt prioribus Congregationibus, poſt ſolemnia celebrata dicti Ruperti Nuncii introducti ſunt, qui cum aliis non ſederunt, ſed per quemdam alium Epiſcopum propoſuerunt viginti duas quæſtiones ambiguitatibus plenas, quarum præcipuæ fuerunt: Utrum Cardinales poteſtatem haberent ſe ſubtrahendi ab obedientia ſui Pontificis; Pontificem evocandi; Concilium Generale convocandi; Duo Collegia ſe mutuò habilitandi ad celebrandum Concilium: concludentes demum, Concilium debere differri in aliud tempus, & in alium locum transferri, ad quem Gregorius, quem ut ſcribit Niemus lib. 3, de ſchism. cap. trigeſimonono, priùs convenerant, paratus eſſet accedere, & adimplere quæ juraverat, dum & Benedictus idem præſtaret. His Nunciis præſcriptum eſt à Synodo, ut ſcripto traderent quæ ore propoſuiſſent, oſtenderentque mandatum, quod à Ruperto haberent; quod cùm ægrè admodum præſtitiſſent, remiſſi ad alium diem pro reſponſo audiendo, inceperunt inter ſe altercari, clarè demonſtrantes non ſe veniſſe niſi ad unionem impediendam, & non expectato reſponſo clanculò abierunt. His à Monacho Dionyſiano & Abbate S. Maxentii relatis addit Niemus, eos Nuncios antequam elaberentur, Ruperti nomine appellaſſe, innuentes convocationem Concilii Generalis ſpectare ad Regem Romanorum, vel ſaltem de ejus auctoritate convocari debere: ac propterea tam ipſum Rupertum, quàm ejus Nuncios riſui expoſitos fuiſſe, & quaſi fatuos ac juris ignaros exiſtimatos, ob gravia incommoda, quæ ſecutura fuiſſent ex eorum propoſitionibus. In Actis Concilii ab Odorico Raynaldo laudatis, quæ etiam extant Tomo XI Concil. Labbei, dicitur quatuor fuiſſe Oratores Ruperti, nempe Archiepiſcopum unum, duos Epiſcopos, & Conradum è Suſato Spirenſis Eccleſiæ Canonicum, qui die XVI Aprilis in ſacrario Eccleſiæ coram Cardinalibus, non in publica ſeſſione XXII dubitationes propoſuit, & die XIX ejuſdem menſis provocavit à Concilio Piſano; quo facto Oratores die Dominica XXI ejuſdem menſis nemine ſalutato clàm abierunt. Refertur ea provocatio ibid. col. 2238.

XXVII. *Gregorius fruſtra conatur Synodum diſſolvere.*

Gregorius tunc Arimini morabatur, cujus civitatis Dominus erat Carolus Malateſta, quem idem Monachus Dionyſianus, & Abbas S. Maxentii, tacentibus Actis editis, ſcribunt eadem hebdomada Piſas adiiſſe, ut perſuaderet Cardinalibus Concilium differre, & in alium locum transferre. Sed ad eum audiendum electos eſſe quatuor doctiſſimos Cardinales, ex utraque obedientia binos; ex parte quidem Benedicti Nicolaum Brancacium, & Petrum de Thurejo; ex parte Gregorii Antonium Cajetanum dictum Cardinalem Aquilejenſem, & Cardinalem Mediolanenſem, qui cùm multis rationibus oſtendiſſent id nulla ratione fieri poſſe, Carolus Malateſta re infecta ad ſua rediit. Tomo XI Concil. col. 2212, extat ſcriptum Caroli de Malateſtis de iis quæ ipſe cum Cardinalibus Piſis tractavit, & in reditu cum Gregorio, à quo legatus ad Cardinales fuerat. Sequitur reſponſio Cardinalium Gregorii facta ambaſſiatori Domini Malateſtæ de Penſauro, ad quædam Capitula per ipſum dominum Malateſtam petita. Poſt hæc, die vigeſima prima Aprilis in Dominica, Vitalis de Caſtromauro, qui legitimè electus Archiepiſcopus Toloſanus, ſed ut habet Caſtellus in Hiſtoria Occitaniæ, à Benedicto ejectus, ad Concilium recurrerat, Miſſam celebravit, & inter Miſſarum ſolemnia quidam Frater Minor Epiſcopus Dignienſis, qui vocatur Bertrandus Tomo 11. Concil. col. 2217, ſermonem habuit de Mercenariis fugientibus: ac luculentiſſimè oſtendit tales eſſe contendentes de Papatu, atque ideo pellendos; & propoſitiones Nunciorum Ruperti diſcuſſas egregiè refellit.

XXVIII. *Contendentium depoſitionem promotores Concilii petunt.*

Dies vigeſimus quartus Aprilis aſſignatus fuerat ad audiendam reſponſionem Nunciorum Ruperti, interimque continuati ſunt proceſſus, vocatique ad valvas Eccleſiæ duo contendentes, aut aliquis qui pro eis eſſet in civitate Piſana. Sed cùm Nuncii, ut jam dictum eſt, receſſiſſent die vigeſima prima Aprilis nemine ſalutato, adveniente dicta die vigeſima quarta convenientibus omnibus in Eccleſia Cathedrali, Advocatus Concilii ſuggeſtum aſcendens, ſpatio trium horarum totum proceſſum diviſionis Eccleſiæ altè & intelligibiliter legit. Deinde lecti ſunt libelli ſupplices promotorum Concilii, quibus petebant à Concilio approbari unionem duorum collegiorum, convocationem Concilii per eos in urbe Piſarum factam, citationes duorum contendentium, ac contumaciæ eorum declarationem; & ut his omnibus ritè confirmatis, iidem contumaces privarentur dignitate Papatûs, eorumque fautores omnibus dignitatibus, officiis & beneficiis, & ſi quid contra hujuſmodi privationem attentarent, poſſent per Judices ſæculares puniri: omneſque Reges ac Principes, ceterique cuncti cujuſcumque ſtatus hominis ab eorum obedientia abſolverentur: committerenturque quidam viri probi & literati ad recipiendas quæſtiones & inquiſitiones contra eoſdem contendentes producendas, pro majori cautione, quamvis eſſent omnia ſatis per ſe notoria. Eodem tempore Simon Cramaudus Patriarcha Alexan-

SÆC. XV. GREGORIUS XII.

xandrinus, & Univerſitatis Pariſienſis, Ducumque Brabantiæ & Hollandiæ, & Eccleſiæ ac civitatis Leodienſis Nuncii Piſas ingreſſi ſunt, & ſubſequenter Legati Angliæ & Archiepiſcoporum Moguntinenſis & Colonienſis.

XXIX. *Legatio Regis Angliæ ad Gregorium, & Synodum.*

Ultima die menſis Aprilis congregato Concilio & Miſſa ab Epiſcopo Luxovienſi in præſentia Nunciorum Angliæ celebrata, Robertus Alun Epiſcopus Saliſberienſis cathedram aſcendens, increpatis contendentibus, hortatus eſt ex parte Regis ſui, & Cleri Cardinales & Concilium diligenter opus unionis agere. Epiſcopum illum Saliſberienſem fuiſſe Robertum Alun, poſtea Cardinalem ſub Joanne XXIII narrat Walſinghamus in Henrico IV, & in Hypodig. In Actis tamen Concilii Conſtantienſis, cui adſuit, Robertus nunquam dicitur Cardinalis, ſed tantùm Epiſcopus. Addit Walſinghamus Regem Angliæ præmiſiſſe Oratores ſuos ad Gregorium & Cardinales cum literis, quibus Gregorium quidem horrore immenſarum ſtragium populi Chriſtiani per univerſum Orbem occaſione ſchiſmatis editarum, hortabatur honorem potiùs Apoſtolicæ Sedis relinquere, quàm hujuſmodi deteſtanda diſſimulanter tolerare: exemplo veræ matris, quæ coram Rege Salomone contendens, ceſſionem potiùs elegit, quam filii ſectionem. Cardinales autem precabatur, ſi Gregorius cederet Papatui, ejus honeſto ſtatui ſufficienter providere. Nihilque amplius ea die actum eſt. Quis fuerit Epiſcopus ille Luxovienſis & à quo miſſus fuerit me latet. Certè nomen ejus nec in editione Conciliorum, nec apud Raynaldum reperitur in Catalogis Epiſcoporum, aut Oratorum Regum, qui Concilio interfuerunt; imò Oratores Angliæ erant, apud Raynaldum, Robertus Epiſcopus Saliſberienſis, Thomas Epiſcopus Dameneñſis, & Henricus Epiſcopus Menenſis, ſeu potiùs Meneventis: in catalogo verò, qui extat Tomo XI Concil. Robertus Epiſcopus Saliſberienſis, & Henricus Meneventis, nullibi autem reperitur Epiſcopus Luxovienſis. Die porrò ſequenti, nempe prima Maji, Franciſcus Cardinalis Burdegalenſis reverſus eſt Piſas è ſua Legatione Gallica & Anglica, & altera ſequenti advenit pariter Petrus Frias Presbyter tit. S. Praxedis partis Benedictinæ, dictus Cardinalis Hiſpaniæ.

XXX. *Deliguntur Patres ad examinandos teſtes contra duos contendentes.*

Die quarta Maji habita eſt altera Seſſio, in qua Guillelmo de Canteriis Epiſcopo Ebroicenſi Miſſam celebrante, Anglorum Nuncii ſederunt ad latus ſiniſtrum; Nuncii verò Regis Francorum, ſcilicet Simon Cramaudus Patriarcha Alexandrinus, Petrus Freſnel Epiſcopus Meldenſis, & Ægidius de Campis poſtea Cardinalis, ejuſdem Regis Caroli Confeſſarius, ac tandem Joannes Epiſcopus Vapincenſis Ludovici Andegavenſis Siciliæ Regis Nuncius, ad latus dexterum ſederunt poſt Cambellanum, ſeu Camerarium Romæ. Peractiſque Miſſæ aliiſque conſuetis ſolemnibus, cùm Prælati ornamenta ſumpſiſſent, & Patriarcha poſt primum Cardinalem Epiſcopum ſediſſet, ſicuti ſtatutum fuerat, quidam excellens Doctor Bononienſis Petrus de Ancharano ſuggeſtum aſcendens quæſtionibus factis ab Oratoribus Ruperti, de quibus ſuprà, reſpondens enucleatè, oſtendit præterea contendentes fuiſſe ſufficienter evocatos, & poſſe jam Synodum contra eos procedere. Conſtituti deinde ſunt ad examinandos teſtes producendos duo Cardinales, ſcilicet Angelus Presbyter Cardinalis tit. S. Pudentianæ, dictus Laudenſis, & unus Diaconus Cardinalis Sancti Angeli, quorum duo erant, nempe Petrus Sancti Angeli, dictus Romanus, & Petrus Blavi etiam S. Angeli, dictus Ultramontanus; & hi duo Cardinales pro utroque collegio; pro regno Franciæ Epiſcopus Luxovienſis & tres Doctores; pro Rege Angliæ unus Doctor; pro Provincia unus, & pro Alemannia duo. Huic Seſſioni non adfuerunt Nuncii Archiepiſcoporum Moguntinenſis & Colonienſis ob diſcordiam inter eos motam de prærogativa Sedis. Acta edita addunt electos fuiſſe aliquos, qui Ladislaum Regem adirent ad mitigandum eum, ſed quæ fuerit ejus cauſa iræ non exprimunt: quam Spondanus putat fuiſſe ratione Gregorii, cujus tunc totus erat.

XXXI. *Stabilitur mos res tractandi in Concilio.*

Die octava Maji in Eccleſia S. Michaelis, cujus apparitionis feſtum celebrabatur, Patriarcha Alexandrinus Miſſam celebravit, poſteaque ſermonem habuit, quo Bavarorum rationes deſtruxit. Huic Seſſioni interfuerunt Nuncii Moguntinenſes & Colonienſes, & intermixtim, ſicut ſtatutum fuerat, conſederunt, ita tamen ut primus eſſet Colonienſis. Eadem die poſt prandium in Eccleſia ſancti Martini Guido Epiſcopus Præneſtinus dixit, fratres ſuos Cardinales nihil in proſecutione Unionis agere velle ſine deliberatione Concilii; & cùm non omnes ejuſmodi deliberationibus intereſſe poſſent, ſatius eſſe aliquos ad id eligi, qui deliberata poſtea cæteris referrent. Statutumque eſt de qualibet provincia Archiepiſcopum, ſi adeſſet, vel Epiſcopum, aut Doctorem interventurum. Poſt quæ Nicolaus Epiſcopus Albanenſis Benedicti de Luna Nuncios brevi affore nuncians, tractandum propoſuit de modo receptionis eorum: & deliberatione in diem ſequentem nonam Maji remiſſa, cùm eà Patriarcha Alexandrinus indiſcuſſum relinqueret, qualis honor iis exhibendus eſſet, qui nondum obedientiam Benedicto ſubtraxiſſent, nec tamen negaret eos honeſtè

ha-

SÆC. XV. GREGORIUS XII.

habendos eſſe abſque moleſtia & injuriis: Epiſcopus Saliſberienſis Anglus mirari ſe dixit, quòd aliqui ſubtraxiſſent, alii non: & neceſſe eſſe, ut in Concilio omnes unius eſſent voluntatis, & ſubtractio communis omnibus, nullumque honorem eſſe iis Nunciis exhibendum. Cujus ſententiæ acceſſit etiam Patriarcha, nec non Petrus Viſſus Epiſcopus Cracovienſis Nuncius Regis Poloniæ, Moguntinus & Colonienſis Nuncii, & alii. Sed ſuper hoc Cardinales qui non ſubtraxerant, deliberationem petierunt.

XXXII. *Subtractio fit ab omnibus utrique contendenti.*

Die Veneris decima Maji, poſt Miſſam ab Epiſcopo Maſſilienſi celebratam, in generali ſeſſione petita Patrum ſententia de communi ſubtractione, cùm eam omnes approbarent, exceptis duobus Epiſcopis, uno Anglico, & altero Alemanno, decretum hujuſmodi conſenſionis Concilii nomine promulgavit Patriarcha Alexandrinus; qui ad hoc è ſede ſua, quam inter duos Cardinales antiquiores habebat, pulpitum aſcendit. Poſtridie deputati ſunt Epiſcopi & Doctores, qui ſubtractionis minutam facerent, quæ traderetur Concilio ad corrigendum, ſi correctione indigeret. Die decima tertia ejuſdem menſis in generali ſeſſione Cardinalis Præneſtinus nomine omnium Cardinalium, eidem ſubtractioni per Concilium ordinatæ, adhæſit. Subtractio verò in ſcriptis relata, die decima ſeptima comprobata fuit, non ſolùm ratione Synodi, verùm etiam cunctorum Chriſti fidelium: revocatæque & irritæ declaratæ ſententiæ omnes per contendentes contra ſubtrahentes latæ: & ut ad ulteriora circa teſtium auditionem & proceſſum confectionem, electi ad hoc à Synodo abſque mora procederent. Ac demum die vigeſima ſecunda ejuſdem menſis Maji eadem Subtractio, cum cæteris decretis prædictæ diei decimæ ſeptimæ, de conſenſu totius Synodi publicè lecta eſt per eundem Patriarcham Alexandrinum, quod ſcriptum verbatim recitatur Tomo 11 Concil. col. 2196, & ſeq.

XXXIII. *Duo contendentes à Synodo deponuntur.*

Poſt hæc variis aliis diebus & ſeſſionibus, factæ ſunt publicè relationes de teſtium auditionibus ſuper ſingulis articulis contra contendentes propoſitis; repetitæ citationes & evocationes ad valvas Eccleſiæ per quoſdam Cardinales & alios Prælatos: ac dati ſunt termini competentes. Die verò vigeſima nona Maji Doctor quidam magni nominis Scholæ Pariſienſis nomine Petrus Plaoul concionem habuit in Synodo: *Congregabuntur filii Juda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibi caput unum*, & Eccleſiam exaltando aſſeruit eſſe ſupra Papam, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum, quàm ex parte formæ, quæ eſt Spiritus Sanctus; quàm etiam ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus; ac denique ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in Eccleſia triumphante. Poſtmodum poſuit opinionem Univerſitatis Pariſienſis, videlicet, quòd Petrus de Luna eſſet ſchiſmaticus, perjurus, & hæreticus, præciſus ab Eccleſia Dei, ejectus à jure Papatûs, & privatus, ac per Concilium tanquam talis ejiciendus & privandus, ſubjungens quòd ejuſdem opinionis erant Univerſitates Andegavenſis, Aurelianenſis, & Toloſana. Ipſo autem deſcendente de cathedra, aſcendit quidam Epiſcopus Italicus, dictus Novarienſis, qui opinionem centum & trium Magiſtrorum in Theologia, ac Univerſitatis Bononienſis in quadam ſchedula publicavit, quæ erat conformis opinioni Univerſitatis Pariſienſis. Tandem die quinta Junii in ſolemni ſeſſione, cui adſuerunt octies viginti Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Abbates mitris ornati, ſexies viginti Magiſtri in Theologia, trecenti Doctores in jure Civili & Canonico, præter Nuncios Regum & Principum, poſt Miſſam, aliaque ſolemnia, per Patriarcham Alexandrinum, adſtantibus ſibi à dextris & à ſiniſtris Patriarchis Antiocheno & Jeroſolymitano, valvis Eccleſiæ patentibus, præſenteque multitudine quantam Eccleſia capere poterat, lecta eſt à ſuggeſtu ſententia diffinitiva contra utrumque contendentem Petrum de Luna Benedictum XIII, & Angelum Corarium Gregorium XII, uti conrra notorios ac pertinaces ſchiſmaticos & hæreticos, à fide devios, notoriiſque enormibus criminibus perjurii, & violationis voti irretitos &c. ob quæ ſe ipſos indignos omni dignitate præbuiſſe, & ipſo facto abjeciſſe, privaſſe, & ab Eccleſia præcidiſſe, ſancta Synodus declaravit; ac nihilominus eoſdem privavit, abjecit & præcidit: Eccleſiam Romanam vacare ad cautelam decrevit: omnes Reges ac Principes, cunctoſque fideles ab eorum obedientia abſolvit; prohibens ne quis alicui eorum auxilium vel favorem præſtaret ſub pœna excommunicationis: quòdque ſi iidem depoſiti parere contemnerent, ipſos eorumque fautores etiam Poteſtates ſæculares compeſcerent. Cunctos inſuper proceſſus, ſententias, privationes, & depoſitiones contra quoſcumque ab iis factas & latas nullius momenti eſſe declaravit, & penitus irritavit: ac promotiones, ſeu veriùs profanationes Cardinalium ab iis factas, videlicet per Angelum Corarium à die tertia Maji, & per Petrum de Luna à die decima quinta Junii anni præteriti 1408, nullas eſſe decrevit. Quæ ſententia refertur in Actis editis col. 2126, & apud Niemum lib. 3, de ſchiſm. cap. 44.

XXXIV. *Datur à Synodo poteſtas Cardinalibus creandi Pontif.*

In Seſſione die decima Junii celebrata, quæ in Actis editis, dicitur decima ſexta,

SÆC. XV. GREGORIUS XII.

ta lecta eſt ab Archiepiſcopo Piſano quædam ſchedula, qua domini Cardinales promittebant ſcripto à cunctis præſentibus ſubſignato, ſi quis eorum in ſummum Pontificem eligeretur, Concilium prorogaturum quouſque facta eſſet reformatio univerſalis Eccleſiæ tam in capite, quàm in membris: & ſi quis abſens eligeretur, non publicaturos electionem donec electus id ipſum obſervare promiſiſſet. Cui ſcripto, quod extat Tomo XI Concil. col. 2128, ſubſcripſerunt viginti Cardinales tunc præſentes, ac ſubinde alii quatuor, qui poſtea venerunt. Et aſſignata eſt alia ſeſſio ad diem Jovis proximam decimam tertiam Junii. Qua die adveniente Patriarcha Alexandrinus cum Antiocheno & Jeroſolymitano ex pulpito legit ſchedulam, qua Concilium facultatem conceſſit Cardinalibus à diverſis contendentibus creatis ad electionem unici & indubitati Summi Pontificis procedendi: abſque præjudicio impoſterum auctoritatis, quam vi ſuæ dignitatis haberent Cardinales in ſimilibus electionibus. Declaravit item irrita & nullius momenti quæcumque à Petro de Luna quocumque tempore, à Gregorio verò à die tertia Maji anni proximè præteriti facta, dicta, aut decreta, per cenſuras aut pœnas fuiſſent contra omnes & ſingulos unionem Eccleſiæ procurantes aut ſolicitantes.

XXXV. *Legati Petri de Luna quomodo à Synodo recepti.*

Die decima quarta Junii Seſſione decima octava comparuerunt Legati Regis Aragoniæ, qui petentes inſtrui de Actis in Synodo, reſponſum acceperunt, commiſſuram Synodum aliquos, qui eis in hoc ſatisfacerent. Sed cùm inſuper dixiſſent, quòd Nuncii Benedicti Papæ XIII erant in villa, fuerunt ſibilati, quia vocaverant eum Papam: Ad illud autem quod petierunt dictos Nuncios audiri, reſponſum eſt, quamquam de jure contra ſententiam latam in hæreticum admitti non deberent, tamen ob reverentiam Regis fore qui eos audirent extra Synodum. Auditi itaque poſt prandium in Eccleſia Sancti Martini coram nonnullis Cardinalibus, abſque ullo honore excepti ſunt, ſed potiùs exſibilati, cùm Petrum de Luna vocarunt Benedictum Papam; demum declarantes ſe habere quò impugnarent capitula quædam in Synodo ſtatuta, permiſſi ſunt quæ vellent proponere, modò Synodo vel ejus Actis non eſſent injurii, alioqui vix eos ſecuros fore. Ad quod dicentes ſe deliberaturos, receſſerunt in hoſpitium & ſequenti die clanculò abierunt è Piſis, cùm per Urbem conclamaretur in eos tanquam in Judæos. Fuiſſe tamen viros graviſſimos conſtat tum ex Actis editis, tum ex Surita Indic. lib. 3, nempè Archiepiſcopum Tarraconenſem, Epiſcopos Seguntinum, Mimatenſem, & Senenſem; Bonifacium Ferrerium, Domnum Carthuſienſem Sancti Vincentii Ferrerii fratrem, inſignis pietatis & peritiæ juris virum; Priorem Cæſarauguſtanum, & Miniſtrum provinciæ Gallæciæ, quos idem Surita miſſos ait tantùm ut perſcrutarentur quibus conditionibus res ad concordiam deduci poſſent, ſeu, ut clariùs Mariana lib. 19 cap. 18 refert, ſimulatione ineundæ concordiæ, re autem ut Patrum conatus cognoſcerent, exploratāque renunciarent, cùm parum ſpei eſſet Petrum quicquam voluntate facturum. Nam & Niemus laudatus cap. 45 tradit ipſum aliquot ante diebus, quàm ſententia Synodi lata fuiſſet, publicari feciſſe in quadam Eccleſia Piſarum citationem contra Cardinales, qui à ſe receſſerant cum minis, niſi intra certum terminum redirent, ſe adverſus eos proceſſurum.

SÆC. XV. GREGORIUS XV.

ALEXANDER V *Pontif. CCVI.*

Anno Domini MCCCCIX.

I. *Petrus de Candia eligitur Pont. ſub Alexandri V nomine.*

CUM Nuncii Petri de Luna die decima quinta Junii anni 1409 inſalutato hoſpite Piſis receſſiſſent, eadem die celebrata eſt decima nona Seſſio Concilii Piſani, in qua nihil aliud actum eſt, quàm quòd poſt cetera ſolemnia, Miſſa de Spiritu Sancto celebrata eſt per Philippum de Turejo Archiepiſcopum Lugdunenſem, & factus eſt ſermo hortatorius ad Cardinales pro optimo eligendo Pontifice per Epiſcopum Novarienſem, qui cepit pro themate: *Eligite meliorem & eum ponite ſuper ſolium*, 4 *Reg.* quo finito Concilium receſſit. Sed eadem die Sabbati hora veſperarum viginti quatuor Cardinales conclave ingreſſi ſunt, ad cujus cuſtodiam deputatus fuit Philibertus de Nailaco Magiſter Hoſpitalariorum ſeu Rhodienſium, qui paulò antè Piſas advenerat. Conclave autem erat in domo Archiepiſcopi Piſani, in quo Cardinales ſteterunt uſque ad diem Mercurii vigeſimam ſextam menſis Junii, quo die de mane circa horam Tertiarum, nullo reclamante, elegerunt in ſummum Pontificem Petrum de Candia, tituli Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, Presbyterum Cardinalem, Mediolanenſem nuncupatum, Ordinis Fratrum Minorum, qui dictus eſt Alexander hujus nominis V, quique ſtatim poſt ſuam electionem ordinavit ſeſſionem

pro

pro Concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam menſis Julii proximè ſequentis.

II. *Alexandri Patria & primordia ante Pontificatum.*

Petrus de Candia ignotis parentibus in Creta inſula natus erat, ut teſtatur Theodoricus Niemus hoc tempore vivens lib. de ſchiſm. cap. 52. *Hic fuit natione Græcus, natus in inſula Candiæ, quæ per Venetos occupatur: & , ut ipſemet tunc in agone, ſeu in ultimis conſtitutus coram ſuis familiaribus faciendo pulchrum ſermonem, dicebat, nunquam novit patrem, aut matrem, aut aliquem fratrem, ſeu ei carnis propinquitate conjunctum: ſed eum in pueritia mendicantem victum, quidam frater Ordinis Minorum Italicus in eadem Inſula recollegit, atque in latino ſermone inſtruxit, & dum erat aliqualiter major & aptus, in domo Fratrum Minorum in ipſa inſula conſiſtente, ipſum poſuit, & habitu regulari eorundem Fratrum induit: & conſiderans quòd eſſet bonæ indolis, eum ſecum ad Italiam poſtea duxit.* Et infrà: *Erat autem iſte Alexander priùs nominatus Petrus de Candia.* Poſt teſtimonium Auctoris tunc in Curia Alexandri viventis non video qua ratione quidam recentiores ſcribere potuerint, eum fuiſſe vel Novarienſem, vel Bononienſem, vel Papienſem, et præſertim conjectura innixi, quòd nunquam Cretenſis appellatur, ſed *de Candia*, quaſi verò Theodoricus Niemus ignorare potuerit, Cretam inſulam ſuo tempore jam dictam fuiſſe Candiam, quia hæc urbs Archiepiſcopalis primaria erat inſulæ Cretæ, quæ per Venetos occupabatur. Subjungit Niemus: *In primitivis artibus eruditus ad ſtudium Oxonienſe in Anglia mittebatur; ubi etiam per plures annos ſtudendo & bene proficiendo demum acceſſit Pariſios, & tandiu illic in Philoſophia & ſacra Theologia ſtuduit, quòd magnus Magiſter in ipſa Theologia factus fuit: poſt hæc veniens ad Lombardiam, & notitiam Joannis Galeatii Ducis acquirens, & ejus promotione atque favore primò Epiſcopus Vicentinenſis, & poſtea Archiepiſcopus Mediolanenſis, ſucceſſivè Cardinalis, & demum Papa creatus fuit, gradatim ad dignitates & honores hujuſmodi aſcendendo.* Lucas tamen Wadingus in Annal. Min. ſcribit, eum primò fuiſſe Epiſcopum Placentinum, deinde Vincentinum, poſtea Novarienſem, ac tandem Mediolanenſem Archiepiſcopum; & valde dubitat de eo, quod ſcribunt alii eum etiam fuiſſe Epiſcopum Brixienſem, & Patriarcham Gradenſem. *Philargus* etiam, vel *Filardus* paſſim à Scriptoribus cognominatur; quod nomen, inquit Papebrochius, cùm Græcum ſit, honeſtique otii amantem notet, viro litterato perquàm idoneum, aſſumpſiſſe ſibi in Creta potuit. Fuit porrò electus circa annum ætatis ſeptuageſimum, ut disertè teſtatur idem Niemus: *Fuit autem dictus Dominus Petrus, cùm eligebatur in Papam, ſeptuagenarius, vel circa.* Multum itaque exorbitant qui eum nonagenarium fuiſſe ſcribunt.

III. *Alexander Acta per Cardinales & per Concilium approbat.*

Adveniente die Lunæ prima Julii celebrata eſt Seſſio vigeſima, in qua Cardinalis de Turejo Miſſam celebravit, & Cardinalis de Chalento legit & publicavit ſchedulam omnium & ſingulorum Cardinalium manibus ſubſcriptam, per quam publicabant omnibus, & nunciabant ſe elegiſſe in Papam Cardinalem Mediolanenſem, & rogavit Concilium, ut Deum pro eo & Sancta Romana Eccleſia orarent. Poſt hæc Alexander ſermocinatus eſt ſumens hoc thema: *Erit unum ovile, & unus Paſtor.* Quo facto Cardinalis Sancti Euſtachii dictus Bononienſis promulgavit aliqua, quæ ordinaverat Alexander. Et primò omnes proceſſus, ſententias & ordinationes factas per Cardinales à die tertia menſis Maji anni 1408, & omnia facta in Concilio approbavit. Item duo collegia Cardinalium univit, & pro uno impoſterum voluit haberi; promiſitque dare ſingulis ſingulos titulos. Item ordinavit quòd die Dominica ſequenti, quæ concurrebat cum die ſeptima Julii, coronaretur, & alia quædam ordinavit, ſicuti & ſeſſionem ad diem Mercurii decimam menſis Julii. Hæc conſtant ex Actis editis.

IV. *Solemniter coronatur.*

Die itaque ſeptima Julii coronatus eſt ſolemniter Alexander, ut disertè ſcribit Niemus laudatus: *Hic Dominus Alexander recepit inſignia coronationis ſuæ in Piſis Nonis Julii anno Domini* 1409. Quæ in ea coronatione acta ſunt referuntur in Actis Concilii ex Spicilegii Tomo VI in Collectionem Conciliorum tranſlatis, in quibus legitur: *Die Dominica immediatè ſequente, quæ fuit dies ſeptima Julii, dictus Dominus Papa Alexander fuit coronatus in Eccleſia Cathedrali, ubi fuit celebrata Miſſa ſolemnis. Ex illa die fuerunt multa ſolemnia, ut puta de ſtupis combuſtis dicendo,* Sic tranſit gloria mundi; *de Epiſtola & Evangelio in Miſſa Græcè, Hebraicè & Latinè: de impoſitione tiaræ, cum qua Papa reveſtitus equitat per villam, & omnes Prælati reveſtiti cum equis de panno albo coopertis: de lege Judæorum, quæ Papæ per Judæos præſentatur: & de ſimilibus. Quæ omnia fuerunt debitè & ſolemniter expedita.* De his omnibus ſolemnitatibus alibi egimus. De lectione Epiſtolæ & Evangelii Græcè & Latinè in Eccleſia Romana recitatis ſaltem uſque ad ſæculum undecimum, agit Edmundus Martene in Tractatu de antiquis Eccleſiæ ritibus lib. 1 cap. 3 Art. 2 num. 7.

V. *Cardinalium Titulos mutat.*

Ex eo porrò quod ex Actis editis diximus, Alexandrum ſingulis Cardinalibus ſin-

ſingulos Titulos concedere promiſiſſe, obſervandum eſt, eum quoſdam antiquos Titulos mutaſſe, eo quòd ob ſchiſma duo plerumque eſſent ejuſdem Eccleſiæ titulares, ex quo Onuphrius Panvinius in libro de Septem Urbis Eccleſiis cap. 3 ad finem, ſcribit ſub Alexandro V manaſſe in Eccleſia Romana mutandorum Titulorum uſum, ideoque optionem inter Romanæ Eccleſiæ Cardinales exordium tunc habuiſſe: *Apud veteres*, inquit, *per mille & ducentos continuos annos conſuetudo in Romana Eccleſia uſurpata fuit, ut neque Diaconi Diaconias ſemel acceptas, neque Presbyteri Titulos, neque Epiſcopi Cardinales Epiſcopatus ſuos mutarent, qua ratione fiebat, ut Diaconi, Presbyteri, & Epiſcopi Cardinales, Diaconias, Titulos, & Epiſcopatus ſuos magis colerent, & exornarent, reſtituerent, & augerent, quos dum viverent, eſſent retenturi. Nunc Cardinales optionis lege multos Titulos & Diaconias obtinere poſſunt, cujus rei initium ortum eſt tempore Alexandri V in Concilio Piſano anno Domini 1410, in quo cùm ob ſchiſma contigiſſet Sacerdotia Cardinalitia duos ad minus habere Cardinales, unum unius obedientiæ Avenionenſis, alterum alterius Romanæ; ſublato ſchiſmate, unitiſque utriuſque collegii Cardinalibus, & novo Pontifice creato, has mutationes fieri tunc neceſſe fuit, ut unus ex duobus, qui in ſchiſmate Epiſcopatum Tuſculanum obtinebat, eo alteri dimiſſo, Sabinum tunc vacantem optaret, ita in Titulis & Diaconiis factum eſt; quæ res quamquam neceſſaria tunc eſſet, in exemplum tamen tracta poſtea frequentari cœpta eſt; atque hac ratione factum videmus, ut aliquando Cardinalis Diaconus initio creatus tres & quatuor Diaconias, poſt Presbyter factus, totidem Titulos, demum Epiſcopatus omnes cooptaverit.* Ita rectè Panvinius, nam Henricus Minutulus ex Epiſcopo Tuſculano factus eſt tunc Epiſcopus Sabinus, Antonius Cajetanus ex Epiſcopo Præneſtino factus eſt Epiſcopus Portuenſis & S. Rufinæ, Antonius Calvus ex Presbytero S. Praxedis factus eſt Presbyter Cardinalis tit. S. Marci; Petrus Hannibaldus ex Diacono Cardinali S. Angeli factus eſt Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani; Jordanus Urſinus ex presbytero SS. Silveſtri & Martini dictus eſt Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Damaſo; Ludovicus de Barro ex Diacono S. Agathæ factus eſt Presbyter Cardinalis SS. XII Apoſtolorum. Hæ autem mutationes factæ ſunt anno Domini 1409, Pontificatûs Alexandri primo.

VI. *Numerus Cardinalium tempore Joannis XXII.*

Quia porrò quo tempore & à quo Pontifice quidam tituli Cardinalium, vel mutati, vel aucti fuerint, ignoratur, ſuperfluum non fore, imò utile eſſe exiſtimavi hic inſerere Catalogum titulorum Cardinalium, tam Presbyterorum, quàm Diaconorum, qui extat apud me in parvo Codice pergameno MS. tempore Joannis XXII, ex quo conſtabit perperam Auguſtinum Oldoinum in Additionibus ad Ciaconium Tomo I col. 119 ſcripſiſſe ante Pontificatum Pauli III, ſeu ante annum 1545, numerum Diaconorum Cardinalium non fuiſſe ampliùs quàm XVIII, cùm in iſto Codice recenſeantur XIX. In eodem Codice tituli etiam Cardinalium Presbyterorum ſunt tantùm XXXI, & Epiſcoporum VII, ſeu potiùs VI, quia Epiſcopatus S. Rufinæ jam unitus erat Portuenſi. Sic itaque legitur in dicto Codice MS.

VII. *Tituli Cardinalium, Epiſcoporum, & Presbyterorum.*

„ In civitate Romaniæ ſunt V.ᵉ Eccleſiæ Patriarchales, videlicet, Eccleſia S. Joannis Lateranenſis, quæ conventum habere poteſt Ordinis S. Auguſtini. Eccleſia S. Petri, quæ habet Archipresbyterum, qui debet eſſe Cardinalis. Eccleſia S. Mariæ Majoris, quæ habet Archipresbyterum, qui debet eſſe Cardinalis. Eccleſia S. Pauli, quæ habet Abbatem Ordinis S. Benedicti. Eccleſia S. Laurentii extra muros, quæ habet Abbatem ejuſdem Ordinis. Primæ autem Eccleſiæ aſſignati ſunt ſeptem Epiſcopi, qui debent aſſiſtere Domino PP.ᵉ videlicet, Hoſtienſis, qui debet coronare PP.ᵃᵐ Albanenſis, Portuenſis, & Sanctæ Rufinæ, Sabinenſis, Tuſculanenſis, & Peneſtrinus. Aliis autem Eccleſiis aſſignati ſunt Presbyteri Cardinales num. XXXI, Sanctæ Crucis in Jeruſalem, SS. Quatuor Coronatorum, SS. Marcellini & Petri, SS. Joannis & Pauli, Sanctæ Anaſtaſiæ, S. Sabinæ, S. Stephani in Cælio monte, S. Clementis, SS. Nerei & Achillei, S. Suſannæ, S. Petri ad Vincula, S. Martini in Montibus, S. Sixti, S. Balbinæ, S. Euſebii, S. Priſcæ, S. Praxedis, S. Vitalis, S. Pudentianæ, S. Cyriaci in Terminis, S. Marci, S. Marcelli, S. Laurentii in Lucina, S. Laurentii in Damaſo, S. Mariæ in Tranſtyberim, S. Ceciliæ, S. Griſogoni, Baſilicæ duodecim Apoſtolorum, Sancti Equinatii, S. Primacii, Sanctæ Eudoxiæ.

VIII. *Tituli Cardinalium Diaconorum.*

Poſt hæc deſcribuntur in eodem Codice MS. tituli Diaconorum Cardinalium hoc ordine, „ Iſti ſunt Diaconi Cardinales „ & ſunt numero XIX; Sanctæ Luciæ in ſeptem Coliis, qui debet eſſe tit. Vicecancellarii Card. ſi deſit; Sanctæ Mariæ in Aquiro, S. Theodori, S. Mariæ in Coſmedin, S. Georgii ad Velum aureum, SS. Coſmæ & Damiani, S. Mariæ Novæ, S. Adriani; SS. Serchi & Bachi, S. Mariæ in Via lata, S. Mariæ in Porticu, S. Angeli in foro piſcium, S. Nicolai in Carcere Tulliano, S. Mariæ in Dompnica, S. Euſtachii, S. Luciæ inter

Ima-

Digitized by Google

„ Imagines, S. Luciæ in Salice, Sancti Viti „ in Marcello, Sanctæ Agatæ „. Ex quibus Hiſtoria Cardinalium illuſtrari poterit. Hodie porrò Cardinalium numero Conſtitutione Sixti V ad ſeptuaginta redacto, ſunt tamen in univerſum tituli ſeptuaginta & unus, nempe tituli ſex Epiſcoporum, Presbyterorum quinquaginta, Diaconorum 14, quia Vicecancellarius, præter S. Laurentii in Damaſo, ex decreto Clementis ſeptimi, titulum alium ſolet obtinere.

IX. *Irritat cenſuras tempore ſchiſmatis latas.*

Sed ut ad reliqua Synodi redeat ſermo. Die Mercurii decima Julii adveniente habita eſt vigeſima prima Seſſio, in qua Miſſa ab Archiepiſcopo Januenſi celebrata, & aliis ſervatis circa divinum officium, Alexander præter alia minoris momenti, revocavit & nullos declaravit omnes & quoslibet proceſſus confectos & ſententias latas toto tempore ſchiſmatis à Pontificibus inter ſe contendentibus contra quaslibet perſonas, communitates, collegia, regna &c. & quoſcumque iis quomodolibet comprehenſos, in quantum neceſſe eſſet, abſolvit, & in integrum reſtituit. Indicta eſt poſtea alia ſeſſio ad diem Mercurii proximam, ſeu in diem decimam ſeptimam Julii, quæ tamen poſtea fuit de mandato Alexandri prorogata uſque ad diem vigeſimam ſeptimam Julii ob adventum Regis Ludovici, nempe Ducis Andegavenſis, qui Siciliæ Rex electus, à Ladislao pulſus fuerat, quique tam ab Alexandro, quàm à Cardinalibus ſummo honore receptus, & in Regem Siciliæ contra Ladislaum abdicatum confirmatus, ac vexillifer Eccleſiæ conſtitutus, patrimonium Sancti Petri in Tuſcia, multaſque alias civitates paulò poſt ad obedientiam Alexandri reduxit.

X. *Decernit aliud Concilium in tertium annum.*

Die vigeſima ſeptima Julii habita eſt vigeſima ſecunda Seſſio, in qua Alexander confirmavit omnes quaſcumque proviſiones beneficiorum, & conſecrationes, atque ordinationes ſactas, ſactas à contendentibus, perſonis huic Synodo adhærentibus, dum tamen alias canonicè factæ eſſent. Statutumque eſt iterum Generale Concilium ſore convocandum triennio poſt, videlicet anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, menſe Aprili, loco uno antè anno declarando. Poſt hæc tam Pontifex quàm Cardinales liberaliter remiſerunt omnia uſque ad ejus creationem debita ab Eccleſiis ratione ſervitiorum: nec non renunciavit Alexander in futurum reſervationibus bonorum ſeu ſpoliorum morientium Prælatorum, & fructuum medii temporis beneficiorum vacantium. Denique vigeſima tertia Seſſio, eaque ultima facta eſt die ſeptima Auguſti, in eaque decretum fuit, ut ante futuri Concilii celebrationem fierent Concilia provincialia & Capitula Monachorum: deputarenturque modò ex parte Pontificis & Concilii Nuncii ad Reges & Principes ad publicanda Acta Concilii. Conceſſa eſt omnibus, qui Concilio interfuiſſent, aut ei adhæſuri eſſent, abſolutio plenaria à pœna & culpa ſemel in vita. Ac tandem pro reformatione Eccleſiæ tam in capite, quàm in membris jam cœptâ, ſed difficilè nunc perficienda, ob regreſſum Prælatorum ac Nunciorum, decretum eſt continuatum iri illam uſque ad proximum jam indictum Concilium Generale; hocque ipſum Piſanum prorogatum & continuatum uſque ad celebrationem alterius; datâ ſolùm interim licentiâ Prælatis ſuas Eccleſias inviſendi, poſtea ad illum alium locum deſignandum reverſuris pro continuatione Concilii. Ceterùm Concilio celebrato totus ferè Orbis Chriſtianus Alexandro ſavit & adhæſit; Benedictus enim Reges tantùm Hiſpaniæ ſibi obedientes habuit, excepto Luſitano, qui ab initio ſchiſmatis ſemper Pontificibus in Italia ſedentibus adhæſit, Regem Scotiæ, ac Comitem Armaniacum, ſed pauco tempore. Gregorius verò ſolum Ladislaum Regem, & quaſdam civitates Italiæ, pauco etiam tempore. De hujus Synodi auctoritate ac proinde de Pontificatu Alexandri V multi dubitarunt, eò quòd abſque ulla Romani Pontificis auctoritate celebrata fuerit; ſed ſi hæc ratio valeret, ſequeretur Synodi etiam Conſtantienſis auctoritatem dubiam eſſe, quia à Joanne XXIII Alexandri ſucceſſore fuit convocata.

Interea Gregorius, qui ut ſe adversùs Concilium Piſanum muniret, Concilium Utini in diœceſi Aquilejenſi celebrandum in ſeſto Pentecoſtes indixerat, ut ſuperiùs diximus, primam ejus Seſſionem habuit die ſexta Junii in ſeſto Corporis Chriſti poſt ſolemnes ſupplicationes, ſed exiguo Præſulum numero, quod utrumque diſcimus ex ejus Epiſtola à Raynaldo anno 1409 num. 82 relata, & in Tomum XI Concil. col. 3004 translata, data *in civitate Auſtriæ Aquilejenſis diœceſis XII Kal. Julii*, qua omnes Eccleſiarum Prælatos ad Concilium convocabat, & Reges, Duces ac Principes hortabatur, ut ſaltem Nuncios ſuos mitterent. Sed ſpreta ſunt, inquit Raynaldus, ab Epiſcopis ejus imperia, cùm in magnam adduceretur invidiam Concilium ad ſchiſmatis propagationem molitum: miſitque Gregorius Nicolaum Epiſcopum Ferentinum, & Dominicum deſignatum Epiſcopum Melitenſem Venetias, ut objecta anathematis pœna, illius provinciæ Præſules ad Synodum cogerent: ſed Veneti Alexandro ex Doctorum ſententia, quamvis Gregorius Venetus eſſet, adhæſerunt. In ſecunda ſeſſione Concilii die incerto habita, ſententia lata eſt adversùs Alexandrum, & adversùs Petrum de Luna.

XI. *Gregorius ſuam Synodum celebrat.*

Digitized by Google

SÆC. XV. ALEXANDER V.

na. Die quinta Septembris aliam ſeſſionem celebravit, juxta Theodoricum Niemum lib. 3 cap. 45, in eaque ſchedulam quamdam publicavit, qua unionis Eccleſiæ vehementiſſimum deſiderium præſeferens declarabat paratum ſe cum effectu renunciare Papatui, ſi & quando ſimul & perſonaliter in eodem loco Petrus de Luna & Petrus de Candia ſuis prætenſis juribus renunciarent. Et quoad determinationem loci conveniendi in unum, concedere ſe Ruperto Romanorum, Ladislao Siciliæ, & Sigiſmundo Hungariæ Regibus concordandi de illo. Quòd ſi his adverſarii conſentire nollent, & concedere ſe plenam facultatem iiſdem adverſariis de Concilio Generali trium obedientiarum convocando, & locum ejus deſignando; quò ſe venturum omninò profitebatur, ejuſque decretis ſtaturum, dummodò id ipſum ceteri præſtarent. Ac prædictis item Regibus plenariam concedere poteſtatem eadem exequendi. Quæ Scriptura lecta fuit in Synodo *civitatis Auſtriæ congregata die Jovis, V Septembris, anno 1409.* Ita quidem Gregorius; ſed utrum animo unionis perficiendæ, tum faciebant dubitare præteritæ ejus promiſſiones etiam cum juramento & voto factæ, nec tamen adimpletæ; tum quod conditiones apponebat penè vel etiam penitus impoſſibiles, nempe convocandi in unum tres contendentes, quandoquidem nec à duobus id unquam obtineri potuiſſet, & ut id præſtaretur per tres Reges, qui ſummis odiis ſe ſe invicem proſequebantur.

XII. *Quid egerit Gregorius poſt ſuam Synodum.*

Soluto Concilio Gregorius ſibi timens ab inſidiis Antonii Patriarchæ Aquilejenſis, quem, ut ait Niemus lib. 3 cap. 45, anno præcedenti levi de cauſa depoſuerat, Ariminum redire conſtituit; ſed ſibi inſidias ſtruxit Patriarcha, quibus detectis ſimulato habitu equitans cum duobus peditibus iter ſuſcepit, & ſic hoſtes eluſit, & inter medios inſidiantes incolumis pertranſiit. Ejus verò Confeſſor ſubſequens in apparatu Pontificio cum magno comitatu & ſtipatorum caterva, captus & malè habitus fuit. Gregorius autem triremibus Ladislai delatus in Aprutium, inde Cajetam ſe recepit, ubi cum pauco comitatu aliquandiu manſit, quoadusque à Ladislao, ut ſcribit S. Antoninus tit. 22 cap. 5 § 2, iniqua ab eo petente circa beneficiorum eccleſiaſticorum proviſionem, nec obtinente, dimiſſus mari Ariminum rediit; ſed *in tot perſecutionibus*, inquit S. Antoninus laudatus § 3, *& adverſis tam conſtans & magnanimus fuit, ut nihil videretur de his curare, ſciens quòd ſecundum prophetam non eſt malum in civitate quod non fecerit Dominus. Sic fixus erat in his, quæ ſibi conſcientia dictabat, ut nullus poſſet à ſuo propoſito revocare: Sic modeſtus ut philoſophus videretur: Sic ſapientiæ deditus, ut à ſpeculatione & diſputationibus non ceſſaret.* Certè conſenſu omnium Gregorius talis erat vita & moribus, ut longè indignus hujuſmodi infortuniis cenſeretur, quæ etiam magnâ conſtantiâ toleravit.

XIII. *Alexander Conſtitutionem edit pro Mendicantibus, &c.*

Alexander autem Papa Piſis adhuc exiſtens quarto Idus Octobris anni 1409, Conſtitutionem edidit in favorem Ordinum Mendicantium, quæ incipit *Regnans in excelſis*, quam refert Monachus Dionyſianus in ſuis Annalibus, quâ poſt narrata quæ Bonifacius VIII in Conſtitutione *Super cathedram* &c. & Clemens V de eadem in Concilio Viennenſi ſtatuiſſet ſuper prædicationibus & confeſſionibus, ac ſepulturis, quæque poſtea Joannes XXII de condemnatione articulorum Joannis de Poliaco promulgaſſet; cùm, ut ait, nuper Fratrum Prædicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, & B. Mariæ de Carmelo Ordinum querelæ ad ſe delatæ eſſent, quòd nonnullæ perſonæ Eccleſiaſticæ, atque utriusque ſexûs homines nedum prædictos damnatos per eundem Joannem Papam, ſed etiam quoſdam alios prorſus erroneos articulos non vererentur aſtruere, putà Confeſſionem Fratribus factam multis eſſe dubitabilem & incertam, ac propterea homines teneri dimittere incertum, & ſolis ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus, de quibus nullum eſt dubium, confiteri. Item quamvis Fratres habeant auctoritatem audiendi confeſſiones & abſolvendi, tamen populum ſubjectum non habere poteſtatem accedendi ad eos ſine licentia proprii Sacerdotis. Item Sacerdotem Curatum dantem licentiam Mendicantibus audiendi confeſſiones, magis diſpenſare cum ſtatuto *Omnes utriuſque* &c. quàm Papam Fratribus dantem licentiam juxta formam Decretalis *Dudum* &c. Hos omnes articulos & alios tanquam erroneos & ſacris Canonibus contrarios Alexander prædicta ſua Conſtitutione damnavit, & quicumque eos defendere aut aſſerere præſumerent, hæreticos eſſe cenſendos, & excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrere decrevit. Hæc quidem Conſtitutio turbas excitavit in Univerſitate Pariſienſi; ſed omninò falſum eſt quod addit Theodoricus Niemus omnium illius temporis Pontificum maledicus conviciator, Alexandrum nempe, *quatuor Ordinibus Mendicantium decimas conceſſiſſe Eccleſiarum parochialium, propterea quòd illi docendis populis ſeriò incumberent*, addens *magnas turbas rem hanc Pariſiis excitaſſe, opponente ſe Pariſienſi Schola conceſſioni dolo & fraude impetratæ*; licèt enim apud Monachum Dionyſianum contineantur propoſitiones Facultatis Pariſienſis contra dictam Alexan-

Digitized by Google

xandri Conſtitutionem, nihilominus tamen nec in eo nec alibi legitur decimas Eccleſiarum parochialium quatuor Ordinibus Mendicantium ab Alexandro fuiſſe conceſſas. Certè contra Nemum aliorum auctorum aciem producit Wadingus Tomo 5, Annal. Minorum, apud quem legere quis poterit. Ceterùm hanc Alexandri V Conſtitutionem anno 1410, à Joanne XXIII ejus ſucceſſore fuiſſe revocatam ſcribit Spondanus anno 1409, num. 22.

XIV. *Item decretum edit contra Joannem Huſſ.*

Utilius Eccleſiæ contra Joannem Huſſ decretum emiſit Alexander. Wicleſi hæreſes jam damnatæ ex Anglia in Boëmiam penetratant, & infecerant potiſſimum eos, qui odio Teutonicorum in Univerſitate Pragenſi tenebantur, inter quos eminebat Joannes Huſs Sacerdos, qui Wicleſum extollens, ejus ſcripta in linguam vulgarem tranſtulit, adhærentibus ei præcipuè Clericis ære alieno gravatis, ſceleribus ac ſeditionibus inſignibus, nonnulliſque aliis doctrina præſtantibus, qui in majorum beneficiorum adeptione aliis poſtpoſiti invidia tabeſcebant. Qui in omnes Sacerdotes latrare cœperunt, & ab Eccleſia Catholica recedentes, impia Waldenſium & Wicleſiſtarum dogmata diſſeminare. De quibus certior factus Archiepiſcopus Pragenſis, juſſis ad ſe ferri librorum Wicleſi exemplaribus, ſupra ducenta volumina concremari juſſit. Cùm autem Joannes Huſs reus ſeditionis & erroris apud Apoſtolicam Sedem factus fuiſſet, & coram Pontifice citatus, ſe ſiſtere contempſiſſet, Alexander Stinconi Archiepiſcopo Pragenſi juſſit, ut adversùs Wicleſi errores a Joanne Huſs per Boemiam propagatos invigilaret, adhibitiſque in Concilium Doctoribus, illos in Eccleſiis, Scholis & quibuslibet locis doceri auctoritate Apoſtolica prohiberet: & ſi quis contrarium faceret, uti hæreticus cenſeretur, & captivus detineretur, invocato auxilio brachii ſæcularis. Hoc Alexandri decretum Joannes Huſs recepit, ut hæretici ſolent, hoc eſt cum magno furore atque conviciis; multa enim in illud oblocutus, tanquam eſſet factis & verbis Chriſti & Apoſtolorum contrarium, qui ubique prædicare conſueverant, ab eo ad idſummet Alexandrum meliùs informandum appellavit. Alexandri porrò ad Srinconem, ſeu Sbinconem, literas refert Raynaldus anno 1409, n. 89, datas Piſtorii XIII Kalendas Januarii. De Wicleſi & Joannis Huſs erroribus ſermo erit in Concilio Conſtantienſi.

XV. *Lipſienſis Academia initia ſub Alexandro V.*

Joannis Huſs occaſione hîc obſervandum venit, Lipſienſem Academiam ſedente Alexandro V anno 1409, initium ſumſiſſe. Cùm enim Wicleſi hæreſes ab Univerſitate Pragenſi fuiſſent damnatæ, Joannes Huſs nationes Saxonicam, Bavaram & Polonam, quibus ſolis, præter Bohemam, conſtabat Pragenſis Univerſitas, ab ea pellere conatus eſt; obtinuit enim à Wenceslao Bohemiæ Rege, ut ſola Bohema natio cæteris tribus ſimul junctis æquipararetur, ita ut in omnibus ſuffragiis, electionibus, examinationibus, emolumentis & honoribus tantum poſſet ac reciperet, quantum tres aliæ ſimul junctæ ad inſtar Academiæ Pariſienſis, qua Pragenſis ortum duxerat. Cæteræ nationes his conſentire detrectantes, quòd eſſent contra primæva Univerſitatis ſtatuta atque privilegia, quibus auctoritate Pontificia & Imperiali potiebantur (quamvis in diplomate inſtitutionis additum fuiſſet, ut mos Gymnaſii Pariſienſis Pragæ item ſervaretur) multis laceſſiti contumeliis, communi conſenſu in alias migrare conſtituerunt, & deſerentes Pragam, Lipſiam Miſniæ civitatem in Saxonia ſuperiori, anno 1409, commigrarunt, ibique florentiſſimam Academiam conſtituerunt, licèt multi ad Erfordienſem Academiam in Turingia, de qua in Boniſacio IX locuti ſumus, migraverint. Ab eo tempore Academia Pragenſis defloruit, multaque mala in Boëmiam invecta, de quibus hæc habet Joannes Cochlæus apud Raynaldum anno 1409, num. 88. *Hanc ruinam Univerſitatis* (Pragenſis) *mox ſecuta eſt longe gravior Catholicæ religionis & fidei ruina, per quam ſanè mala univerſa in florentiſſimum regnum illud acervatim irruerunt, hæreſes, ſchiſmata, blaſphemiæ, diſſenſiones, odia, diſtractiones, diſputationes ventoſæ, profana colloquia, temeraria judicia, rixæ, ſeditiones, cædes, bella, pugnæ, direptiones, prædæ iniquæ, nefanda ſacrilegia, immaniſſimæ ſtrages, & quid non? & duraverunt ea mala in continuo fervore & motu ſupra quinquaginta annos, nempe ab anno Domini 1409, uſque in annum 1460, & ultra in eo regno*. Plauſêre tamen ſibi Boëmi, quòd ſoli in ſuo regno permanerent; ſed gaviſi ſunt Germani, quòd à conſortio nequam hominum ſeparati, ſecum agerent in tranquillitate, inquit Krantzius lib. 11, Metropol. cap. 8. Joannes portò Cochlæus Doctor Theologus Wratislaviæ in Sileſia Canonicus obiit anno 1552, poſtquàm inter alia Hiſtoriam Huſſitarum ex variis & antiquis monumentis libris duodecim collegiſſet. Ad idem tempus fundationem Academiæ Lipſienſis per Fridericum Miſniæ Margravium, Bellicoſum dictum, qui poſtea, anno ſcilicet 1422, factus eſt à Sigiſmundo Elector Saxoniæ, vacante Electoratu per mortem Alberti III ultimi Electoris domûs Anhaltinæ, refert Menkenius in Friderico Bellicoſo pag. 12; & Calviſius ad annum 1409, addit Fridericum pro ea Academia privilegia impetraſſe à nuper creato Pontifice Alexandro V, at-

que ita præſente Friderico & fratre ejus Willelmo introductam eſſe Academiam eodem anno 1409, die ſecunda Decembris, feria ſecunda poſt primam Dominicam Adventus.

XV. *Alexander V moritur.*

Cùm ſub finem anni 1409, lues contagioſa Piſas invaſiſſet, receſſit Alexander Pratum, indeque Piſtorium, ubi dictum decretum edidit, demum Bononiam acceſſit, inde tranſitutus in Urbem. Die ſexta Januarii anni 1410 Bononiam ingreſſus eſt, & ab occurrente univerſa civitate ingenti omnium plauſu, ac gratulatione receptus, quarto Nonas Februarii prima ſacra in Baſilica ſancti Petronii fecit. Ibidem Romanos Oratores benignè excepit, votiſque eorum ſatisfacere, & Romam quantociùs pergere promiſit; ſed variis curis diſtentus & Ladislai armis impeditus, Bononiæ hæſit: & dum intentus, ut Græcos Eccleſiæ Latinæ adjungeret, beneficia Eccleſiaſtica dignis conferret, ſimoniam procul faceret, canonum obſervantiæ invigilaret, ſchiſmatis fibras evelleret, pacem terris reſtitueret, vitia tolleret, ac virtutes reduceret, ut ex Carolo Sigonio in Epiſcopis Bonon. inquit Oldoinus in Notis ad ejus vitam; vel ut Ægidius Cardinalis Viterbienſis in Hiſt. MS. 20 Sec. cùm Eccleſiam univerſam in ſpem ſanandi vulneris erigeret, & cœpiſſet omnia agere, quæ & Chriſtiana Reſpublica & tantæ tempeſtatis ratio poſtulare videbatur, è vita exceſſit nocte inter diem tertiam & quartam Maji, menſe Pontificatus decimo, die octavo, anno ætatis ſeptuageſimo primo, ſepultuſque eſt in Eccleſia Fratrum Minorum, quem venenato clyſtere ſublatum, exiſtimatum eſſe, ſcribit S. Antoninus tit. 22, cap. 5, § 3, & aſſentitur de veneno Monſtreletus lib. 1, cap. 62.

XVII. *Ejus in pauperes liberalitas.*

Laudant illum plerique Auctores, & maximè de liberalitate ac beneficentia in pauperes & egenos: *pauperibus levandis*, inquit Ægidius Cardinalis Viterbienſis laudatus, *ita ſtuduit, ut nihil omninò ſibi reſervaret. Nec ſibi ſapere eos dicebat, qui cùm ſummam gloriam eroganda pecunia comparare poſſint, ſummam aut colligenda infamiam, aut aſſervanda invidiam conſtant. Nam cùm triplex ſit in ea aſſervanda ratio, eorum qui unde fas non eſt, aurum comparant, qui ubi compararunt, nemini dant, qui dant quidem, ſed non quibus dare maximè oporteret; primos raptores, alteros lucifugos, poſtremos dilapidatores appellabat: feliciter eos ſummum locum adipiſci, qui faciliorem ſibi inde ſternunt ad cælum viam.* Quare, teſte Platina, per jocum dicere conſueverat, *ſe divitem fuiſſe Epiſcopum, pauperem Cardinalem, mendicum Pontificem.* Fuiſſe etiam Alexandrum magno erectoque animo, ſummaque prudentia præditum aſſerunt plures alii Auctores. Quare non audiendus Theodoricus Niemus, qui omnia Pontificum Roman. geſta ſiniſtrè interpretatus, piam Alexandri liberalitatem, ut ignavam prodigalitatem inſimulat.

XVIII. *Ejus doctrina, & ſcripta.*

Alexandri doctrinam his etiam verbis commendat idem Viterbienſis: *Alexandro V Cretenſi accuratum ſtudium peripateticam diſciplinam, divina lux & ſacrarum rerum intelligentiam, & incredibilem dederat ſanctitatem.* Platina vocat eum magnum oratorem, & Blondus lib. 10, ſummum illo ævo philoſophum & Theologum excellentiſſimum dicit. Scripſit, ex Ludovico Jacob in Bibliotheca Pontificia, & ex Wadingo, *Commentaria in quatuor libros Sententiarum*, quæ aſſervantur MSS. Oxoniæ in Bibliotheca Balliolenſi, Cremonæ apud Auguſtinianos, Piſauri, Aſſiſii & Paravii. Extant etiam in Bibliotheca Collegii Fuxenſis manu propria Petri Fuxenſis Cardinalis conſcripta. Edidit etiam *Quodlibeta* quædam: *Concluſiones in Collegio habitas*, quæ ſervantur MSS. Cantabrigiæ in Collegio Emmanuelis: *Sermones varios, & Epiſtolas* ad diverſos MSS. in Vaticano. Addit Oldoinus haberi etiam in Vaticana Bibliotheca MSS. Regulas Cancellariæ ab eo editas, & aliud opus inſcriptum *Obligationes*. Denique ipſum ſcripſiſſe tractatum de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione; non tamen, ut refert Salazar, exiſtimandum eſt, illum hanc opinionem definiviſſe aut determinaſſe, ſed tantummodò illam approbaſſe, ac ſine injuria fidei defendi poſſe Pontificia auctoritate ſanciſſe.

JOANNES XXIII *Pontif. CCVII.*

Anno Domini MCCCCX.

I. *Joannes XXIII. ſuccedit Alexandro V.*

CORpore Alexandri V die Lunæ, quinta Maji, anni 1410, portato honorificè ad Eccleſiam Fratrum Minorum Bononienſium, in qua ſepulturam elegerat, die martis ſexta fuit incepta novena, qua completa, die decima quarta ejuſdem menſis, ex viginti tribus Cardinalibus, qui tunc vivebant, quinque vel abſentibus, vel infirmis, ceteri decem & ſeptem die Mercurii de ſero duabus horis ante noctem con-

conclave intraverunt, & die Sabbati ſequenti decima ſeptima Maji inter decimam & undecimam horas elegerunt in ſummum Pontificem Balthaſarem Coſſam, ſeu Coxam, patriâ Neapolitanum, ex nobili familia, præcipuum Synodi Piſanæ auctorem, & magnæ apud Alexandrum auctoritatis, dictum in Pontificatu Joannem XXIII. Auctor Burdegalenſis tunc vivens à Spondano num. 2 laudatus, ſcribit eum quidem à Cardinalibus Neapolitanis & Gallicis facilè electum; ſed Franciſcum tit. SS. quatuor Coronatorum Presbyterum Cardinalem, Burdegalenſem dictum, nunquam conſentire voluiſſe, dicentem ſe potiùs eum in Regem vel Imperatorem electurum, utpote virum armis, quàm religioni aptiorem, in temporalibus magnum, in ſpiritualibus modicum, ut Leonardus Aretinus aſſerit, vel nullum, ut S. Antoninus tit. 22, cap. 6, in principio. Addit Auctor Burdegalenſis Cardinales Romanos, qui tres erant numero, teſtatiſſe initio ejus electioni, verùm poſtea acquieviſſe; at Burdegalenſem firmum in ſua ſententia permanſiſſe.

II.
Ejus patria, & primordia.

Balthaſar natione Neapolitanus ex patre nobili & opulento natus Bononiæ Civili Pontificioque juri operam dedit. Lauream cùm obtinuiſſet Doctoralem, Romam veniens in itinere interrogatus ab amicis, quò iret? *ad Pontificatum* reſpondit, teſte Platina. Fuit primùm à Bonifacio IX in gratiam patriæ inter Cubicularios aſſumptus, poſtea Archidiaconus Bononienſis, & Protonotarius Apoſtolicus, deinde Diaconus Cardinalis S. Euſtachii creatus, vocatus ſemper Cardinalis Bononienſis ab Archidiaconatu ejuſdem Eccleſiæ, poſtea Flaminiæ Legatus dictus, eo munere fungens Joanni Galeacio Mediolanenſium Duci Bononiam abſtulit, aliaſque plures civitates à diverſis tyrannis occupatas recuperavit. Platina & Nauclerus ſcribunt, eum violenter creatum eſſe, quòd & Legatus Bononienſis eſſet, & armatos milites tunc Bononiæ, ubi electio fiebat, pro ſtatione haberet: vel etiam largitione diſtributis Alexandro mortuo muneribus pauperibus Cardinalibus Gregorianis: aut denique ambitu, quòd Ludovicus Andegavenſis Siciliæ Rex, ut ſcribit Niemus lib. 3 de ſchiſm. cap. 53, audito Alexandri obitu, cùm non longè abeſſet, cum navium claſſe, quemdam Oratorem ſuum ad Cardinales, antequam conclave ingrederentur, miſerit pro commendatione ejuſdem, quem ſuum ſingularem amicum eſſe dicebat. Denique ipſum ſemet Pontificem declaraſſe, ceteris præ metu contradicere non auſis, Bergomenſis lib. 14 narrat. Sed eorum pleraque vana eſſe non dubitat Spondanus, quia Niemus ejus hoſtis & in omnes maledicus ei aliud non objiciat, quàm prædictam commendationem Ludovici Regis: nec in criminationibus in eum in Concilio Conſtantienſi acerbiſſimè congeſtis aliud dicatur, quàm genera im, quòd tantum practicare ſcivit, ut in Romanum Pontificem electus fuerit.

III.
Joannes XXIII conſecratur, & coronatur.

Balthaſar itaque electus die XVII Maji ſtatim per Cardinales inthronizatus eſt, & Joannes XXIII voluit nominari. Et in craſtinum coram eo, dominis Cardinalibus, qui in conclavi fuerant, præſentibus, Epiſcopus Oſtienſis Miſſam in Pontificalibus ſolemniter celebravit, ipſo in Cappella magni palatii Apoſtolici Bononienſis in cathedra, in ſtatu, & habitu Papalibus exiſtente. Deinde ſequenti die Sabbati, quæ fuit XXIV dicti menſis Maji in Presbyterum ordinatus fuit per dictum Epiſcopum Oſtienſem; erat enim tantùm Diaconus, & die Dominica ſequenti 25 ejuſdem menſis per eundem Oſtienſem conſecratus in Eccleſia ſancti Petronii Bononienſis, & demum ante & extra dictam Eccleſiam in Scadafalco alto & eminenti, Miſſa priùs poſt dictam conſecrationem per eum dicta, ſive celebrata, per dominum de Brancaciis primum Diaconum Cardinalem, abſente Cardinale de Saluciis, publicè & ſolemniter coronatus fuit. Poſt quam coronationem in ſtatu & habitu papalibus, comitantibus ipſum Cardinalibus, multis Prælatis, Nobilibus, & civibus Bononienſibus, & aliis ſine numero, honorificè & ſolemniter per civitatem Bononienſem more ſolito equitavit, & demum rediit ad palatium. Hæc ex Petri Tillii monumentis à Raynaldo num. 20 relatis conſtant, à quibus non diſſentiunt Niemus in ejus Vita, & Gobelinus, quorum prior ait, eum in feſto S. Urbani ſeu die 25 Maji inſignibus papalibus decoratum, ſeu coronatum, per Bononiam publicè inceſſiſſe per vicos & plateas equitando, *prout moris eſt Summorum Pontificum in die coronationis eorundem*; Gobelinus pariter ætat. 6 cap. 90 Coſmo. ſcribit eum coronatum VIII Kal. Junii, additque multos in ejus electione ſcandalizatos eſſe, quia ut tyrannus rexiſſe Bononiam, & vitæ mundanæ deditus dicebatur.

IV.
Mortuo Ruperto Rege Rom. commendat Sigiſmundum in ejus ſucceſſorem.

Statim poſt coronationem Joannis Pontificis mortuus eſt Rupertus Romanorum Rex, ut tradit Gobelinus laudatus: quare Joannes audito ejus obitu Oratores ad Electores Imperii miſit, teſte Platina, oratum ut Sigiſmundum Lucemburgium Hungariæ Regem Imperatorem crearent, virum ſtrenuum, & ad omnia fortiter agenda, ut ipſe dicebat, promptiſſimum. At nihilominus prælatum fuiſſe Sigiſmundo Jodocum Moraviæ Marchionem ejus patruelem multi narrant, alii negant, Jodocum in-

Inter Romanorum Reges aut Imperatores non numerant, quia electus menſe Septembri brevì poſt vitam finivit, antequam primâ coronâ argenteâ, quæ Aquiſgrani ſumi conſuevit, fuiſſet inſignitus. Quidquid ſit cùm ante Jodocum à tribus Electoribus electus fuiſſet Sigiſmundus, Jodoco mortuo, ſub finem ejuſdem anni 1410, vel initio ſequentis quinque ſuffragiis Sigiſmundus electus eſt; aberant enim duo Electores ſcilicet Rex Bohemiæ, & Dux Saxoniæ, quæ ex Gobelino citato conſtant. His Joannes Dubravius in Hiſt. Boëmiæ lib. 23 addit, Sigiſmundum, cùm eſſet unus ex Electoribus tanquam Marchio Brandeburgenſis, primùm rogatum ſententiam dicere ſe ſe nominaſſe; ſe quidem noſſe inquiens, alios non item an æquè cum ipſo imperio Orbis digni eſſent: miratoſque tam liberam vocem ceteros Electores, communi conſenſu illum approbaſſe. Ex duplici illa Sigiſmundi electione factum eſt, ut aliqui ejus initium ſumant ab anno 1410, alii ab anno 1411. Certum tamen eſt, eum tam citò non fuiſſe coronatum Aquiſgrani, ut diſertè aſſerit idem Gobelinus cap. 94, & in literis ab eo ad Joannem XXIII ſcriptis anno 1414, apud Bzovium eodem anno diſertè ait Sigiſmundus, ſe primùm diadema faſtigii Imperialis accepiſſe Aquiſgrani unà cum ſua conjuge Barbara, die octavo Novembris in feſto SS. IV Coronatorum illius anni: addens in fine annum quintum ſuæ Electionis, unà cum primo Coronationis, ex quo & ſequitur eum annos ſuæ electionis numeraſſe a menſe Septembri anni 1410, quo Electores conveniſſe ad electionem, eumque à tribus ante Jodocum electum ſcribit Gobelinus cap. 90. Hac porrò commendatione Joannes XXIII ſibi Sigiſmundi gratiam aucupavit, & eum ad ſui Pontificatûs protectionem præparavit.

V. *Subſidia à Gallia exigit.*

Non multò poſt, ut narrat Spondanus ex Monſtreleto lib. 1 capp. 67, & 70, Joannes Pontifex Archiepiſcopum Piſanum in Galliam miſit pro colligendis decimis & vacantiis beneficiorum Eccleſiaſticorum, & ſpoliis Sacerdotum defunctorum, quæ jure divino, naturali, canonico & civili, ſummo Pontifici & Cameræ Apoſtolicæ deberi contendebat: ſed Univerſitatem Pariſienſem his acriter reſtitiſſe cum proteſtationibus menſe Novembri ejuſdem anni 1410, & menſibus Januarii ac Februarii anni 1411 factis, etiam cum deliberatione provocationis ad Concilium Generale, & privationis omnium Magiſtrorum, qui prædictorum ſubſidiorum ſolutioni conſentirent. Verùm cùm inter hæc ſcripſiſſet Pontifex de imminenti periculo novi ſchiſmatis à Florentinis & Ladiſlao Rege, ſubſidium tandem charitativum conceſſum eſt mediæ decimæ. Quæ uti ſe habuerint diligenter narrat idem Monſtreletus, in quibus nihilominus obſervat Spondanus anno 1410 num. 5 non recuſaſſe Univerſitatem hoc ſubſidium, niſi quòd Legatus contendebat illud debitum eſſe ex vi Leviticæ legis, quâ decimæ decimarum pendebantur Summo Sacerdoti, cui minimè chriſtianam Eccleſiam obligari Univerſitas opponebat. Epiſtolam Joannis ad Alamannum Archiepiſcopum Piſanum & Gaufridum electum Xantonenſem Nuncios, ut colligant ſubſidium charitativum in regno Franciæ & Delphinatu Viennenſi, de qua loquitur Monſtreletus, extat Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum, col. 1413; ſed in ea nulla mentio eſt Florentinorum, qui tunc ſine dubio ſtabant a partibus Joannis, ut mox dicetur. Et revera Epiſtola data eſt *Senis ſecundo Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri anno primo*, ideoque anno 1411.

VI. *Romam accedit.*

Antequam Alexander Papa extremum diem clauderet, Paulus Urſinus Pontificiarum copiarum Dux, unà cum Malateſta exercitus Florentinorum duce Rómam expulſis Ladislai fautoribus, pro Alexandro Papa recepit menſe circiter Januario anni 1410, ut refert S. Antoninus tit. 22 cap. 5 § 7 ex Joanne Villanio. Urbe itaque recepta Joannes Papa poſtquam ferè per annum Bononiæ converſatus eſſet cum Curia, ad eam ſe conferre conſtituit, ejuſque iter per agrum Florentinum & Senenſem fuit, ut ait S. Antoninus laudatus cap. 6. Romam intravit, ut ſcribit Bzovius ex Diario MS. una cum Ludovico Andegavenſi Siciliæ Rege & Cardinalium cœtu Sabbato ſancto, ſeu die undecima Aprilis anni 1411, ubi à civibus valde honorificè exceptus, die Paſchæ Miſſam ſolemniter celebravit in Baſilica Vaticana. Deinde die feſto S. Georgii, vigeſimo tertio Aprilis, poſt Miſſarum ſolemnia ibidem peracta, vexilla militaria Pontificum, Romanæ Eccleſiæ, Ludovici Regis, Senatûs populique Romani, nec non Pauli Urſini Pontificiarum copiarum Ducis, ex ſolemni formula ſacravit, & die S. Vitalis vigeſimo octavo menſis ejuſdem, eiſdem Ludovico Regi & Paulo Urſino ſummam rei bellicæ commiſit contra Ladiſlaum Eccleſiæ hoſtem, & Angeli Corrarii, olim Gregorii duodecimi fautorem, Legatum Apoſtolicum eis adjungens Petrum Stephaneſcum Hannibaldum, Romanum, Diaconum Cardinalem Sancti Angeli. Ludovico Regi & Paulo Urſino datus eſt auxiliator Jacobus Sfortia Dux celeberrimus, qui in Æmilia honeſtâ familiâ natus ex Patre Joanne Attendulo, per omnes gradus militiæ virium robore & animi magnitudine non parvum nomen bellis Italicis adeptus, ſub diverſis Ducibus & Principibus ſtipendia meruit: *Sfortia* cognomine dictus à violento ingenio

nio, quod gerebat. Tandem & ipſe Copiarum Dux factus, operam ſuam variis Principibus ac Rebuspublicis locavit. Jàm verò a Florentinis, quibus militaverat, cum bona eorum venia ad Joannem Pontificem tranſivit. His itaque Ducibus adversùs Ladislaum cum exercitu procedentibus, ventum eſt ad manus in Campania die decima nona Maji, & poſt aſperrimum & longum certamen, fugatus eſt Ladis aus magna ſuorum ſtrage & præcipuorum Procerum captivitate, ipſeque ad Sanctum Germanum, de rebus ſuis penitus deſperans, fugit.

VII. *Quatuordecim Cardinales creat.*

Eodem anno 1411 Joannes Pontifex, ut non ſolùm armis, verùm etiam doctorum virorum patrocinio ſe muniret, die ſexta Junii, Sabbatho quatuor Temporum quatuordecim Cardinales creavit, egregios planè viros, ſcilicet *Franciſcum Landum* Venetum, qui dictus eſt Presbyter Card. tit. S. Crucis in Jeruſalem; *Antonium Pancerinum*, ſeu Panciarinum Forojulienſem, qui dictus eſt Card. tit. S. Suſannæ, *Joannem Luſitanum*, Archiepiſcopum Ulyſſiponenſem, tit. S. Petri ad Vincula; *Alamanum Alimarium* Florentinum, Archiepiſcopum Piſanum, tit. S. Euſebii; *Petrum de Alliaco* Gallum Compendienſem Epiſcopum Cameracenſem, tit. S. Chryſogoni; *Georgium Roſco* ſeu Ruſca Epiſcopum Tridentinum ſine titulo, quia nunquam Romam venit & citò obiit; *Brandam Caſtellionem*, ſeu Caſtellioneum Mediolanenſem, Epiſcopum Placentinum tit. S. Clementis; *Thomam Brancacium* Neapolitanum, Pontificis ſororis filium, Epiſcopum Tricarienſem, tit. Sanctorum Joannis & Pauli; *Ægidium de Campis* Gallum, Caroli VI Francorum Regis à Confeſſionibus, Epiſcopum Conſtantienſem, qui nunquam titulum obtinuit, quia ad Romanam Curiam non acceſſit; *Thomam Langley*, quem alii Armellinum vocant, Anglum, Epiſcopum Dunelmenſem, qui titulum etiam non obtinuit, quod nunquam Romæ comparuerit; *Robertum Alun* etiam Anglum, Epiſcopum Sareſberienſem, qui propter rationem mox dictam titulum etiam non obtinuit. Præter hos undecim Presbyteros, tres alios renunciavit Diaconos Cardinales, nempe *Lucium de Comitibus* Romanum tit. S. Mariæ in Coſmedin; *Franciſcum Zabarellam* Patavinum electum Epiſcopum Florentinum, tit. SS. Coſmæ & Damiani; *Gulielmum* denique *Philaſtrii* Cenomanenſem, Archiepiſcopum Aquenſem ſine Diaconia, qui paulò poſt abſens factus eſt Presbyter Cardinalis tit. Sancti Marci. Ita Ciaconius poſt Panvinium; ſed dubium eſt, utrùm Robertus Alun Sareſberienſis Epiſcopus verè fuerit Cardinalis dictus à Joanne XXIII, cùm in Actis Concilii Conſtantienſis, cui interfuit, nunquam dicatur Cardinalis; imò apud Walſinghamum, qui ægrè honores patrios omittere conſuevit, nihil legitur de Cardinalatu Thomæ Armelini, & Roberti Alun, licèt Godwinus in ſua collectione Præſulum Angliæ haud illos hac dignitate fraudatos voluerit; qui Auctores ſic conciliari poſſunt, ſi dicamus cum Auctore Burdegalenſi, hoc tempore vivente, apud Spondanum num. 4, duos illos Anglos recuſaſſe Cardinalatum.

VIII. *Epiſcopalem Sedem in Polonia erigit.*

Odoricus Raynaldus ad annum 1413 num. 24 ex libro ultimo Epiſtolarum Joannis XXIII ſcribit Joannem Pontificem rogatu Wladiſlai Poloniæ Regis anno 1412 *quinto Kalendas Septembris Epiſcopalem Sedem in oppido, cui Lamburga, vulgò Livvovvem, ſive Leopole nomen inditum in Ducatu Halecienſi* excitaſſe, ut ex ea Evangelicæ lucis radii latiùs ad finitimas provincias diffunderentur. Diu multùmque quæſivi, quænam ſit illa civitas Lamburga, vulgò Livvovvem, ſeu Leopole, quæ ſita ſit in Comitatu Halicienſi in Ruſſia nigra; ea enim omninò diverſa erat a Leopoli urbe regni Poloniæ, Ruſſiæ Metropoli, juxta Philippum Ferrarium, dicta etiam à Polonis *Luvovvo*, à Germanis *Lembourg*, & ab italis *Leopoli*, quia licèt hæc ſit etiam ſita in Ruſſia nigra, ſicut Comitatus Halicienſis, erat tamen multò ante hæc tempora Epiſcopalis, imò Archiepiſcopalis dicta fuerat ab Urbano V circa annum 1364, ut legitur apud Spondanum anno 1362 num. 16, non verò anno 1361, ut dicitur in Lexico Geographico Michaëlis Antonii Baudrand; eo quippe anno Urbanus V nondum erat Pontifex. Nec dici poteſt hoc oppidum fuiſſe *Carrodunum*, ſeu *Leopolim* Peucinorum, Ruſſiæ Minoris, ſeu Nigræ caput, *Lvovov* etiam & *Lembourg* appellatum juxta Sanſonem & alios, licèt enim Peucini populi eſſent in eo tractu, in quo nunc eſt Ruſſia Minor ſeu Nigra, provincia regni Poloniæ, eodem Sanſone & aliis teſtibus, certum eſt tamen, illud Carrodunum non fuiſſe diverſum à Leopoli Ruſſiæ Metropoli, Carrodunum quippe eſt ad amnem *Peltevv* dictum, ſicut Leopolis, & utraque urbs in Ruſſia Nigra. Quidquid ſit, ſi vera ſcribit Raynaldus, dicendum eſt hanc urbem à Joanne XXIII dictam Epiſcopalem, à multo tempore fuiſſe deſtructam, ſicut nunc deficit in dies Halicia, Comitatus Halicienſis alias primaria.

IX. *Crucem in Ladiſlaum publicat.*

Poſt Victoriam à Ludovico Andegavenſi Siciliæ Rege reportatam, Ladislaus animo conſternatus, ut mox dictum eſt, ad Sanctum Germanum fugit, ubi videns hoſtes ab inſecutione victoriæ ceſſare, animum reſumens, aditibus regni occupatis, Ludovicum poſtea in regnum penetrare cupien-

pientem facilè repulit. Hanc culpam non fuiſſe Ludovici rem magna contentione urgentis; ſed Pauli Urſini volentis utrumque Regem atque Pontificem in dubio & ancipiti ſtatu renere, ne facilè bellum conficeretur, & ipſe auctoritate, qua pollebat, caderet, ideoque varia ſubinde impedimenta perſequendæ victoriæ quæſiſſe, donec tempus rei benè gerendæ elapſum eſſet, atque inde malè audiſſe, & in Pontificis indignationem incurriſſe, ſcribit Poggius lib. 4, & poſt eum Summontius lib. 4 cap. 62. Quare Ludovicus inutili prorsùs victoria potitus, ad Pontificem cùm revertiſſet, inde rerum Italicarum curâ, ob tantam hominum mobilitatem depoſitâ, in Galliam ad ſua ſe recepit. Ladislaus verò Rex inquietiſſimi ingenii Princeps, cùm vehementer arderet cupidine potiundæ Urbis, & Pontifici graviſſimè iratus eſſet, rurſum ſtatum Eccleſiæ armis & ſeditionibus infeſtare cœpit. Joannes Pontifex, ut ait Niemus, de potentia ſua diffidens propter inconſtantiam & avaritiam ſuorum Ducum, ſacrum bellum in Ladislaum ut in Eccleſiæ boſtem indixit, iiſdem indulgentiis & conditionibus, quæ apponi & concedi conſueverunt pro tranſmittentibus in Terram Sanctam contra Infideles. Hujus publicationis tempus, nempè annum 1412, breviter ſignat Monacbus Dionyſianus tunc vivens.

X. *Pacem cum eo init.* His territus Ladislaus, ad fraudes ſemper & ubique intentus, cum Pontifice tractare cœpit de obedientia ei præſtanda. Miſſoque à Pontifice Nicolao Brancacio Cardinale Epiſcopo Albano, pacem cum eo compoſuit; ſed in ſpeciem magis, quam ex animo, cùm nihil Ladislaus ex fide ageret, qui nullam babebat. Præſtitit tamen obedientiam Joanni, dimiſſo Gregorio, qui hactenus ſub ejus tutela Cajetæ permanſerat, quique tunc Cajetâ Ariminum ſe recepit ad Carolum Malateſtam veterum amicum, illius civitatis Dominum, à quo cum omni bonore & gaudio receptus eſt. Licèt autem *non multum de eo confideret* Joannes *Pontifex*, *ſciens*, *eum facile fractorem eſſe fidei: non tamen credebat pro tunc contra eum aliquid attentaturum. Nam etſi diceretur Regem versùs Romam accedere, cauſam hujus rei Rex divulgaverat, quòd quia Pontifex citò ad Concilium eſſet iturus, expediret non longe eſſe ab Urbe ad compeſcendos inſurgentes tumultus, ne novitas fieret*, inquit S. Antoninus tit. 22 cap. 6. Quæ acta ſunt anno 1412 & initio anni 1413.

XI. *Concilium Romæ celebrat.* Eodem anno 1412 Joannes XXIII nihil ſibi timens à Ladislao, Romæ Concilium celebravit, cujus meminit Monachus Dionyſianus, ſcribens Joannem ab initio Pontificatùs decreviſſe Concilium celebrare, ſed hactenus impeditum fuiſſe infeſtationibus Ladislai: ubi verò divulgatum eſt ex pace cum eo inita, ſecura fore itinera, ex Italiæ, Hungariæ, Boëmiæ, Angliæ, Scotiæ & Alemanniæ partibus, quæ Joanni obediebant, Prælatos illuc tendere decreviſſe: delegatoſque etiam ex Gallia atque Univerſitate Pariſienſi viros præſtantes, qui ei intereſſent; idque ipſum confirmat Juvenalis. Illud Concilium convocavit Joannes literis datis *Romæ apud S. Petrum III Kal. Maji*, *Pontificatûs anno primo*, ideoque anno 1411. Earum potiſſimùm partem refert Raynaldus eodem anno num. 7. Illud autem convocavit, ut morem gereret Piſano Concilio, quod Generale Concilium triennio poſt iterum celebrandum ſtaruerat, quod conſtat ex ipſiuſmet Joannis literis, quibus Concilium Conſtantienſe indixit, in quo ait, Alexandrum deceſſorem ſuum, Concilio Piſano approbante, decreviſſe iterum Generale Concilium ſolemniter convocandum, illudque ipſum Piſanum uſque ad tempus triennii continuandum ſtatuiſſe: mortuo verò interea Alexandro, cùm tempus triennii appropinquaſſet, ipſum Joannem Concilium ejuſmodi Romæ convocaſſe: verùm quia Prælati & ceteri, qui Concilio intereſſe debebant, nequaquam in tanto numero conveniſſent, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbantur, illud propagaſſe ad aliud tempus commodius. Quantocumque autem Patrum numero conſtiterit illud Concilium Romanum, *Generalis* tamen nomen accepit, ut intelligatur ex Synodali decreto, quod in eo factum eſt contra Wicleſi & Huſſitarum errores, quodque Joannes Cochlæus refert lib. 1 Hiſtoriæ Huſſitarum, quodque extat Tomo XI Conciliorum Labbei col. 2322, datum illud *Romæ apud S. Petrum IV Nonas Februarii*, *Pontificatus anno tertio*, ideoque die ſexta Januarii anni 1413. Illud decretum ita incipit: *In Generali Concilio* &c. & poſtea: *Eodem ſacro approbante Concilio, dictos libros, tractatus, & opuſcula, videlicet dialogum, trialogum & omnes alios ejuſmodi libellos, & alia quæ ejuſdem Joannis Wikleff nomine inſcribuntur, & intitulantur .... igue jubemus publicè concremari*. Monet denique Joannis Wicleſſi cultores, infra novem menſes, quos pro primo, ſecundo, ac tertio & peremptorio termino aſſignat, apud Sedem Apoſtolicam compareant, *dicturi & allegaturi quidquid voluerint*, *ne idem Joannes*, *licèt ab humanis ereptus*, *de bareſi condemnetur*. Ex his patet Concilium illud Romanum ineunte Februario anni 1413 nondum ſolutum fuiſſe. De eodem Concilio loquitur Gobelinus Perſona in Coſm. æt. 6 cap. 90. *Joannes Papa*, inquit, *Concilium*

lium

lium Generale in Urbe celebrare decrevit, *quod Alexander prædeceſſor ejus in tertio anno poſt Concilium Piſanum ſupradictum decreverat celebrandum*. Convocaſſe autem illud Joannem pro Kalendis Aprilis anni 1412 conſtat ex literis convocationis apud Raynaldum laudatum.

XII. *Ladislai Regis perſecutionem fugiens, Romam deſerit.*

Non multò poſt fœdifragus Ladislaus, magno collecto exercitu, Romam ex improviſo, ſuorum qui in Urbe erant fautorum auxilio, aggreſſus, fractis mœnibus loco ab hominum habitatione longè diſtante, eam ingreſſus eſt die 8 Junii in Octava Aſcenſionis Domini. Quod audiens Joannes Pontifex, & intelligens eum hoſtem, aufugit cum Curia Sutrium versùs, vixque manus inſequentium evaſit: inde Viterbium, ac dein Florentiam ſe ſe proripuit, factaque ibi aliquot menſium morâ, demum Bononiam pervenit die duodecimo menſis Novembris. Captus tamen eſt Cardinalis Barenſis; plures Prælati aliique Eccleſiaſtici occiſi, omnes bonis exuti, Eccleſiæ expilatæ, & in equorum ſtabula & ſpurcitiarum proſtibula converſæ; mulieres honeſtæ ac virgines ſacræ conſtupratæ; probi cives aut occiſi, aut triremibus addicti, aut pulſi; omnia ſacra & profana violata; nihil denique ſceleris inactum relictum. Hæc plures Auctores tangunt; ſed Urbis occupationem & fugam Pontificis diſtinctiùs Niemus unus ſuglentium in Joannis XXIII vita, id eſt in tractatu continente res geſtas, ſeu veriùs opprobria ſpurciſſima Joannis, narrat; in quibus examinandis, aut vindicando Joanne ab ejus acerbiſſimis criminationibus, non eſt tempus terendum, ſed ea tantùm excerpenda, quæ ad ejus temporis hiſtoriam ſincerè exponendam facere videntur; nam quæ fuerunt publicata, aut credita Joannis vitia, videbuntur in Concilio Conſtantienſi. Sed patrata à Ladislao ſcelera lugubriùs refert Antonius de Chalanto Cardinalis miſſus à Joanne Pontifice paulò poſt ad Sigiſmundum Regem oratione, quam exhiber Bzovius anno 1413 ex Actis MSS. Concilii Conſtantienſis, ad eum habita contra Ladislaum, qui interim reliquas urbes, & terras Eccleſiæ occupavit, magna ſpe Tuſciam integram, ipſamque univerſam Italiam per fas nefaſve in poteſtatem ſuam reducendi, niſi Deus eam illi poſt præcidiſset; obiit enim menſe Auguſto anni 1414.

XIII. *Cardinales creat.*

Antequam Româ exiret Joannes XXIII, die Veneris, decima quarta Aprilis, anni 1413, juxta Panvinium & Ciaconium, *Simonem de Cramado* ſeu *Cramaudo* Gallum, Archiepiſcopum Remenſem & Patriarcham Alexandrinum, Presbyterum Cardinalem tit. S. Laurentii in Lucina renunciavit. Anno verò ſequenti 1414 die duodecimo Kalendas Octobris, juxta eundem Panvinium, Bononiæ exiſtens, *Jacobum Inſulanum* Bononienſem Cardinalem Diaconum tit. S. Euſtachii, mox juxta Ciaconium S. Mariæ Novæ creavit, ac denique Legatum Urbis & Vicarium Generalem in univerſo ſtatu Eccleſiaſtico conſtituit, dum ipſe proficiſceretur ad celebrandum Concilium Generale Conſtantienſe. His duobus tertium addit Auguſtinus Oldoinus, à Panvinio, Ciaconio, & Contelorio non memoratum, ſcilicet *Guillelmum Carbonum* Neapolitanum, quem ex Epiſcopo Theatino à Joanne XXIII in catalogum Cardinalium adſcriptum ſub titulo Sanctæ Balbinæ dicit legi in catalogo Theatinorum Præſulum; addit tamen Ferdinandum Ughellum fateri in monumentis illius Eccleſiæ MSS. conſtare tantùm Guillelmum Eccleſiam Theatinam ab anno 1396 uſque ad annum 1419 prudenter ac piè rexiſſe. Sed Oldoinus concludit ex Martini V Romani Pontificis diplomate conſtare Guillelmum hunc purpurâ ornatum olim vixiſſe, & in Vaticanis regiſtris hunc Cardinalem nominari, cujus rei fides apud ipſum ſit.

Concilium Conſtantienſe, Generale XVI.

XIV. *Joannes Pontifex agit cum Sigiſmundo Cæſare de celebratione Concilii Generalis.*

In his rerum anguſtiis cùm *unicum remedium & Imperatori & Pontifici* videretur *Generale Concilium advocari*, ut inquit S. Antoninus tit. 22, cap. 6, § 1, Joannes Pontifex audito quòd Sigiſmundus electus Imperator in Lombardiam veniſſet, de Concilii celebratione, quam Romæ faciendam indixerat, alio loco commodo habenda ſolicitus, poſt rem jam pridem cum Imperatore, literis, & Nunciis agitatam, duos Cardinales ad eum miſit, nempe Antonium de Chalanto tit. S. Ceciliæ Presbyterum natione Sabaudum, & Franciſcum Zabarellam Patavinum SS. Coſmæ & Daminiani Diaconum, unà cum Emmanuele Chryſolora nobili Conſtantinopolitano, ac plena poteſtate conveniendi de loco & tempore celebrationis Concilii. Sed *horum miſſio Legatorum ruinæ Pontificis initium fuit, ſed amotionis ſchiſmatis & unionis faciendæ non modica pars*, inquit ibidem S. Antoninus; cùm enim ante eam miſſionem Leonardo Aretino Secretario ſuo in arcano dixiſſet: *In loco Concilii totum eſt. Nec alicubi eſſe volo, ubi Imperator plus poſſit. Legatis igitur iſtis, qui à me mittuntur, mandata ampliſſima, poteſtatemque maximam, ad honeſtatis ſpeciem dabo, quæ palam oſtentari poſſint atque proferri: ſecreto autem mandatum reſtringam ad loca certa*; poſtea tamen divino nutu contigit, ut

ut proficiſcentibus Legatis, momento temporis propoſitum diu cogitatum immutarit, iiſdemque dixit, decreviſſe ſe quidem loca quædam indicare, à quibus nullo modo diſcederent, ſed in hoc temporis puncto ſententiam ſe mutare, ac ipſorum prudentiæ totum committere, chartulamque, in qua loca ſcripta erant, in eorum conſpectu laceravit, abſque ulla alicujus loci nominatione, adjiciendo: *Vos quid mihi tutum, quid formidandum cogitetis.*

XV. *Conſtantia eligitur pro loco Concilii.*

Legati igitur profecti cum Sigiſmundo convenerunt de loco Conſtantiæ, civitatis provinciæ Moguntinæ, amplæ ſatis ad recipiendam magnam hominum multitudinem, ac ſitu quaſi poſitæ in medio nationum, quæ ad Concilium acceſſuræ erant; convenerunt etiam de tempore, nempe feſto omnium Sanctorum anni milleſimi quadringenteſimi decimi quarti. Quæ ubi intellexit Joannes XXIII incredibiliter indoluit, ſe ipſum & fortunam ſuam deteſtatus, quòd à propoſito illo reſtringendorum locorum deſciviſſet; *ſed voluntati Dei reſiſtere nemo poteſt*, ſubdit S. Antoninus. Re itaque ſic inter Sigiſmundum & Legatos conſtitutâ, idem Sigismundus, apud Abrahamum Bzovium anno 1413, literas publicas ſcripſit è loco Viglud Comanæ diœceſis die penultima Octobris ejuſdem anni 1413, quibus narrans quæ cum prædictis Legatis Joannis Pontificis conſtituiſſet, univerſis ad Concilium Conſtantiam venturis ſecutum commeatum, plenamque libertatem, tam in acceſſu, quàm in ſtatu & receſſu promiſit. Earum partem recitat Raynaldus anno 1413, num. 22. Aliaſque ſpeciales in eundem ſenſum direxit poſtea Gregorio XII, hortans ad unionem Eccleſiæ & ſecuritatem tam ipſi, quàm omnibus ejus obedientiæ promittens. Earum etiam partem refert Raynaldus num. 23, ſed omiſit diem, quo datæ ſunt Laudæ. Sicuti & Magiſtratus Conſtantienſis per acta publica juravit ſervare certa capitula à Joanne Pontifice propoſita pro eadem ſui ac ſuorum planiſſima libertate accedendi, ſtandi, & recedendi, atque exercitio juriſdictionis & auctoritatis ſuæ. Ita apud Bzovium loco laudato.

XVI. *Joannes Pontifex Concilium indicit.*

Jam ſuperius diximus, Joannem Româ fugientem Florentiam ſe recepiſſe, ſed die duodecima Novembris Bononiam perveniſſe. Ex ea urbe convenit Sigiſmundum Placentiæ exiſtentem, indeque cum illo Laudam petiit. *Joannes*, ait S. Antoninus ibidem, *principio hyemis è Florentia Bononiam adiit. Nec multò poſt congreſſum Sigiſmundi petens in Galliam projectus Ciſalpinam, Placentiæ primò cum illo congreditur. Inde ad Laudenſem urbem profecti, ambo menſe fere toto in ea urbe fuere.* Ibi Joannes publico diplomate, quod extat Tomo XII Concil. Labbei, dato quinto Idus Decembris, anno Pontificatûs quinto, prædictam loci & temporis electionem auctoritate Apoſtolica confirmans, Concilium Generale Conſtantiæ celebrandum indixit ad Kalendas Novembris anni 1414; ad idque omnes Prælatos, Reges, & Principes invitavit. Ipſe etiam Sigiſmundus ad ſingulos Reges, ac præcipuos alios Principes, Nũcios ſuos direxit, quibus eos de his certiores reddidit, & ad conſentiendum hortatus eſt, ut ſciri poſſet quis ex tribus contendentibus verus eſſet Pontifex. Monachus Dionyſianus ſcribit, Francorum Regem reſpondiſſe, ſe in tollendo ſchiſmate multum deſudaſſe, ut notiſſimum univerſo Orbi erat: creato legitimè Alexandro V adhæſiſſe, ac poſtmodùm Joanni; ac nihilominus votis dilectiſſimi cognati ſui Regis prædicti aſſentiendo, permiſſurum ſe cuicumque volenti ad Concilium ire.

XVII. *Conſtantiam accedit.*

Ab urbe Laudæ Joannes & Sigiſmundus Cremonam petierunt, ſed *Joannes relicto apud Cremonam Imperatore Mantuam petiit. In ea urbe paulò longius commoratus, tandem exacta hyeme tota Bononiam rediit*, inquit ibidem S. Antoninus. Tunc Avenionenſes excuſſo Benedicti XIII jugo, Joannis imperio ſe ſubjecerunt, qui provinciæ præſidem dedit Archiepiſcopum Narbonenſem, literis datis Mantuæ VI Idus Februarii, Pontificatus anno IV, quarum meminit Raynaldus anno 1414, num. 5; eo enim anno datæ ſunt. *Exacta hyeme* Mantuam ſe recepit Joannes, qua ex urbe Bartholomæum Epiſcopum Piſaurienſem in Angliam miſit, ut ſubſidiarias opes contra Ladislaum poſtularet, diplomate dato *Bononiæ Kalend. Aprilis, Pontificatus anno IV*, apud Raynaldum loco laudato. *Ea æſtate anni* 1414, ſubdit S. Antoninus, *cum Bononiæ reſideret Joannes ſuſpenſis omnium animis, & ad Concilium ſe præparantibus, Ladislaus Rex Apuliæ præter ſpem expectationemque omnium moritur.* Et intrà: *Pontifex maximè illius morte relevatus eſt, ut jam nil eſſet, quod illum cogeret ad Sigiſmundum reſpicere. Sed tamen quia Concilium à Pontifice, ſimulque Imperatore in eorum congreſſu Gallicano ſolemniter fuerat publicatum, & locus Conſtantiæ indictus, tempuſque præfixum, quo adeſſe oporteret, noluit Pontifex promiſſis deeſſe, quamvis multi cum temporaliter diligentes ſibi contrarium ſuaderent, quod ſibi accidit formidantes & annunciantes. Exiſtimavit tamen ipſe in brevi reverſurum ſe firmiorem in ſede Petri.* Kalendis itaque Octobris Bononiâ recedens, per Veronenſem & Tridentinum agrum tranſmiſſis Alpibus Conſtantiam acceſſit, ibique ſolemniter exceptus eſt die 28 ejuſdem menſis, quæ erat dies Dominica, feſtumque SS. Apoſtolorum

Si-

Simonis & Judæ, *cui Imperator cum magna & decenti comitiva per aliquot milliaria obviam venit, ipſum ut Papam venerans, & ſummo bonore in Conſtantiam introducens*, ut ſcribit ſæpè S. Antoninus § 2, in quo certè fallitur: Sigiſmundus enim Conſtantiam non appulit ante feſtum Nativitatis Chriſti ejuſdem anni, ut mox videbitur. Sed Joannis ingreſſum ſpecialiùs deſcripſit Joannes Nauclerus Generat. 48. Hujus Concilii Hiſtoriam breviter hîc deſcribendam duxi ex Actis editis ex Spondano & Raynaldo, deficientibus aliis libris ad Hiſtoriam Eccleſ. pertinentibus, quorum magna eſt in hac urbe Arauſionenſi penuria: Hiſtoriam enim Concilii nuper quinque Tomis in fol. editam, in ea reperire nobis non contigit.

XVIII. *Indicit primam Concilii Seſſionem.*

Convocaverat Joannes Concilium ad diem 1 menſis Novembris anni 1414, quare eadem die celebratâ ab eo Miſsâ, & inter ejus ſolemnia facto ſermone per quemdam Doctorem, Franciſcus Zabarella Diaconus Cardinalis SS. Coſmæ & Damiani, vulgò dictus Florentinus ab Eccleſia, quam rexit, ſchedulam legit, ſeu libellum de facta per eundem Pontificem indictione hujus Concilii in continuationem Piſani, pro reformatione ſtatus Eccleſiæ, deque illo inchoando die Sabbati ſequenti tertia Novembris. Eo verò in diem Lunæ quintam menſis prorogato, tunc præmiſſa ſolemni proceſſione, adſtante cum mitris & habitibus Pontificalibus, tam Cardinalium, quàm Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & aliorum Prælatorum cœtu copioſo, Pontifex Miſſam ſolemniter celebravit, & ſermone ad Clerum pronunciato per quemdam Priorem Ordinis Cluniacenſis, Bellicenſis diœceſis, idem Cardinalis Zabarella ex pulpito ligneo, quod aſcendit, hæc verba altâ & intelligibili voce protulit: *Sanctiſſimus Dominus noſter Papa, ſacro appobante Concilio, ſtatuit Seſſionem tenendam die Veneris decima ſexta hujus menſis* Novembris.

XIX. *Prima Seſſio.*

Eâ die adveniente celebrata eſt prima Seſſio in Eccleſia Cathedrali Conſtantienſi, quâ poſt Miſſam per Jordanum Urſinum Romanum Cardinalem Epiſcopum Albanum dictum, cantataſque Litanias, & alias orationes factas, ipſemet Joannes Pontifex ſermonem habuit ad Synodum ſumpto hoc themate *Veritatem & pacem diligite*, Zachariæ 8, & adducens auctoritates novi & veteris Teſtamenti, allocutus eſt Synodum, exhortans omnes ad ſolerter meditandum quæ ad Eccleſiæ ſtatum & pacem pertinerent. Deinde idem qui ſuprà Franciſcus Cardinalis Florentinus alta voce legit ſchedulam: *Joannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad futuram rei memoriam*. „ intendentes ad executionem „ eorum, quæ per felicis recordationis Alexandrum Papam V prædeceſſorem noſtrum in Piſano Concilio decreta fuerunt „ circa convocationem Concilii Generalis „ iterum faciendam, dum aliàs præſens „ Concilium convocavimus per literas noſtras, quarum tenore hîc duximus inſerendum.„ Sequitur deinde Bulla convocationis Concilii, data, ut ſuperiùs diximus, Laudæ quinto Idus Decembris, Pontificatûs anno quarto, ideoque anno 1413. Qua Bulla lecta per quemdam Magiſtrum Joannem, idem Cardinalis ſurgens & ſtans, ſchedulam reſumpſit, cujus reſiduum legit, in qua inter alia admonebat Patres Pontifex de perpendendis iis, quæ ad pacem Eccleſiæ, & errores Wicleſianos ſpectarent, deque modeſtia in Synodo ſervanda. Ac ne fortè occaſione ſeſſionum turbæ excitarentur, declarabatur ex ordine ſedendi, nullum alicui Eccleſiæ aut perſonæ præjudicium futurum.

XX. *In ea creantur Miniſtri Synodi.*

Poſt hæc creati ſunt miniſtri & officiales Synodi, ſcilicet pro qualibet natione unus Protonotarius, & unus Notarius & Scriba, quibus dedit auctoritatem & plenariam poteſtatem videndi & ordinandi omnia quæcumque in Synodo agerentur, & ſcribenda forent. Illi autem ex quatuor præcipuè nationibus delecti ſunt, ſcilicet Italica, Gallica, Germanica & Anglica, ſub quibus univerſas alias comprehenſas fuiſſe habent Acta edita, quouſque recedentes Hiſpani à ſuo idolo Petro de Luna, & ipſi ad Concilium acceſſerunt, & quintam nationem confecerunt. Bertholdus de Urſinis Comes Suanenſis & Palatinus dictus eſt Concilii cuſtos: deputati ſunt etiam quatuor ſcrutatores votorum, decretorum Doctores, quibus ſcribæ ſemper deberent adſtare: Quatuor Juris Doctores Concilii Advocati, ſcilicet Petrus de Ancharano, Simon de Peruſio, Raphael de Fulgoſiis, & Ardecinus de Novaria: Duo Concilii Procuratores, ſeu promotores, ac denique quatuor Magiſtri cæremoniarum. Hiſque geſtis indicta eſt futura Seſſio in diem Lunæ decimum ſeptimum Decembris.

XXI. *Sigiſmundus Cæſar Conſtantiam venit.*

Ideo autem prolata eſt Seſſio in eam diem, quia Sigiſmundus Romanorum Rex ſive Imperator, ſine quo nihil ponderoſum ordinari volebat Joannes, ut conſtat ex literis à Raynaldo num. 13 relatis, ad eundem Sigiſmundum à Joanne Kalendis Decembris datis, nondum Conſtantiam advenerat, redimiri enim priùs voluit Aquiſgrani argenteâ coronâ, quæ eſt prima regni Romanorum, die octava Novembris ab Archiepiſcopo Colonienſi, ut eo ornatu auguſtior ſolemnibus Epiſcoporum cœtibus intereſſet. Quoniam verò non appulit Conſtantiam ante feſtum Nativitatis, aliaque

que ſupervenerunt impedimenta, expectarenturque Antiſtites plures ac Principes, Regumque Oratores dilata eſt rurſum ſecunda ſeſſio uſque ad menſem Martium anni ſequentis 1415. Tandem Sigiſmundus, teſte Joanne Nauclero, cùm in Vigilia Nativitatis appuliſſet ad oppidum quoddam diſtans Conſtantiâ milliari Germanico, unà cum uxore ſua & Regina Boſnenſi, ac Duce Saxoniæ, noctu nave Conſtantiam ductus, mox Eccleſiam ingreſſus eſt, & ad Miſſam Pontificalem habitu Diaconali legit de more Evangelium: *Exiit edictum à Cæſare Auguſto*. His conſentientia ſcribit Joannes Cochlæus lib. 2, Hiſt. Huſſitarum: *Sigiſmundus*, inquit, *Rex in Vigilia Nativitatis Chriſti Uberlingam veniens cum conjuge ſua per lacum Conſtantienſem navigio properavit, inde ad civitatem ut intereſſet Miſſarum ſolemniis. Sub mediam igitur noctem Conſtantiam ingreſſus, primam Miſſam celebrante Papa, ipſe Diaconi habitum indutus legit Evangelium alta voce: Exiit edictum à Cæſare Auguſto*. Uſum legendi vel cantandi Evangelium in Miſsâ Pontificiâ vel ab ejus Legato in nocte Nativitatis Domini, antiquiorem eſſe oſtendit id quod aſſerit Bohuslaus Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum, ubi pag. 368, ſcribit, Carolum IV Imperatorem, Sigiſmundi patrem anno 1357, in Comitiis Imperii Metis habitis, in nocte Nativitatis Domini, Miſſam Legato Pontificio ſolemniter celebrante, Diaconi munere functum eſſe, & Evangelium legiſſe. Sed fallitur in anno; ea enim Comitia habuit Carolus deſinente anno 1356, ut ſcribit Villanius lib. 7, cap. 46, & Rebdorfius in Annalibus. Legatus ille Pontificius erat Androinus Abbas Cluniacenſis, poſtea Cardinalis, quem eodem anno 1356, Innocentius VI ad Carolum Imperatorem miſerat octavo Idus Octobris, qui unà cum Carolo Delphino ipſius Imperatoris nepote apud eum ageret de Joannis Franciæ Regis in Anglia captivi redemptione, & pace inter illa duo regna conditionibus æquis ſtabilienda. Non ſolùm in Miſſa Nativitatis Domini à Pontifice Romano vel ab ejus Legato celebrata Imperator ſeptimam lectionem legebat, ſed etiam quolibet anno in eadem Miſſa à quocumque celebraretur, cùm enim idem Carolus IV Imperator anno 1377 in Franciam profectus fuiſſet, & decreviſſet feſtum Natalis in oppido S. Quintini regni Franciæ celebrare; ſubſtitit tamen Cameraci, quæ erat civitas Imperii, ſic perſuaſus ab iis, quos Rex obviam ei ad ipſum ad confinia regni excipiendum miſerat, quoniam cùm moris eſſet, Imperatorem nocte Natalis ſeptimam Officii matutinalis lectionem in habitu & inſignibus Imperialibus recitare, nequaquam id licuiſſet ei intra regnum Franciæ nihil Imperii debens exercere. Celebrato autem Natali Cameraci, ingreſſus in regnum, ſummo ubique honore exceptus eſt. Ita refert Spondanus anno 1377, num. 15, ex Continuatore Gallico Guilielmi Nangii, qui hæc vidit & omnia minutatim deſcripſit. Ceterùm Fridericus IV Imperator electus Romam veniens ſub Paulo II anno 1469, ut ſcribit Cardinalis Papienſis initio lib. 7, Comment. apud Ciaconium in Additionibus Andreæ Victorelli, non legit, ſed *non ineptè cantavit* Evangelium die Nativitatis Domini in Matutinali officio, ut ſuo loco dicetur.

XXII. *Gregorii XII Legatus ad Synodum.*

Antequam celebraretur ſecunda Seſſio, imò antequam Sigiſmundus Cæſar Conſtantiam appuliſſet, Jacobus Cerretanus in ſuis Diariis MSS. apud Bzovium anno 1414 inter alia narrat, die decima octava Novembris poſtulanti Cardinali Raguſino Joanni Dominici Gregorii XII Legato aſſignatum eſſe Cœnobium S. Auguſtini Ordinis Eremitarum pro hoſpitio, cui cùm inſignia Gregorii præfixiſſet, ea nocte inſequenti dejecta fuiſſe: diſceptatione ea de re facta, decretum eſſe non debere illa poni in loco obedientiæ Joannis Pontificis.

XXIII. *Joannes Hus traditur in cuſtodiam.*

Joannes Huſs hortatu Sigiſmundi Imperatoris, ad purgandam & ſuam, & Regni Bohemiæ infamiam propter hæreſim, quam profiteri dicebatur, Conſtantiam pervenit Sabbato poſt feſtum Omnium Sanctorum die tertia Novembris. Dederat illi Sigiſmundus die decima octava Octobris literas commeatûs, ſive ſalvi-conductus, quo eum omnibus per quos tranſiret commendaverat, ne quid ei impedimenti fieret. Jam antea Pragæ Joannes triplici præſcripto libello, triplici lingua, Latina, Teutonica, & Bohemica ubique diſſeminato, die vigeſima ſexta Auguſti Dominica poſt feſtum Sancti Bartholomæi, profeſſus erat iturum ſe Conſtantiam, ad reſpondendum de doctrina ſua, rebuſque omnibus, de quibus accuſabatur, omnes adverſarios ſuos monens adeſſe ibidem ad eum coarguendum, qui ſi eum de aliquo vel minimo errore in Fide convincerent, non recuſare ſe quaſcumque hæretici pœnas ſubire. Poſt quæ magna pompa & multo amicorum apparatu, Pragâ exiens die decima quinta menſis Octobris, triduo ante datam Salvi-conductus, atque adeò multo antequam eum reciperet, & toto itinere honorificè ubique habitus, Conſtantiam, ut diximus, die tertia Novembris pervenit, & liberè ibi agere permiſſus eſt. Sed cùm errores Wicleſi in hoſpitio diſſeminaret, nec monitus deſiſtere vellet, ut ſcribit idem Jacobus Cerretanus in Diariis ſuis MSS. apud Bzovium, ductus eſt ad Pontificem, & quodam palatii cubiculo concluſus die vigeſima octava ejuſdem menſis Novembris,

cùm

cùm antea videns infenſos ſibi à Clero Boëmico adverſarios ad accuſandum paratos & inſtructos, cœpiſſet de fuga circumſpicere: quam etiam quæſierat curru ruſticano ſtraminibus oppleto; ſed interceptus ac reductus in palatio, concluſus eſt. Cùmque miles quidam obtruderet ſalvum-conductum, Pontifex negavit ſe dediſſe; ac nihilominus inde eductus, datus eſt in cuſtodiam Epiſcopo Lauſanenſi Apoſtolicæ Cameræ Regenti; commiſſique ſunt, ad eum examinandum quatuor Cardinales, unà cum Generalibus Ordinum Prædicatorum & Minorum, ſexque Archiepiſcopis & Epiſcopis viris doctiſſimis. Hæc conſtant ex Diariis illis MSS. & ex Cochlæo lib. 2. Hiſt. Huſſitarum cap. 48. Poſtquam hæc & ſequentia de Concilio Conſtantienſi ſcripſiſſem, pervenit ad manus meas Hiſtoria Concilii Conſtantienſis à Jacopo Lenfant viro è Proteſtantium ſecta erudito anno 1714, Amſtelodami linguâ Gallicâ publicata, quam etiam curſim tantùm legere licuit. Aſſerit ille Joannem Cochlæum, qui ex Ulrico de Reichental Canonico Conſtantienſi Concilio præſenti deſumpſit ea quæ ſcripſit de fuga Joannis ab eo differre, quòd Richental dicat Joannē Huſs die tertia Martii fugere tentaſſe, ideoque anno 1415; Cochlæus verò ejus fugæ aſſignat diem 23 Martii; ſed exiſtimo in Cochlæo legendum, die 23 Novembris; dici enim non poteſt errorem in numeris deſtruere fidem hujus hiſtoriæ, cùm referatur etiam ab Eberhardo Dacherio viro integerrimo & Conſiliario Electoris Saxoniæ, qui Concilio etiam præſens fuit, quem fas non eſt exiſtimare Joannem Huſs fugæ falsò præſens incriminaſſe, cùm in præfatione ſuæ Hiſtoriæ MS. Concilii Conſtantienſis, de eo officiosè loquatur, teſte Jacobo Lenfant pag. 58. Neque veritas fugæ Joannis Huſs deſtruitur ex ſilentio Actorum Concilii, cùm Acta edita ſileant etiam fugam Hieronymi de Praga, quam tamen non diffitetur Jacobus Lenfant. His adde Joannem Nauclerum Generat. 48, & Joannem Trithemium in Chronico Hirſaugienſi pag. 338, ſub finem hujus ſæculi decimi quinti fugam Joannis Huſs à Concilio disertè memorare. Quod attinet ad diem, quo cuſtodiæ traditus eſt, hic valdè incertus; ſi enim rigorosè loqui velimus, dicendum eſſet eum fuiſſe diem tertium menſis Decembris, cùm ipſemet Joannes Huſs ſcribens ad Bohemos Tom. Primo ſnorum Operum fol. 22, & 23 apud Lenſant pag. 210, dicat eo die, quo Imperator Conſtantiam intravit, ſe jam fuiſſe detentum à tribus ſeptimanis: cùm ergo Imperator Conſtantiam intrarit die 24 Decembris circa horam noctis duodecimam, cuſtodiæ traditus fuerat Joannes Huſs die Lunæ tertia Decembris, non verò die Mercurii 28 Novembris: quod ideò hìc obſervo, ut pateat eos auctores non multum in Chronologia fuiſſe exercitatos. Quidquid hac de re ſit, etiamſi Joannes Huſs noluiſſet Conſtantiâ fugere menſe Novembri anni 1414, & ſubſtitutio illa diei 23 Novembris pro 23 Martii ſuſtineri non poſſit, eam enim hìc examinare non vacat, libris illis deficientibus, juſtè tamen Joannes Huſs traditus eſt cuſtodiæ, non obſtante ſuo ſalvo-conductu, qui ipſi tantùm conceſsus erat ab Imperatore, non à Synodo; ut ſe purgaret, non verò ut errores ſuos propagaret, quod tamen ipſo ſui adventus initio fecit. Unde poſtea Synodus declaravit ex ſalvo-conductu Imperatoris nullum jurisdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari, vel impedimentum præſtari potuiſse. Vide dicenda in Seſſione XV.

XXIV. *Biſuntini Archiep. prætenſio à Papa.*

Acta MSS. Bibliothecæ Regiæ obſervant, Theobaldum de Rubeo monte Archiepiſcopum Biſuntinum, ſeu Veſontionenſem ad Synodum advenientem, prætendiſſe ex privilegio Eccleſiæ ſuæ conceſſo, Papam in prima viſitatione teneri ſibi tribus paſſibus occurrere: Joannem tamen Papam id recuſaſse, & cauſam Placentino, & Aquilejenſi Cardinalibus commiſiſse. Quod tamen putandum eſt, ut ait Spondanus, eum feciſse, non quòd indignum Pontificia majeſtate cenſeret trium paſsuum occurſum uni è ſuis fratribus, ſed quòd id Biſuntinus Archiepiſcopus ex neceſsaria obligatione, & ſingulari privilegio præ cæteris Confratribus ſibi debitum contenderet. Quid verò à prædictis Cardinalibus dictum fuerit, nec in iis Actis, nec alibi legitur: fortè re imperfecta remanente ob turbas ſupervenientes.

XXV. *Numerus Patrum Concilii.*

Eadem Regiæ Bibliothecæ Acta habent, die duodecima Januarii anni 1415, Joannem Naſſovium Archiepiſcopum Moguntinum cum ducentis armigeris, vel cum ſexcentis equis, ut ſcribit Cochlæus lib. 2 Hiſt. Huſſitarum præcedente vexillo cum ejus inſignibus, & enſem latere ferentem, ingreſſum eſſe Conſtantiam. Cui obviam occurrêre Cardinalis Barenſis, Magiſter Domus Pontificis, & Comes Bertoldus de Urſinis Concilii Cuſtos. Advenerunt pariter plures alii Prælati, Principes ac Nuncii tanto numero, ut Joannes Nauclerus Generat. 48 ſcribat, die ſecunda menſis Februarii fuiſſe Conſtantiæ quatuor Patriarchas, Cardinales viginti novem, Archiepiſcopos quadraginta ſeptem, Epiſcopos centum & ſexaginta; Sæcularium verò Principum, Comitum, Baronum, ac Nobilium ingentem multitudinem. Sed in numero Cardinalium fallitur Nauclerus, qui addit die tantùm octava Februarii acceſſiſſe tres Cardinales de obedientia Gregorii, præter Joannem Dominici dictum Car- di-

dinalem Raguſinum, de quo ſuperiùs, ex Actis tamen S. Victoris Pariſienſis intelligitur, quando Joannes Papa Concilium deſeruit, id eſt die vigeſima Martii, fuiſſe tantummodò ſexdecim Cardinales, nec plures in Actis editis ampliùs leguntur quam ſeptemdecim, quouſque admiſſi ſunt in ceterorum conſortium Cardinales Gregorii XII & Benedicti XIII; ad quæ tempora reducendus eſt numerus illorum viginti novem, ſi fortè unquam non ſolùm ſimul & ſemel, ſed & ſucceſſivè repertus fuerit, de quo non conſtat, cùm nullibi in ullis Actis plures viginti recenſeantur: In Actis enim editis Seſſione XX habita die vigeſima prima menſis Novembris ejuſdem anni 1415, in qua recenſentur nomina illorum, qui juraverunt approbationem capitulorum Narbonenſium, de quibus infra, ſunt tantùm viginti Cardinales, inter quos quidam Gregoriani reperiuntur. Ex Actis etiam Concilii, & ex aliis Auctoribus conſtat, interfuiſſe Concilio amplius trecentos Archiepiſcopos & Epiſcopos, præterquam plurimos Abbates & Priores, ingentemque aliorum Eccleſiaſticorum, ac Doctorum numerum, & tantam Principum, Procerum, ceterorumque nobilium copiam, ut Blondus Decad. 2 lib. 1 ſupra quadraginta hominum millia fuiſſe; & S. Antoninus tit. 22 cap. 6 § 2 fuiſſe *equorum ſupra triginta millia, ex quo multitudinem hominum licet conjectari*. Ob tantam hominum multitudinem ſummam ſtraminis fuiſſe penuriam, refert Diarium Venetum apud Raynaldum anno 1414 num. 13, decretumque fuiſſe, ut Joannes tantùm viginti, Cardinales decem, Epiſcopi quinque, Abbates quatuor, Principes decem equos alerent.

XXVI. *Joannes PP. Sanctam Birgittam iterum canonizat.* Eodem anno 1415 ante ſecundam Seſſionem, ipſoque die Purificationis B. Mariæ Virginis, ſeu die ſecunda Februarii, ut ſcribit Nauclerus laudatus, ad inſtantiam Oratorum regnorum Sueciæ, Daniæ, & Norvegiæ Joannes Papa canonizavit Sanctam Birgittam, cui ſolemnitati ait adfuiſſe quatuor Patriarchas, Cardinales viginti novem (fallitur in numero Cardinalium, ut jam dictum eſt) Archiepiſcopos quadraginta ſeptem, Epiſcopos centum & ſexaginta, ſæcularium verò Principum, Comitum, Baronum, ac Nobilium ingentem multitudinem. De ea Canonizatione loquitur etiam Trithemius in Chronico Spanheimenſi, extatque Tomo 1 Operum Gerſonii ejus tractatus de probatione ſpirituum, tunc Conſtantiæ habitus cùm ageretur de canonizatione ejuſdem Birgittæ, adeo ut de hoc facto nullum dubium ſit. Ex quo conjicere licet petitam ibi fortè fuiſſe canonizationem ſeu confirmationem ejuſdem canonizationis jam olim factæ à Bonifacio IX, ut in ejus Vita diximus, ob dubiam apud multos Bonifacii auctoritatem occaſione ſchiſmatis tunc maximè vigentis. Qua etiam ratione putandum eſt eandem canonizationem iterum poſtulatam à Martino V, cujus extat ea de re Conſtitutio ante Revelationes S. Birgittæ, data Florentiæ Kalendis Julii anno Chriſti 1419, poſt Concilium Conſtantienſe, ut non dubitaretur eam canonizatam fuiſſe à vero & indubitato Pontifice, ſicque de ſanctitate ejus toties excuſſa nullus ſupereſt ſcrupulus.

XXVII. *Acceſſus Cardinalium Gregorii, & Benedicti.* Cardinales obedientiæ, Gregorii juxta eundem Nauclerum, acceſſerunt Conſtantiam feria ſexta poſt Purificationem, ſeu die octava Februarii; in Actis verò Victorinis dicitur tantùm adveniſſe Nuncios Angeli Corarii, ſeu Gregorii XII, & Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII, quorum aliqui erant Cardinales, poſt adventum Imperatoris: Dubitatumque eſſe utrum permitterentur ingredi cum pileo rubro; pro bono verò pacis, cujus causâ venire dicebant, permiſſos eſſe, non propterea admiſſos fuiſſe in conſortium ceterorum donec facta eſt Gregorii renunciatio, ut videbitur in Seſſione decima quarta. Venerunt quoque, juxta eadem Acta Victorina, Ludovicus Dux Bavariæ obediens prædicto Gregorio XII, cum cujus Nunciis propoſuit coram Imperatore ſe viam Ceſſionis ex parte Gregorii proſecuturum. Ceteri quoque Prælati ac Doctores ejuſdem partis petierunt, quod in mandatis habebant à Gregorio, ne Joannes XXIII præſideret aut intereſſet Concilio, & vota omnium eſſent libera, eoque pacto ſe omninò obedientiam decretis Concilii præſtaturos.

XXVIII. *Deſignatur colloquium inter Benedictum, & Sigiſmundum.* Nuncii verò Petri de Luna, ſeu Benedicti XIII, ut proſequuntur eadem Acta, nihil aliud obtulerunt, niſi ut Sigiſmundus Imperator aliquo loco conveniret cum ipſo & Ferdinando Rege Aragonum, inter quos via reperiri poſſet unionis: jam enim ante Concilii inchoationem, Rex Aragoniæ à Regibus Sigiſmundo Romanorum, & Carolo Francorum per Nuncios rogatus, ſollicitè Benedictum impulerat conſentire cum reliquis duobus contendentibus Ceſſioni, quam juraverat; cùmque à pervicaci ejus animo nihil aliud obtinuiſſet, quàm ut Oratores Conſtantiam ad Sigiſmundum Regem mitterentur locum colloquio petituri, ad quem venturi Benedictus & Ferdinandus eſſent, locus pro eo colloquio delectus eſt Nicæa, ſeu Nicia civitas maritima in ora Liguriæ, ſeu potiùs portus de Villafranca, in quo colloquium menſe Junii habendum erat, ut conſtat ex diplomate ipſius Joannis Papæ, de quo mox. Ille tamen locus poſtea mutatus eſt, ut infrà videbitur.

XXIX. *Honores Sanctis debiti S. Rocho impenduntur à Concilio.* Ejuſdem Concilii Conſtantienſis decreto ad propulſandam ingruentem luem Sancto Rocho honores Sanctis debitos fuiſſe im-

SÆC. XV. JOANNES XXIII.

impenſos, ſolemnique pompa ejus imaginem omni comitante populo per urbem delatam: quo facto illa peſtis mox evanuit, ſcribit Franciſcus Diedo in ejuſdem Sancti vita apud Surium die 16 Auguſti. Inde verò, inquit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, ut ubique locorum ejus imagines, altaria, ſacella, ac denique templa erecta fuerint. Quod ſi ita ſit, non immeritò Phæbæus, alibi à nobis laudatus, obſervavit inde initium ſumpſiſſe uſum imaginem Sancti noviter canonizati, omni comitante populo, per urbem deferri; imò inde vexillorum uſum in ſolemnibus proceſſionibus canonizationum deferendorum, quamvis tunc id factum fuiſse conſtet ad arcendam peſtiferam luem, quæ per totam urbem graſsabatur, impetrata à Deo S. Rochi interceſſione, non ſine inſigni miraculo, ſanitate, votis omnium expetita. Vixit porrò Phæbæus exeunte Sæculo XVI, vel ineunte XVII. Nec obſtat, quòd in Actis Concilii nulla hujus facti mentio ſit; non minùs enim eadem Acta ſilent de canonizatione S. Birgittæ ibidem facta, quam tamen modò nemo in dubium revocat. Præter Franciſcum Diedum, Petrum Pinum, & Claudium à Rota, Ludovicus Maldura vitam ejus ſcripſerunt apud Surium, & Krantzius in Metropoli Saxoniæ lib. 9 cap. 25 fusè etiam de eo agit, qui omnes, ſi Raynaldo anno 1327 num. 56 fides, honores Sanctis debitos à Concilio Conſtantienſi fuiſse exhibitos affirmant.

XXX. *Seſsio ſecunda Concilii, qua Joannes promittit cedere.*

Interim dum hæc fierent, eadem die prima Martii Quatuor Nationibus in palatio Apoſtolico congregatis præſente Sigiſmundo Imperatore, Joannes Patriarcha Antiochenus natione Gallus, tunc nationis Gallicæ Præſes, Joannem XXIII totius Concilii nomine ſupplex rogavit, ut ad reddendam Eccleſiæ abſolutiſſimam pacem Pontificatu cederet abdicantibus æmulis, aut quoties ejus ceſſione Eccleſiæ unio procurari poſſet, quod Joannes ſe præſtiturum ultrò promiſit. Celebrata eſt itaque die ſequenti, ſecunda Martii, in Eccleſia Cathedrali ſecunda Seſſio Concilii, qua poſt dictam à Pontifice Miſſam, lectaſque preces ac ſolemnitates, quæ fieri conſueverunt in Seſſionibus, idem Pontifex ſedens in Cathedra ante Altare converſus ad Concilium ibidem congregatum, alta voce in præſentia Regis Romanorum & quatuor Nationum congregatarum legit ſchedulam, ſibi die præcedenti à prædicto Joanne Patriarcha Antiocheno totius Concilii nomine oblatam, & ab eo acceptatam, cujus hic erat tenor: *Ego Joannes Papa XXIII propter quietem totius populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo, voveo, & juro Deo, & Eccleſiæ, & huic ſacro Concilio, ſponte & liberè dare pacem ipſi Eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis Papatus, & eam facere & adimplere cum effectu juxta deliberationem præſentis Concilii, ſi & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII, & Angelus de Corario, Gregorius XII, in ſuis obedientiis nuncupati, Papatui quem prætendunt, per ſe vel Procuratores ſuos legitimos ſimpliciter cedent, & etiam in quocumque caſu ceſſionis, vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari unio Eccleſiæ Dei ad extirpationem præſentiis ſchiſmatis.* Et dum proferret illa verba: *Spondeo, promitto, voveo, & juro Deo,* flexit genua versùs Altare, ponendo manus ad pectus, addiditque hæc verba: *Et ita promitto obſervare.* Hic porrò obſervandum eſt in Actis editis apud Labbeum col. 16, Patriarcham Antiochenum vocari Vitalem, cùm tamen in iiſdem Actis Seſſione vigeſima, col. 184, & pluribus aliis Seſſionibus Patriarcha Antiochenus ſubſcriptus legatur *Joannes*. Forte Patriarcha ille Antiochenus vocabatur Joannes Vitalis, diverſus tamen à Vitali Epiſcopo Tolonenſi, qui ſubſcriptus reperitur cum eodem Joanne Antiocheno col. 184. Eo facto Sigiſmundus Imperator depoſitâ coronâ, flexiſque genibus pedes Joannis Pontificis oſculatus eſt, eique tam ſuo, quàm Concilii nomine gratias egit, idque ipſum præſtitit ex parte univerſi Concilii Patriarcha Antiochenus. Ac demum confecta eſt à Joanne XXIII ea de re Bulla, data, non ſecundo Nonas Martii, ut legitur apud Spondanum num. 5 ex Actis Victorinis, & ex Monacho Dionyſiano, ſed ſexto Nonas Martii, ſeu die ſecunda Martii, ut legitur apud Raynaldum num. 3, ubi integra extat, ſicuti & in Actis Conciliorum Labbei Tomo XII pag. 1459, in quibus dicitur etiam data bulla, *VI Nonas Martii, Pontificatus anno quinto*. Acta porrò Victorina apud eundem Spondanum addunt, poſt gratias Pontifici actas, Sigiſmundum Imperatorem, omneſque Regum ac Principum Oratores, totumque Concilium promiſiſſe Joanni, ſi duo alii non ſe humiliarent ad ceſſionem ſicut ipſe fecerat, adſtaturos ſe ipſi perpetuò adversùs illos tam ſpiritualibus favoribus, quàm temporalibus auxiliis.

XXXI. *Petitiones Concilii à Joanne Pontifice.*

Diſcordiæ interim inter Joannem Pontificem & Sigiſmundum Regem augebantur, quæ alterum alteri ſuſpectum planè inimicumque reddidêre, ut inquit S. Antoninus part. 3 tit. 22 § 2; imò ex Actis Victorinis intelligitur jam ferè ab initio fuiſſe ſimultates & turbationes inter eos occaſione Ceſſionis, quæ à Sigiſmundo exigebatur, utpote unicum pacis remedium. Illæ autem diſcordiæ non parum auctæ ſunt, cùm die decima quinta Martii, ut eadem Acta referunt, petitum fuit à Papa; Primò, Ne diſ-

diſſolveretur Concilium, donec unio perfecta eſset. Secundò, Ne transferretur aliò. Tertiò, Ne Papa inde abſcederet. Quartò, Ut conſtitueret procuratorem ad renunciandum efficaciter ejus nomine. Quintò, Ut de præmiſſis daret bullas. Sextò, Ne Prælati aut alii ad Concilium vocati recederent, niſi fortè propter infirmitatem aut paupertatem. Ad quæ die ſequenti reſpondens Papa; ad primum annuit. Ad ſecundum, Videri commodius Concilium transferri ad locum aliquem Niciæ vicinum, ubi debebat fieri colloquium Regis Romanorum cum Benedicto & Aragonio. Ad tertium, Utilius eſse ipſum cum Concilio Niciam versùs accedere. Ad quartum, Velle ſe facere id per ſe ipſum: id enim honeſtius fore reſpectu rei, perſonæ, Eccleſiæ & Concilii. Ad quintum & ſextum nulla ponitur reſponſio, ſed patet ex prædictis. Cùm itaque non eſset à Pontifice per ſuas reſponſiones ſatisfactum Nationibus, inſtiterunt illæ rursùm pro ſyngrapho ſeu procuratorio, ne fortè Papa mutaret ſententiam, & ad evitandas colluſiones. Sed & Legati Gregorii conteſtati ſunt, Dominum ſuum nequaquam iturum Niciam, ſed potiùs venturum Conſtantiam aut daturum procuratorium ad cedendum. Itemque Legati Benedicti, ſe nihil acturos cum Concilio, aut Joanne Papa; ſed tantùm cum Imperatore, ad quem ſolùm miſſi erant.

XXXII. *Joannes Pont. Conſtantiam deſerit.* Exciverat Conſtantiam Joannes Papa Fridericum Auſtriæ Ducem, cum quo re ſecretò compoſita, rebus, ut jam dictum eſt, ſic ſtantibus, dum expectaretur ut Joannes, ſicut promiſerat, nationibus ſatisfaceret, ſubitò auditum eſt eum abiiſſe nocte præcedente diem feſtum Sancti Benedicti, ſeu nocte ante diem 21 Martii: *Die Mercurii Vigeſima Martii*, inquiunt Acta Tomo XII Concil. Labbei col. 1464, *Dominus noſter Papa prædictus de nocte receſſit, aut verius fugit de civitate Conſtantienſi in habitu ſimulato ad modum ruſtici, & ivit uſque Scaphuſenſem Conſtantienſis diœceſis prope Conſtantiam ad quatuor millaria Theutonicalia, ad terram illuſtris Principis Frederici Ducis Auſtriæ pro prima ſua diæta*. Capta itaque fuga Joannes, ut invidiam à ſe removeret, ſequentem literam Sigiſmundo ſcripſit eadem die vigeſima prima Martii, & die ſequenti miſit; ita enim habetur in MS. quod exhibet Edmundus Martene Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum col. 1618. *Copia literæ, quam in craſtino S. Benedicti miſit Papa Domino Regi Romanorum poſt receſſum ejus occultum de Conſtantia*, quæ verba deſiderantur in MS. quo uſus eſt Labbeus loco laudato, ubi eadem Epiſtola legitur: *Cariſſime fili, gratia Dei Omnipotentis liberi & in convenienti aere ſumus in Schafuſa; & venimus iſtic abſque filio noſtro Duce Auſtriæ, non animo declinandi ab his, quæ promiſimus per renunciationem noſtram facere pro pace Eccleſiæ Sanctæ Dei; ſed ut in libertate ac ſalute propria perſonæ poſſimus, prout indubiè volumus, ea executioni demandare. Datum in Schafuſa die 21 Martii 1415.* Subtus ſcripta erat: *Cariſſimo filio noſtro Sigiſmundo Regi Romanorum*. Miſit etiam continuò Joannes Conſtantiam Reginaldum de Carnuto Archiepiſcopum Rhemenſem, Schaffuſiam miſſum à ſuis collegis Legatis Regis Francorum, qui eadem ſignificaret quæ in prædicta Epiſtola continebantur, cujus Archiepiſcopi relatio deſcribitur in Actis editis Seſſione quarta. Cùm porrò de receſsu Joannis omnes turbarentur, Sigiſmundus congregatis Nationibus metum deponere juſſit: ſe protecturum Concilium & unionem uſque ad mortem procuraturum pollicitus.

XXXIII. *Seſſio tertia.* Die Lunæ vigeſima quinta Martii, ut habent Acta edita, non verò vigeſima ſexta, ut in margine poſuit Labbeus, quæ concurrebat non cum die Lunæ, ſed cum die Martis, viſum eſt Concilio Seſſionem celebrare, ne diſsolveretur. Acta quidem Victorina, Monachus Dionyſianus & Gobelinus laudatus cap. 94, Seſſionem habitam ſcribunt die Martis 26 Martii; ſed eam celebratam die vigeſima quinta, die Lunæ ex eo conjicere licet, quòd Acta referant in ea cantatam eſse Miſſam *de Domina noſtra de Annunciatione*, quia ſcilicet feſtum Annunciationis eo die celebrabatur. Huic tamen conjecturæ obſtare videntur, proteſtatio facta die Martis 26 Martii, dum Patres eſsent *in Eccleſia Cathedrali Conſtantienſi cauſa tenendi Seſſionem*, quæ extat Tomo XII Concil. col. 1464, & Epiſtola Ambaxiatorum Univerſitatis Pariſienſis ad eandem miſſa & data *Conſtantiæ ſancto die Reſurrectionis*, ſeu die 31 Martii, in qua ita legitur: *Poſt receſſum Papæ ſunt habitæ duæ Seſſiones, una feria tertia poſt feſtum Palmarum, alia in Vigilia Paſchæ*. Extat hæc Epiſtola Tomo 2 Theſauri Novi Anecdotorum col. 1618. Quidquid de die ſit, huic Seſſioni, quæ *Tertia* fuit ordine, interfuerunt tantùm duo Cardinales, nempe Cameracenſis, ſeu Petrus de Alliaco, qui ei præfuit, & Florentinus, ſeu Franciſcus Zabarella; quia tres ex reliquis fuerant à Concilio miſſi ad Joannem, qui voluntatem ejus ſcrutarentur: Septem ad eundem iverant ſpe aut ſpecie reducendi: unus erat infirmus: tres reliqui indecorum reputabant huic Seſſioni aſſiſtere. Ita Acta Victorina. Niemus tamen in Vita Joannis ait, die Dominica Palmarum, ſeu die 24 Martii ſummo mane duos Cardinales, Piſanum & Placentinum receſſiſſe ſecretè è

Con-

Conſtantia, eademque die poſt prandium, Cardinales de Chalento, Brancacium, & Barenſem, ac ſucceſſivè quoſdam alios ſecutos eſse Joannem. Quatta verò feria, ſeu die 27 Martii tediiſſe quatuor Cardinales, eaque die factum eſse congregationem Concilii, cui Rex interfuit. Ad quam accedentes ſex Cardinales affirmarunt Concilium eſſe diſſolutum propter abſentiam & receſſum Pontificis, ſed acriter eis teſtitiſſe plures ex Patribus magnæ auctoritatis & doctrinæ, aſſerentes Pontificem non eſse ſupra Concilium, ſed ſub eo, factamque eſse inde magnam contentionem.

XXXIV. *Pro confirmatione Synodi abſente Joanne PP.*

Interfuerunt huic Seſſioni Archiepiſcopi & Epiſcopi tantummodò circiter quinquaginta ſex, Abbates viginti quinque, omnes mittati, ipſeque Imperator coronatus & Auguſtali habitu; quem, ut deſcribunt Acta Bibliothecæ Regiæ, ajunt ſediſse Dalmatica, & Pluviali veſtitum, Diademate coronatum, ſceptro, pomo aureo, ac enſe per tres Proceres tentis, ac corona per alium quartum, quando ipſemet non eam capite geſtabat, aſſiſtentibus ei à latere duobus Cardinalibus. Et revera in Seſſione 14, ut videre eſt in Actis editis, Ludovicus Comes Palatinus tenebat pomum ſeu mundum, Henricus Dux Bavariæ enſem, Fridericus Burgtavius ſceptrum, & Andreas Baro de Hungaria coronam. Poſt Miſſam autem, Litanias, preces, aliaque conſueta ſolemnia, quæ æquè ſemper in ſingulis Seſſionibus ſervata fuêre, idem Cardinalis Florentinus Patres hortatus piè & ſanctè in omnibus ſe gerere; ac quæ ſentirent liberè in Domino, abſque perſonarum acceptione proferre; certos articulos ex decreto Synodi ad ejus confirmationem & continuationem publicavit: videlicet, Synodum fuiſse & eſse ritè ac juſtè convocatam & initiatam in civitate Conſtantiæ: Per receſsum Joannis Pontificis, ceterorumque Prælatorum aut aliorum quorumcumque eam non eſse diſsolutam, ſed remanere in ſua auctoritate & integritate. Eam non debere diſsolvi quouſque Eccleſia eſset reſotmata in fide & moribus, & capite ac membris, nec in alium locum transferri, niſi ex cauſa rationabili, de conſilio Synodi deliberanda & concludenda: Denique ne Prælati & alii, qui deberent intereſse Synodo, recederent ante illam abſolutam, niſi ex cauſa rationabili examinanda, & approbanda per deputatos à Synodo; runcque recedentes tenerentur dimittere poteſtatem ſuam aliis remanentibus, ſub pœnis juris & aliis à Concilio ſtatuendis. Quæ cuncta approbata ſunt à Synodo, factumque ea de re

XXXV. *Joannis oblata ad Synodum.*

inſtrumentum.

Nec omittendum quod habent Acta Victorina, nec non Diaria Jacobi Cerretani, Cardinales, quos à Schaffuſia rediiſſe die 27 Martii ex Niemo jam diximus, literas & mandatum à Joanne retuliſse, conſtitututum ipſum procuratores ad cedendum ipſo abſente vel nolente: futuros autem procuratores omnes & ſingulos Cardinales, ita ut tres eorum poſsent facere ceſſionem: Ac præterea electurum octo Prælatos, quorum ſimiliter tres mandatum Ceſſionis exequi poſſent, qui hoc modo eligerentur ab ipſo, ut Concilium nominaret triginta ex omnibus nationibus, & ex iis Papa eligeret octo: Conſtituturum quoque Vicarios ad negotium Concilii omnes & ſingulos Cardinales exiſtentes Conſtantiæ, qui ex ſe unum conſtituerent Præſidentem. Petere autem ut ageretur de proviſione ejus poſt ceſſionem: & ut Rex Romanorum ac Concilium redderent eum ſecurum tam ante quàm poſt ceſſionem ab omni moleſtia, parque ſecuritas concederetur Friderico Duci Auſtriæ ſaltem ad certum tempus. Altera quippe die poſt receſsum Pontificis à Conſtantia, ut ait Nauclerus, Sigiſmundus Cæſar convocavit Principes & accuſavit Fridericum, quòd auctor & adjutor fuiſset fugæ Pontificis, in Concilii injuriam, Chriſtianæque Reipublicæ periculum maximum: deinde eum per edictum citari fecit Dominica *Quaſi modò*, ſeu die ſeptima Aprilis: ejuſque citationis virtute abſolvit omnes ſubditos ab ejus obedientia, privavit eum feudis & omnibus bonis, ac corpus & bona ejus expoſuit omnibus: ipſeque ſine mora quædam ejus oppida occupavit, alii alia, Helvetii cum ſuis confœderatis complura. Sed de his poſtea in Seſſione 8. Jam enim ad Joannis receſsum redeundum eſt.

XXXVI. *Joannes PP. ſuum à Concilio receſſum excuſat, accuſans Concilium, & Sigiſmundum.*

Joannes itaque Pontifex ſtatim poſt ſuum receſſum, ſcilicet die 23 Martii Schaffuſiâ ad Wladislaum Poloniæ Regem, & fortè ad alios Reges ſuæ obedientiæ literas ſcripſit pro ſui receſsus excuſatione, contra quas Concilium ſuas univerſales & circulares literas ad omnes Chriſti fideles ſcripſit, quæ omnes extant in Actis Victorinis, ſicuti & aliæ ad Ducem Bituricenſem à Joanne ſcriptæ, cum quibus miſit quoſdam articulos pro ſui receſsus purgatione, qui extant in Codice P. 9 fol. 364 ejuſdem Bibliothecæ Victorinæ, quique lecti dicuntur Pariſiis in publica Univerſitatis Congregatione: quibus præter querelas de injuriis ipſi Joanni multipliciter ab Imperatore illaris, & evidentiſſimo periculo ſuæ detentionis, ac violentæ depoſitionis, alteriuſque ſubrogationis; jactante etiam Epiſcopo Sarisberienſi Anglo, præſente Imperatore, nec cohibente, Imperatorem eſſe ſupra Papam & Concilium; aliæ item continentur de perverſo Conciliorum Ordi-

Digitized by Google

dine. Quippe licèt in Conciliis Generalibus non debeat fieri nationum differentia, ſed omnes & ſinguli ſententiam ſuam publicè aperire, ut unius inſtructione informentur alii: hoc tamen Conſtantiæ non fuiſse permiſsum, quinimò ſtatutum quamlibet nationem unam tantummodò vocem, ſive ſuffragium habituram; etiamſi in natione Gallica eſsent trecentæ voces notabiles & in Italia totidem: quoniam erant ex duabus illis nationibus ducenti Prælati perſonaliter ibidem comparentes, & de Anglicana eſsent tantùm tres Prælati, ac ceteri Clerici novem numero. Item cùm ſtatutum fuiſset futuras quatuor nationes, videlicet Italicam, Gallicam, Germanicam & Anglicam; illaſque habituras quatuor voces, unâ alteri æquiparatâ abſque ulla meriti vel numeri ratione; ſactam eſſe nihilominus unionem duarum, videlicet Germanicæ & Anglicanæ, quas ſuæ voluntati Rex Romanorum colligaſset. Quòd verò nec ſic aliquid propoſiti ſui conſequi poſset duabus aliis contradicentibus, unum erexiſse idolum, nempè Patriarcham Antiochenum, Petri de Luna familiarem & diſcipulum, qui in Portu Veneris fabricaverat literas illas injurioſas contra Regem Francorum, ſcilicet excommunicationis, de quibus in Pontificatu Gregorii XII, ubi egimus de neutralitate à Francis promulgata, locuti ſumus. Item cùm in Conciliis Generalibus ſecundùm ſtatuta canonum jus ſuffragii non competat niſi Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiſcopis & Epiſcopis, quorum ſuffragia ſint in Seſſionibus publicis, & non privatis conſiliis; nihilominus quicumque ad ejuſmodi conſilia fuiſsent admiſſi, nullo diſcrimine Clerici vel Laici, ſoluti vel conjugati, graduati vel non, honeſti vel abjecti; eorumque ſuffragia, ſubtractis Prælatorum ſuffragiis, recepta eſse uſquequaque, etiam Prælatis contradicentibus: Item licèt in Concilio Generali caput ſit principale Chriſti Vicarius, qui dat eſse ipſi Concilio, nihilominus Regem Romanorum Concilii petiiſſe præſidentiam, ac reipſa diverſis vicibus præſumpſiſse præſidere. Item licèt in Conciliis ſuffragia debeant eſse libera, nihilominus multas extitiſſe cavillationes & ſubornationes per minas & terrores ab Imperatore procedentes. Hæc & alia plura Joannes in ſui receſsûs excuſationem, & Concilii ac Sigiſmundi accuſationem.

XXXVII. *Concilii contraria litera pro ſua excuſatione, & Joannis accuſatione.* Contra Joannem rursùs Synodus ſcribens ad univerſos Chriſti fideles decimo ſeptimo die menſis Aprilis, tangens iterùm quod in prædictis ad Wladislaum Poloniæ Regem literis ſcripſerat Joannes, contra libertatem ſacri Concilii portas civitatis Conſtantiæ per diem integrum clauſas fuiſſe, ne aliquis Prælatus vel Clericus exire poſſet, reſpondit tribus rationibus à Joanne ſui receſſus publicatis. Ad primam reſpondit, ante prædicta ipſummet Pontificem edixiſſe ſub anathemate, ne quis præſumeret à Concilio abſque venia abire; cùm autem nihilominus comprehenderentur multi transgreſſores, ac proinde timeretur diſſolutio Concilii, petente ipſomet Joanne Pontifice ab Imperatore, ut huic malo provideret, proviſum fuiſſe ab eo uno tantùm die, nec integrâ, ut portæ non quidem clauderentur, ſed tantùm cuſtodirentur, donec interim efficacior fieret ſpiritualis proviſio. Nec dici poſſe hæc contra Pontificem machinata, quia nimis facile erat Imperatori ipſum aliis modis comprehendere & detinere. Tradunt autem Acta Regiæ Bibliothecæ, nec non Jacobi Cerretani Diaria fuiſſe Cardinalem S. Angeli Romanum, qui ſpecie recreationis, ſed revera tentandi causâ an liber pateret exitus, egredi voluerit, nec eſſe permiſſum, indeque Papam occaſionem cepiſſe reclamandi. Ad ſecundam, ſcilicet quòd deliberationes non per ſingulorum ſuffragia, ſed per nationes peterentur: reſpondit Synodus hanc formam majoris causâ ordinis & compendii, ſtatutam, comprehendere utrumque modum deliberandi per nationes & per ſingula ſuffragia: cùm videlicet per deputatos, ſive delectos Nationum, primò ſeparatim, pòſt ad invicem communicato conſilio, dehinc per ipſas nationes, ubi ſinguli liberi erant, tandem collectis omnibus in unum nationibus ac Cardinalibus, in Seſſione publica quærebatur palàm de ſingulis præmeditatis & examinatis articulis, utrum placerent, permiſsâ cuilibet, ex priſcâ Conciliorum formâ, facultate dicendi quæ vellet. Ad tertiam accuſationem, quòd propter quaſdam inſolentes impreſſiones, non eſset animus in cœtibus ad conſulendum & deliberandum liber, reſpondit Synodus, illam potiùs in eos derivandam eſſe, qui ad nutum Pontificis & in ejus adulationem, ne de illo ipſo quidquam dicatur, cuncta fieri quærebant, ut in ipſos odor lucri refflueret. Additum poſtea ſummopere Synodum cupere reditum Pontificis, ut unà cum ipſo cuncta pacificè firmarentur.

Cùm Joannes prædictas literas adhuc Schaffuſiæ exiſtens ſcripſiſſet, non multò poſt, ſcilicet vigeſima nona Martii, die Veneris Sancta, dum ſolemnia agerentur, acceſſit ad Caſtrum Lauffemberg diœceſis Baſileenſis ſitum etiam ad ripam Rheni, ut diſertè dicit Synodus in prioribus ſuis circularibus literis ad omnes Chriſti fideles ſcriptis. Niemus etiam in ejus Vita id confirmat, addens remanſiſſe Schaffuſiæ omnes Cardinales, qui priùs eum ſecuti fuerant. XXXVIII. *Joannes PP. iterum excuſat quid Schaffuſa receſſerit.*

rant: cùm autem Schaffuſiâ exiiſſet, coram tabellione & teſtibus conteſtatum eſſe, quicquid Conſtantiæ promiſiſſet ac juraſſet, vi ac metu feciſſe; ac propterea minimè ad id obligari: eandemque conteſtationem aliis quoque poſtea locis pluries repetiiſſe. Joannes Papa apud Lauffemberg exiſtens publicis literis ſecundo Nonas Aprilis ſcriptis receſſum ſuum excuſavit; quòd cùm crederet ſe poſſe omnia quæ ad pacem forent ex Schaffuſia exequi, cauſante tamen humani generis hoſte, impedimenta ſupervenîſſent talia, quæ eum coegiſſent exinde feria ſexta Majoris hebdomadæ poſt celebratum officium, ingraveſcente licèt aëris tempeſtate quàm maxima, diſcedere propter metum, qui meritò cadere poterat in virum conſtantem. Et quamvis mors cenſeatur terribilium omnium ultimum, ſe tamen non tam illam, nec alia, quæ ipſi imminebant, graviſſima pericula formidaſſe, quàm ne ex his occaſione capta Petrus de Luna & Angelus Coratius ſe ſe retraherent à ceſſione prætenti eorum juris. Extant eæ literæ apud Raynaldum num. 9, & Tomo XII Concil. Labbei col. 1471. Non multò tamen pòſt à Lauffemberg receſſit, ut infrà dicetur; ad Seſſiones enim Synodales nunc redeundum eſt.

XXXIX. *Quarta Seſſio.* Quarta Seſſio celebrata eſt die trigeſima Martii in Vigilia Paſchatis, cui unà cum Imperatore in habitu & inſigniis ad Regem Romanorum ſpectantibus novem Cardinales adfuerunt; quidam enim qui Joannem Schaffuſiam ſecuti fuerant, ſub ſpecie eum reducendi & reconciliandi, *vim Concilii verentes, Conſtantiam redire, ne forte ſuis dignitatibus privarentur*, inquit S. Antoninus tit. 22, cap. 6, § 2. Huic etiam interfuerunt ducenti Patres, aliquot Principes Germani, unà cum Oratoribus Regum Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri, Navarræ & aliis. Fueruntque per Franciſcum Cardinalem Florentinum publicatæ nonnullæ conſtitutiones in hunc modum: *Hæc Sancta Synodus Conſtantienſis Generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis Schiſmatis & unione ac reformatione Eccleſiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem Omnipotentis Dei, in Spiritu Sancto legitimè congregata, ad conſequendum faciliùs, ſecuriùs, liberiùs & uberiùs unionem & reformationē Eccleſiæ Dei, ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit, & declarat, ut ſequitur. Et primò, quòd ipſa Synodus in Spiritu Sancto congregata legitimè, Generale Concilium faciens, Eccleſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem Eccleſiæ Dei in capite, & in membris*. Deinde prohibitum eſt, ne Joannes Pontifex abſque Synodi deliberatione & conſenſu, officia, & officiarios, ſeu miniſtros, per quorum abſentiam veriſimiliter Concilium diſſolveretur, aut læderetur, de civitate Conſtantiâ educeret; & ſi contrarium facere etiam per cenſuras vellet, totum irritum eſſet; juſſumque iiſdem Miniſtris, officia ſua liberè Conſtantiæ exercere. Pariterque quidquid idem Pontifex contra quoſcumque Prælatos & Eccleſiaſticos, aut officiarios, per translationem, privationem, alioſve quoſcumque modos, tentaret, totum irritum eſſet. De qualibet natione tres committerentur ad cognoſcendum de cauſis recedere volentium à Synodo. Ac demum ne novi crearentur Cardinales: iique tantùm pro Cardinalibus haberentur, qui in receſſu Joannis Pontificis publicè pro talibus agnoſcebantur.

XL. *Cardinales Scaffuſia redeuntes decretis hujus Seſſionis anſam præbuerunt.* Hæc fortè decreta ſunt à Concilio, quia, ut jam Seſſione tertia ex Niemo diximus, die 27 Martii quatuor Cardinales Schaffuſiâ redeuntes aſſeruerant Concilium eſſe diſſolutum, propter abſentiam & receſſum Pontificis, de quo magna facta eſt contentio, pluribus ipſis acriter reſpondentibus, quòd Papa non eſſet ſupra Concilium, ſed ſub Concilio. Pergit Niemus mox repertam eſſe in portis Majoris Eccleſiæ Conſtantienſis affixam quamdam ſchedulam papyream, quâ citabantur omnes officiales Papæ ſub pœna excommunicationis & privationis ad ipſum accedere Schaffuſiam infra paucos dies & in Septimana Sancta, eâque ad Congregationem Concilii perlatâ, conclamatum eſſe in eoſdem Cardinales, quaſi ipſi ſpecie pacis & concordiæ venientes, illam ſchedulam ad res turbandas attuliſſent; cujus tamen ipſi ſe conſcios eſſe negarunt. Suſcitato tamen majori clamore contra eos, ipſos Cardinales inſalutato hoſpite abiiſſe; ſed ipſa die immediatè ſequenti ad placandum Concilium, tempus ſequendi præfatum Papam in eadem ſchedula limitatum, ad aliquot dies ejuſdem Joannis auctoritate prorogaſſe, per quod ſe reddiderunt Concilio magis ſuſpectos. Quod forsàn in cauſa fuit cur Concilium Seſſione quarta hæc decreta ediderit.

XLI. *Variæ Joannis locorum mutationes.* Interea Joannes, quem vidimus die Veneris Sancta, vigeſima nona Martii, Schaffuſiâ ad Caſtrum Lauffemberg receſſiſſe, die Mercurii poſt octavas Paſchæ, nempè die decima Aprilis, in crepuſculo matutino, & mutato habitu, ut ait idem Niemus, recedens à Lauffemberg duobus vel tribus tantummodò comitatus, Friburgum petiit, munitiſſimum oppidum ejuſdem ampliſſimæ diœceſis Conſtantienſis ad Ducem Auſtriæ itidem pertinens. Poſtquam aliquot dies manſiſſet in eo oppido, tranſtulit ſe

 ad

ad oppidum Btiſacum, confiſus ibi per medias perſonas tractare cum Duce Burgundiæ, qui habebat terras non multùm diſtantes, ut eum conduceret pet partes Galliæ uſque Avenionem; & ſuper hoc jam erant conducti plures ſtipendiarii in propinquo exiſtentes; ſed re interim Sigiſmundo Regi detecta, Joannes iterum mutato habitu, die 25 Aprilis ſummo mane die Jovis ad oppidum Nuenburg, ſive Novum Caſtrum ad idem flumen abiit. Illicò tamen ſuperveniente falſorum ore advenientis exercitûs Sigiſmundi ad eum obſidendum, rediit cum magna feſtinatione Friburgum, ubi eum convenerunt Legati Synodi.

XLII. *Legati Synodi eum Friburgi conveniunt.*

Ii erant duo Cardinales, nempe Cardinalis S. Marci, & Florentinus, ac plures Epiſcopi, qui invenerunt eum primò apud Briſacum, ut legitur in Actis Victorinis, & ei fuit objectum in Seſſione undecima Concilii inter crimina contra eum prolata. Briſacum erat oppidum Domini Friderici Auſtrii, Conſtantiâ diſtans trium dierum itinere: ibi die Mercurii vigeſima quarta Aprilis auditi, remiſſi ſunt ad ſequentem diem pro accipiendo reſponſo; interimque Joannes ſummo mane receſſit ad oppidum Nuenburgum, duabus leucis Briſaco diſtans, volens ire in Burgundiam; mandans interim Legaris ſe receſſiſſe eò, quòd illa nocte recepiſſet Nuncium de periculo, quod ei imminebat Briſaci. At verò iter reſumentes Legati Conſtantiam versùs, cùm perveniſſent Friburgum, acceperunt à Ludovico Bavaro fratre Reginæ, & uno ex Legatis Regis Francorum, qui rogatus fuetat à Synodo convenire Ducem Auſtriæ, ad eum reducendum à protectione Joannis, eique ſaudendum ne eum abire ſineret, Joannem Pontificem futurum ea die Friburgi, ſic perſuaſum ab iiſdem Auſtrio & Bavaro. Paulò quidem aliter id narratur à Niemo; ſed major Actis adhibenda fides. Moram itaque Legati Synodi Friburgi trahentes, appulſo Pontifice triduo cum eo egerunt; obtinueruntque tandem procuratorium relatum verbatim in ptædictis Actis Victorinis, datum die 27 Aptilis, quo permiſit & juravit, purè & ſimpliciter renunciare Paparui per ſe vel procuratores, quamprimùm per Concilium de ipſius honeſto ſtatu pro vita & honeſta libertate foret ptoviſum, ſecundùm formam à ſe traditam Cardinalibus Sancti Marci & Florentini, atque Epiſcopo Carcaſſonenſi, ad ipſum à Concilio in Seſſione ſexta deputatis, quod procuratorium noluit tradi Concilio, donec ſibi de ſtatu proviſum eſſet; ſed interim cuſtodiri à Comite Bertholdo de Utſinis Romano, Concilii cuſtode. Quæ hic uno tenore referre viſum eſt, ad majorem dicendorum claritatem.

XLIII. *Joannis poſtulata.*

Ceterùm quæ eſſent Joannis petitiones recenſet Niemus: videlicet, quòd toto tempore vitæ ſuæ eſſet Legatus à latere irrevocabilis per totam Italiam: haberet ſub ſe Bononiam & ejus Comitatum in temporalibus, nec non Comitatum Avenionenſem: emerentur ipſi annui redditus ad vitam ducatorum 30 millium auri, videlicet decem Venetiis, totidem Florentiæ, totidemque Genuæ: liber eſſet ab omni cujuſcumque ſubjectione, ac nihilominus remaneret Cardinalis, & particeps eſſet emolumentorum capellæ, & immunis à reddenda ratione omnium hactenus geſtorum, ac in futurum gerendorum. Quæ tanta & alia ejuſmodi nonnulla, eum petiiſſe ait Niemus, quod ſciret ea non ſibi fore concedenda, utpote in multis irrationabilia: quærens duntaxat tempus hujuſmodi ludificationibus trahere, ſpem ſemper habens eductionis à Duce Burgundiæ, ſed vana erat ejus ſpes; extat enim in ſæpiùs laudatis Actis Victorinis ejuſdem Ducis epiſtola ad Synodum data Divione in Burgundia die decima quinta Maji: quâ reſpondens literis ad ipſum à Synodo ſcriptis poſt fugam Joannis, quibus rogatus fuerat ne eum ſuſciperet, & ſi forte jam eò perveniſſet, ipſum remitteret Conſtantiam ad implenda quæ promiſerat, ait Joannem poſt ſuum receſſum confeſtim ad ipſum Ducem miſiſſe ſuos Oratores, per quos ſignificavit ſe Conſtantiâ ad hoc tantùm receſſiſſe, ut iret Niciam ad renunciandū in propria perſona; Ducem autem omnem ei opem obtuliſſe ad ejuſmodi bonum propoſitum: verùm certiorem jam factum de ſcandoloſo ejus receſſu, nihil ſe acturum quod poſſet unioni Eccleſiæ nocere, ac deliberationibus Concilii, quibus in omnibus adhærere decreviſſet.

XLIV. *Quinta Seſſio præcedentis Conſtitutiones confirmat.*

Intet hæc Conſtantiæ continuabantur Seſſiones Concilii, & *Quinta* habita eſt die Sabbati ſexta Aprilis, cui præfuit Jordanus de Utſinis Cardinalis Epiſcopus Albanus, atque interſuit Rex Sigiſmundus *in veſte Imperiali cum nobilibus ſuis miniſtrantibus ſibi in inſigniis*. In ea poſt Miſſam, Litanias, preces, aliaque conſueta ſolemnia, quæ ſemper in ſingulis Seſſionibus ſervata ſuêre, confirmatæ ſunt primò per definitionem Synodalem, & dilucidiùs explicatæ Conſtitutiones præcedenti Seſſione publicatæ in hunc modum: *Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens*, & cetera in Seſſione præcedenti à nobis relata, uſque ad illa verba incluſivè, *& declarat ut ſequitur*. Et poſtea additur: *Item declarat, quòd quicumque cujuſcumque conditionis, ſtatûs, dignitatis, etiamſi Papalis, qui mandatis, ſtatutis, ſeu ordinationibus aut præceptis hujus ſacræ Synodi, & cujuſcumque alterius Concilii Generalis legitimè congregati, ſuper præmiſſis*

ſeu

ſeu aliàs ea pertinentibus, factis vel faciendis, obedire contumaciter contempſerit, niſi reſipuerit, condignæ pœnitentiæ ſubjiciatur, & debitè puniatur, etiam ad alia juris ſubſidia, ſi opus fuerit, recurrendo. Poſtea confirmatæ ſu t præcedentes Conſtitutiones circa officia, officiarios & Miniſtros Conſtantiæ exiſtentes in plenaria libertate, quod Concilium teſtificatur coram Deo & hominibus. Deinde definitum, teneri Joannem Pontificem renunciare, non ſolùm caſibus in ſua ſchedula comprehenſis, verùm quocumque alio utili ad unionem Eccleſiæ: tenerique ipſum huic Concilii definitioni ſtare; quòd ſi recuſaret, vel differret, haberi debere pro abjecto à Papatu, & omnem ei obedientiã ſubtrahi: Ejus receſsum clandeſtinum fuiſse illicitum: Requirendum eſse ut revertatur facturus quod promiſit; & ſi negaret aut differet ultra terminum ei ſignificandum, contra eum tanquam ſchiſmaris auctorem & ſuſpectum de hæreſi proceſſum iri: Si verò reverti vellet, ei datum iri ſalvum-conductum ampliſſimum; & pro ejus ac ſuorum ſtatu poſt renunciationem proviſum iri arbitrio quatuor per ipſum nominandorum, ac totidem à Synodo.

XLV. *Decernit diſcuſſores doctrinæ VVicleſi, & Joannis Huſſi.*

Poſt hæc lecta ſunt quædam placita, ſeu monita ad fidem pertinentia: videlicet de confirmatione facta juxta determinationem Doctorum ſacræ Theologiæ & Juris Canonici, ſententiæ latæ in Concilio Romano (de quo paulò ante Concilium Conſtantienſe locuti ſumus] contra doctrinam VVicleſi, ejuſque ſcripta: deque nonnullis committendis ad diſcutiendam cauſam Joannis Huſſ detenti ibidem Conſtantiæ, & ad regimen proceſsûs contra eum facti: nec non ad expendendum modum procedendi ſuper condemnatione articulorum quadraginta quinque doctrinæ VVicleſianæ, in Pariſienſi & Pragenſi Univerſitatibus jam damnatorum. Fuére autem ad hæc commiſſi Cardinales duo, nempe Petrus de Alliaco, dictus Cameracenſis, & Guillelmus Philaſterii, dictus Sancti Marci; item Stephanus Coëvret Epiſcopus Dolenſis, & Joannes de Martiniaco Abbas Ciſterclenſis, omnes Galli, qui aſſumptis ſecum aliis Doctoribus Theologiæ & Juris Canonici res expenderent.

XLVI. *Seſſio ſexta in qua de certiori de modo renunciationis Joannis.*

Ceteris poſt-hac Seſſionibus uſque ad Martini V electionem præfuit Joannes de Broniaco, ſeu Borniaco, ſive Embroniaco Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Vicecancellarius, dictus Vivarienſis à priori Epiſcopatu, ceteris Cardinalibus creatione antiquior, utpote dictus Cardinalis à Clemente VII anno 1385. Illo itaque præſide celebrata eſt *ſexta Seſſio* die Mercurii, decima ſeptima Aprilis, cui adfuit Sigiſmundus Romanorum Rex *in inſignis regalibus, cui aſſiſtebant Domini Jordanus de Urſinis & Angelus Laudenſis, Epiſcopi Cardinales*, ut legitur in actis editis, & octo alii Cardinales, in eaque quatuor Prælati quatuor nationum, earum tunc præſidentes, conſcenſo ambone, per Martinum Porræum Dominicanum Epiſcopum Atrebatenſem propoſuerunt formam procuratorii per Joannem Pontificem faciendi ad renunciandum Papatui pro unione Eccleſiæ, idque per quatuor Nationes compoſitum, ab univerſa Synodo approbatum eſt, decretumque Joannem obligari ad illud eâ formâ dandum, & ad nominandos certos procuratores ex ſingulis quatuor Nationibus ipſi à Synodo expoſitos, præter illos, quos ipſe conſtituere vellet. Ad hæc ei denuntianda inſignis Legatio miſſa eſt duorum Cardinalium, nempe Sancti Marci, & Florentini, ſeu SS. Coſmæ & Damiani, & ex ſingulis quatuor Nationibus aliquot Epiſcoporum, Abbatum, atque Doctorum; nec non ad ſuadendum ei reditum Conſtantiam, vel acceſſum ad unum aliquem ex tribus aliis locis vicinis ei deſignatis, nempe Ulmam, Ravensburg, & Baſileam, cum omni ſecuritate & Salvoconductu Regis Romanorum, qui extat in Actis Victorinis, datus die 18 Aprilis, quò facillùs res terminarentur; atque interim dum ejus expectaretur reſponſio ſuperſederetur à proceſſu contra eum faciendo. Quid Legatis Synodi reſponderit Joannes jam ſuperiùs diximus immediatè ante Seſſionem quartam.

XLVII. *Citatio Hieronymi de Praga, & alia in eadem Seſſione acta.*

Eadem Seſſione ſexta conſtituti ſunt alii delegati contra Joannem Huſſ, & contra articulos Joannis Wicleff; in Actis enim editis apud Labbeum col. 31, legitur: *Item quòd in materia fidei contra Joannem Huſſ auctoritate hujus ſacri Concil. procedant Archiep. Raguſin. pro natione Italica. pro natione Germanica*, &c. Et infra: *Item quòd prædicti Commiſſarii recipiant relationem Dominorum Cardinalium, Cameracenſis tituli Sancti Marci, & Florentinenſis de proceſſu facto ſuper condemnatione librorum & articulorum . . . . . . nec non ſuper condemnatione memoriæ Joannis Wicleff* &c. Ubi obiter obſervandum eſt mendum eſſe in Actis, ubi legitur, *dominorum Cardinalium, Cameracenſis tituli Sancti Marci & Florentinenſis*; Petrus enim de Alliaco dictus Cardinalis Cameracenſis non erat Presbyter tituli Sancti Marci, ſed Sancti Chryſogoni, & Guillelmus Philaſterii obtinebat titulum Sancti Marci; legendum eſt itaque, *Dominorum Cardinalium Cameracenſis, & Florentinenſis*; vel, *Dominorum Cardinalium Cameracenſis, Sancti Marci, & Florentinenſis*. In eadem Seſſione decreta eſt citatio contra Hieronymum de Praga de hæreſi infamatum; qui, ut in ea citatione legitur, *Die Dominica*

SÆC. XV. JOANNES XXIII.

ea, qua cantabatur in Eccleſia Dei, Quaſi modo geniti, ſcriptum affigi curaverat in portis Eccleſiæ Civitatis Conſtantienſis, in quo aſſerebat ſe publicè reſponſurum obtrectatoribus crimina erroris & hæreſis ſibi objicientibus. Citatur poſtea quatenus infra terminum quindecim dierum, quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquis quinque pro tertio & peremptorio termino in prima ſeſſione celebranda compareret, reſponſurus ad ea, quæ aliqui ipſi objicere poſſent. *Datum Conſtantiæ in Seſſione Concilii generalis decima ſeptima die menſis Aprilis*. In eadem citatione data eſt Hieronymo fides publica, *juſtitiâ ſemper ſalvâ*, & *quantùm fides exigeret orthodoxa*. Eadem Seſſione prohibiti ſunt famoſi libelli in Civitate Conſtantienſi ſub pœna excommunicationis, & decretæ literæ ex parte Concilii ad omnes Reges, Principes, & Univerſitates pro ſignificatione rerum hactenus geſtarum. Denique ab uno ex Nunciis Univerſitatis Pariſienſis lectæ ſunt literæ ejuſdem Univerſitatis ad Joannem Papam pro reditu, & ad nationem Italicam pro eo procurando.

XLVIII. *Ineptæ Capitula quædam in Concilio propoſita.*

Neque in Actis, aut editis, aut MSS. plura repetiuntur acta in eadem ſexta Seſſione; ſed Gobelinus Perſona in Coſm. ær. 6, cap. 94 addit, in eadem per quemdam Prælatum quinque Adviſamenta ſeu monita fuiſſe propoſita. Primum, Papam & Cardinales non debere intereſſe Concilio, quia in eo agendum erat de reformatione Eccleſiæ in capite & in membris, ſcilicet in Papa & Cardinalibus, qui ideo non deberent ſedere judices in propria cauſa. Secundum, Cardinales qui elegiſſent Joannem XXIII, ſcientes talem eſſe qualis arguebatur, debere puniri & privari electione, quia per ejuſmodi abuſivam electionem Eccleſiam ſcandalizaverant, ac proinde nullatenus intereſſe debere Concilio. Tertium, Cardinales qui abſque licentia Concilii Joannem Schaffuſiam ſecuti fuerant poſt ſuam è Conſtantia fugam, ſe ſe vehementer ſuſpectos reddidiſſe, ac propterea non debere admitti ad Concilium. Tribus illis monitis verbatim, ut ſunt in Gobelino recitatis, Odoricus Raynaldus in Annal. num. 16 ait, non ſine cauſa effuſas eſſe querelas in Cardinales, qui Gregorii Pontificatu deturbandi ſtudio, Alexandrum V delegerant, inque illius locum Joannem moribus contaminatiſſimum, ſpreto Gregorio probatæ vitæ conſpicuo, ſuffecerant. Sed hoc eſt extra rem, nam ſi culpabiles erant, ideoque à Concilio excludendi, & privandi jure electionis, qui Joannem XXIII elegerant; Joannes de Broniaco Præſes Concilii, ipſeque etiam Odo Columna electus ſub Martini V nomine, excludendi fuiſſent à Concilio & privari jure electionis, quia non ſolùm Alexandrum V, ſed etiam Joannem XXIII elegerant, ex quo Concilii auctoritas & electio Martini in dubium revocari poſſe viderentur. Quartum monitum erat, Cardinales, qui aſſeruiſſent per fugam Joannis diſſolutum cenſeri Concilium, videri enormiter erraſſe, ſicque ſe ipſos excluſos judicaſſe à Concilii ingreſſu. Quintum, quandiu non revocarentur, aut ſuſpenderentur poteſtates Papæ & Dignitatum, haud poſſe Eccleſiam reformari in capite & in membris, quoniam Joannes inventurus ſemper eſſet fautores potentes, ut aurum ab eo emungerent. Poſt quæ Raynaldus ait hæc omninò rejecta fuiſſe, utpote novas motura turbas, nec levia allatura pericula. Sed Spondanus rectius meo judicio ſcribit, fuiſſe illa capita cervicoſi alicujus argutuli, quorum ineptia ſatis per ſe apparet. Quare cùm nihil addat Gobelinus, quid de iis actum aut deliberatum fuerit, veroſimile videri exſibilata ea fuiſſe atque rejecta.

XLIX. *Seſſio VII. Joannem PP. citat.*

Die Jovis, ſecunda Maji, habita eſt *ſeptima Seſſio* eodem Joanne Cardinali Vivarienſi præſide, in qua audita Cardinalium Sancti Marci, & Florentini, aliorumque ad Joannem XXIII legatorum miſſorum relatione, de quibus in Seſſione quarta locuti ſumus, cùm nullum appareret Joannis procuratorium ad cedendum, & illud quod dederat deberet cuſtodiri à Comite Bertholdo de Urſinis Concilii cuſtode, ut ibidem diximus; cùm jam tædio affecti eſſent Patres tam varia Joannis locorum mutatione, ſeu potiùs ſuffugio, nec ulla ampliùs ſpes eſſe videretur aliquid eum ejuſmodi circuitionibus pro ſano acturum; adversùs eum de jure procedere deliberantes, citationem in eum & ſequaces ejus auctoritate Synodali publicarunt ad nonum diem ſiſtendum, reſpondendumque de fuga, & aliis ei objiciendis: dato ad hoc pleno Salvo-conducto ad veniendum, & commorandum ibi liberè ac ſecurè. Cui & ſuum Sigiſmundus Rex hortatu Synodi addidit. Huic Seſſioni, præter Præſidem & duos Cardinales jam nominatos, adfuerunt novem alii Cardinales.

L. *In ea decretum procedendum contra Hieronymum de Praga uti contumacem.*

In eadem Seſſione ſeptima allegata à promotore Concilii contumacia Hieronymi de Praga, qui fuerat ex Decreto præcedentis Seſſionis citatus juridicè, nec comparuerat, decretum eſt ad ulteriora contra eum uti contumacem procedi. In literis citationis, de quibus in præcedenti Seſſione, dixerunt Patres ipſum Hieronymum die ſeptima Aprilis, ſeu die Dominica *Quaſi modo geniti*, ſcriptum affigi curaſſe in portis Eccleſiæ Conſtantienſis, in quo aſſerebat ſe publicè reſponſurum obtrectatoribus crimina erroris & hæreſis ſibi objicientibus, nulla tamen in his mentio fit Joannis Huſſ.

Sed

Digitized by Google

Sed Joannes Cochlæus lib. 2 Hiſt. Huſſitarum narrat ex Ulrico Reichental teſte oculato, qui tum Conſtantiæ fuit, veniſſe Conſtantiam Hieronymum feria ſecunda poſt feſtum Paſchæ, ſeu die prima Aprilis, uno comitatum ſcholari, & affixa ad valvas Eccleſiæ ſcheda, qua Joannem Huſſ excuſare ſtudebat, mox abiiſſe, uſque adeò anxium, ut enſis ſui in diverſorio fuerit oblitus. Cùm autem perveniſſet ad Silvam Boëmicam & apud Plebanum loci oblocutus graviter fuiſset contra Synodum Conſtantienſem, vocans eam Diaboli ſcholam & Satanæ ſynagogam, ſeque & Joannem Huſſum palmam contra eam tuliſse jactans: hoc audito à loci Præfecto, eum cepiſse & Conſtantiam reduxiſse; qui illicò abductus eſt in quamdam arcem urbi proximam, ubi à multis viſitabatur, ut ab erroribus reducerent. Addit idem Auctor ambos, ſcilicet Joannem Huſs, & Hieronymum de Praga, demum acquieviſſe Doctorum ſuaſionibus; ſed noluiſſe apud Boëmos ſententiam rettactare, quod fateri debet de Joanne Huſs ipſemet Jacobus Lenſant. pag. 234, aſserens in Codice MS. Lipſienſi apud Van der Hardt Tomo 4 pag. 432 extare ſententiam pro eo latam, in cujus titulo legitur ipſum promiſiſse errores ſuos revocare. Eâ ſententiâ cautum erat eum admittendum ad errorum abjurationem. Sed cùm poſtea ad vomitum redierit, hæc ſententia Actis inſerta non eſt. Quoad Hieronymum de Praga nemo dubitat eum abiviſse. De utroque infrà ſermo redibit.

LI. *Joannis VVicleffi impia dogmata.*

Quia verò in Seſſione octava doctrina Joannis Wicclefſi damnata eſt, abs re non erit quædam de ea hic præmittere, de cauſa enim ejus in Pontificem Romanum odii, jam ſatis ſuperque dictum eſt in Pontificatu Gregorii XI. Omnes ſuos errores non ſimul & ſemel, ſed pedetentim, prout occaſio vel malitia tulit, evomuit Wicleffus. Primi, quos protulit, teſte Walſinghamo, in Eduardo 3, & in Hiſtoria Wicleffiſtarum, hi fuêre: Eucharistiam in Altari poſt ſacramentum non eſſe verum corpus Chriſti, ſed ejus figuram: Eccleſiam Romanam non eſse caput omnium Eccleſiarum pluſquàm aliam quamcumque: Papam Romanum non habere majorem auctoritatem, quàm quilibet alius Sacerdos: Dominos temporales poſse legitimè, imò debere ſub pœna damnationis bona temporalia ab Eccleſia delinquente auferre: Evangelium ſufficere ad dirigendum quemlibet Chriſtianum; omneſque Regulas Ordinum Religioſorum non plus perfectionis addere, quàm addit albedo parieti: Nullum Prælatum Eccleſiæ debere carceres habere ad puniendum delinquentes, ſed omnibus liberum eſse debere facere quæ ſibi placeant. Hic poſtmodùm alios addidit, quos recenſet idem Walſinghamus in Richardo II, dictu & auditu horrendos, nempe: Subſtantiam panis manere poſt conſecrationem; & ſubſtantiam panis poſt conſecrationem eſse corpus Chriſti: Deum de potentia ſua abſoluta non poſse facere quòd in ſacramento Altaris ſint accidentia ſine ſubjecto: Deum debere obedire Diabolo: Papam plus teneri Imperatori quàm è converſo: Monachos Sancti Benedicti nolentes victum opere manuum ſuarum quærere, non ſolùm apoſtatas eſse à ſuo Ordine, verùm etiam à diſcipulatu Chriſti: Nullum eſse Epiſcopum, Prælatum, aut Dominum, dum eſt in peccato mortali: Si Ordines Fratrum eſſent in Chriſto fundati non egere confirmatione Papæ: Ubi leges humanæ non fundantur in Scriptura, ſubditos non teneri obedire. Hæc erant præcipua Joannis VVicleffi impia placita, alia enim plura nefanda per ſuos emiſsarios publicè prædicari faciebat, tam circa contemptum excommunicationum, quàm contra bona temporalia Eccleſiarum, & mendicitatem Religioſorum; nec non de nullitate ſacramentorum collatorum à malis Sacerdotibus & Epiſcopis; deque decimis iis omninò denegandis, & alia plura enormiora.

LII. *Damnantur in octava Seſſione.*

Seſſio itaque *octava* celebrata eſt die Sabbati, quarta Maji, præſidente eodem qui ſuprà Cardinale Vivarienſi, adſtante Sigiſmundo Rege cum inſigniis regalibus, cui aſtabant Jordanus de Urſinis, Albanenſis, & Angelus Laudenſis, Tuſculanenſis, Epiſcopi, & præſentibus ſex aliis Cardinalibus, in eaque propoſito diligenti examine doctrinæ Wicleffi, ac citationibus eorum, qui eum defendere voluiſsent; fuit illa omninò damnata per ſententiam Synodi, unà cum ejus ſcriptis, ac ſpeciatim quadraginta quinque articulis jam olim in Anglia, Boëmia, Pariſiis & Concilio Romano ſub Joanne XXIII condemnatis, qui eidem ſententiæ inſeruntur: *Hæc autem Sancta Synodus præfatos articulos quadraginta quinque examinari fecit ...... quibus examinatis fuit repertum* (prout in veritate eſt) *aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notoriè hæreticos, & à Sanctis Patribus dudum reprobatos; alios non catholicos, ſed erroneos; alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſivos, nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos.* Deinde Synodus approbans & ratificans ſententiam Concilii Romani, eos articulos hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat. Præter hos quadraginta quinque articulos, eadem Synodus alios ducentos & ſexaginta ejuſdem VVicleffi ab Univerſitate Oxonienſi æquè damnatos, alioſque quamplurimos rurſùm diligenter examinatos, Synodali ſententia anathematizavit. Nicolaus Harpsfeldius ait, nonnullos Scripto-

Digitized by Google

ptores Catholicos ex VVicleſſi voluminibus ſupra ducentos, alios ſupra trecentos errores collegiſse: Thomam autem VValdenſem Carmelitani Ordinis, qui ceteris diligentiùs ejus ſcripta examinavit, octingentos reperiſse, quorum venena idem Harpsfeldius aperuit, & ordine digeſſit, atque ex antiquis ferè hæreſibus collectos oſtendit.

LIII. *Damnantur & ejus ſcripta, & memoria.*

Eadem autem Synodi ſententia damnati ſunt libri, quos VVicleffus Dialogum & Trialogum nominavit, & plures alii tractatus, volumina, & opuſcula quæ compoſuit, in quibus præſcriptos & plures alios damnablies inſeruit & dogmatizavit articulos, qui libri jam damnati fuerant in Concilio Romano ſub Joanne XXIII. Declaravit inſuper Synodus Joannem VVicleff fuiſse notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæreſi deceſſiſse, anathematizando ipſum pariter & ſuam memoriam condemnando, decrevitque corpus ejus & oſsa, ſi ab aliis fidelibus corporibus diſcerni poſſint, exhumari, & procul ab Eccleſiæ ſepultura jactari, ſecundùm canonicas ſanctiones, uti hæretici notoriè & impœnitentis defuncti. Obierat porrò Joannes VVicleffus, quem VValſinghamus in Richardo II *hæreticorum idolum & hypocritarum ſpeculum* vocat, die ultima Decembris anni 1384. Cùm enim die Sancti Thomæ Cantuarienſis, quæ celebratur die vigeſima nona Decembris, in eum Sanctum blaſphemias prædicare diſpoſuiſset, repentina paralyſi percuiſus, ore diſtorto, lingua immobili, capite tremulo in deſperatione periit die ultima Decembris, qua celebratur feſtum Sancti Silveſtri Papæ. Sicque voluit Deus horum Sanctorum injurias vindicare; cùm ſceleſtus mendacii fabricator Thomam quaſi imminutæ & læſæ majeſtatis reum perageret, ac Silveſtrum immanis ſceleris accuſaret, quòd Eccleſias à Conſtantino Imperatore poſseſſionibus ditari paſsus eſset. Obiiſse autem putatur apud Parochiam de Lutherwort diœceſis Lincolnienſis, cujus fuerat rector, ibique humatus.

LIV. *Fridericus Auſtrius veniam petit ab Imp. & obtinet.*

Poſtridie Seſſionis octavæ, ſeu die Dominica quinta Maji, cùm Fridericus Auſtriæ Dux Conſtantiam ſub ſalvo-conductu Sigiſmundi Regis veniſset, ut ait Niemus, facta ejuſdem Sigiſmundi rogatu congregatio deputatorum quatuor nationum, in loco, in quo natio Germanica congregari ſolebat, in qua idem Rex expoſuit quo modo arma ſumpſiſset contra eundem Fridericum, tam ob Joannis Pontificis abductionem, quàm quòd nonnullos Epiſcopos & Abbates expuliſset; ac viduas & orphanos ſpoliaſset; cùmque jam Fridericus recipi in gratiam rogaret, conſilium periit quo modo agendum cum ipſo eſset, eò quòd ipſe Rex Sigiſmundus juraſset nunquam ſe pacem cum eo facturum. Et reſponſum eſt ei, ipſum minimè obligari ejuſmodi juramento; poſseque illum ſimpliciter ad miſericordiam & veniam admittere, non ad pacem ex æquo faciendam, ſeu, ut legitur in Actis editis: *Fuit per Dominos deputatos diſputatum & concluſum, quòd ex hoc nullum incurreret perjurium, quia ſimpliciter eum reciperet ad miſericordiam, & tanquam hominem captivum, & dominium ejus captivum.* Tuncque miſſis quatuor Prælatis, qui eum adducerent, venit ille cum Duce Bavariæ & Burgravio Nuremhergenſi, proſtratuſque ad genua Regis, una cum illis Principibus veniam pro eo poſtulantibus, ſe & omnia ſua poteſtati Regis ſubjecit: promiſitque terras ſuas in manus ejus tradere, & Joannem Papam reducere; dummodò neque Joanni neque ſuis cum eo venientibus inferatur vis in eorum propriis perſonis, ſive bonis, quæ ſecum aſportaverint; & interim dum hæc complerentur ipſe Fridericus obſes Conſtantiæ permaneret. Hiſque conditionibus receptus eſt in gratiam à Rege: Facto ea de re per Protonotarios & Notarios Concilii inſtrumento, quod deſcribitur in Actis.

LV. *Amittit partem ditionis ſuæ.*

Diximus ſuperiùs Fridericum à Sigiſmundo per edictum citatum fuiſse, ejuſque citationis virtute ab eodem Sigiſmundo privatum fuiſse feudis & omnibus bonis, & Helvetios cum ſuis confœderatis plura ejus oppida occupaſse. Joannes Naucierus addit, Fridericum fuiſſe etiam publicè citatum in Concilio, præter citationem Sigiſmundi Regis. Certè in Chronico Helvetiorum Joannis Suizeri legitur Helvetios plura Friderici oppida occupaſse auctoritate Patrum Concilii Conſtantienſis, à quo mandatum accepiſsent bellum in eum movere, nulla pacis antea inter ipſos ad annos quinquaginta factæ ratione habita. Quod & antiquior ſcriptor Felix Faber in Hiſtoria Suevorum lib. 1 cap. 15 æquè teſtatur: nimirùm auctoritate Concilii Suitenſibus, hoc eſt Helvetiis, in pœnam Friderici totam regionem Argoviæ datam eſſe, facta juſſione ut vi armorum omnia ejus oppida caperent. Et quamvis eam poſtea Sigiſmundus Rex Friderico, ubi in gratiam receptus eſt, reſtitui juſſiſset, nihilominus eos id facere recuſaſse; ſicque domum Auſtriæ ab illo tempore caruiſſe terra ſuæ nativitatis.

LVI. *Joannes PP. cuſtodiæ traditur.*

Sed ut ad Joannem XXIII redeat ſermo, hic tunc cum deſertus eſt à Friderico Friburgi cuſtoditus ne elaberetur, quare miſſi ad eum à Concilio, die nona Maji in feſto Aſcenſionis Domini, ut habent Acta Victorina & Cerretana, Archiepiſcopus Bizuntinus & Rigenſis, ut quæ geſta fuerant ei ſignificarent, eumque citarent ad diem decimum tertium Maji, cùm jam, ut in Seſſione VII diximus, ad diem nonam

Ma-

SÆC. XV. JOANNES XXIII.

Maji citatus fuiſset, nec tamen comparuiſſet. Duos illos Archiepiſcopos à Concilio miſsos Joannes vultu ſpecie læto ſuſcipiens, paratum ſe eſse dixit ire cum iis Conſtantiam, ægrèque multum ferre quòd ſic Concilium deſeruiſset. Cùm verò miſiſset Sigiſmundus Rex unà cum Archiepiſcopis Burgravium Nurembergenſem cum trecentis armatis ad ſecuriorem ejus cuſtodiam; ductus ab eis ad oppidum Cellæ diſtans Conſtantia duobus tantùm milliaribus, quò eum perveniſse die decima ſeptima Maji, utraque eadem Acta habent, cùm tamen Niemus vigeſimam primam ponat. Ibi diligenter cuſtoditus eſt, mutatis omnibus ejus famulis præter coquum, datiſque ei in conſortium & ſolatium Vitale Epiſcopo Tolonenſi, unà cum aliis octo viris honoratis, duobus ex qualibet natione; ipſo ad hæc ingentes edente gemitus, & grandem contritionem de præteritis præ ſe ferente. Præter quæ idem Vitalis Epiſcopus recepit ab eo bullam ſive ſigillum, & annulum Piſcatoris dictum, miſitque Conſtantiam. Ita refert Spondanus num. 30 ex iiſdem Actis Victorinis.

LVII. *In Seſſione IX contra eum juridicè agitur.*

Adveniente autem die Lunæ, decima tertia Maji, quæ præſcripta fuerat ejus comparitioni, habita eſt *Nona Seſſio* Concilii, in qua promotores & procuratores ejuſdem Concilii allegantes quomodo Papa citatus fuiſſet iterum ad diem præſentem, accuſarunt ejus contumaciam, & ex ſtylo juris petierunt dari Commiſsarios in hac cauſa: Cardinalis verò Florentinus bullam Joannis Papæ propoſuit, qua Cardinales Cameracenſem, Sancti Marci, & ipſum Florentinum procuratores conſtituerat ad defendendam cauſam ſuam. Sed cùm illi hoc munus ex parte recuſaſsent, & Henricus de Piro Promotor Concilii dixiſset in cauſa hac perſonali & Curiali procuratorem admittendum non eſſe; ad obſervandas recti judicii formas, rogati ſunt duo Cardinales Diaconi, & quidam Prælati nationum ire ad valvas Eccleſiæ inquiſitum an Joannes adveniſset; & recuſantibus Cardinalibus, Prælati id executi ſunt in valvis & extra valvas Eccleſiæ, qui reverſi Synodo retulerunt, inquiſitione facta Joannem non comparuiſse. Quibus Actis Synodus de ſolita benignitate eum expectandum decrevit *uſque ad diem craſtinum*, decimum quartum Maji, *hora qua celebrabitur Seſſio*. Delegati etiam ſunt à Synodo, ad ejuſdem Joannis cauſam, duo Cardinales, ſcilicet de Urſinis, & Sancti Marci, & aliquot Prælati ſingularum quatuor Nationum, conſtituti inſuper quidam judices ad audiendas cauſas, quæ per appellationem ad Synodum devolverentur, & diſcutiendas querelas, quæ ad eam referrentur. In eadem Seſſione Benedictus Gentianus Magiſter Theologiæ Ordinis Sancti Benedicti, unus ex Nunciis Univerſitatis Pariſienſis, obtulit Concilio Epiſtolam ejuſdem Univerſitatis laudatoriam de ipſius conſtantia in proſequendo negotio unionis poſt receſſum Pontificis, & hortatoriam ad illud conſummandum, datam Pariſiis die decima quarta Aprilis.

LVIII. *In Seſſione X Joannes declaratur contumax, & ſuſpenditur à Papatu ob notoria crimina.*

Sequenti itaque die Martis, decima quarta Maji, *Seſſio decima* celebrata eſt, præſide eodem Cardinale Vivarienſi, præſenteque de more Sigiſmundo Rege Auguſtali habitu cum ſuis proceribus, cui aſſiſtebant Angelus Epiſcopus Præneſtinus dictus Laudenſis, & Jordanus de Urſinis Epiſcopus Albanenſis Cardinales; præſentibus undecim aliis Cardinalibus, quatuor reliquis, ſcilicet Petro Cameracenſi, Alamanno Piſano, Antonio Aquileienſi, & Thoma Tricarienſi abſentibus, licèt in eadem civitate præſentibus, in qua ad inſtantiam promotorum, inquiſitus rurſùm Joannes Papa ad valvas Eccleſiæ & extra per duos Cardinales, & quatuor Prælatos nationum, nec repertus; de ſententia totius Synodi declaratus eſt contumax, cum ſuis ſequacibus & fautoribus, qui æquè citati fuerant, nec comparuerant. Deinde per Guillelmum Sancti Marci Cardinalem, aſſiſtentibus ei, ac idem ſentientibus, ceteris in Seſſione præcedenti delegatis ad cognoſcenda & examinanda crimina Joanni objecta, ex teſtium auditione, ac ſufficienti eorum depoſitione, facta relatione, dixit conſtare, dictum Joannem Papam fuiſse dilapidatorem bonorum Eccleſiæ Romanæ, ſimoniacum, ſcandaloſum & perturbatorem fidei chriſtianæ, & aliàs talem quòd meritò deberet ſuſpendi ab adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum, ſpiritualium & temporalium: quibus auditis, uno ac communi Concilii ſuffragio decreta eſt ac publicata contra eum ſententia diffinitiva in hunc modum: *Quia nobis legitimè conſtat Dominum noſtrum Joannem Papam XXIII à tempore quo fuit aſſumptus ad Papatum uſque nunc, Papatum ipſum & politiam Eccleſiæ, in ſcandalum notorium ipſius & Eccleſiæ, malè adminiſtraſſe, rexiſſe & gubernaſſe, vitaque ſua damnabili, ejuſque nefandis moribus populis exemplum vitæ malæ tribuiſſe, & inſuper Eccleſias Cathedrales, Monaſteria, Prioratus conventuales & cetera beneficia Eccleſiaſtica pretio appretiato ſimoniacè notoriè diſtribuiſſe, quòdque charitativè monitus à præmiſſis deſiſtere noluit, ſed continuè perſeveravit & perſeverat, Eccleſiam Dei in præmiſſis notoriè ſcandalizando: eapropter per hanc noſtram ſententiam pronunciamus & decernimus & declaramus dictum Dominum Joannem Papam ab omni adminiſtratione Papali, ſpirituali & temporali ex cauſis præmiſſis fore ſuſpendendum, & ſuſ-*

ſuſpendimus, eique adminiſtrationem ipſam interdicimus in his ſcriptis, criminaque præmiſſa contra eum ſuper mala adminiſtratione ſimoniaca & dilapidatione notoria, ac ejus mala vita Eccleſiam ſcandalizante, prout præmittitur, propoſita, notoria exiſtere, ac de & ſuper eis tanquam de & ſuper notoriis procedendum fore & procedi debere ad finem ejiciendi eum à Papatu, prout juris fuerit, declaramus. Deinde prohibet omnibus Chriſti fidelibus cujuſcumque conditionis ſeu dignitatis, etiamque Regalis, Cardinalitiæ, Patriarchalis, &c. ei de cetero obedire, aut in quacumque re ad Papatum pertinente reſpondere ſub pœnis juris. Cùm verò impactum quoque fuiſset Joanni crimen hæreſis, reſervatum eſt illud ampliùs inquirendum per idoneos teſtes, ut conſtat ex Actis editis.

LIX. *Mittuntur à Synodo in Seſſ. XII. Cardinales & Prælati ad Joannem XXIII.*

Poſt hæc factis inquiſitionibus criminum Joannis per teſtes omni exceptione majores, antequam ad ſententiam procederetur, miſſi ſunt à Synodo ad eum in loco de Cellis exiſtentem, Joannes Epiſcopus Vaurenſis, & alii tres Prælati de quatuor Nationibus, qui probatos articulos deferrent, ut pro libito eis reſponderet. Quod decretum eſt in *Seſſione Undecima*, die Sabbati, vigeſima quinta Maji habita, in qua articuli lecti ſunt. Miſſi illi die 27 Maji ab eo reſponſum ſcriptum in forma inſtrumenti publici acceperunt: quo Joannes proponens, ſe pro Eccleſia Dei, & ejus nomine plura feciſſe, etiam antequam fuiſset aſsumptus, ac præcipuè in Concilio Piſano, etiamque in hoc Conſtantienſi, quando ceſſionem liberè obtulit: ſeque adeò pœnitere de turpi ſuo à Concilio receſsu, ut maluiſset eo die, ſine animæ præjudicio, mortuus eſse; eapropter declaravit nolle ſe aliquid dictis articulis contra ſe propoſitis objicere, ſed potiùs tam proceſſum quàm ſe ipſum judicio Synodi ſubjicere, quam ſciebat errare non poſse; adeoque obtemperaturum ſe planè ſententiæ, quamcumque ferret, eamque comprobaturum & confirmaturum; ſicuti jam ſignificaverat Cardinalibus nuper ad eum miſſis: hoc tantùm ſe rogare, ut quàm poſset primùm fieri ſententia ferretur, & ad ſe deferretur; quam eſset cum omni reverentia, etiamque cum bireti ſui depoſitione ſuſcepturus. Quod porrò dicit Joannes de Cardinalibus nuper ad ſe miſſis, nulla quidem in Actis editis eorum mentio reperitur; ſed Acta Victorina apud Spondanum num. 34, referunt, miſsos eſse antea ad eum quinque Cardinales, qui ei referrent quæ facta fuiſsent, & quæ his inquiſitionibus continebantur; quibus ille reſpondit eadem quæ poſtea Prælatis miſſis à Synodo. Acta autem Bibliothecæ Regiæ, juxta eundem Spondanum ibidem, obſervant, hos Cardinales minimè permiſſos fuiſſe à cuſtodibus deoſculati pedes ejus, ſed tantùm manus & os; quoniam, ut jam ante dixerant, poſt ejus ſuſpenſionem nulla ampliùs ei reverentia Papalis exhibebatur. Rogavit inſuper dictos Cardinales Joannes, ut per viſcera miſericordiæ Domini dignaretur Synodus commendatum habere honorem ſuum, perſonamque & ſtatum, nullam tamen ex hoc læſionem Eccleſiæ præferendo. Fuerunt porrò illi Cardinales, de Urſinis, de Chalanco, de Salutiis, Cameracenſis & Florentinus.

LX. *Joannis preces ad Imperatorem.*

De his etiam ſcripſit Joannes die 26 Maji Epiſtolam ad Sigiſmundum Regem, quæ extat in Actis editis Seſſione XI, qua repræſentans quanto affectu ejus procuraſſet apud Electores promotionem in regnum Romanorum; quanta promptitudine deſideratam ab eo ſuam præſentiam magnis ſumptibus & periculis exhibuiſſet; quàm facilè conſenſiſſet electioni ejus de loco Conſtantiæ ad Synodum celebrandam; quam ſincerè de eo confidens, ad Conſtantiam ejus adventum præveniſſet; cùm hæc tantæ in eum dilectionis teſtimonia non poſſent niſi pari dilectione compenſari, ad eum tanquam unicum poſt Dominum ſpei ſuæ refugium recurrens, per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti rogavit deponere iram, & clementiam aſſumere, ac ſui miſereri, agendo apud Concilium, ut perſonam ſuam haberet commendatam; & unione Eccleſiæ ſemper ſalvâ, famam & ſtatum ſuum, poſt dimiſſionem Papatus, quantum poſſibile foret, ſalvare & cuſtodire dignaretur.

LXI. *Leguntur in eadem Seſſione articuli accuſationum in Joannem.*

In dicta itaque Seſſione undecima, cui præſidebat idem Cardinalis Vivarienſis, præſentibus omnibus aliis Cardinalibus, uno Sancti Marci excepto, qui infirmus erat, promotores Concilii petierunt legi articulos formatos & probatos contra eundem Joannem Papam, ſuper notoria dilapidatione bonorum Eccleſiæ; ſimonia in adeptione Cardinalatûs; collatione & diſtractione beneficiorum, ac bonorum Eccleſiaſticorum, gratiarum, indulgentiarum, ac diſpenſationum Apoſtolicarum, ſacrarumque Reliquiarum; oppreſſione pauperum ac virorum Eccleſiaſticorum; frequenti fuga in habitu indecenti ac transformato contra juramenta præſtita; favore ſchiſmatis; vitâ impiâ, impudicâ, ſcandaloſâ, & incorrigibili, &c. qui lecti fuere numero 54, unà cum deſignatione teſtium; quorum aliqui Cardinales, alii Archiepiſcopi, Epiſcopi, & viri honorati fuêre, quibus & alii additi ſunt de machinatione veneni in vitam Alexandri V; deque hæreſi contra reſurrectionem mortuorum, & vitam æternam, quam negaſſe dicebatur. Sed hi ultimi abſque ullis probationibus teſtium, quæ in ſingulis præcedentibus di-

li-

Digitized by Google

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

ligenter adduntur; ex quo intelligitur hos ultimos articulos jactatos quidem fuiſſe, at non probari potuiſſe, ac proinde inter calumnias, aut ſanè inter incerta computari debere. His articulis, ut jam dictum eſt, à Synodo ad Joannem miſſis per Cardinales & per Prælatos, cùm nihil objeciſſet Joannes, & addidiſſet ſe Concilii ſententiæ planè obtemperaturum, indicta eſt Seſſio ad diem vigeſimam nonam Maji.

LXII. In Seſſione XXII ſententia depoſitionis fertur in Joannem XXIII.

Adveniente itaque die Mercurii vigeſima nona Maji celebrata eſt *Seſſio Duodecima*, cui de more præfuit Epiſcopus Oſtienſis ſeu Cardinalis Vivarienſis, præſente Sigiſmundo Rege in inſigniis Regalibus, cui aſtabant Angelus Epiſcopus Præneſtinus, ſeu Cardinalis Laudenſis, & Jordanus Epiſcopus Albanenſis, ſeu Cardinalis de Urſinis, nuncupati; præter quos præſentes erant tredecim alii Cardinales. In ea poſt ſolemnia conſueta, propoſitâ à prædictis Prælatis, jam antea ad Joannem miſſis, per organum Joannis Epiſcopi Vaurenſis, reſponſione Joannis XXIII, de qua in ſuperiori ſeſſione, ad inſtantiam promotorum Synodi ſententia definitiva ejuſdem Joannis XXIII depoſitionis & abſolutionis omnium Chriſtianorum ab ejus obedientia; cum prohibitione ne quis ampliùs eum Papam nominaret, aut illi tanquam Papæ quocumque modo adhæreret; eumque ſub cuſtodia Regis Sigiſmundi, nomine Concilii, quandiu eidem Concilio pro bono unionis Eccleſiæ videretur, in aliquo bono loco & honeſto detinendum ſtatuit: reſervatis ſibi aliis pœnis, quibus pro ipſius criminibus plectendus foret, ſuo tempore declarandis.

LXIII. Eum ipſum, depoſitum habitu Pontificali, improbat.

Statuerat inſuper ante pronunciationem ſententiæ ſancta Synodus pro bono unionis Eccleſiæ, ut ſi contingat Sedem Apoſtolicam quoquomodo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri ſummi Pontificis nullo modo procederetur ſine deliberatione & conſenſu hujus Synodi generalis Conſtantienſis; & ſi contrarium fieret, eſſet ipſo facto irritum & inane. Eâdem ſententiâ ſtatutum eſt quòd nullo unquam tempore reeligatur in Papam Balthaſſar Coſſa nuper Joannes Papa vigeſimus tertius, nec Angelus de Corario Gregorius duodecimus, nec Petrus de Luna Benedictus decimus tertius, in ſuis obedientiis ſic nominati. Et ſi contrarium fieret, id eſſet ipſo facto irritum & inane. Sententia data *Conſtantiæ provinciæ Moguntinenſis, in ſeſſione publica in majori Eccleſia ſolemniter celebrata, die Mercurii, 29 menſis Maji anno Domini* 1415, *indictione* 8, uno omnium Concilii Patrum conſenſu approbata eſt, ac perlata ad eundem Joannem, cui intimata eſt ab eodem Joanne Epiſcopo Vaurenſi circa horam duodecimam die Veneris ultima Maji. Qui quidem Joannes, ſeu potiùs Balthaſſar ipſam ſententiam ſibi traditam per ſe ipſum ad partem legit, & deinde ad reſpondendum aliquod temporis intervallum habere voluit. Quocirca eadem die & circa horam ſecundam poſt meridiem idem Vaurenſis Epiſcopus & alii Prælati pro audienda reſponſione ad eum perſonaliter acceſſerunt, quibus reſpondit, dictâ ſententia per eum viſa, lecta, bene concepta, ac pleniùs intellecta, ex ſua certa ſcientia eam approbare, ratificare, & emologare, & proceſſui contra ſe facto acquieſcere & conſentire, apponendoque manum ad pectus cum juramento affirmavit, ſe nihil contra eam ſententiam unquam acturum, Papatui cedens & renuncians expreſsè; In hujuſque ſignum ſe jam de camera ſua crucem Papalem amoveri feciſſe, ac, ſi veſtes mutatorias habuiſſet, omnia inſignia Papalia tunc coram Prælatis depoſuiſſet; voluiſſetque quòd ad Papatum nunquam fuiſſet aſſumptus, quia ex poſt nunquam habuerat bonum diem. Quæ omnia in Actis editis continentur.

LXIV. In cuſtodia detinetur.

Addit his Niemus in ejus Vita, eundem Balthaſſarem principio menſis Junii ductum fuiſſe ad Caſtrum Gotlenen prope Conſtantiam ſub cuſtodia prædicti Concilii per aliquot dies, & licentiatos fuiſſe ejus familiares, ne illis cooperantibus evadere poſſet; traditumque poſtea cuſtodiæ Ludovici Ducis Bavariæ Comitis Palatini Rheni, Concilii Cuſtodis à Sigiſmundo Rege conſtituti in ſua abſentia, qui eum, inquit, *benignè pertractat, ſibique providet de omnibus opportunis, & habet duos Capellanos honeſtos, ſecum dicentes officium, & coram eo celebrantes, & quoſdam honeſtos nobiles ſibi in menſa miniſtrantes in loco ſpatioſo, & delectabili, non catenatus, non conſtrictus: & ita de aliquibus audivi, qui bene ſciunt*. Ita Niemus. Sed Platina ſcribit, Joannem ad Ludovicum Bavarum, qui cum Gregorio duodecimo ſentiebat, cuſtodiendum miſſum, donec aliud decerneretur, Heidelbergæ triennio ſine ullo cubiculario, famulove Italico diligenter aſſervatum eſſe. *Teutonici* enim, inquit, *erant cuſtodes omnes: quibuſcum Joannes nutu & ſignis loquebatur, cùm nec ipſe linguam Teutonicam, nec illi viciſſim Italicam ſcirent*. Idem habet Nauclerus, qui locum carceris, in quo detentus fuit, non Heidelbergam, ſed Manheim nominat, ex quo, inquit Spondanus, intelligimus locum ejus carceris ſæpè mutatum fuiſſe. Sedit itaque Joannes XXIII annos quinque & dies quatuor numerando ab ejus coronatione, quæ facta fuerat die vigeſima quinta Maji anni 1410, dies verò tredecim ſi numeremus

Digitized by Google

mus ab ejus electione, quæ contigit die decima ſeptima Maji. Sed hoc tempore anni Pontificum deſumebantur à die coronationis, ut pluribus exemplis jam oſtendi.

LXV. *Carcere ſolutus ad Martinum PP. Florentiam pergit, ibique moritur.*

Manſit in illa cuſtodia Balthaſſar fermè per quadriennium, ſeu uſque ad annum 1419, quo ſive Martini Papæ tacitâ operâ, ſive, ut quidam habent, ne fortè diutius in Germania detentus, novas aliquando turbas cieret, pretio triginta millium aureorum carcere exemptus eſt, eo animo, ut eundem rurſus Martinus ſecuriori cuſtodia Mantuæ detineret, ſive denique, ut alii ajunt, liber abire permiſſus, ut novos tumultus in Italia excitaret, cùm vir magni animi eſſet, & qui privatam vitam nequaquam pati poſſe videretur. Quidquid ſit, ſive conſcientia ductus, ſive deſperans aliquid proficere, vel potiùs Deo Omnipotente Eccleſiæ ſuæ miſerto, eum impellente, idem Balthaſſar Coſſa propria ſponte, nullis pactionibus interpoſitis, nulla requiſita cautione, rectà Florentiam ivit, ubi Martinus V cum tota ſua Curia erat, ibique non ſine multorum admiratione, ac ſimul commiſeratione, humi genibus fixis, & ad ejus pedes procumbens, eum ut Chriſti Vicarium veneratus eſt, omniaque tam de ſe quàm de Martino in Concilio Conſtantienſi facta denuò approbavit, & ratificavit in Vigilia Corporis Chriſti, ſeu die decima quarta Junii. Poſtmodùm die Veneris, 23 Junii, à Martino Papa S. R. E. Epiſcopus Tuſculanus & ſacri Collegii Cardinalium Decanus creatus eſt, atque ob memoriam Romani Pontificatûs, ſedes ejus propè ſedem Papæ, paulò eminentior quàm ceterorum Cardinalium poſita eſt, vixitque Cardinalis uſque ad diem Veneris vigeſimum ſecundum Decembris ejuſdem anni 1419, quo die, vel dolore, vel, ut alii ſcribunt, veneno adjutus Florentiæ ſupremum diem obiit, honorificentiſſimè ſepultus in baptiſterio Sancti Joannis, procurante Coſmo Mediceo cive Florentino cariſſimo ipſius amico, quem, ut Platina & Sabellicus ſcribunt, homines exiſtimarunt pecunia Balthaſſaris opes ſuas in tantum auxiſſe, ut & primarius apud Florentinos cives & ditiſſimus omnium apud Italos, ac fortaſſe apud exteras quoque nationes deinceps ſit habitus, & collatus deinde in ejus poſteros patriæ Principatus, ac dignitas ſola Regia inferior. Elegantiſſimi ejus ſepulchri formam ære expreſſam exhibet Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium, in quo legitur eum obiiſſe die XXII Decembris; ſed exiſtimo diem illum eſſe diem ſepulturæ, ipſumque obiiſſe die 20 Decembris; nam Papebrochius in Paralipomenis ad Catalogum Rom. Pontif. pag. 112, refert extare Florentiæ apud ædes Caroli Strozzi Codicem MS. Memoriarum Alamanni ab anno 1398, uſque ad 1420, deſcriptarum vulgari lingua, in quo legitur: *die XX Decembris prædictus Joannes Papa obiit Florentiæ*. Veroſimile ergo eſt eum obiiſſe die XX, & ſepultum tantùm eſſe die XXII, qui dies in epitaphio expreſſus eſt juxta regulam à nobis in hujus Operis præfatione poſitam. Nec enim idem Alamannus tunc vivens & ſcribens dicendus eſt erraſſe. Porrò Joannes ſcripſit librum 1 carminicè de Varietate fortunæ, teſte Ludovico Jacob à Sancto Carolo in ſua Bibliotheca Pontificia, & Epiſtolas quaſdam, quarum quædam leguntur in Concilio Conſtantienſi Tomo 7, Concil. Binil & extant MSS. in Vaticano.

LXVI. *Introductio erroris de utraque ſpecie.*

Magna non multò ante Concilium Conſtantienſe extitit commotio in Boëmia occaſione ſchiſmatis de utraque ſpecie à Laicis ſumenda in Sacramento Euchariſtiæ. Ejus auctores Joannis Huſs ſocii extiterunt Petrus *Dreſenſis*, ſive Dreſdenſis, ſic dictus à loco ſuæ nativitatis; ortus enim erat Dreſdæ, quæ eſt civitas Miſniæ provinciæ caput, & ſedes Electoris Saxoniæ, à qua ob hæreſim exul in Boëmiam ſeceſſerat; & *Jacobus* ſeu *Jacobellus Miſenſis*, non Miſnenſis, ut vulgò vocatus, ſic dictus à Miſa urbe Boëmiæ, vulgariter *Strzibro* vocata, ut ſcribit Balbinus in Epitome rerum Bohemicarum pag. 222. Illum articulum de Laica communione ſub utraque ſpecie panis & vini cùm Petrus Dreſdenſis ſuggeſſiſſet Jacobello, auctoritate Chriſti Domini, qui apud Joannem Evangeliſtam aſſerit: niſi quis manducaverit carnem filii hominis, & biberit ejus ſanguinem non habiturum vitam æternam (*Joannis 6*) bis motus Jacobellus, cùm & apud nonnullos Patres antiquos communionem calicis laudatam inveniſſet, eam publicè prædicare cœpit, ingenti hæreticorum applauſu, quòd jam articulum inveniſſent in Evangelica lege fundatum, per quem vel ignorantiam vel nequitiam Romanæ Sedis coarguerent, quòd alteram Euchariſtiæ partem, ſine qua non poſſet haberi vita, plebi adimeret, quæ & propterea adversùs Clerum vehementiſſimè concitata eſt, tanquam is per invidiam & contemptum Laicis non integrum porrigeret Chriſtum. De his agunt Æneas Silvius, poſtea Papa Pius ſecundus in Hiſt. Boëm. Joannes Dubravius Epiſcopus Olmucenſis in Hiſtoria item Boëmica, ac copioſiùs Joannes Cochlæus Canonicus Uratislavienſis in Hiſtoria Huſſitarum lib. 1, quam ex variis & antiquis monumentis duodecim libris collegit. In Concilio autem Conſtantienſi, examinatus eſt ille articulus, quo aſſerebatur non ſolùm Laicos debere neceſſariò com-

Digitized by Google

communicare ſub utraque ſpecie, ſed etiam poſſe communicare poſt cœnam vel etiam non jejunos. Quibus jam per nationum Epiſcopos & Theologos examinatis:

LVII. *In Seſſione XIII damnatur à Synodo.*

Die decima quinta Junii, quæ fuit Sabbati, celebrata eſt *Seſſio XIII* Synodi, præſide eodem Cardinale Oſtienſi, ſeu Vivarienſi, & præſente Sigiſmundo Rege, in eaque inſtantibus promotoribus pro condemnatione illorum errorum pullulantium, publicatum eſt decretum Synodi, quo declaravit & definivit: licèt Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, ſuis diſcipulis adminiſtraverit ſub utraque ſpecie panis & vini hoc venerabile Sacramentum; nihilominus tamen ſacrorum canonum auctoritatem, laudabilem & approbatam conſuetudinem Eccleſiæ ſervaſſe & ſervare, illud non debere confici poſt cœnam, neque à fidelibus recipere non jejunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis à Jure vel Eccleſia conceſſo vel admiſſo. Patriterque licèt in primitiva Eccleſia idem ſacramentum reciperetur à fidelibus ſub utraque ſpecie, tamen ad evitanda aliqua pericula & ſcandala, rationabilem introductam eſſe conſuetudinem, ut à conficientibus quidem ſub utraque ſpecie, à Laicis verò ſub una tantummodò panis, ſuſcipiatur; cùm firmiſſimè credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quàm ſub ſpecie vini veraciter contineri. Unde cùm hujuſmodi conſuetudo ab Eccleſia & Sanctis Patribus rationabiliter introducta, & diutiſſimè obſervata eſſet, habendam eſſe pro lege, quam non liceret reprobare, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Eàquepropter dicere eam conſuetudinem aut legem obſervare eſſe ſacrilegum aut illicitum, debere cenſeri erroneum; & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, aut ſic populum abſque licentia communicantes, tanquam hæreticos arcendos eſſe, ac graviter puniendos per Ordinarios locorum, aut Inquiſitores hæreticæ pravitatis. Ita Synodus, poſt quam ſicut & poſt Baſileenſem, in quibus doctrina catholica uno omnium Nationum conſenſu ſtatuta eſt, multi ac prolixi Tractatus compoſiti ſunt ubique à Catholicis de Sacramenti ſub unaquaque ſpecie integritate, deque uſûs calicis diverſitate tam antiquioribus quàm recentioribus temporibus. Quibus addi poſſunt infinita illa miracula circa ſacratiſſimam Euchariſtiam ſub ſpecie panis facta, in Hiſtoria Eccleſiaſtica relata, quibus omninò atque certo certius appareat, Chriſtum totum vivum & vivificum verè & realiter ſub ea ſpecie contineri. De antiquitate uſûs Euchariſtiam ſub ſolo panis ſymbolo Laicis porrigendi, lege quæ diximus Tomo I hujus Operis in Urb. II loquentes de Concilio Claromontano num. 41, & duobus ſeqq. Denique in eadem Seſſione XIII conſtituti ſunt quatuor Cardinales & quatuor Prælati aut Doctores ex ſingulis quatuor Nationibus, ad audiendas, & examinandas cauſas quarumcumque hæreſum & errorum, & quarumcumque perſonarum, etiamſi Pontificali, vel alia quavis Eccleſiaſtica vel ſæculari præfulgerent dignitate, quæ ad Concilium deferrentur. In cauſa verò hæreſis contra Joannem Hus jamdiu ventilata, quæ circa concluſionem exiſtebat, decretum eſt, ut per Judices deputatos hucuſque in ea ulterius cognoſceretur & procederetur per eoſdem.

LXVIII. *Legatus Gregorii XII pro ceſſione Conſtantiam intrat.*

Carolus de Malateſtis Dominus civitatis Arimini, in qua Angelus Corarius, ſeu Gregorius XII reſidebat, & pro Sede Apoſtolica rector Flaminiæ ſive Romandiolæ, tanquam Legatus ejuſdem Gregorii ad Concilium miſſus, Conſtantiam intravit, ut habent Acta Victorina, die decima quinta Junii ejuſdem anni 1415, cui multi nobiles obviam occurrerunt unà cum primis Gregorii Nunciis, qui venerant exeunte anno præcedenti, ſcilicet Joanne Dominici Cardinale S. Sixti, Raguſino dicto & Joanne Patriarcha Conſtantinopolitano electo, qui in Procuratorio ad renunciandum dicuntur Sedis Apoſtolicæ Nuncii. Ingreſſus eſt autem cum ſumma magnificentia ac ſplendore. Exhibito poſtridie Sigiſmundo Regi ſalutatoriæ venerationis officio, ſignificavit miſſum ſe à Gregorio ad dandam pacem Eccleſiæ; directumque ea de cauſa ad ipſum Regem, non ad Concilium, quòd illud Gregorius non approbaret. Deinde viſitavit Nationes dicens habere ſe facultatem renunciandi Papatui nomine Gregorii.

LXIX. *Seſſionis XIV initio adeſt Sigiſmundus Rex tanquam Præſidens.*

Quare *Seſſione XIV*, habita die quarta Julii, alius ſervatus fuit ordo quàm in præcedentibus, eò quòd in ea actum eſt de renunciatione Gregorii, quam voluit fieri in manibus Sigiſmundi Romanorum Regis, non autem Synodi. Ei itaque Seſſioni initio non præfuit Cardinalis, aut alius Prælatus, ſed ipſe Rex præſens fuit *tanquam præſidens*, nec facta eſt mentio Concilii nec Sedis Apoſtolicæ, ſed tantùm Regis, ut Acta edita declarant, in quibus legitur anno 1415, Apoſtolica Sede vacante, regnante Sigiſmundo Romanorum Rege, die Jovis quarta menſis Julii, habitam eſſe Seſſionem Generalem per ſanctam Synodum Conſtantienſem in Eccleſia Cathedrali præſente ibidem dicto Rege cum inſignibus Regiis & nobilibus ſibi in iis miniſtrantibus; præſentibuſque ibidem ſeptemdecim Cardinalibus, & Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, atque aliis Patribus in copioſa multitudine: In ejus principio eundem Regem de ſua ſoli-

ta ſede tranſiſse ad aliam poſitam in fronte Altaris, *tanquam Præſidentem pro tunc in Concilio*; Joanne Dominici Cardlnale Raguſino obedientiæ Gregorii, & Carolo de Malateſtis domicello Ariminenſi, procuratoribus ejuſdem, ſedentibus juara Regem in quodam ſcamno facie verſa ad congregatlonem Synodi: Deinde invocaro Sancto Spiritu, & collectâ de pace per Cardinalem Oſtienſem dictâ, per Protonotarium Comitis Palatini lectas eſse de mandato Regis duas bullas Gregorii datas Arimini tertio Idus Martii anno Pontlficatûs ſui nono: Quarum alterâ prædicto Joanni Cardinali Sancti Sixti, ſeu Raguſino, & alteri Joannl In Patriarcham Cpolitanum electo, nunciis ſuis, itemque Wernero Archiepiſcopo Trevirenſi, necnon Ludovico Comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malateſtis facultatem tribuerat, ipſius vice ad pacem & unionem Eccleſiæ promovendam; Concilium Conſtantiæ collectum, in quantum per Regem & non per Balthaſsarem Joannem XXIII dictum convocatum eſset, ſuo item nomine convocandi & comprobandi, & quæ in eo fietent patiter confirmandi, remora tamen omninò prædicti Balthaſsaris præſidentia & præſentia.

LVXX. *Cardinalis Raguſinus Gregorii nomine Concilium convocat, & confirmat.* Lecta eſt deinde altera bulla Gregorii XII, qua prædicto Carolo de Malateſtis pleniorem tribuebat facultatem prædicta ſive per ſe, ſive per alios exequendi; cujus vi Carolus dicto Joanni Cardlnali Sancti Sixti ſeu Raguſino vices ſuas commiſit ad convocandum & approbandum Concilium, quod Ipſe hac publica declaratione fecit: *Quia Sanctiſſimus Dominus noſter Gregorius Papa duodecimus audivit, intellexit, atque multipliciter eſt informatus de celebri fama bujus Sanctæ Congregationis pro generali Concilio Conſtantienſi in Chriſti nomine congregatæ, idcircò idem Dominus noſter avidus Eccleſiaſticæ unionis, & reformationis, & extirpationis bæreticæ pravitatis, commiſſionem fecit, prout in eiſdem literis nunc lectis dignoſcitur contineri. Cujus quidem commiſſionis & mandati vigore ego Joannes miſeratione divina tituli Sancti Sixti Presbyter Cardinalis, Raguſinus vulgariter nuncupatus, pro me & Collegis meis in hac parte hic exiſtentibus in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancte amen. Auctoritate ipſius Domini noſtri Papæ, quantum ad eundem ſpectat, ut prædicta ſancta unio, reformatio, & bæreticæ pravitatis extirpatio, Deo auctore, meliorem ſortiantur effectum, & ut ſub diverſorum profeſſione paſtorum diſſidentes Chriſtiani in unitate ſanctæ matris Eccleſiæ & caritatis vinculo conjungantur, iſtud ſacrum Concilium Generale convoco, & omnia per ipſum agenda auctorizo & confirmo juxta modum & formam, prout in literis Domini noſtri lectis plenius continetur.* His actis ſancitum eſt, ut iu publicis monumentis, nulla de Romano Pontifice aut Sede Apoſtolica facta mentione, annus tantùm Regis Romanorum adſcriberetur, & hoc uſque ad ceſſionem Incluſivè. His denique tactis Joannes Dominici Cardinails Raguſinus ceterorum oſculo & amplexu exceptus inter Franciſcum Venetum & Antonium Aquilejenſem Presbyteros collocatus eſt.

LXXI. *Reliqua Seſſioni Cardinali Oſtienſi præſidet.* His peractis Rex de ſede, In qua tanquam præſidens ſedebat, ad ſolitam ſedem ſuam receſſit, *& præſidente pro tunc Domino Joanne Epiſcopo Oſtienſi*, celebratâ priùs Miſsâ, ac ceteris ſolemniis ſervatis, lectum eſt ſyngraphum ſeu procuratorium Gregorii ad renunciandum directum eidem Carolo de Malateſtis: cùmque is quæſiſset num magis expediret abdicationem Pontificatûs modò fieri Conſtantiæ, an verò expectari quouſque cum Petro de Luna tractatum foret Niciæ: decretum eſt à Concilio utilius eſse pro unione Eccleſiæ eam mox Conſtantiæ fieri debere. Lecta ſunt interim alia Concilii decreta de non procedendo ad electionem futuri Romani Pontificis abſque conſenſu Concilii, nec niſi modo, forma, materia, tempore, & loco ab eo deſignandis, deque non diſsolvendo Concilio, antequam unus Pontiſex eligeretur, & auxilio à Rege ad hoc præſtando: itemque de confitmatione omnium quæ Gregorius aliàs ritè in ſua adminiſtratione geſſiſset; ac receptione Cardinalium ejus obedientiæ, qui ſex numerantur, ipſeque Gregorius ſeptimus, in ceterorum conſortium & ordinem, confirmatione omnium ejus officialium & curialium in ſuis officiis & gradibus: denique de unione utriuſque obedientiæ Joannis & Gregorii, ut eſset deinceps unum corpus & una ſocietas; & de abrogatione omnium pœnarum & cenſurarum invicem decretarum.

LXXII. *Gregorii XII renunciatio per Procuratorem.* Tandem dictus Carolus de Malateſtis facta pulchra collatione cum themate: *Facta eſt cum Angelo multitudo militiæ cæleſtis* (Lucæ 2) perlegit ſchedulam de renunciatione Papatus nomine dicti Gregoril in forma ſequenti: *Ego Carolus de Malateſtis Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarius, nec non provinciæ Romandiolæ rector pro ſanctiſſimo in Chriſto Patre Domino Gregorio divina providentia Papa duodecimo, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Generalis, atque ejuſdem ſanctiſſimi Domini noſtri Papæ procurator, habens ad infra ſcripta plenum, ſpeciale, & irrevocabile mandatum, quemadmodum conſtat per bullam authenticam ſanctiſſimi Domini noſtri prædicti proximè lectam, nulla oppreſſus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, ut omnibus apertè pateat per effe-*

ctum

Digitized by Google

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

ctum, quanta ſinceritate, quantaque cordis affectione ſacram unionem & redintegrationem Chriſtianorum in unitate ſanctæ matris Eccleſiæ proſecutus fuit, proſequaturque etiam per viam renuntiationis incluſivè, purè, liberè, & ſincerè procuratorio nomine ipſius ſanctiſſimi Domini noſtri Gregorii Papæ XII in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti renuntio & cedo expreſsè in his ſcriptis, realiter & cum effectu juri, titulo, & poſſeſſioni, quod, & quem, & quam ipſe habet in Papatu, & reſigno nomine præfati Domini noſtri Papatum, & omne jus Papatus, titulum, & poſſeſſionem, quod, quem, & quam habet coram Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui Eccleſiæ ſuæ Sanctæ eſt caput & ſponſus, in hac ſacroſancta Synodo & univerſali Concilio, Sanctam Romanam & univerſalem Eccleſiam repræſentante. Qua ſchedula lecta, Concilium eam renunciationem admiſit & collaudavit, & cantato hymno, *Te Deum laudamus*, decretum edidit de requirendo Petro de Luna ut eandem ceſſionem à ſe toties promiſſam faceret intra decem dies ab ejuſmodi requiſitione eidem facienda. Quod ſi non faceret declararet eum Synodus notorium ſchiſmaticum, incorrigibilem, & pertinacem hæreticum, à catholica fide devium, omni honore & dignitate indignum & ejectum.

LXXIII. *Favores Gregorio exhibiti à Synodo.*

Non multò poſt, die ſcilicet decima quinta Julii, in decima ſeptima Seſſione, eadem Synodus decrevit Angelum Corarium fore ſemper Epiſcopum Cardinalem, ſub titulo per eandem Synodum, vel futurum Romanum Pontificem declarando, (quem fuiſſe Portuenſem Niemus; Onuphrius verò Tuſculanum ait) ita ut ſecundus poſt Romanum Pontificem dignitate & ordine haberetur; niſi fortè Petro de Luna abdicante aliud de utriuſque ordine decerneretur. Eum inſuper Synodus perpetuum creavit Legatum Piceni ſeu Marchiæ Anconitanæ, aliaſque largita eſt gratias & conceſſiones, quas videre eſt in Conſtitutione ea de re edita.

LXXIV. *Gregorius ceſſionem ſui Papatus confirmat.*

Gregorius ſeu Angelus Corarius ſtatim atque accepit quæ Conſtantiæ acta erant, ſcilicet Carolum de Malateſtis ſuo nomine Papatui renunciaſſe, convocatis ſuis curialibus & Cardinalibus, nec non Prælatis & Clero, qui ſibi ut Papæ tunc adhærebant, in publico conſiſtorio gaudenter & ſponte approbavit & confirmavit omnia in ea parte geſta pro ipſo per dictum Carolum. *Quo facto*, inquit Niemus in Vita Joannis XXIII, *depoſuit mitram Pontificalem, nec non colobium & omnia Pontificalia ſeu inſignia Papalia etiam ibidem præſentibus omnibus, cum ſolemni proteſtatione, quòd illa nunquam de cetero reſumere vellet, imò omni modo, quo poſſet, procurare intenderet, quòd præfata unio fieret in Eccleſia Univerſali.* Angelus tamen Corarius Epiſtolam ſcripſit menſe Octobri ſequenti ad Concilium, qua profitetur ſe ſubmittere Concilio & *proviſionem ex benigna providentia pro honeſtate Papatus*, utpote ſibi *gratiam factam benivolam* recognoſcit, & tandem ſe excuſat, ſi tardaverit Concilio ſcribere: *Sacro Concilio*, inquit, *tardavi ſcribere expectans ambaſiatam ejuſdem, quæ dicebatur mihi deſtinari, quatuor ambaſſiatorum, quæ nondum applicuit. Datum Racaneti die ſeptima Octobris milleſimo quadringenteſimo quinto decimo, octava indictione. Humilis & devotus veſter Angelus Epiſcopus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.* Extat hæc Epiſtola Tomo ſecundo Theſauri Novi Anecdotorum col. 1645. Ex quo patet, quòd ſi aliquid colluſionis, ut pleriſque viſum eſt, cum Petro de Luna ad Pontificatum retinendum Gregorius exercuit, totum illud hac voluntaria ceſſione eluiſſe. Obſervandum porrò eſt Concilium antequam recepiſſet Nuncium de confirmatione Ceſſionis à Gregorio facta, dictas numero ſuperiori gratias ei conceſſiſſe; cùm Niemus aſſerat Concilium de hac confirmatione per Gregorium facta certificatum fuiſſe die tantùm tertia Auguſti, & favores ſupradicti ei exhibiti ſint die decima ſeptima Julii.

LXXV. *Ejus mors.*

Non multò poſt, ſcilicet poſt biennium paulò ante Martini V creationem, mortuus eſt Angelus Corarius, non quidem ſepultus Arimini, ut habet Sanctus Antoninus part. 3 tit. 22 cap. 4 § 2; ſed ut diſertè legitur in ejus epitaphio Recaneti in principe urbis Eccleſia, ubi extat ejus ſepulchrum, cujus exemplar exhibet Oldoinus in Noris ad Ciaconium. Neſcio unde hauſerit Papebrochius Angelum Corarium mortuum eſſe die quarta Julii, id enim nullibi, quòd ſciam, legitur. Mortuus eſt autem octogenarius, vel, ut nonnullis placet, nonagenarius. Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium ait, ejus ſepulchrum proximis præteritis annis, ſeu anno 1623, apertum, & cadaver inſpectum fuiſſe: Auguſtinus verò Oldoinus addit, cadaver habitu Pontificio adhuc ſarto ornatum, maxima omnium admiratione integrum fuiſſe repertum, quod ſe accepiſſe dicit ex illis qui propriis oculis illud aſpexerunt. Tantam ejus ſanctitatem facit S. Antoninus, ut dum eorum vitas proſequitur, qui ſanctitatis opinionem reliquerunt, ipſum propter ſummam in adverſis conſtantiam divo Stephano Martyri comparet. Scripſit Epiſtolas quaſdam ad Petrum de Luna, quæ extant MSS. in Vaticano, teſte Jacobo à Sancto Carolo in Biblioth. Pontificia, quarum aliquas habent Theodoricus Niemus, & Binius Tomo 8 Concil. Ejus

vi-

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

vitam ſcripsit Gregorius Polydorus, Piſtorienſis, Auguſtinianus, in ſuo Gregoriano, ſeu in libro, quem ſub Clemente VIII edidit de quatuordecim Gregoriis Romanis Pontificibus, qui anno 1598 Florentiæ editus eſt. Sed ut ad Seſſiones Synodales redeat ſermo.

LXXVI. *Joannes Huſſ in Seſſione XV damnatur, & traditus Curiæ ſæculari cum ſuis ſcriptis comburitur.*

Die Sabbati, ſexta Julii, anni prædicti 1415 celebrata eſt *Seſſio* 15 præſide eodem Joanne Cardinali Oſtienſi, ac præſente Sigiſmundo Rege, & tredecim aliis Cardinalibus. In qua, quia de fide & hæreſiarchæ condemnatione agendum erat, ac propterea quietiùs & attentiùs res audiri debebant, poſt ſolemnia conſueta, introducto in medium Synodi *Joanne Huſſ*, accuſato, & per delegatos convicto hæretico, altoque ſedili, ut ab omnibus conſpici poſset, conſtituto, ante omnia indictum eſt auctoritate Synodali ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, & carceris duorum menſium, ne quis cujuſcumque gradûs aut præeminentiæ, etiam ſi Imperiali, Regali, Cardinalitia, Archiepiſcopali præſulgeret dignitate, in ea Seſſione juſſu Synodi loquentes perturbaret, aut quemvis ſtrepitum voce vel manibus, aut pedibus faceret, ſed omnes placidè & tranquillè, rem diligenter tractatam, & Spiritu Sancto dirigente, unanimiter & concorditer per omnes nationes & Patres concluſam, audirent & auſcultarent. Quo ſtatuto lecto Promotor Concilii proponens, qualiter articuli prædicati per Joannem Huſs in Boemiæ regno, de quibus eſt convictus, eſsent hæretici, ſeditioſi, captioſi, aurium piarum offenſivi, &c. ideoque per Synodum condemnari deberent, librique de quibus eſsent extracti igne comburi; de mandato & voluntate Synodi, lecti ſunt articuli formati & dogmatizati per Joannem Wicleſ & Joannem Huſs, qui legi poſsunt in Actis editis, ſicuti & articuli damnati Joannis Huſs numero triginta, & alii multi ex proceſſibus contra eundem Joannem Huſs ſufficienter deducti & probati per teſtes fide dignos. Pridie antequam Seſſio celebraretur, id eſt die Veneris, quinta Julii, Cardinales Cameracenſis & Florentinus, Patriarcha Antiochenus, & quidam Archiepiſcopi & Epiſcopi in domo Fratrum Minorum Joannem Huſs interrogaverunt, an vellet abjurare articulos, quos confitebatur, quod cùm ipſe pertinaciter renuiſſet, Synodus in hac Seſſione ejus omnia Scripta publicè cremari ſtatuit, ſcilicet librum, quem intitulaverat, *de Eccleſia*, & alia ejus opuſcula; & viſis omnibus actis, quæ Joanni palàm & publicè coram Patribus & Prælatis lecta ſunt, declaravit eum fuiſse & eſse verum & manifeſtum hæreticum, ipſumque errores & hæreſes ab Eccleſia dudum damnatas, & plurima ſcandaloſa, piarum aurium offenſiva, temeraria, & ſeditioſa publicè prædicaſse, ideoque propter præmiſsa & alia plura declaravit eum pertinacem & incorrigibilem, & adeo totaliter, quòd non cupiebat ad gremium ſanctæ matris Eccleſiæ redire, neque hæreſes & errores per eum publicè prædicatos & deſenſatos abjurare. Idcircò decrevit eum ab ordine Sacerdotali & aliis ordinibus, quibus eſt inſignitus, deponendum & degradandum. Et attento quòd Eccleſia Dei non habet ultra quid gerere valeat, ipſum Curiæ ſæculari relinquendum fore decrevit, à qua, poſt conſueti ritus degradationem, abductus, combuſtis priùs ejus ſcriptis, ipſe etiam vivus per rogum & incendium crematus eſt. Sigiſmundus *Rex*, inquit Cochlæus lib. 2, *ait ad Ducem Bavariæ Ludovicum electorem, qui pomum aureum tenebat: Vade, recipe eum: qui recipiens illum tradidit illum lictoribus capite tonſum & alto pileo papyraceo coronatum, cui inſcriptum erat: Hic eſt Hæreſiarcha*: nonnulliſque interjectis de ſignis adulterinæ pietatis ab eo editis, fuſiſque in teſtes falſis querelis, addit: *Suis à lictore exutus veſtibus, ligatis poſt tergum manibus, affixo in terram palo alligatus eſt in medio rogi: priuſquam verò rogus incenderetur, adequitarunt Dux Bavariæ Ludovicus, & Dominus de Oppenheim, admonentes eum, ut adhuc revocaret, ac ſuæ parceret vitæ.* Ex quibus patet navatam omnem operam à Patribus & Principibus, ut Joannem Huſs ab exitio eruerent; ſed eum iis vanam tantùm hypocriſis oſtentationem explicuiſse ad ſectatores ſuos in errore confirmandos.

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

LXXVII. *Habetur ab hæreticis ut ſublimior omnium Martyrum, & ut propheta.*

Cùm itaque hæreſim improbare nollet, vivus, ut diximus, exuſtus eſt, ejuſque cineres à lictoribus in Rhenum projectis, ſicuti & reliquiæ rogi, ne ab hæreticis ejus ſectatoribus ad venerationem ſervarentur; qui nihilominus, terram, in qua ignis accenſus eſt, non omiſerunt ad id ipſum eradere, atque in Bohemiam deſerre, ac pro ſacra habere, martyrem eum appellantes, quòd multis precibus & pſalmorum cantibus interitum præveniſset, magnaque animi fortitudine ſuſcepiſset rogum; quod minimè mirum, cùm habeat etiam Diabolus ſuos martyres. Tanti autem ejus martyrium, ut vocabant, fecerunt, ut Cochlæus lib. 4 referat, quemdam eorum Sacerdotem in ipſorum Eccleſia Metropolitana Bethlehem dicta, in qua Huſſ ſermocinari conſueverat, concionantem erupiſſe, ut ex putido ſtomacho eructare non dubitaverit, ex omnibus Martyribus, qui præceſserunt, nullius eorum paſſionem, ſed ſolius Chriſti poſse Huſs paſſioni æquiparari. Alii habent eum fuiſſe prophetam, cùm paulò ante mortem dixerit, quòd Huſſianæ mone-

tæ

tæ inſcriptum fert Martinus Cruſius Auctor hæreticus Annalium Suevicorum lib. 6 part. 3 cap. 10. *Centum revolutis annis Deo reſpondebitis & mihi.* Itemque, *Nunc quidem auſerem comburitis* (id enim Huſs ſignificat), *ſed poſt centum annos cygnus exiſtet, quem non comburetis*, per cygnum enim intelligi volunt Lutherum. Sed hæc figmenta fuiſse ex pòſt factis ad decipiendas ſimplicium animas, nec facta dictis reſpondere, inter alios apprimè docuit Gretzerus libello de Numiſmate ab hæreticis Germaniæ cuſo in laudem Huſſi, Lutheri & Rabi, ſub figura Antichriſti, Cygni & Corvi.

LXXVIII. *Nec Synodus nec Imp. fidem ſalvi-conductus Huſſo dati violarunt.*

Proteſtantes conqueruntur Concilium fidem ſalvi-conductûs Joanni Huſs dati violaſſe, imò & decreto ſuo ſtatuiſse fidem ſervandam non eſse hæreticis. Sed Joannes Molanus Theologus Lovanienſis, & Martinus Becanus, ac Heribertus Roſweidus propriis opuſculis de fide hæreticis ſervanda nihil egiſse Concilium contra fidem Huſſo datam oſtenderunt. Certè Concilium nullum ſalvum-conductum ei dederat, ſed tantùm Imperator: unde ſicut erat in poteſtate Imperatoris, ſi ſoli Patres ei fidem publicam dediſſent, eundem comprehendere, &, prout jura dictant, punire; ſic profectò Patres in eum ſuo jure animadvertere potuerunt, quamvis ei Imperator eum futurum incolumen ſpopondiſset. Hoc enim ratio & jura teſtantur, rem inter alios actam, aliis præjudicium afferre non debere. Sed nec ipſe Imperator fidem violavit; ad eam enim obligatus non erat, poſtquam Joannes Huſſ, ut ſuperiùs narratum eſt, ſalvum-conductum violavit, fugiendo è Concilio; è qua fuga retractus cuſtodiæ traditus eſt. Quòd verò ſcribunt hæretici à Concilio decretum fuiſse fidem hæreticis non eſse ſervandam, falſiſſimum eſt; id enim ſolùm Concilium de Salvis-conductibus declaravit Seſſione 19: *Declarat Sancta Synodus ex quovis ſalvo-conductu per Imperatorem, & alios ſæculi Principes, hæreticis, vel de hæreſi diffamatis, putantes eoſdem ſic à ſuis erroribus revocare, quocumque vinculo ſe adſtrinxerint, conceſſo, nullum fidei catholicæ, vel juriſdictioni Eccleſiaſticæ præjudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere, quominus dicto ſalvo-conductu non obſtante, liceat Judici competenti & Eccleſiaſtico, de ejuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & alias contra eos debitè procedere, eoſdemque punire, quantum juſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint, etiamſi de ſalvo-conductu confiſi, ad locum venerint judicii, alias non venturi: nec ſic promittentem, cum fecerit quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum.* Ex quibus verbis tantum abeſt, ut fidem non eſse ſervandam hæreticis Concilium ſtatuat, ut contrarium planè tenere videatur. Nam promittentem debere facere quod in ſe ipſo eſt denunciat, ut fides ei ſervetur, cui ipſe dedit: & proinde fidem ipſe juxta hanc Concilii determinationem ſervare tenetur, & nihil omittere eorum, quæ alios ad fidem, quam ipſe dedit, ſervandam poſſunt inducere. Quòd verò eum, ubi id fecerit, non manere obligatum adſtruit, non mirum eſt, quia impoſſibilium nulla eſt obligatio. Non dicit porrò Concilium aut ſtatuit, fidem hæretico ab Eccleſiaſtico Magiſtratu datam, non eſse ſervandam: quia tunc quod ipſe in ſuo foro promiſit, ſanctè etiam præſtare obligatur; ſicuti & fecit poſtea in Conciliis Baſileenſi & Tridentino. Denique neque Conſtantienſem Synodum fidem hæreticis ſervandam non eſse, docuiſſe, neque ab Imperatore Joanni Huſs datam, violatam demonſtrat Natalis Alexander Diſſert. 7 ſæculi 15 & 16.

LXXIX. *Decretum Synodi de ſalvo-conductu Joannis Huſs in particulari conceſſo ſuſpectæ fidei eſt.*

Jacobus Lenfant in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis, in qua monumenta ad illud ſpectantia in fine rejicit, ſub ſpecie tamen oblivionis, vel, ut quidam malè affecti credere poſſunt, ut Concilii famam & dignitatem in anteceſſum minuat ipſo Operis ſui initio præmittit non ſolùm decretum illud de ſalvis-conductibus ab Imperatoribus, Regibus, aliiſque ſæculi Principibus conceſſis, ſed etiam aliud ejuſdem Concilii de Salvo-conducto Joannis Huſs in particulari conceſſo, quod ultimum deſcripſiſſe ſe ait ex MS. Vindobonenſi Joannis Dorre, qui Concilio interfuit, ſupponens illa duo decreta in eadem Seſſione XIX fuiſſe publicata. Hujus autem poſterioris hic tenor eſt: *Sacroſancta &c. Quia nonnulli minus intelligentes, aut ſiniſtræ interpretationis, vel forſan ſolentes ſapere pluſquam oportet, nedum Regiæ Majeſtati, ſed etiam ſacro, ut fertur, Concilio, linguis maledictis detrahunt, publicè & occultè dicentes, vel innuentes, quòd ſalvus-conductus per Invictiſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum & Ungariæ &c. Regem, quondam Joanni Huſs, hæreſiarchæ damnatæ memoriæ datus, fuit contra juſtitiam aut honeſtatem indebitè violatus: Cùm tamen dictus Joannes Huſs, fidem orthodoxam pertinaciter impugnans, ſe ab omni conductu & privilegio reddiderit alienum, nec aliqua ſibi fides aut promiſſio, de jure naturali, divino, vel humano fuerit in præjudicium catholicæ fidei obſervanda: Idcirco dicta ſancta Synodus præſentium tenore declarat, dictum Invictiſſimum Principem circa prædictum quondam Joannem Huſs, non obſtante memorato ſalvo conductu, ex juris debito feciſſe quod licuit, & quod decuit Regiam Majeſtatem; ſtatuens & ordinans omnibus*

&

Digitized by Google

& ſingulis Chriſti fidelibus cujuſcumque dignitatis, gradus, præeminentiæ, conditionis, ſtatus, aut ſexus exiſtant, quòd nullus deinceps ſacro Concilio aut Regiæ Majeſtati de geſtis circa prædictum quondam Joannem Huſs detrahat, ſive quomodolibet alloquatur. Qui verò contrarium ſecerit, tunquam fautor hæreticæ pravitatis, & reus criminis læſæ Majeſtatis irremiſſibiliter puniatur. Ex eo decreto Jacobus Lenfant infert jure merito conqueſtos eſſe poſtea Proteſtantes, Concilium Conſtantienſe ſtatuiſſe fidem non eſſe hæreticis ſervandam. Quæ querimonia veri ſpeciem haberet, ſi hoc ultimum decretum verè emiſſum fuiſſet à Concilio. Verùm duo iſta decreta ab eodem Concilio in eadem ſeſſione fuiſſe promulgata, quis ſibi perſuaſerit? cùm enim primum emiſſum ſit occaſione damnationis Joannis Huſs, qui ſolus, ut ipſi etiam Proteſtantes fatentur, ſalvum conductum ab Imperatore receperat; qua ratione Synodus ſecundum decretum edidiſſet, cùm jam priori ſatis ſuperque declaratum eſſet non ſtetiſſe per Imperatorem, quin ſalvus-conductus ab ipſo datus ſuum ſortiretur effectum. Id certè eſt omninò incredibile, illud quippe decretum pluſquàm ſufficiens ad purgandum Imperatorem fuiſſet omninò inutile, ne dicam joculare, cùm ſecundo decreto ſtatueretur fidem ſervandam non eſſe hæreticis etiamſi cum ſalvis-conductibus ipſius Synodi & Imperatoris ad Concilium veniſſent, ſi ſalvus-conductus in præjudicium catholicæ fidei vergeret, ob pertinaciam illius cui datus fuiſſet; id enim neceſſariò ſequi videtur ex verbis illius decreti. Sed licèt ſine dubio Jacobus Lenfant id decretum repererit in codice MS. Joannis Dorre Canonici Wormatienſis, Concilio præſentis, & multis præbendis ab ipſo Martino V in Concilio ditati; quid inde? Nunquid nobis fas non erit dubitare de authenticitate & auctoritate illius Codicis MS. Dorreani, ſicut ipſe vir eruditus pag. 101, dubitat cum Maimburgio & Antonio Arnaud de auctoritate Actorum ab Emmanuele Schelſtrate productorum ex codicibus MSS. Vaticanis, quos fuiſſe duodecim numero fatetur pag. 105, & alibi, nempe pag. 588, ſuppoſititiam exiſtimat bullam ab eodem Schelſtratio productam, qua Martinus V Concilium Conſtantienſe confirmat, eamque in rem laudat Joannem Launojum pag. 418, diſſert. V, ubi ait Launojus: *Mitto auctoritatem MSS. Vaticanorum, in quibus titulus iſte recentiori manu adjici potuit.* Hæc tamen bulla jam producta fuerat ante Schelſtratium, ab Odorico Raynaldo ad annum 1425, num. 15, & ſeqq. Profectò ſi licuit Maimburgio, Antonio Arnaud, Elliæ Du-Pin, Jacobo Lenfant, & aliis de auctoritate illorum Auctorum dubitare, immò & ea ſuppoſitionis arguere, nobis etiam licebit dubitare de auctoritate illius Codicis MS. qui ſupponitur eſſe Joannis Dorre, cùm præſertim iſte Codex unicus ſit; Codices verò MSS. Vaticani à Schelſtrate producti plures numero ſint, iiſq; ipſomet Jacobo Lenſant pag. 105, fatente, ſuffragentur codices MSS. Viennæ, Brunopolis, Volſenbutelæ, Lipſiæ, & Gothæ. Quòd ſi quis pertinaciter decretum illud defendere velit, dato etiam & non conceſſo illud eſſe ſincerum, dici poſſet, Concilium illo declaraſſe Joannem Huſs ſe ab omni ſalvo-conductu & privilegio reddidiſſe alienum, fidem orthodoxam pertinaciter impugnando; datus enim ei fuerat ſalvus conductus ab Imperatore tantùm, ut ſe purgaret, non verò ut errores ſuos diſſeminaret, quod tamen ultimum cùm feciſſet ſtatim poſt ſuum Conſtantiam adventum, violavit ſalvum-conductum, ideoque ei *fides aut promiſſio de jure naturali, divino, vel humano* non fuit in præjudicium Catholicæ fidei obſervanda, ſicut nec cuiquam alteri hæretico, poſtquam ipſe primus fidem publicam violavit, ut fecit Joannes Huſs & dogmatizando & fugiendo à Concilio. Nec refert quòd in decreto ejus damnationis nulla fiat mentio ejus fugæ, nam in damnatione Hieronymi de Praga non dicitur eum Conſtantia fugiſſe, licèt ejus fugam ipſemet Jacobus Lenfant non diffiteatur. Sed prior reſponſio magis arridet, nullus enim etiam ex Proteſtantibus tempore ipſo Concilii Tridentini hujus ſecundi decreti mentionem fecit, ſed invenitur ſolùm Catharinam de Medicis Franciæ Reginam Cardinali Ferrarienſi in Francia S. Sedis Legato dixiſſe, Proteſtantes antequam ad Concilium accederent, petere reciſionem decreti Concilii Conſtantienſis, quo cautum erat *Judices eccleſiaſticos poſſe procedere contra hæreticos non obſtantibus ſalvis-conductibus Principum ſæcularium*, quod unicè reſpicit primum decretum, non minùs quàm illud, quod Oratorem Saxoniæ Ducis dixiſſe in Concilio Tridentino ſcribit Lenfant pag. 337, Proteſtantes ſcilicet Germaniæ nondum veniſſe ad Concilium propter quandam declarationem Conſtantienſis Concilii, qua ſtatutum erat *fidem non eſſe ſervandam hæreticis aut de hæreſi ſuſpectis etiamſi ad Concilium veniant cum ſalvis-conductibus Imperatoris aut Regum.* Ille itaque Codex MS. qui ſupponitur eſſe Joannis Dorre, recentioris ſine dubio manus opus eſt, ſicuti & fabricatio illius ſecundi decreti, quod certè Proteſtantes tandiu non latuiſſet. Denique quis ſibi perſuaſerit prætenſum illud decretum latuiſſe Huſſitas Bohemiæ,

eos

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

eos tamen illud ignoraſse ex eo evidenter concluditur, quòd ad Concilium Baſileenſe ipſo ejus initio acceſserint cum ſalvo-conductu Concilii & Principum; quod certè non feciſsent, ſi credidiſsent, Conſtantienſe Concilium Synodaliter decreviſse, fidem non eſse ſervandam hæreticis in præjudicium Catholicæ fidei, etiamſi ad Concilium venirent cum ſalvis-conductibus & ipſius Concilii, & Imperatoris, Regum, ac Principum. Cùm itaque decretum illud ignotatum fuerit ab Huſſitis Bohemiæ quatuordecim annis poſt Concilii Conſtantienſis celebrationem, quis credere poterit, illud cum alio decreto fuiſse ſolemniter & publicè editum ac promulgatum? quod ſuppoſitionis leve argumentum non eſt. Illud itaque decretum, ut ita dicam, poſthumum omninò rejiciendum exiſtimo.

LXXX.
In eadem Seſsione XV damnatur impia aſſertio de tyranni nece cuilibet permiſſa.

Joannes Burgundiæ Dux Ludovicum Ducem Aurelianenſem Caroli VI Francorum Regis fratrem, poſtquam in ſignum abſolutiſſimæ cum ipſo reconciliationis in ſacrificio Miſſæ ſacratiſſimum Domini noſtri Jeſu Chriſti corpus, unà cum ipſo percepiſſet die Dominica XX Novembris anni 1407, occidi curavit, immiſſis in eum ſicariis die XXII ejuſdem menſis, & crimen confeſſus in Belgium aufugit. Hoc parricidium horribili impudentia defendendum ſuſcepit *Joannes Parvus*, natione Normannus, Theologus Pariſienſis, homo venalis, qui defuncti Principis manes crudeliùs inſectatus eſt, quàm fuerat corpus à ſicariis confoſſum. Calumniatur enim Aurelianenſem Ducem Regnum affectaſſe, Magos adhibuiſſe, variaſque incantationes ac ſortilegia ad Regem de medio tollendum, itemque ad fœminas ſuæ libidini ſubjiciendas. Mentitus eſt etiam, eum plurima tyrannica perpetraſſe; ex quibus intulit, non ſolùm pœna dignum non eſſe Burgundiæ Ducem, quòd eum occidiſſet, ſed contra gratiâ, honore, divitiis, aliiſq; præmiis cumulandum, tanquam tyrannidis depulſorem & tyranni peremptorem. Execrandum libellum inſcripſit, *Juſtificationem Ducis Burgundiæ*, probare ſatagens, fas eſſe ac meritorium cuilibet homini privato propria auctoritate tyrannum hujuſmodi opprimere; nec potuiſſe Burgundum abſque graviſſimo peccato id facinoris non perpetrare. Libello illo ad Concilium Conſtantienſe delato, damnata eſt in hac eadem Seſſione XV hæc aſſertio: *Quilibet tyrannus poteſt & debet licitè & meritoriè occidi per quemcumque vaſallum ſuum, vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias, vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito juramento ſeu confœderatione factis cum eo, non expectatâ ſententiâ, vel mandato Judicis cujuſcumque.* Declaravit autem Synodus hujuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide, & in moribus, ipſamque tanquam hæreticam, ſcandaloſam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, perjuria, vias dantem reprobavit: declarans inſuper, pertinaciter aſſerentes hanc doctrinam pernicioſiſſimam, eſſe hæreticos, & tanquam tales juxta canonicas ſanctiones puniendos. Damnavit autem illam aſſertionem Synodus abſque ulla mentione Auctoris, aut libri ex quo fuerat excerpta, ne quæſtio facti intempeſtivè agitata novas turbas excitaret, & ne videretur Synodus derogare fidei aut famæ Ducis Burgundiæ, aut cujuslibet vivi aut defuncti.

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

LXXXI.
In Seſſione XVI deliguntur comites itineris Sigiſmundi ad Petrum de Luna.

Petrum de Luna, ſeu Benedictum XIII Oratores Conſtantiam miſiſſe ad Sigiſmundum Regem locum colloquio petituros ad quem venturi eſſent Benedictus, Sigiſmundus & Ferdinandus Rex Aragoniæ, & Niciam civitatem pro eo colloquio menſe Junii habendo delectam eſſe, ante ſecundam Concilii Seſſionem ſuperiùs diximus. Sed cùm ante tempus pro colloquio conſtitutum, ut narrant Acta Victorina, Petrus de Luna apud Sigiſmundum per Nuncios excuſaſſet, quòd Niciam accedere non poſſet, ut conventum fuerat, propter nimiam loci diſtantiam; ſed futurum ſe Perpiniani unà cum Ferdinando Aragoniæ Rege eodem menſe Junii: rurſumque Ferdinandus ob infirmitatem quâ detinebatur, eundem Sigiſmundum monuiſſet ne iter accelerarct, donec ipſe convaluiſſet; Jacobus Lenfant in Hiſt. Concilii Conſtantienſis pag. 299, ſcribit è contrà Sigiſmundum petiiſſe à Ferdinando Rege Aragoniæ differri colloquium uſque ad finem menſis Julii, conſtare ex declaratione ejuſdem Regis Aragoniæ diei 28 Aprilis, quæ Conſtantiam perlata eſt initio menſis Junii. Sed quidquid ſit, *Seſſio XVI* habita eſt die Jovis undecima Julii, eodem Cardinali Oſtienſi ſeu Vivarienſi præſide; in eaque conſtituti ſunt procuratores Concilii Jacobus Turonenſis Archiepiſcopus, aliique nonnulli Epiſcopi, Abbates & Doctores, omnes numero XII: qui unà cum Sigiſmundo ad Regem Aragoniæ & Petrum de Luna Benedictum XIII proficiſcerentur, quò eum ad ceſſionem inducerent; non enim, ut ex Pſalmo Davidico 71 lepidè conſueverat dicere in Concilio Joannes Gerſonius, futura erat pax Eccleſiæ, donec auferretur Luna. In eadem ſeſſione data eſt nonnullis poteſtas citandi eos, qui clàm à Concilio ſe ſubduxerant. Deputati ſunt in eadem Seſſione Commiſsarii, Pariſienſis, Metenſis, Virdunenſis, & Leonenſis Epiſcopi, ad promulgandam excommunicationem contra nobiles quoſdam prædones, qui Prælatos & Doctores à Rege Chriſtianiſſimo & Academia Pariſien-

ſi ad Concilium miſſos; & qui ad eundem Regem pro univerſalis Eccleſiæ bono à Synodo & Sigiſmundo mittebantur, intercepiſſent, ſpoliaſſent, detinuiſſent, vexaſſent.

LXXXII. *In Seſſione XVII Sigiſmundus benedictionem Synodi recipit.*

Conſequenter die Lunæ quinta decima Julii in *Seſſione XVII* Synodus Sigiſmundo Imperatori in Aragoniam eunti ritu ſolemni bene precata eſt per os ejuſdem Cardinalis Vivarienſis præſidis: proceſſiones generales qualibet die Dominica & Miſſarum celebrationes pro ejus felici itu & reditu decretæ ſunt, cum conceſſione centum dierum indulgentiarum dictis proceſſionibus intereſſentibus, & totidem cuilibet Presbytero unam Miſſam celebranti; & aliis qui devotè ſemel in die *Pater noſter*, & *Ave Maria* pro dicti Regis incolumitate dixerint 40 dierum, in forma Eccleſiæ conſueta. E' contrà verò impedimentū aliquod, aut damnum ei, aut comitibus itineris inferentes gravi excommunicatione percuſſi ſunt. In eadem Seſſione promulgatum eſt diploma, quo Angelus de Corario, olim Gregorius XII, conſtitutus eſt Legatus perpetuus Piceni ſeu Marchiæ Anconitanæ, aliæque gratiæ ei conceſſæ, de quibus jam locuti ſumus. Ceterùm cùm poſt abitum Imperatoris rariores eſſent Seſſiones, eò quòd exitus expectaretur tractatûs ejus cum Petro de Luna, quod præcipuum adhuc erat Concilii opus, cujus certum Nuncium nonniſi initio anni 1416 Conſtantiam delatum eſt; hic ex Actis Victorinis ejus cum eodem Petro de Luna tractatûs narratio præmittenda.

LXXXIII. *Sigiſmundi cum Petro de Luna congreſſus, & Petri deluſiones.*

Jacobus Cerretanus ſæpè laudatus in ſuis Diariis MSS. & Theodoricus Niemus ſcribunt, Sigiſmundum die decima octava Julii Conſtantiâ diſceſſiſſe. Acta verò Victorina apud Spondanum num. LV narrant, eum Narbonam petiiſſe non longè à Perpiniano, opperiturum ibi tempus & commoditatem congreſſus. Sed cùm ibi acceſſiſſet, Petrum de Luna, cùm ad finem Junii ex condicto Perpiniani expectaſſet, media nocte ultimæ diei proclamare feciſſe per urbem, numquis adeſſet pro Rege Sigiſmundo, cùmque nemo ſe exhibuiſſet, accuſaſſe, velut in publicis criminibus aut litibus, ejus contumaciam, & abſceſſiſſe; nihilominus tamen Sigiſmundus Narbonâ relictâ Perpinianum acceſſit. Ad Univerſitatem Colonienſem ejus Oratores Conſtantiæ exiſtentes ſcripſerunt die undecima Octobris, Sigiſmundum Regem intraſſe Perpinianum *decima nona die Septembris*. Epiſtola extat Tomo ſecundo Theſauri novi Anecdotorum col. 1647. Cùm verò inde Petrum ſollicitaret, petiit ille ab eo ſalvum conductum, ut poſſet liberè cum habitu Pontificali venire: reſpondit Rex ſuum non eſſe in alieno regno ſalvum-conductum concedere, nec recepturum ſe illum ut Pontificem, ſed tantùm ut Cardinalem. Rex Aragoniæ facultatem miſit Sigiſmundo dandi ſalvum-conductum; verum quòd non daret niſi ut Cardinali. Petrus noluit venire, ſed miſit plures articulos, quibus inter alia volebat, ut irritis & nullis declaratis, quæcumque adversùs eum ac ſuos fuiſſent hactenus decreta: novum à ſe Concilium totius Eccleſiæ Catholicæ, omniumque obedientiarum convocaretur Lugduni, vel Avenione, aut una alia civitate provinciæ Narbonenſis, in quo fieret per eum habilitatio & abſolutio, de conſenſu pariter ejuſmodi Concilii; ſi inquantum oportuiſſet; & immediatè poſt eadem Seſſione ipſe renunciaret Papatui: poſt renunciationem remaneret in ſtatu Cardinalis, haberetque legationem à latere cum pleno dominio in ſpiritualibus & temporalibus in tota obedientia, quam tunc actu habebat; foretque ſuper omnes mundi Prælatos ac Principes poſt Papam, nec ab ipſo appellare fas eſſet. At his à Sigiſmundo rejectis, & congreſſu iterum poſtulato, demum Petrus acceſſit Perpinianum; ibique inter ipſum ac Reges, miſſoſque à Concilio Conſtantienſi Nuncios, varii ac multi tractatus habiti ſunt de via ceſſionis. Verùm ob multiplicia Petri ſubterfugia ac deluſiones & ambiguitates, re infecta omnes receſſerunt: Petruſque ſibi à Sigiſmundo & Rege Aragoniæ timens, vel timere fingens, ſe ſe Paniſcolam proripuit, quæ eſt Peninſula, in qua eſt oppidum fortiſſimum regni Valentini ad maris oram rupi impoſitum, Cherſoneſum Antiquis dictum, nunc alio nomine *Rocca de Truena*.

LXXXIV. *Articuli XII cum Principibus obedientiæ Benedicti XIII conventi.*

Sigiſmundus tamen pacis Eccleſiæ cupidiſſimus Narbonæ ſubſtitit, rurſumque egit de Petro evocando; ſed venire recuſavit. Quare inter Sigiſmundum & Legatos Concilii ex una parte, & Oratores Regum Aragoniæ, Caſtellæ & Navarræ ac Comitum Fuxi & Armaniaci, qui Benedicto obediebant, ex altera, adſtantibus pariter & cooperantibus Francorum Regis Oratoribus, concordatum eſt in duodecim articulos. Quorum primo ferebatur, Ut per Patres Conſtantienſes fieret nova convocatio reſpectu prædictorum Regum & Prælatorum obedientiæ Benedicti, ſiſtendorum Conſtantiæ intra tres menſes: ita tamen, ut literæ convocationis mitterentur Regibus, & per ipſos diſtribuerentur Prælatis in ipſorum regnis conſtitutis. Secundo, Cavebatur ne quid in eo Concilio tractaretur de rebus eoſdem Reges aut Prælatos, ceteroſque obedientiæ prædictæ tangentibus, ſed tantùm de ſchiſmate extirpando, & Eccleſia unienda. Tertio, Ut quicumque eorum ad Concilium accederent

ſent confeſtim unirentur ejus corpori, ſicut aliarum obedientiarum: & per Concilium ſicunitum procederetur juridicè contra Benedictum nolentem aut refugientem renunciare purè & liberè. Quarto, Ut omnes proceſsus formati, aut ſententiæ latæ contra Benedictum ejuſque ſequaces, irritæ eſſent ac nullæ. Quinto, Ut confirmarentur collationes omnes & gratiæ quæcumque à Benedicto impertitæ in ſua obedientia. Sexto, Ut Cardinales Benedictini venientes ad Concilium, admitterentur etiam cum aliis ad electionem novi Pontificis. Septimo, Ut officiales à Benedicto Romæ conſtituti, non deponerentur, dum tamen non adhærerent ei poſt ſubtractionem faciendam. Octavo, Si interim Benedictus ante abdicationem decederet, non eſset alius Pontifex, quàm qui à Concilio eligeretur. Nono, Ut provideretur ſuper titulis Cardinalium, ad quos bini vel plures ex diverſis obedientiis fuiſsent nominati. Decimo, Ut Benedicto volenti ad Concilium ire, aliiſve ipſius obedientiæ provideretur de ſalvo-conductu Regum ac Principum, per quorum ditiones tranſiturus eſset. Undecimo, Ut conventa utrimque juramento firmarentur. Duodecimo, ut inſtrumenta conventorum cuilibet parti traderentur quot neceſse eſsent. Hi articuli recenſentur in Actis editis poſt Seſſionem XX, & juramento firmati ſunt & ſubſcripti à Sigiſmundo Rege, Alphonſo filio primogenito Ferdinandi Aragonii ob patris infirmitatem, & aliis omnibus, facto de iis inſtrumento die decima tertia Decembris anni 1415, ut legere eſt in eadem Seſſione XX, cùm priùs lecti & approbati fuiſsent in Congregatione Generali die quarta Februarii anni 1416 habita.

Nuncio de Hiſpanorum ad Eccleſiam
LXXXV. *Ingentem lætitiam Conſtantia pariunt.* reditu Conſtantiam perlato *in feſto Sancti Thomæ Cantuarienſis infra feſta Natalis Domini*, ut ſcribit Niemus in Vita Joannis XXIII, ſeu die XXIX Decembris, ſtatim fuit lætitia magna præſentibus & hæc nova grata audientibus, & campanæ Eccleſiarum in argumentum lætitiæ pulſatæ ſunt. *Fuit etiam tunc magnus concurſus illicò ad magnam Eccleſiam per ipſam Germanicam & alias Nationes, hîc etiam exiſtentes in celebratione Concilii, quorum multi præ gaudio plorabant, ceteri verò una voce*, Te Deum laudamus, *devotiſſimè concinebant. Retulerunt etiam in publico, ſive coram ipſis nationibus bajuli earundem literarum, quod non poterant promere aut dicere, quàm ingens & celebre gaudium factum fuit in partibus Hiſpaniæ & Aragoniæ, nec non vicinis regionibus toti populo & omnibus habitatoribus in partibus ipſis de illa ineunda concluſione univerſalis pacis & unionis Eccleſiæ prædictæ, ſi datum ſit deſuper, ut ſperamus, ſubito conſequendæ. Die Lunæ infra eadem feſta natalis Domini* (ſeu die trigeſima Decembris) *Conſtantiæ ſolita hora facta fuit ſolemnis proceſſio, in qua fuerunt Domini Cardinales, & alii etiam Prælati inferiores illic ad generale Concilium congregati, quâ peractâ, fuit celebrata in majori Eccleſia, cum non modica frequentia, de lætitia Cleri & populi Conſtantienſis Miſſa de Spiritu Sancto, multis etiam tunc præ gaudio flentibus illic, ac eis & aliis pro tanto bono Deum collaudantibus: ex* [illegible] *nobis fertilis ſpes datur à Domino,* [illegible] *dicta unio fieri debeat in univerſali Eccleſia citò, prout in præcedentibus recitatur*, inquit idem Theodoricus Niemus loco laudato.

LXXXVI. *Rex Scotorum tunc Benedicto non adhærebat.* Quod autem addit prædicto conventui Perpinianenſi & Narbonenſi adfuiſſe etiam Oratores Regis Scotorum pro Benedicto, ſuſpicatur Spondanus num. 57, Niemum id gratis dixiſſe, & fortè quod ſciret eum Regem olim Benedicto adhæſiſſe, exiſtimavit tunc omnes ejus obedientiæ ſectatores conveniſse in unum. Nam prætérquam quòd, inquit Spondanus, tunc Regem Scotiæ in cuſtodia fuiſſe Regis Angliæ certum ſit, ſcribit inſuper Boethius rerum Scoticarum diligens Scriptor, hoc tempore veniſse in Scotiam diverſas atque adverſas Legationes, unam à Concilio Conſtantienſi, cui Abbas à Pontiniaco præerat, vir multa eruditione & vitæ ſanctimoniâ inſignis, adhortans ut Concilio generali Scoti adhærerent: alteram à Benedicto Lunenſi, quam obibat Minoritanus quidam Anglus, abſurdas quaſdam præterea opiniones pertinaciter aſſerens: Huic Gubernatore Scotiæ adhærente; ac Benedictum contra Clerum Concilio faventem defendente; viciſſe tamen Clerum, & niſi Minoritanus ille fugâ evaſiſſet, faſciculos ignitos effugere, ob hæreſim, de qua convictus eſset, nequiviſſe. Ita Spondanus, qui id confidentius aſſeruiſset, ſi advertiſset, inter eos qui juraverunt approbationem dictorum Capitulorum Conſtantiæ die quarta Februarii anni 1416, reperiri unum, qui ſubſcripſit pro Rege Scotiæ hoc modo col. 187. Actorum Concilii apud Labbeum: *Comite Amoniæ pro Duce Britanniæ, Rege Scotiæ, Comite Norvegiæ & Comite Sabaudiæ.* Deceptus eſt itaque Niemus, licèt Concilio præſens eſset. Sed quia prædicti Hiſpaniæ Reges diſtulerunt Oratores ſuos ad Concilium mittere, nunc Seſſiones Synodales recenſendæ ſunt, de illorum ſubtractione & Oratorum adventu ſuis locis acturi.

Die Sabbati, decima ſeptima Auguſti, LXXXVII. *Seſſio XVIII.*
Seſſio 18 celebrata eſt, in qua demandata eſt quatuor Epiſcopis poteſtas finiendi cum aliorum totidem ex cunctis Nationibus conſilio cauſas & quærelas omnes ad Synodum de-

delatas & deferendas, cauſis tantùm Eccleſiarum Cathedralium aliiſque majoribus exceptis, quia Synodus *diverſis aliis occupata negotiis ipſarum cauſarum finali deciſioni intendere* nequibat. Literæ deinde ſcribi ac dari juſſæ de gratiis à Joanne XXIII olim Papa conceſſis, uſque ad ipſius adminiſtrationis in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenſionem, quæ fuit die Martis decima quarta Maji, *expectationibus & exorbitantiis duntaxat exceptis*. Miſſi Oratores in Italiam ad Angelum de Corario Epiſcopum Cardinalem, olim Gregorium XII nominatum, & Cardinales jam ipſo exiſtentes pro negotiis unionis Eccleſiæ. Decretæ tandem eædem pœnæ in corruptores literarum Concilii, quæ in falſarios literarum Apoſtolicarum.

LXXXVIII. *In Seſſione XIX Hieronymus de Praga damnat hæreſes, & iterum in eas relabitur.*

In *Seſſione decima nona* habita die Lunæ, vigeſima tertia Septembris ejuſdem anni 1415, Hieronymus de Praga Artium liberalium Magiſter Laicus, de quo ſuprà in Seſſionibus ſexta & ſeptima, errores Joannis Wicleffi & Joannis Huſſi, de quibus infamatus fuerat, publicè coram univerſa Synodo anathematizavit; eoſque jure ac meritò damnatos eſse à Synodo agnovit: & ſi poſtinde aliquid contra doctrinam Eccleſiæ Catholicæ ſentire aut prædicare detegeretur, canonum ſeveritati obnoxium ſe profeſſus eſt, ſuamque ejuſmodi abjurationem & profeſſionem propria manu ſcriptam Synodo tradidit. Poſtquam enim ſumptum fuiſset de Huiſo ſupplicium, cœptum fuerat agi contra eundem ejus diſcipulum Hieronymum, Conſtantiæ detentum, virum inquietum & vehementis ingenii. Spondanus num. 59 ſupponit Hieronymum poſt dictam profeſſionem & abjurationem nactum effugiendi opportunitatem, reverà tunc longum iter emenſum per Germaniæ provincias, perveniſse ad Boëmiæ confinia; ſed captum & retractum a Duce Bavariæ Joanne, Conſtantiam eſſe reductum, ibique tanquam relapſum carceri mancipatum, donec revocationem priſtinam denuò comprobaret. Quod ſi verum ſit, dicendum erit Hieronymum ſemel & iterum Conſtantiâ aufugiſse, primò quidem menſe Aprili, ut refert idem Spondanus num. 27, & poſtea poſt menſem Septembrem, poſt errorum ſuorum abjurationem, ut idem Auctor ſcribit num. 59, & utrobique citat eam in rem Cochlæum in Hiſt. Huſſitarum, pro prima quidem fuga librum 2, & pro ſecunda librum 3, qui cùm ad manum non ſit, neſcio utrum Cochlæus intelligendus ſit de una & eadem fuga, cùm utraque apud Spondanum cum iiſdem fermè circumſtantiis deſcribatur, & in ſententia à Synodo contra eum lata die trigeſima Maji anni 1416 de ejus fuga nulla fit mentio, ſed ſolùm dicatur, eum poſt abjurationem prædictam errorum die 23 Septembris anni 1415 factam, *multis diebus tranſactis*, ſicut canem ad vomitum rediiſse. Tandem mihi aliqua lux affulgere viſa eſt ex oratione, quam contra eum habuit Jacobus Laudenſis Epiſcopus eadem die trigeſima Maji, cujus partem ex ejuſdem Cochlæi lib. 3 recitat Raynaldus anno 1416 num. 21. *Fuiſti captus*, inquit Epiſcopus Laudenſis Hieronymum in Synodo alloquens, *ut debent ſimiles* (id eſt hæretici relapſi) *ad Conciliumque deductus, & ſola neceſſitate urgente recluſus. Super qua recluſione reverendiſſimi Domini mei Cardinales de Urſinis, Aquilejenſis, Cameracenſis, Florentinus perſonaliter quæſierunt, ſi poſſes alio magis commodo loco collocari, & ſi tuam fugam non fuiſſent veriti, quia ſæpius fugeras, nedum in eorum domo, ſed menſa & camera te unuſquiſque eorum benevolè pertractaſſet.* Reſtat itaque ſolùm difficultas, utrum illa verba, *quia ſæpius fugeras*, ad duas illas fugas è Concilio Conſtantienſi referenda ſint, in cujus nodi ſolutione fateor mihi aquam hærere. Certè in Hiſtoria Concilii Conſtantienſis Jacobi Lenſant fuga Hieronymi de Praga magnis tenebris eſt etiam involuta; poſtquam enim Auctor pag. 111 dixit Hieronymum Conſtantiam appulliſſe die 24 Aprilis, ac eaque vel eadem die, vel biduo poſt, Uberlingam 2 milliaribus Conſtantiâ diſtantem receſſiſse, unde ſcripſit Imperatori, à quo petiit ſalvum-conductum, quem obtinere non potuit; ex quo factum eſt ut aufugerit; poſtea tamen idem Lenſant pag. 136 diſertè ſcribit, Hieronymum captum in confinio Boëmiæ die 25 Aprilis, vel prope Sultzbacum, ut probabilius putat Lenſant pag. 137 quæ duo cohærere non poſsunt; ſi enim die tantùm 24 Aprilis Conſtantiam pervenit, quomodo potuit die ſequenti 25 ejuſdem menſis ad Silvam Boëmicam perveniſse, vel prope Sultzbacum tantoperè Conſtantiâ diſtantem? Probabilius itaque eſt, Hieronymum die prima Aprilis, ut ſcribit Cochlæus ex Ulrico Reichentals, Conſtantiam adveniſse, die ſeptima ejuſdem menſis ad valvas Eccleſiæ ſcriptum affigi curaſſe, in quo aſserebat ſe publicè reſponſurum obtrectationibus crimina erroris & hæreſis ſibi objicientibus, ut legitur in citatione Concilii die 17 Aprilis facta, in qua & ei data eſt fides publica, *juſtitiâ ſemper ſalvâ, ac quantum fides exigit orthodoxa*; poſteaque aufugiſſe, ut diximus ſeſſione ſeptima, & captum eſſe in Silva Boëmica, in qua errores ſuos diſſeminabat, Synodum Conſtantienſem vocans *Diaboli ſcholam*, & *Satanæ ſynagogam*, reductumque eſſe Conſtantiam, ubi die 23 Septembris errores Wiclefi & Huſſi abjuravit; ſed cùm poſt dictam abjurationem & Catho-

tho-

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

tholicam fidei profeſſionem ad vomitum rediiſset, meritò damnatum eſse ut relapſum & obſtinatum hæreticum. Qua de re infrà in Seſſione XXI.

LXXXIX. *Quædam alia in eadem Seſſione XIX decreta.*

Eadem Seſſione decimâ nonâ edita eſt conſtitutio de modo electionum, aliiſque rebus Ordinem Minorum ſpectantibus. Declaratum eſt inſuper quaſvis ſalvi-conductus literas ab Imperatore, Regibus, & aliis ſæculi Principibus conceſſas hæreticis vel de hæreſi ſuſpectis & accuſatis, non prohibere quin Eccleſiaſtici Judices contra ipſorum errores inquirant, eoſque puniant, *quantum juſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores revocare pertinaciter recuſaverint*, ut jam dictum eſt Seſſione XV. Cauſas hæreſis certis Judicibus Concilium commiſit. Statuit inſuper ut omnes & ſinguli Beneficiarii Concilio præſentes fructus ſuorum beneficiorum perciperent, ac ſi in iis reſiderent. Item, ut de proviſionibus ad Patriarchales, Metropolitanas & alias Eccleſias à Joanne olim Papa XXIII ante ſuſpenſionem illius factis, ſub nomine & ſigillo Synodi literæ concederentur. Denique Concilium confirmavit Conſtitutiones Friderici II & Caroli IV Imperatorum, circa libertatem & immunitatem perſonarum, locorum, & bonorum Eccleſiaſticorum; cum aliis multis ſuperadditis ad ea ſpectantibus ex diverſis Romanorum Pontificum & Conciliorum ſtatutis, recenſque ex hac ipſa Synodo Conſtantienſi.

XC. *Seſſio XX.*

Denique ut Seſſiones eodem anno 1415 habitas abſolvam, die Jovis vigeſima prima Novemb. *Seſſio* XX habita eſt, eodem præſide Joanne Cardinali Oſtienſi, in qua, inſtante Georgio Epiſcopo Tridentino, decretum eſt Monitorium contra Fridericum Auſtriæ Ducem, propter invaſa ab eo bona & jura Eccleſiæ Tridentinæ. Contra quod nihilominus Procurator prædicti Ducis proteſtatus eſt de nullitate ejus, ac appellando petiit inſtrumentum.

XCI. *Capitula Narbonenſia confirmantur à Patribus Synodi.*

A' die vigeſima prima Novembris anni 1415 ad diem penultimam Maji anni 1416 nulla habita eſt Seſſio; lentè enim omnia procedebant, quia expectabatur Hiſpanorum acceſsus & Sigiſmundi reditus, qui tantùm exeunte Februario anni 1417 Conſtantiam advenit, ideoque priùs deſcribendæ ſunt quædam Seſſiones anno 1416 celebratæ, & ſubtractiones Hiſpanorum ab obedientia Benedicti XIII, ſeu Petri de Luna. Et primò quidem anno 1416 die Jovis trigeſima Januarii facta eſt Conſtantiæ Congregatio generalis in majori Eccleſia Conſtantienſi ad audiendam relationem Nunciorum miſsorum unà cum Sigiſmundo Rege in Aragoniam, quæ facta eſt à Jacobo Archiepiſcopo Turonenſi uno ex prædictis Nunciis. Quâ factâ idem Archiepiſcopus legit duodecim illos articulos, quos diximus inter eoſdem Regem Sigiſmundum, Nuncioſque, ac Reges Hiſpaniarum, alioſque Benedicti Lunenſis ſectatores, conſtitutos, quique in Actis Concilii Seſſione XX referuntur. Deinde die Martis quarta menſis Februarii, facta eſt alia Congregatio Generalis, in qua hi duodecim articuli, ſecundùm conventa ab omnibus confirmati atque ſubſcripti cum juramento præſtito à Cardinalibus & Prælatis ad pectora ſua, à ceteris verò ad Sancta Evangelia. Approbarunt autem & juraverunt ea capitula fideliter obſervare Cardinales numero viginti; Patriarchæ duo, Conſtantinopolitanus & Antiochenus; ac ceteri Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Nuncii Regum ac Principum, & procuratores Epiſcoporum abſentium, Univerſitatum & Ordinum, atque Eccleſiarum particularium & Capitulorum, quotquot tunc Conſtantiæ erant, cùm plurimi Epiſcopi ex abſentia Sigiſmundi Regis occaſionem ſumpſiſsent ſuas Eccleſias viſitandi. Quia verò primo capitulo cautum erat, ut literæ convocatoriæ à Concilio dirigerentur ad Reges, & per ipſos diſtribuerentur Prælatis in ipſorum Regnis conſtitutis, Joannes de Opizis decretorum Doctor & Concilii Orator deſcribi curavit ſexaginta, ſcilicet pro Rege Aragonum viginti, totidem pro Rege Caſtellæ, decem pro Rege Navarræ, quinque pro Comite Fuxenſi, & totidem pro Armeniacenſi. Exemplar harum literarum pro Rege Aragoniæ refert Raynaldus anno 1416 num. 6. Sed errorem eſse in data illarum exiſtimo, ſic enim in fine legitur: *Dat. & actum Conſtantiæ in Eccleſia Cathedrali dicti loci, in qua pro præmiſſis eramus ſpecialiter congregati, III Nonas Februarii anno Domini* 1416, *indictione IX, ipſa ſede vacante*. Fuerunt tamen Patres congregati & pro approbatione capitulorum & pro eorundem obſervatione, die tantùm quarta menſis Februarii, ideoque in iis legendum puto *pridie Nonas Februarii*, ſeu *II Nonas Februarii*. Ait porrò Raynaldus ſe eas literas deſcripſiſse ex Actis MSS. Concilii Conſtantienſis poſt Seſſionem XXI, & extare in Actis editis Concilii Seſſione XXII, ubi revera extant, ſed ibi dicuntur datæ *ſecundo Nonas Februarii*, & referuntur integræ, non mutilæ ut apud Raynaldum, qui ferè ſemper inſtrumenta in neceſsariis mutila refert.

XCII. *Aragoniæ Rex ſubtrahit ſe à Benedicto.*

Tam obſtinatus erat animus Petri de Luna ad retinendum Pontificatum, ut Valla in Vita Ferdinandi Aragoniæ Regis & poſt eum Mariana lib. 10 cap. 7 referant eum in conventu Perpinianenſi, quamvis conſtitutum in ætate ſeptem & ſeptuaginta annorum, cunctis qui aderant audiendo defatigatis, ſeptem continuis horis probare niſum, ſe verum Papam eſſe; tum ſi re-

renunciandum ob commune commodum foret, in ſe uno, nonnulliſque Romanis Canonicis, quos ipſe nuncupaſset, conſiſtere ſummi Pontificis electionem: Quippe ſe unum omnium eſse indubitatum Cardinalem, & ab indubitato Papa, ſcilicet Gregorio XI creatum, cùm ceteri, qui ſe eodem nomine appellarent, creati eſsent tempore ſchiſmatis, ideoque incertum eſſet, an veri eſſent Cardinales, & ob id an ritè eligere ſummum Pontificem poſſent. Sed cùm omnes ejus cavillationes & reſponſiones diligenter jam apertæ & confutatæ fuiſſent; Ferdinandus Aragoniæ Rex ſentiens ſe ad mortem ex morbo ſontico tendere, nec unionem Eccleſiæ quoad ſe imperfectam relinquere volens, auctore præcipuo conſilii Vincentio Ferrerio, qui Benedicti auctoritatem antea ſecutus fuerat, principio anni 1416, nempe octavo Idus Januarii, ipſa die Epiphaniæ, Benedictum rurſum monitum & reluctantem omninò deſerens, publico edicto Perpiniani promulgato, in quo quæ ipſe cum illo aliiſque egiſſent, ejuſdemque obſtinatum in ſchiſmate animum narrabat & damnabat, interdixit ne quiſquam ſuorum ſubditorum cujuſcumque conditionis aut dignitatis eum ampliùs in Papam agnoſceret, aut ei ut tali obſequeretur; utque omnes Eccleſiaſtici majores ac minores, eo derelicto ad Eccleſias ſuas ſe reciperent, ſub pœna amiſſionis redituum, fructuum, officiorum & dignitatum quarumcumque. Hanc ſubtractionem idem ipſe Vincentius ibidem Perpiniani coram Rege infirmo, ejuſque filio primogenito Alphonſo, multa nobilitate & ingenti populi multitudine, ſermone facto, legit ac promulgavit. Addidit autem Regem credere, Reges Caſtellæ & Navarræ, ſimilem eodem momento feciſse ſubtractionis publicationem; cùm miſiſſet, qui eos ad id impellerent: ſicque fieri ut quemadmodum ſimili die tres Reges obtuliſſent Chriſto Domino munera pretioſa; ita tres iſti eâ die facerent hanc oblationem Deo & Sanctæ matri Eccleſiæ pro ejus ſancta unione. Extat illud edictum Tomo XII Concil. Labbei col. 1532. Miſit tamen Ferdinandus non multò poſt Conſtantiam Antonium Taxal Generalem Ordinis B. Mariæ de Mercede, qui ſignificaret Hiſpanos brevi venturos, qui Antonius, ut infrà videbitur, Ferdinandi Regis literas exhibuit Patribus die ſecunda menſis Martii.

XCIII. *Cur eamdem ſubtractionem Rex Caſtellæ diſtulit.* Diſtulerunt tamen prædicti Reges Caſtellæ & Navarræ id exequi. Nam quamvis Joannis Caſtellæ Regis nomine, quia ſub prædicti Ferdinandi Aragonii Patrui, matriſque Catharinæ tutela adhuc puer agebat, die decima quinta Januarii edictum ſimile in ejus regnis promulgatum fuerit, nihilominus Archiepiſcopi Toletanus & Hiſpalenſis, cum nonnullis Prælatis Caſtellæ & Legionis, non tam citò edictis Regiis obtemperarunt, quòd dicerent Ferdinandum minis & terroribus à Sigiſmundo Romanorum Rege, & Carolo Francorum, aliiſque Regibus, bellum ei terrâ, marique minantibus inductum fuiſse. His acceſſit quòd cùm in regno Caſtellæ multi eſsent Petri de Luna beneficio devincti, & Ferdinandus Rex obiiſset die ſecunda Aprilis, vulgus ejus conſilii accuſandi occaſionem ſumpſit, ex quo factum eſt, ut Caſtella in fide Benedicti aliquandiu ſteterit. Quomodo verò & ipſe eum deſeruerit, dicetur infrà.

XCIV. *Benedictus Regem Aragoniæ excommunicat.* Sed prædicti Archiepiſcopi & Prælati Caſtellæ & Legionis ad ſuperiora prætexenda inducti erant à Petro ipſo de Luna, qui Ferdinandi deliberatione perculſus, ſuis Paniſcolæ convocatis, multiſque in ſui excuſationem, & adverſariorum accuſationem prolatis; ſe verum ac legitimum Pontificem aſſeruit, & velle, quoad viveret, jura ſuæ dignitati pro viribus tueri: proinde rogare ut ſe non desererent: qui verò id facerent, ab Eccleſiæ communione ejectos, dignitatibuſque omnibus, etiamque Regia, Cardinalitia, Patriarchali, Archiepiſcopali, & quacumque alia exutos ſe eſſe ſcirent. Speciatimque Ferdinandum Aragonium regno privatum declaravit & anathemate perculſit; quòd unde officia omnia deberentur, inde initiū præcipitandi extitiſset. Ceterùm, mortuo, ut jam dixi, die ſecunda menſis Aprilis, Ferdinando Aragoniæ Regi anno ætatis quadrageſimo tertio, ſucceſſit Alphonſus ejus primogenitus, virtutibus & ipſe inſignis, literis eruditus, cognomento *Magnanimus*, qui cùm initio ſui regni à nonnullis ſuaderetur obedientiam Benedicto reſtituere, negavit omninò quæ prudenter geſta fuiſſent, inconſideratè mutare; miſitque Oratores ſuos Conſtantiam.

XCV. *Subtractio ab Aragonia Rege facta conſilio S. Vincentii Ferrerii.* Quod porrò paulò antè dixi, ſanctum Vincentium Ferrerium auctorem fuiſse ſubtractionis Benedicti à Ferdinando Aragoniæ Rege factæ, id ipſum teſtatur Joannes Gerſonius in Epiſtola ad ipſum à Concilio Conſtantienſi ſcripta, cujus hæc ſunt verba: *Nominatiſſimo Doctori & Prædicatori zelanti ſalutem animarum Magiſtro Vincentio de Ordine FF. Prædicatorum Patri meo in Chriſti caritate dilectiſſimo Joannes de Gerſon.* „ Tanta de virtutibus tuis, Doctor egregiè, fama referente crebriùs accepi, tanta ſpecialiter in collocutione familiari cum Reverendo Patre Domino Generali tui Ordinis Prædicatorum agnovi, ut mihi videaris rectè figuratus, ſecundùm nomen tuum per illud Apocalypſis: *Vidi & ecce equus, & qui ſedebat*

„ *ſu-*

„ *ſuper illum habebat arcum, & data eſt ei* „ *corona, & exiit vincens ut vinceret*. Exiſti quidem ut vinceres, ò Vincenti glorioſe, ſed quales tu vinceres, qua ratione, quibus armis, quo apparatu bellico, quali arcu tu tandem ipſe coronatus triumphares? Respondet ille, cujus es imitator, Paulus dicens, *Arma militiæ noſtræ non eſſe carnalia*, cum reliquis ſimilibus: qualia melius ipſe noſti ...... Reddunt tuæ caritati, tuoque zelo pacis Eccleſiaſticæ teſtimonium hoc inſigne, hoc celeberrimum præconium, quod inclito Aragonum regno nunquam fuiſſent concordata pacis capitula, nunquam ſubtractio, quæ tam viriliter & legitimè facta eſt ab illo, nimis, proh dolor! erga matrem Eccleſiam obdurato Petro de Luna, fuiſſet obtenta, ſi non auctoritatis tuæ pondus, & conſilii robur addidiſſes: cujus favoris tam egregii Nos ipſi ſacro Concilio præſentes, deſideratiſſimæ pacis, annis jam ferè 40 miſerabiliter exulantis, fructum & reditum proximum expectamus.„ Quo tempore Alphonſi Aragoniæ Regis Oratores Conſtantiam ad Concilium acceſserint infrà dicetur.

XCVI. *Seſſio XXI, in qua Hieronymus de Praga relapſus damnatur, poſtea combuſtus.*

Licèt in Concilio res lentè procederent pro extinctione ſchiſmatis in abſentia Imperatoris, haud tamen ceſsarunt Patres à variis aliis privatorum cauſis cognoſcere, & in ſuis congregationibus decernere. Et primò quidem circa Hieronymum de Praga, quem vidimus hæreſim abjuraſse, & poſtea eam reſumpſiſse, habita eſt congregatio generalis die vigeſima ſeptima menſis Aprilis, in qua Hieronymus à Concilii cauſarum actore in judicium adductus eſt ob peſtiferam Wicleffi doctrinam pluribus in locis diſseminatam. Sed ſibi objecta Hieronymus partim negavit, partim variis effugiis eludere viſus eſt. Die etiam vigeſima tertia & vigeſima ſexta Maji habitæ ſunt etiam congregationes generales in ejuſdem Hieronymi cauſa; has omnes eruit Odoricus Raynaldus ex Actis MSS. Concilii à num. 13, ad 20. Die tandem Sabbati penultima Maji celebrata eſt *Seſſio* XXI præſide eodem Joanne Cardinali Oſtienſi, eâque Hieronymus de Praga ſæpè antè auditus in Congregationibus generalibus præcedentibus, & ad defenſionem admiſsus, nec tamen ſatisfaciens; ultimò in Synodum introductus eſt; & in ſcamno omnibus conſpicuus conſtitutus, de ſententia Synodi utì relapſus & obſtinatus damnatus, traditusque poteſtati ſæculari, vivus combuſtus eſt. Quod quàm juſtè factum fuerit, præter illa quæ in ſententia damnationis continentur, ſatis intelligitur ex oratione tunc à Jacobo Epiſcopo Laudenſi adversùs eum habita; cujus fit mentio in Actis Concilii eadem Seſſione XXI, quamque integram recitat Cochlæus lib. 3 Hiſt. Huſſitarum. Qua etiam oſtenditur quàm invitè Patres ad damnationem ejuſmodi viri præclaræ eruditionis ac raræ eloquentiæ, acriſque ingenii, delati ſint; quàmque nihil omiſerint, quò eum ad meliorem frugem redigerent; conceſsa etiam ſæpiùs audientia publica, quò poſset objecta ab adverſariis crimina refellere. Quin imò & poſt eam Epiſcopi orationem permiſsum ei reſpondere, & quæcumque voluit affari, iiſdem Actis traditur.

XCVII. *Synodus fidem publicam Hieronymo datam non violavit.*

Ex dictis Seſſionibus VI, VII, & XIX de Hieronymo de Praga conſtat, injuſtè hæreticos in Synodum vulgò latrare, violatæ Hieronymo præſtitæ fidei publicæ crimen illi affingentes; cùm Hieronymus publico eo ſcripto, quo adverſarios ad Synodum œcumenicam provocabat, hæc addiderit: *Ego pro innocentia mea paratus ſum apertè, & publicè coram toto Concilio, ut ſcripſi, reſpondere, & puritatem fidei meæ orthodoxæ oſtendere; & ſi compertus fuero in aliquo errore aut hæreſi, ex tunc non recuſo publicè pati pœnam, prout erroneum ſeu hæreticum decet*. Dederat quidem Synodus fidem publicam Hieronymo Seſſione VI, ſed cum clauſula, *juſtitiâ ſemper ſalvâ, & quantum fides exigit orthodoxa*. Quare cùm poſtea è Concilio aufugerit, imò & poſt abjurationem & profeſsionem fidei in Seſſione XIX factas palinodiam recantarit, ipſe primus fidei publicæ renunciaverat, & rediens ad hæreſim tanquam relapſus juſtè condemnari potuit.

XCVIII. *Qualis fuerit Hieronymus.*

Ceterùm Æneas Silvius poſtea Papa ſub nomine Pii II in Hiſtoria Boëmorum cap. 36, refert Hieronymi cineres æquè ac Joannis Huſſi in profluentem jactos fuiſſe, diſcipuloſque ejus terram ad venerationem abſtuliſſe, in qua ignis fuit, & utrumque apud hæreticos Boëmos Martyrum honores meruiſſe, nec minores quàm apud Romanos Petrum & Paulum habitos eſſe. Cochlæus autem lib. 4 Hiſt. Huſſit. dies feſtos quotannis in eorum memoriam celebrando decretos eſſe. Sed Theodoricus Niemus, qui tunc Conſtantiæ præſens erat, licèt Pontificum Romanorum virulentiſſimus inſectator, depingit Hieronymum magnum & craſſum, ſatis eloquentem, ſed imprudentem, inſignemque & pertinacem hæreticum, in vita & morte præſumptione diabolica & damnabili perſeverantem. Verum eſt Poggium Florentinum epiſtola 3 ad Leonardum Aretinum deſcribentem quàm præfidenti animo ignem pertulerit, eidem tribuiſſe immenſas laudes; ſed eas ipſi tribuit utì philoſopho, non utì Martyri Chriſti, quas idem Cochlæus diligenter expendit; & quàm fuerit Hieronymus ipſo etiam Huſſo noxior,

atque

atque in fide periculoſior, abundè oſtendit

XCIX. *In quo differant Congregationes generales à Seſſionibus.*

Poſt ſeſſionem vigeſimam primam, die ultima Maji in principe Eccleſia Conſtantienſi publicum edictum datum eſt, quo vocati ſunt Præſules, qui nondum Conſtantiam acceſſerant, rogatique Principes ut Oratores mitterent, ut communi omnium conſenſu, Hiſpanis proximo tempore Concilio aggregandis, ferretur ſententia ad Petrum Lunenſem gradu pellendum. Deſcripſit illud edictum Odoricus Raynaldus num. 23, ex Actis MSS. Concilii poſt Seſſionem XXI, *dat. Conſtantiæ II Kal. Junii, anno à nativitate Domini* 1416, *Apoſtolica ſede vacante*. Nulla poſt hæc facta eſt Seſſio uſque ad diem decimum quintum menſis Octobris, ſed plures Congregationes generales celebratæ ſunt, quas pariter ex iiſdem Actis refert idem Raynald. num. 24, & ſeqq. Non magna tamen erat differentia inter Congregationes generales omnium Nationum, & Seſſiones, quæ fiebant cum magnis ſolemnitatibus & officio divino; in Congregationibus verò generalibus omittebantur non ſolùm dictæ ſolemnitates, quæ requirebantur ad Seſſionem publicam, ſed & officium divinum; columnâ enim 1541 Concil. Labbei legitur die XX menſis Februarii factam fuiſse congregationem generalem, ſed *ſine ſolemnitatibus Seſſionis, videlicet officiorum Miſſæ, Litaniarum & aliarum orationum ad ſeſſiones Synodales* pertinentium. Porrò modus obſervandus in publica ſeſſione Conciliorum generalium, qui dicitur practicatus & obſervatus in Concilio generali Conſtantienſi, extat Tomo XII Concil. Labbei col. 284, & ſeqq.

C. *Acta in Congregatione generali diei tertiæ Junii.*

Tertio itaque Junii die coacta eſt ſolemnis congregatio, cui Regum, Romanorum, Galliarum, Angliæ, Aragonum, Neapolitani, Cypri, Poloniæ, Norvegiæ, Daniæ & Sueciæ Oratores interfuiſse ſcribit Raynaldus, ſed ſine dubio fallitur quoad Oratores Regis Aragoniæ, qui miſit tantùm Oratores ſuos poſt diem decimum Junii, ut conſtat ex literis, quas per eoſdem Oratores ad Concilium ſcripſit, excuſans de tardiore ad Synodum acceſsu Oratorum ſuorum. Hæ quippe literæ datæ ſunt die 10 Junii, earum partem refert ibidem ipſemet Raynaldus, nondum itaque advenerant die tertia Junii. In illa congregatione generali diei tertiæ Junii, Bohemi & Moravi illi qui Joannem Hus innocentem publicis literis prædicarant, poſtulati hæreſeos apud Conſtantienſis Synodi ſubſellia, cùm tempore conſtituto non comparuiſsent, contumaciæ damnati fuêre, debitiſque pœnis affecti. Lectæ ſunt deinde Sigiſmundi Romanorum Regis literæ, quibus celeris acceſsûs ſpem dabat. Aliæ poſtea Joannis Naſsovii Archiepiſcopi Moguntini recitatæ, quibus querebatur delatum apud Cæſarem ab obtrectatoribus fuiſse ipſum in Eccleſiam Romanam atque imperium conjuraſse.

CI. *Acta in Congregationibus dierum V & XXVII Junii.*

Luſitaniæ Regis Oratores die prima Junii Conſtantiam ingreſsos eſse ſcribit Niemus, qui Conſtantiæ aderat; Acta verò Cerretana addunt eos in publico Patrum conſeſsu Regem ſuum in poteſtate Concilii eſse & fore renunciaſse, à quibus non diſcrepant Acta MSS. à Raynaldo laudata, in quibus legitur eadem die quinta Junii illos ad congregationem generalem accedentes, elegantem in illius Principis laudem & commendationem orationem habuiſse: quorum verba Epiſcopus Sariſberienſis excepit, cumulatiſque in Regem pluribus elogiis confirmavit. Vigeſima ſeptima die Junii ſolemnibus initis Patrum cœtibus Guillelmi Argentinenſis Epiſcopi electi cauſa diſceptata eſt, deque conciliandis cum eo Argentinenſibus actum; quod factum eſse poſtea forsàn in Seſſione XXXI refert Spondanus anno 1417, num. 3, ex Hiſtoria Epiſcoporum Argentinenſium Guillimanni, in qua in Epiſcopo 68, legitur, cognitam quoque in Synodo fuiſse cauſam Guilelmi; qui cùm multo tempore cum Capitulo Eccleſiæ ſuæ & Magiſtratu civitatis contendiſset, & multas iis calamitates maximo etiam ſuo damno intuliſset; demum ab iis proditoriè captus & cuſtodiæ traditus eſt. Cùmque vix poſt diverſas Synodi juſſiones permitti potuiſset Conſtantiam remitti pro ſuæ cauſæ apud Patres diſceptatione; toto ferè anno in contentione inter partes peracto, tandem Concilii decreto & Sigiſmundi Regis, quia in Epiſcopum & Romani Imperii Principem manus injicere auſi eſsent Argentinenſes, communione interclusi ſunt, & Imperiali proſcriptione damnati. Quare Argentinenſes pejora ſibi a Guilielmo Epiſcopo & aliis vicinis prætextu proſcriptionis timentes, pecuniâ tranſigere optimum factu rati, ſex florenorum millia Cameræ Apoſtolicæ miſerunt, & multò majorem ſummam Sigiſmundo, uti Guillelmus in Epiſcopatum remitteretur, & omnium controverſiarum oblivio eſset: ita ut quem omnibus ſtudiis & operibus paulò antè ejectum & profligatum voluerant, jam immenſo etiam pretio eundem uti retinere poſſint pepigerint. Quæ ideo hîc uno tenore narravi, quia mihi non conſtat, in qua Seſſione facta ſint. In Actis enim Concilii apud Labbeum col. 1543, extat ſolum monitorium contra Argentinenſes *datum Conſtantiæ die decimo menſis Martii, anno à nativitate Domini* 1416, *Apoſtolica Sede vacante*.

CII. *Acta in Congregatione diei quartæ Julii.*

Alphonſi Aragoniæ Regis literæ datæ, ut mox diximus, die decima Junii, quibus de

tar-

tardiore, Oratorum ſuorum ad Synodum Conſtantienſem acceſſu idem Rex ſe purgabat, lectæ ſunt in congregatione generali die quarta Julii habita, quibus alias addidit rogans Patres Conſtantienſes, ut Antonio Taxal ſacræ paginæ Magiſtro, Generali Ordinis B. Mariæ de Mercede Oratori fidem adhiberent; ei enim auctoritatem tribuit, culpam excuſare, ſi quam in mittendis tardiùs Oratoribus commiſiſſet, cùm varia illum magnæ molis negotia poſt flendam patris mortem implicuiſſent; evoluto enim unius menſis intervallo venturos; eaſdemque preces Caſteilæ & Navarræ Regum, Fuxi, atque Armeniaci Comitum nominibus repetiit. Cùmque Concilium dicto Antonio de Taxal ſtatim reſponderit, ex eo convincitur, ipſum ſolum jam tunc fuiſſe Conſtantiæ, & ceteros poſtea adveniſſe; revera enim die tantùm decima Septembris, quinque Oratores excepti ſunt, ut mox dicetur. His ſcriptis inveni apud Raynaldum num. 10, Antonium Taxal, jam à Ferdinando Aragoniæ Rege Oratorem miſſum literas ejuſdem Regis Patribus Conſtantienſibus obtuliſſe die ſecunda Martii, quibus Hiſpanos Præſules acceſſuros Conſtantiam ex confectis pactionibus ſignificabat, ideoque non tæderet eos modicum expectare. Ex quo conſtat Oratores Alphonſi Regis Aragoniæ Congregationi generali diei tertiæ Junii non adfuiſſe, ſed ad ſummum ſolùm Antonium Taxal jam antè à Ferdinando miſſum, & poſt mortem Ferdinandi ab Alphonſo Ferdinandi filio & ſucceſſore in ſuo munere confirmatum.

CIII. *Acta die quarta Septembris.*

Die decima octava Julii privatæ tantùm cauſæ agitatæ ſunt. Quarta verò die menſis Septembris coacto eodem ſacro Senatu, nonnullorum Bohemiæ & Moraviæ procerum Joannis Wicleffi & Joannis Hus lue infectorum, de quibus die tertia Junii actum fuerat, contumacia à cauſarum Concilii actoribus accuſata eſt, ac repetita omnia in eos geſta, & confecta publica monumenta lecta: renunciati deinde ex omnibus Nationibus fuere judices, qui eam cauſam cognoſcerent.

CIV. *Acta in Congregatione diei decima Septemb.*

Die decima Septembris in congregatione Generali excepti ſunt à Patribus, juxta eundem Raynaldum, Raymundus Floch Comes Cardonæ, Raymundus eques auratus, Antonius de Taxal Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede, Gundiſalvus de ſancta Maria, Spera in Deo Cardonæ, & Michael Navers Oratores Alphonſi Regis Aragonum, qui jam Conſtantienſes cœtus Synodi œcumenicæ nomine inſignire cœpére, cùm antea illos Congregationis tantùm verbo notarent, ſuſque adventûs has cauſas attuiére: *Expoſuerunt*, inquiunt Acta MS. *quibus de cauſis illuſtriſſimus Dominus Alphonſus Rex Aragonum miſiſſet ad congregationem præſentem, nominando ſacrum generale Conſtant. Concil. congregationē ultimam, primò, pro extirpatione ſchiſmatis & hereſum; & pro unione Eccleſiæ Dei, & reformatione ſtatus Eccleſiaſtici in capite & in membris, ac electione unici ſummi Romani Pontificis*. Produxerunt hac de re literas regias, quibus Alphonſus ad ea peragenda poteſtatem ipſis dederat, quæ ſunt hac temporis notâ conſignatæ: *Dat. & actum Barchinone decima die Julii anno à nativitate Domini* 1416, *regnique noſtri primo*. Obſervandum tamen quinque Oratores Alphonſi in Actis editis apud Labbeum col. 198, ſe ita inſcribere: *Joannes Raimundi Floch Comes Cardonæ, frater Antonius Taxal ſacræ paginæ Magiſter, Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede, Raimundus Zatmar miles, Sperans in Deo Cardonæ Juriſperitus, Gundiſalvus Garſia de ſancta Maria Decretorum, & Michael de Navers utriuſque juris Doctores, Oratores, Procuratores* &c. Ampliſſimis fulti mandatis Aragonii Oratores promptos ſe exhibuêre ad ineundam ſacrorum ſocietatem; priùs tamen decreviſſe Cardinales honoris causâ convenire. Habitæ ſunt denique ante Seſſionem duæ aliæ congregationes generales, prima quidem die decima ſexta Septembris, altera die decima nona ejuſdem menſis, quæ apud eundem Raynaldum legi poſſunt, non vacat enim tandiu in his immorari, utpote minoris momenti.

CV. *In Seſſione XXII Seſſiones Oratorum Regum diſponuntur.*

Die Jovis decima quinta Octobris adveniente celebrata eſt *Seſſio XXII*, præſide eodem Joanne Cardinale Oſtienſi, in qua cùm Oratores Joannæ Reginæ Jeruſalem & Siciliæ, qui non ita pridem advenerant, requiſiti fuiſſent locum, quem in conſeſſu tenebant, cedere Oratoribus brevi venturis Regis Caſtellæ, & ad partem ſiniſtram tranſire, ſeſſuri immediatè poſt Oratores Regis Angliæ: ideo decrevit Synodus ſi fortè alii venirent, qui locum occuparent, quem modò ipſi deſererent, nullum inde iis, ſicuti nec aliis quibuſcumque præjudicium fore ex loco & ordine ſeſſionum, aut proceſſionum. Poſtea Aragoniæ Regis Oratores uniti ſunt Synodo, & locati in eodem ſcamno inter medios Oratores Regis Francorum alterno ordine, ita ut primus Joannes Gerſon Cancellarius Eccleſiæ Pariſienſis Orator Regis Francorum ſederet, & poſt eum Comes Cardonæ Orator Regis Aragoniæ, & ceteri ſic intermixti: quod pacis ſtudio factum Oratores Galli in Synodo denunciarunt, ne inde jus aliquod dignitatis ſibi Aragonius vendicaret. Ex indulgentia etiam Synodi ac ſingulari privilegio, pro bono pacis, & pro hac tantùm vice conceſſum, ut tam eorumdem Oratorum Aragoniæ, quàm Luſi-

Luſitaniæ & Caſtellæ atque Navarræ cùm adveniſſent, tanta eſſet ſuffragiorum auctoritas, quanta foret omnium Epiſcoporum ſuorum Regnorum, ſi adeſſent. Eoque modo conſtitutæ ſunt voces ſeu ſuffragia quinque Nationum, additâ Hiſpanicâ, cum hactenus fuiſſent tantummodò quatuor. Sed quia Luſitaniæ Regis Oratores conqueſti ſunt de hac prærogativa Aragoniis conceſſa, revocata eſt poſtea, ut dicetur Seſſione XXXVIII.

CVI. *In Seſſione XXIII inquiritur in Petrum de Luna.*

Die Jovis quinta Novembris *Seſſio XXIII* habita eſt, eodem Cardinale Oſtienſi præſide, in eaque conſtituti ſunt duodecim judices commiſſarii, duo videlicet Cardinales, Patriarcha Conſtantinopolitanus, duo Epiſcopi, ſeptem alii Doctores, ad decernendum & dijudicandum, quâ ratione contra Petrum de Luna ſeu Benedictum XIII uſque ad perfectam ſchiſmatis extirpationem procedendum eſſet, qui ſchiſma nutriturus, ad unum terrarum angulum in caſtro munitiſſimo Paniſcolæ in littore maris, ubi ad eum non eſſet tutus acceſſus, ſe recluſerat. Habita verò eſt ab Ardecino conſiſtorialium cauſarum patrono Oratio in hæc verba: *Miſeremini mei ſaltem vos amici mei*, & inducta Eccleſia, quæ Patres hortabatur, ad diuturnum ſchiſma, quo vexata fuerat, diſſipandum, ut legitur in Act.s MSS. quæ laudat Raynaldus.

CVII. *In eadem Seſſione Aragonii contendunt Anglos non debere conſtituere unam nationem.*

In iiſdem Actis legitur Aragonios in eadem Seſſione litem moviſſe, Anglos potiri eo privilegio non debere, ut ipſi nationis unius Auctoritate in Concilio excellerent; & revera ante adventum Hiſpanorum Petrus de Alliaco Cardinalis in tractatu de Eccleſiæ auctoritate, qui extat Tomo primo Operum Gerſonii in fine, de natione Anglicana ſub Germanicâ reducenda, ita ut tantummodò quatuor Nationes eſſent, computatâ etiam Hiſpanicâ, diſputaverat. Quam controverſiam Galli auxêre in Seſſione vigeſima octava; cùm enim Aragonii contenderent Anglicam nationem non videri æquandam omnibus Hiſpaniarum regnis, qui unius nationes nomine continerentur, Galli, ut jam dictum eſt, eam controverſiam auxêre; ſed cùm eorum dicta in ſenſum iniquiorem traducta eſſent ab æmulis, ita ii ſuam mentem explicuerunt: *Nunquam fuit intentionis eorum, quòd Dominus Rex Angliæ & regnum ſuum non faciant, ſeu non repræſentent unam nationem, ſicut quodlibet regnum facere poſſit; aut quòd non habeat vocem magnæ nobilitatis & auctoritatis, cùm hoc etiam concedant de quolibet alio Rege, imò etiam de quibuſdam particularibus nationibus, non habentibus Regem appropriatum; ſed fuit eorum intentio, quòd de jure non habent, nec habere debent vel poſſunt talem nationem, quæ habeat vocem ſeu auctoritatem repræſentativam quartæ aut quintæ partis Chriſtianitatis, ſeu totius obedientiæ Romani Pontificis, & quæ debeat aut poſſit de jure æquiparari voci ſeu auctoritati totius Italiæ, vel totius Galliæ, ſeu Hiſpaniæ, vel totius Germaniæ, quæ quatuor nationes principales multa Regna, & nationes particulares continent, quæ particularia regna dicto regno Angliæ meritò poſſunt æquiparari: & quòd iſta fuit intentio, manifeſtè patet ex ſupplicatione.* Addidêre in eo libello ſupplici cauſas, ob quas Anglia Alemanniæ adjungenda videretur, Caſtellanis & Navarræis Concilio ſe aggregantibus, non enim poſſe conferri cum Gallicana Anglicam, quæ duos tantùm Archiepiſcopatus complectebatur, nec cum Germanica, cùm illa plura regna ampliſſima contineat, & Hiſpaniæ pariter in tot nationes diſtinguendæ eſſent. Eadem, ſed proliviùs refert Ja obus Lenfant in Hiſt. Concil. Conſtantienſis pag. 547, & ſeqq.

CVIII. *Angli petunt diviſionem imperii Pontificii.*

At Angliæ Oratores, ut priſtinum ordinem dignitatis tenerent, plura in Seſſione trigeſima prima ad ſuæ nationis commendationem attulerunt: & primò quidem ſanctam Helenam cum filio ſuo Conſtantino Imperatore nato in urbe Regia Eboracenſi, infidelium terras plures ac crucem Domini de manibus infidelium ad Chriſtianorum manus & fidem reduxiſſe; interjectiſque pluribus Conſtantini elogiis, addidêre religionem ab Anglis primo ſæculo ſuſceptam & amplificatam; ſtatim enim poſt paſſionem Joſeph ab Arimathia nobilem Decurionem, qui Chriſtum de cruce depoſuit, cum duodecim ſociis Angliam ingreſſum eſſe & populos ad fidem convertiſſe, quibus Rex duodecim hidas terræ, in diœceſi Bathonienſi pro victu aſſignavit, qui in monaſterio Blaſconienſi Bathonienſis diœceſis, ut ſcribitur, tumulantur. Addiderunt tandem Angliæ regnum nunquam diſceſſiſſe ab obedientia Romanæ Eccleſiæ, nec unquam Romani Pontificis eludere obedientiam conatum eſſe. Propoſuerunt deinde totam Chriſtianitatem, ſeu omnes obedientias Romani Pontificis commodè dividi in quatuor plagas ſeu partes poſſe, ita ut Orientalis Hungariam, Boëmiam, Poloniam & Alemanniam teneret; Occidentalis Gallias & Hiſpanias complecteretur; Septentrionalis Angliam, Scotiam, Hiberniam, Daniam, Sueciam, Norvegiam; Meredionalis Italiam, Cretam, Cyprum & partem Græciæ, quæ Latinis pareret, contineret, & in Conciliis illum ordinem ſervari poſſe, ut de regnorum amplitudine, nationumve potentia contentio ſedaretur. Verùm Patres nihil innovare voluerunt, ac Synodus in quinque nationes, Italicam, Gallicam, Germanicam, Hiſpanicam & Anglicam diſtincta eſt, quæ

omnia

Digitized by Google

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

omnia à Raynaldo ex Actis MS. deſcripta, hîc conjungenda viſa ſunt. Anglorum reſponſa refert etiam Jacobus Lenfant in Hiſt. Concilii Conſtantienſis pag. 453, & ſeqq. aitque eam controverſiam deciſam fuiſſe in favorem Anglorum ſeſſione trigeſima prima, eamque in rem citat Van der Hardt Tomo IV pag. 1164.

CIX. *Conſtantinus M. Britannus non fuit.*

Cæterùm occaſione eorum quæ dixerunt Oratores Angli, Conſtantinum nempe Magnum in Anglia natum eſſe, paucis hæc fabula rejicienda. Joannes Iſacius Pontanus in duobus libris diſcuſſionum Hiſtoricarum, obſervavit quidem Angliam non eſſe Conſtantini patriam, ſed credidit eum natum apud Tharſum Bithyniæ, in quo deceptus eſt, ut mox dicetur. Ante Pontanum Hubertus Gephanius in Commentario ſuper Fl. Juſtiniano Imperatore jam dixerat: *Plerique putant Conſtantinum in Britannia natum: ejuſque matrem Helenam Coëlii neſcio cujus Britannorum Regis filiam fuiſſe comminiſcuntur: ignari ſcilicet ortum & natalem Cæſarum eſſe duplicem: unum hujus lucis & vitæ, alterum imperii, & hunc alterum, ſcilicet imperii, Britanniæ imputare poteſt Conſtantinus Magnus.* Cedrenus certè Conſtantinum apud urbem Daciæ natum ſcribit. Sed ex antiquioribus auctoribus id probandum, & oſtendendum Naiſſum oppidum Daciæ Mediterraneæ, nunc *Serviæ* dictæ, eſſe patriam Conſtantini; id enim teſtantur Stephanus de Urbibus, qui quinquaginta circiter ab hinc annis; lucem vidit cum Notis in Hollandia; Conſtantinus Porphyrogenneta lib. 2; Firmicus lib. 1 Matheſeos ſub initium; imò & Anonymus in Excerptis de Geſtis Conſtantini à Valeſio editus poſt libros Ammiani Marcellini, qui disertè habet: *Hic igitur Conſtantinus natus Helena matre viliſſima* (id eſt infimæ conditionis) *in oppido Naiſſo, atque eductus; quod oppidum poſtea magnificè ornavit*, &c. In Julio quidem Firmico excuſo legitur: *Apud Tharſum genitus, à primo ætatis gradu*, &c. Sed ibi legendum eſſe *apud Naiſum*, loco, *apud Tharſum*, ex duobus codicibus MSS. viri docti dudum monuerunt, ut obſervavit Valeſius laudatus in Noris pag. 196. Decepit Anglos, alioſque viros doctiſſimos non ſolùm locus Panegyrici Maximiano & Conſtantino dicti, in quo legitur: *Liberavit ille* (ſc. Conſtantius Conſtantini M. pater) *Britannias ſervitute, tu etiam nobiles eſſe illic oriendo feciſti*; ſed alter locus alterius Panegyrici, quem refert idem Giphanius, in quo Scriptor ait: O' *fortunata & nunc omnibus terris beatior Britannia, quæ Conſtantinum Cæſarem prima vidiſti*; ea enim verba interpretati ſunt Angli de natali genuino Conſtantini; cùm tamen ibi Oratorum mens ſit gratulari ſe, ibi ortum factumque Imperatorem Conſtantinum, non verò ibi natum eſſe; uno verbo Oratores ibi loqui de Natali imperii, non de Natali genuino.

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

CX. *Seſſio XXIV in qua decernitur citatio Petro de Luna.*

Die Sabbati vigeſima octava Novembris *Seſſio XXIV* celebrata eſt, eodem Joanne Cardinale præſidente, in qua à Stephano Episc. Dolenſi, jubente Synodo lecta & decreta forma citationis prædicto Petro de Luna, tanquam obſtinato ſchiſmatis fautori ſchiſmaticoque & hæretico cenſendo, faciendæ ad centeſimum diem, vel ad ſeptuageſimum ab intimatione eidem ipſi, ſi liber acceſſus pateret, vel in Eccleſia Derterſenſi, cui Paniſcolæ oppidum ſuberat, aut aliqua alia illius diœceſis promulganda.

CXI. *Seſſio XXV, in qua admittuntur Oratores Comitis Fuxenſis.*

Die Lunæ decima quarta Decembris *Seſſio XXV* habita, in qua Petrus Cardinalis de Fuxo frater Joannis Comitis Fuxenſis, Ordinis Minorum, creatus olim à Benedicto Presbyter Cardinalis tituli Sancti Stephani in Cœliomonte, anno ætatis ſuæ vigeſimo ſecundo; Sancius Olorenſis Epiſcopus, & Bernardus Adurenſis, Oratores Fuxenſis Comitis, petentes uniri Synodo, admiſſi ſunt eo modo quo antea Aragonenſes. Ubi Spondanus obſervat, quòd cùm Seſſione XVIII reperiatur Petrus Epiſcopus Olorenſis, quem Pamphilus in Chronicis Eremit. S. Auguſtini, ait fuiſſe ejuſdem Ordinis, neceſſe eſſe ſchiſma fuiſſe in ea Eccleſia, uti & in quampluribus aliis illo tempore ſchiſmatis generalis: & hunc quidem Sancium Fuxenſis Comitis Oratorem fuiſſe à Benedicto XIII conſtitutum, Petrum verò ab aliquo ex Pontificibus in Italia ſedentibus. In eadem Seſſione Olomucenſis Eccleſiæ in regno Boemiæ & Marchionatu Moraviæ, vacantis per obitum Wenceslai Patriarchæ Antiocheni, qui auctoritate Apoſtolica eam habebat in commendam, in ſpiritualibus & temporalibus adminiſtratio Joanni Epiſcopo Luzomuſſenſi commendata eſt uſque ad electionem futuri ſummi Pontificis, & ex poſt ad tres menſes immediatè ſequentes. Hic porrò Wenceslaus Patriarcha Antiochenus adfuerat Concilio Piſano, ut ibidem diximus.

CXII. *Seſſio XXVI in qua admittuntur Oratores Regis Navarræ.*

Die Jovis vigeſima quarta Decembris habita eſt *Seſſio XXVI*, in qua Guillelmus Arnoldi Bajonenſis, & Nicolaus Aquenſis, Epiſcopi, Eximius Ayner Canonicus & Archidiaconus in Eccleſia Pampilonenſi, in ſacra pagina Magiſter, & Joannes de Letova Legum Doctor, Oratores Caroli Regis Navarræ ad Concilium ſunt admiſſi, ſervato eodem modo & ordine, qui in unione Oratorum Regis Aragonum. Et ad pacem inter nationes fovendam decretum eſt, nihil omnino excellentiæ ſeu præeminentiæ, aut cujuſcumque alterius juris, pro-

Digitized by Google

prietatis aut poſſeſſionis, cuique nationi accreſcere vel decreſcere ex loco ſeſſionis, reſponſionis, ſubſcriptionis, & aliis hujuſmodi, quæ prioritatem vel poſterioritatem inducere poſsent.

CXIII. *Seſ. XXVII in qua Fridericus Auſtriæ contumax declaratur.*

Anno Chriſti milleſimo quadringenteſimo decimo ſeptimo, die Sabbati vigeſima Februarii habita eſt *Seſſio XXVII*, præſide eodem Joanne Cardinale Oſtienſi, in eaque Commiſsarii in cauſa Tridentinæ Eccleſiæ à Concilio deputati, de monitorio contra Fridericum Auſtriæ Ducem, de quo in Seſſione XX, bonorum ejuſdem Eccleſiæ invaſorem, decreti executione relatione facta, ejuſdem contumaciam accuſarunt. Cùmque poſt hæc Sigiſmundus Romanorum Rex Conſtantiam poſt multos exantlatos labores pro Eccleſiæ unione, advenitſet

CXIV. *Seſ. XXVIII in eum fert ſententiam.*

Die Mercurii tertia Martii celebrata eſt *Seſſio XXVIII* eodem præſide, & præſente Sigiſmundo, in qua idem Fridericus Auſtriæ Dux ob invaſa jura & bona Eccleſiæ Tridentinæ, ob vexationem Georgii Tridentini Epiſcopi, & ob violatum juramentum, quo in Sigiſmundi Auguſti judicio ſuper Tridentini Epiſcopi querelis acquieturum ſe promiſerat, anathematis, & ſacrilegii vinculis innodatus eſt, & declaratus perjurii reus, ideoque pœnas privationis & inhabilitationis in conſtitutione Carolina contentas incurriſſe. Declaratum eſt inſuper ejus complices & fautores iiſdem pœnis ſubjacere, eorumque loca eccleſiaſtico ſuppoſita fuiſſe interdicto quouſque ſatisfeciſſent & abſoluti fuiſſent. Executionem verò ſententiæ Sigiſmundo Auguſto commendavit Synodus, ceterorumque etiam Principum auxilium invocavit.

CXV. *In Seſſione XXIX accuſatur contumacia Petri de Luna.*

Die Lunæ octava menſis Martii habita eſt *Seſſio XXIX*, centeſimo nempe die à citatione contra Petrum de Luna decreta in Seſſione XXIV, qui centeſimus dies illa die incidebat, in qua accuſata eſt ejus contumacia, atque ulteriores contra eum citationes decretæ; conſentiente pro toto Concilio Joanne Cardinale Oſtienſi ejus præſide: ob diſcordiam enim nationum Hiſpanicæ & Anglicanæ de prærogativa reſponſionum, aliorumque actuum; fuit per nationes & Cardinales ſtatutum, ut Præſidens ſolus pro toto Concilio reſponderet; habito tamen priùs ſcripto tam Cardinalium, quàm ſingularum Nationum ſententiâ & conſenſu. Miſſi autem antea fuerant duo ultimi Cardinales Diaconi, ſcilicet de Comitibus, & Florentinus, qui alta voce ad valvas Eccleſiæ Petrum de Luna conclamarent, qui cùm tribus vicibus conclamatus non comparuiſſet, res in judiciaria inſtrumenta relata eſt.

CXVI. *In Seſſione XXX Nuncii a Synodo ad eum miſſi audiuntur.*

Die Mercurii decima Martii celebrata eſt *Seſſio XXX*, in qua Lambertus & Bernardus de Pianca, qui in Seſſione XXIV Oratores Concilii miſſi fuerant ad citandum Petrum de Luna, retulerunt quomodo auxilio Alphonſi Regis Aragoniæ, eundem Petrum in caſtro Paniſcolæ Deturſenſis diœceſis in propria perſona citaſsent, & quid ipſe reſpondiſset. Sed quid reſponderit in Actis editis non reperitur, in quibus ſolùm legitur Oratores Concilii, qui fuerant deſtinati ad citandum Petrum de Luna, relationem feciſſe per organum Bernardi de Pianca decretorum Doctoris. Sed Spondanus num. 2 ſcribit, ſe inveniſſe in quodam codice Sancti Victoris Pariſienſis brevem tractatum de Conciliis, in quo de hac Petri de Luna citatione auctor agens ait, Lambertum de Stipite & Bernardum de Piancâ Doctores Ordinis Cluniacenſis, die vigeſima prima Januarii in caſtro Paniſcolæ ad Petrum introductos ſedentem tunc in plena audientia, præſentibus inter alios tribus Cardinalibus ſuis & pluribus Epiſcopis, ac alia multitudine copioſa populi, adſtantibusque duobus vel tribus Notariis publicis ad hoc ſpecialiter adductis, legiſſe alta voce citationem: ac Petrum reſpondiſſe; quia in prædictâ prætenſa citatione multa continebantur magna & ardua, quæ indigerent magna deliberatione, biturum ſe illam cum fratribus ſuis, ac poſtea reſponſurum brevi tempore; excuſando ſe interim quòd non eſset hæreticus, neque ſchiſmaticus: Super his dictos citationis executores petiiſse inſtrumentum, ac protinus receſſiſse: Petrum autem miſiſse poſtea ad Concilium articulos ſuos reſponſorios ad ſingula puncta in citatione contenta, qui non fuerunt tanquam ſufficientes admiſſi pro onione per ejus ceſſionem, prout renebatur. Ita ibi legi aſſerit Spondanus, & quidem rectè; nam in Seſſione XXXII dicti Oratores, ſeu miſſi ad Petrum de Luna à Concilio nominantur Bernardus de Plancheа, qui alibi dicitur. Sacriſta S. Crucis Burdegalenſis Ordinis S. Benedicti, & Lambertus de Stipite, qui omnia retulerunt, ſicut narrantur in prædicto auctore anonymo S. Victoris Pariſienſis, ſaltem uſque ad intimationem citationis & inſtrumentum de eo factum incluſivè.

CXVII. *Petri de Luna reſponſiones ad Nuncios Synodi.*

Verùm Raynaldus num. 4 ex Actis MSS. hujus Concilii, ſcribit Lambertum ac Bernardum Concilii Oratores die 21 Januarii tradidiſſe Petro libellum citationis, pendente ex eo bulla, in cujus parte altera capita Apoſtolorum Petri & Pauli expreſſa erant, in altera verò effictæ claves, diemque illi ſeptuageſimum peremptorium indixiſse, quo decretoria in ipſum ſententia de ſchiſmate & hæreſi ferenda erat; ad quæ additis plurimis verborum fucis reſpondit, uti conſueverat, Pontificem Con-

ci-

cilio non ſubeſse: hæreſeos verò crimen ita eluere conatus eſt, ementiens ſe opinionem ſuam Eccleſiæ Catholicæ ſententiæ ſubjicere. Subjunxit congregatos Conſtantiæ, nec Synodum generalem, nec univerſalem Eccleſiam repræſentare, cùm ſint excommunicati, & per conſequens non poſse juriſdictionem aliquam exercere, *præcipuè cùm minor in majorem, & maximè in Papam (quem nec juris auctoritas, nec rationis debitum, nec alicujus obligationis neceſſitas ad hoc arctant) actum imperioſum exercere non poſſit*. Addidit conſtare maniſeſtè, *quòd actu præſidentes in dicta congregatione* (ſeu Concilio Conſtantienſi) *ſunt ſuſpecti*. Ingeſſit deinde plures in Concilium Conſtantienſe calumnias, & contumelioſa verba, petiitque, ut primùm Piſani Concilii Acta abrogarentur; pollicitus ſe ceſſionem admiſsurum, ea lege, ut uni ipſi, utpote ante ſchiſma à Gregorio XI Cardinali renunciato, creandi Pontificis jus permitteretur. Propoſuit & aliam de eligendis compromiſsariis judicibus viam, qua & Conſtantienſe Concilium diſſolvebat, & in ambages litium, novoſque ſchiſmatum fluctus Eccleſiam conjicere moliebatur. Cæterùm hîc non prætereundum elegans ſcomma, quod apud Poggium legi de prædictis Monachis nigris ſeu Cluniacenſibus obſervat Spondanus; cùm enim Petrus eos ad ſe venientes vidiſſet, dixit, *Synodales corvos audiamus*; alter verò eorum reſpondit, *Minimè mirum videri debet, ſi corvi ad dejectum cadaver accedimus*. Erat enim & ætate confectus, & à Synodo dejectus.

CXVIII. *Subtractio facta ab Aragonicis approbatur.*

In eadem Seſſione XXX poſt auditam prædictorum Bernardi de Planca & Lamberti de Stipite Nunciorum Concilii, relationem, approbata eſt ſubtractio ejuſdem Petri de Luna obedientiæ facta per Ferdinandum olim Aragoniæ Regem, ac poſtea per Alphonſum ejus filium. Reſciſsa eſt præterea à Synodo ejuſdem Benedicti XIII, ſeu Petri de Luna Conſtitutio, quæ incipit: *Ad futuram rei memoriam. Inderum ſucceſſu creſcente malitia ſic videmus mundum*, &c. & finit: *Datum Maſſiliæ apud Sanctum Victorem decimo quartò Kalendas Junii Pontificatûs noſtri anno decimo tertio*, quam Synodus tanquam unionis Eccleſiæ obicem, nullius eſſe aut fuiſſe roboris declaravit, & omnia inde ſecuta irritavit.

CXIX. *Acta in Seſſione XXXI.*

Die Mercurii ultima Martii habita eſt *Seſſio XXXI*, in qua promulgatum eſt monitorium contra Philippum Comitem Virtutum ex familia Vicecomitum Mediolanenſium, qui Albertum Epiſcopum Aſtenſem in Lombardia vi armata captum in carcerem conjecerat, ut niſi Epiſcopum libertati reſtitueret, ipſe & ejus complices anathemati ſubjicerentur. In eadem ſeſſione decretum eſt, ut Guillelmus Bajonenſis in Aquitania Epiſcopus, olim à Petro de Luna in ſchiſmate conſtitutus, mortuo jam Petro ejus competitore obedientiæ Joannis XXIII, tanquam verus Epiſcopus à Clero & populo Bajonenſi agnoſceretur & coleretur; Capituloque ejuſdem Eccleſiæ vetitum, ne ad alterius Præſulis electionem procederet.

CXX. *In tribus ſeſſionibus judiciariæ actiones in Petrum de Luna continuantur.*

In *Seſſionibus XXXII, XXXIII, & XXXIV*, celebratis diebus prima Aprilis, duodecima Maji, & quinta Junii, Judiciariæ actiones in *Petrum de Luna* continuatæ ſunt, contumax declaratus eſt, Commiſſarii ad teſtes ſuper certis articulis contra ipſum audiendos deputati, de teſtium examine relatio ad Synodum facta. In jus iterum vocatus eſt, ad dicendum, objiciendum, & proponendum coram Commiſſariis, quidquid dicere, objicere, & proponere vellet contra teſtes in hac cauſa auditos; eorumque dicta & inſtrumenta prolata; cauſæ ſeries coram Synodo recenſita eſt, inquiſitiones lectæ, omniaque ſecundùm juris apices ad ferendam proximè ſententiam neceſſaria peracta ſunt.

CXXI. *Oratores Caſtellæ uniuntur Synodo in Seſſione XXXV.*

In *Seſſione XXXV* die Veneris, decima octava Julii, habita, Joannis Regis Caſtellæ & Legionis Oratores Concilio ſunt conjuncti, & acta in hanc diem contra Petrum de Luna approbarunt, & Concordata Narbonenſia, cùm ab ipſis, tùm à Synodo, eorum reſpectu executioni ſuêre demandata. Huic porrò Seſſioni interfuit Sigiſmundus Rex cum inſigniis Regalibus.

CXXII. *In Seſſione XXXVI Petrum de Luna peremptoriè citatur.*

In *Seſſione XXXVI* die Jovis, vigeſima ſecunda Julii celebrata, peremptoria citatio contra Petrum de Luna publicata eſt, ut vigeſima ſexta ejuſdem menſis, in Eccleſia Conſtantienſi ſe ſiſteret, definitivam Synodi ſententiam in cauſa ſua auditurus; cenſuras, ſententias & pœnas ab ipſo contra bonum unionis latas, aut decretas eadem Synodus irritas pronunciavit; gratias omnes & diſpenſationes ab ipſo conceſſas, & omnia alia ab eodem in ditionibus Joannis Regis Caſtellæ & Legionis acta ad diem uſque decimum octavum Junii ultimò præteriti, pro bono pacis approbavit & confirmavit.

CXXIII. *In Seſſione XXXVII Benedictus XIII deponitur.*

Adveniente itaque die Lunæ, vigeſima ſexta Julii, habita eſt *Seſſio XXXVII*, præſide Joanne Epiſcopo Oſtienſi, cui interfuit Sigiſmundus Rex, in qua lata eſt depoſitionis ſententia in Petrum de Luna, Benedictum XIII in ſua obedientia nuncupatum, tanquam perjurum, univerſalis Eccleſiæ ſcandalizatorem, fautorem, & nutritorem inveterati ſchiſmatis, pacis & unionis Eccleſiæ impeditorem & turbatorem, ſchiſmaticum & hæreticum; Articuli fidei, *Unam Sanctam Eccleſiam Catholicam*,

eam, violatorem pertinacem, eum ſcandalo Eccleſiæ Dei, incorrigibilem notorium & manifeſtum, ac omni titulo, gradu, honore indignum, à Deo ejectum & præciſum, omni jure in Pontificatu quomodolibet illi competente privatum, & ab Eccleſia Catholica tanquam membrum aridum præciſum Synodus pronunciavit; omneſque Chriſtianos ab ejus obedientia, juramentis, obligationibus, ipſi quomodolibet præſtitis abſolvit.

CXXIV. *In Seſſione XXXVIII agitur de ſuffragiis Hiſpanorum.*

In *Seſſione XXXVIII* celebrata die Mercurii, vigeſima octava Julii, revocata eſt facultas conceſſa Oratoribus Regis Aragoniæ de ſuffragiis pro omnibus Prælatis & Eccleſiaſticis viris ditionum ejuſdem Regis, tam intra, quàm extra Hiſpaniam ferendis; decretumque, ut repræſentarent tantùm Prælatos regnorum, quæ haberet intra Hiſpaniam; & ut Oratores Regum Caſtellæ, Luſitaniæ & Navarræ, repræſentarent pariter regnorum ſinguli ſuorum Prælatos & alios, qui ad Concilia vocati conſueverunt. De quo vide dicta Seſſione XXII. Hic tamen Spondanus ex Gonzale de Avila in Hiſtoria Salmantina lib. 3 cap. 4 tantam fuiſſe tunc Burgundiæ Ducis apud omnes æſtimationem, ut Oratores ejus cum Epiſcopis Conchenſi & Cordubenſi Caſtellani Regis Oratoribus contenderint de loci ac ſeſſionis præcedentia.

CXXV. *In Seſſione XXXIX decretum editur de Conciliis generalibus ſtato tempore celebrandis.*

Die Sabbati nona Octobris celebrata eſt *Seſſio XXXIX*, eodem Joanne Oſtienſi præſide, in eaque ob probatam ac Synodo Conciliorum Generalium utilitatem, decretum perpetuum de Conciliis Generalibus ſtato tempore celebrandis editum eſt, ut ſcilicet quinquennio poſt abſolutionem Concilii Conſtantienſis aliud celebraretur, & illo abſoluto, aliud ſeptennio poſt; ac deinceps ſingulis decenniis, in locis à Pontifice Romano per menſem ante finem cujuſlibet Concilii, de ejuſdem Concilii conſenſu, vel in defectum Pontificis ab ipſo Concilio indicendis: ut ſic, inquiunt, per quandam continuationem ſemper aut Concilium vigeat, aut per termini pendentiam expectetur. Quem terminum liceat ſummo Pontifici de conſilio S. R. E. Cardinalium, ob emergentes fortè caſus breviare, ſed nullatenus prorogare: nec locum pro futuro Concilio celebrando deſtinatum abſque evidenti neceſſitate mutare. Si verò ſchiſma occurreret in Pontificatu, intelligeretur eo ipſo terminus Concilii tunc fortè ultra annum pendens, ad annum proximum breviatus: ad quod omnes Prælati ac cæteri, qui ad Concilium ire tenentur, ſub pœnis juris & aliis per Concilium imponendis, abſque alia vocatione convenire deberent; nec non Imperator, cæterique Reges & Principes, vel per ſe ipſos, vel per ſolemnes Nuncios, tanquam ad commune incendium extinguendum concurrere. Sed & qui primò foret electus in Pontificem, ſi audiret alium poſt electum in ſchiſmate, deberet ſub interminatione maledictionis æternæ, & amiſſione juris quod haberet, Concilium intra menſem in loco priùs deſignato indicere. Nullus inſuper contendentium de Pontificatu ipſi Concilio ut Pontifex præſideret; imò poſtquam inceptum fuiſſet Concilium, omnes eſſent ipſo jure ab adminiſtratione ſuſpenſi. Quòd ſi fortè electionem Romani Pontificis per metum in conſtantem virum cadentem, ſeu impreſſionem fieri contingeret, irrita eſſet, nec per ſequentem conſenſum, etiam ceſſante metu, rata fieret. Non tamen liceret Cardinalibus ad aliam electionem procedere, niſi ſic electus obiret, vel cederet, donec à Concilio generali de electione hujuſmodi fuiſſet judicatum.

CXXVI. *In eadem Seſſione editur formula fidei profeſſionis à novis Rom. Pontificibus emittenda.*

In eadem Seſſione, ut in futurum Romanorum Pontificum in ſuæ creationis primordiis plena fides luceret, decrevit Synodus, quòd deinceps quilibet in Romanum Pontificem electus, antequam ſua electio publicaretur, coram ſuis electoribus publicè confeſſionem & profeſſionem fidei faceret hac formula: *Anno à Nativitate Domini milleſimo, &c. Ego N. electus in Papam, omnipotenti Deo, cujus Eccleſiam ſuo præſidio regendam ſuſcipio, & Beato Petro Apoſtolorum Principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita conſtitutus fuero, me firmiter credere & tenere ſanctam fidem Catholicam ſecundùm traditiones Apoſtolorum, generalium Conciliorum & aliorum ſanctorum Patrum, maximè autem ſanctorum octo Conciliorum univerſalium, videlicet primi Nicæni, ſecundi Conſtantinopolitani, tertii Epheſini, quarti Chalcedonenſis, quinti & ſexti Conſtantinopolitanorum, ſeptimi item Nicæni, octavi quoque Conſtantinopolitani, necnon Lateranenſis, Lugdunenſis, & Viennenſis Generalium etiam Conciliorum. Et illam fidem uſque ad unum apicem immutilatam ſervare, & uſque ad animam & ſanguinem confirmare, defenſare & prædicare; ritum quoque pariter ſacramentorum eccleſiaſticorum Catholicæ Eccleſiæ traditum, omnimodo proſequi &c. obſervare. Hanc autem profeſſionem & confeſſionem meam per Notarium Scriniarium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ me jubente ſcriptam, propria manu ſubſcripſi, & tibi omnipotenti Deo pura mente & devota conſcientia ſuper tali altari, &c. ſinceriter offero in præſentia talium, &c. Datum &c.* Prohibitæ ſunt deinde tranſlationes Epiſcoporum invitorum; & reſervationes per Pontifices fieri ſolitæ procurationum Ordinariis & aliis inferioribus Prælatis debitarum; nec non ſpoliorum decedentium Prælatorum, aliorumque Clericorum.

Die

Digitized by Google

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

CXXVII. *In Seſſione XL decernitur reformatio Eccleſiæ in Capite & in Membris, & Curia Rom.*

Die Sabbati trigeſima Octobris habita eſt *Seſſio XL*, in eaque decretum eſt, futurum Pontificem cum delegatis ſingulatum nationum, antequam Concilium diſſolveretur, reformare debere Eccleſiam in capite & in membris, & Curiam Romanam ſuper articulis ſequentibus; de numero, qualitate, & natione Cardinalium; de reſervationibus Sedis Apoſtolicæ; de annatis, communibus ſervitiis, & minutis; de collationibus beneficiorum & Gratiis Expectativis; de confirmationibus electionum; de cauſis in Romana Curia tractandis, vel non; de appellationibus ad Romanam Curiam; de officiis Pœnitentiariæ & Cancellariæ; de exemprionibus & incorporationibus tempore ſchiſmatis factis; de commendis; de fructibus medii temporis; de non alienandis bonis Romanæ Eccleſiæ; propter quæ & quomodo Papa poſſit deponi; de extirpatione ſimoniæ; de diſpenſationibus; de proviſione Papæ & Cardinalium; de indulgentiis, & tandem de decimis. Deinde decretum eſt, ut non obſtante abſentia Cardinalium Petri de Luna, procederetur ad electionem novi Pontificis: qui tamen ſi advenirent antequam facta eſſet electio, & Concilio adhærerent, admitterentur cum aliis.

SÆC. XV. CONCIL. CONST.

CXXVIII. *Statuitur forma electionis futuri Pontificis.*

Denique forma eligendi Romanum Pontificem præſcripta eſt; ut ſcilicet ad firmiorem rei certitudinem, & pleniſſimam inſinuandam unionem, hac duntaxat vice, & de expreſſo conſenſu Cardinalium, unà cum ipſis Cardinalibus, ipſis adjungerentur ſex Prælati, aliæve ſex perſonæ Eccleſiaſticæ in ſacris Ordinibus conſtitutæ, de ſingulis quinque nationibus in Synodo tunc exiſtentes: & ut quicumque à duabus partibus Cardinalium, & à cujuslibet nationis delegatarum duabus item partibus eligeretur, verus eſſet & indubitatus Pontifex.

MARTINUS V *Pontif. CCVIII.*

Anno Domini MCCCCXVII.

POST quadraginta tandem circiter annos peſſimi & ſubtiliſſimi ſchiſmatis, anno 1417, die XI Novembris pax Eccleſiæ data eſt, & unio Eccleſiarum Chriſti ſubſecuta in Seſſione XLI Concilii Conſtantienſis, Martino V vero & indubitato Pontifice eadem die electo: Dominus enim Deus compatiens longis Eccleſiæ calamitatibus, manum miſericordiæ ſuæ aperuit, & in electores inſpiravit, ut diebus tantùm tribus in conclavi ſteterint. Quod ex ipſis Concilii Actis conſtat.

I. *In Seſſione XLI Concilii Martinus V eligitur Pontif. Rom. & inthronizatur.*

Die Lunæ octava Novembris celebrata eſt *Seſſio XLI*, eodem Cardinale Oſtienſi præſide & Sigiſmundo Rege præſente, in qua poſt ſolemnia more ſolito peracta, lecta eſt bulla Clementis VI, quæ incipit *Licet*, de modo & forma conclavis, de qua in eodem Clemente locuti ſumus, & poſt juramenta præſcripta ab Electoribus Romani Pontificis & Cuſtodibus conclavis emittenda, nominati ſunt Electores Nationum triginta Cardinalibus adjungendi; fuerunt autem Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopi quinque, undecim Epiſcopi & unus electus, ac duodecim Abbates aut alii in dignitatibus Eccleſiaſticis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus conſtituti, qui in Actis recenſentur. Deputati ſunt pariter pro cuſtodia conclavis tam pro parte Cardinalium, quàm pro Nationibus quidam Prælati, qui omnes in manibus dicti Joannis Oſtienſis Præſidentis, tactis cruce & evangeliis juraverunt, ſe capitula jam ſtatuta obſervaturos. Deinde promulgata eſt excommunicatio, atque officiorum & dignitatum privatio contra eos, qui ex abuſiva licentia res & bona electi in Papam invaderent & occuparent. Eademque die Cardinales numero XXI, vel, ut aliis placet, XXIII ex triplici obedientia Gregorii, Joannis, & Benedicti, cum triginta electoribus Nationum conclave ingreſſi ſunt paratum in domo Communitatis civitatis Conſtantienſis. Arbitrabantur omnes non eſſe facile tot diverſarum nationum homines in unam perſonam convenire poſſe, præſertim cum in tribus perſonis, videlicet tribus ex ſex unius nationis, eſſet electionem impedire; credebaturque non ſolùm per dies multos, ſed per menſes Electores debere in conclavi ſtare antequam concordarent; unde facta eſt omni die proceſſio circumquaque conclave. Sed Deus, ut jam dictum eſt, Electores inſpiravit, ut diebus tantùm tribus in conclavi ſtarent; nam die Jovis undecima Novembris hora tertiarum concorditer in Romanum Pontificem elegerunt Odonem, ſeu Ottonem de Columna, Sancti Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem, qui Martinus Papa V nominari voluit, in honorem Sancti Martini, in cujus feſto electus fuit. *Et ſic, per ſereniſſimum & invictiſſimum Principem Dominum Sigiſmundum Romanorum Regem, unà cum ſancta Synodo ad prædictam Eccleſiam majorem hujus civitatis Conſtantienſis maximis cum ſolemnitatibus & lætitia fuit inthronizatus*, inquiunt Acta. Eadem die Martinum fuiſſe inthro-

Digitized by Google

thronizatum ipſemet aſſerit in literis ad Viterbienſes ſcriptis, de quibus poſt numerùm ſequentem agemus.

II. *Quomodo facta ejus electio.*

Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium, hunc reprehendit, quòd inter ſex Electores nationis Gallicæ numeret Lambertum de Stipite Priorem Bercheneveſenſem diœceſis Leodienſis Ordinis Cluniacenſis, decretorum Doctorem; atque itidem inter Electores Germanicos recenſeat Joannem Patriarcham Conſtantinopolitanum: cùm revera, inquit Oldoinus, ex ipſius Concilii Actis, atque ex monumentis Vaticanis Joannes Patriarcha Conſtantinopolitanus inter Gallos, & Lambertus de Stipite inter Germanicos Electores recenſendi ſint. Verùm in Actis editis Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha recenſetur inter Electores Germanicæ Nationis, & Lambertus de Stipite inter Electores Hiſpaniæ. Scribit deinde Oldoinus ex iiſdem ſine dubio monumentis Vaticanis, vel ex Contelorio, quem citat in margine, die Mercurii ventum eſſe ad ſecretum ſcrutinium, & ſchedulis apertis cognitum eſſe Patres uſos fuiſſe multiplici verborum forma, ideoque factam non eſſe electionem. „Sed die Jovis undecima Novembris, publicato ſcrutinio, inquit, numerata ſunt pro Joanne Cardinale Oſtienſi vota undecim ex Cardinalibus, tria ex Natione Gallicana, quinque ex Hiſpanica, unum ex Germanica. Pro Amedeo Cardinali Salutiarum duodecim ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, unum ex Germanica, quinque ex Hiſpanica. Pro Ottone Cardinali de Columna octo ex Cardinalibus, quatuor ex Italica, unum ex Gallica, tria ex Germanica, duo ex Hiſpanica, ſex ex Anglicana. Pro Franciſco Cardinale Venetiarum vota decem ex Cardinalibus, duo ex Italica, tria ex Gallica, unum ex Hiſpanica. Otto igitur Cardinalis de Columna inter alios votis plurium exoptabatur, nam pro illo 24, pro Joanne Cardinale Oſtienſi 20, pro Amedeo Cardinale Salutiarum 23, & pro Franciſco Cardinale Venetiarum ſexdecim ex Patribus erant. Poſt hæc progredientes ad acceſſum Alamanus Cardinalis Piſanus ſtatim acceſſit ad Cardinalem de Columna, verùm hujus voti nullam habendam eſſe rationem Patres edixêre, niſi per ſchedulam ſua manu ſcriptam, ut moris erat, accederet. Perlectis igitur ſchedulis conſtitit ad Cardinalem de Columna ex qualibet natione quatuor ad minùs, ac ſeptem alios Cardinales acceſſiſſe. Guillelmus Sancti Marci & Petrus de Fuxo Cardinales, qui nulli acceſſerant, electionem Ottonis, cui unicum deerat ex Cardinalibus votum, in eorum arbitrio poſitam aſpiciebant, & invicem alloquentes, quid agerent, incerti, tandem cùm omnium ora ad ſe converſa conſpicerent: *Et nos duo*, inquit *Cardinalis S. Marci*, *ad conſummationem hujus operis & unionis Eccleſiæ accedimus*, ac illicò Ottonem in Summum Pontificem ſalutarunt." Ita Oldoinus, ex cujus narratione, ſi vera ſit, conſtat verum eſſe quod ſuperiùs, viginti tres Cardinales interfuiſſe electioni Martini, non computatis in eo numero, Ludovico de Barro, Jacobo Inſulano, & Petro Mauroceno, qui erant abſentes. Tantam porrò fuiſſe omnium de ejus electione lætitiam ſcribit Platina, ut præ gaudio loqui vix homines poſſent. Effuſum nimio gaudio Sigiſmundum Regem, nullo habito ſuæ dignitatis diſcrimine, conclave ingreſſum, gratias omnibus egiſſe, qui tantum virum ac tam Reipublicæ Chriſtianæ propè extinctæ neceſſarium delegiſſent; & ante eum proſtratum cum ſumma veneratione ejus pedes exoſculatum eſſe. Quem contra Pontifex amplexus, non ſecus ac fratrem in pretio habuerit, eique gratias egerit, quòd ſua operâ & induſtriâ pax tandem Eccleſiæ reddita eſſet.

III. *Scribit literas circulares ante conſecrationem.*

Eadem ſuæ electionis die Martinus quaquaverſum, atque imprimis ad Pontificiæ ditionis civitates expediendas curavit literas circulares, quarum exemplar ex archivo Viterbienſis civitatis, ubi ſervatur inter bullas ſub num. 121; exhibet Papebrochius in Paralipomenis ad Conatum Chronico-Hiſtoricum pag. 112, in iis enim licèt nondum ordinatus Presbyter, multò minùs Epiſcopus, non *Electum*, ut feciſſe Gregorium X, & Innocentium V ſuis locis diximus, ſed abſolutè *Epiſcopum* ſe ſe ſcribit: *Martinus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei dilectis filiis & Prioribus populi & communitatis & civitatis noſtræ Viterbienſis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem.* In fine excuſat quòd bulla perfecta non ſit, quia data ante coronationem. *De hoc autem quòd bulla ſine impreſſione nominis eſt appenſa præſentibus, eadem veſtra devotio non miretur, ſed potius gratuletur; maximè cùm eiſdem noſtræ ſinceritatis deſideriis accurrentes, eaſdem literas ante coronationis inſignia providerimus dirigendas; infraque uſus perfectæ bullæ cum noſtri impreſſione nominis non habetur. Datum Conſtantiæ Moguntinæ provinciæ III Idus Novembris, ſuſcepti à nobis Apoſtolatûs officii anno primo.* Unde ſoli Petrus & Paulus faciem unam bullæ occupant, vacante altera. Vide dicta in Urbano IV, Gregorio X, Innocentio V, & Joanne XXII.

IV. *Conſecratur & coronatur.*

Die Sabbati vigeſima ejuſdem menſis Novembris Martinus cùm eſſet tantùm

Diaco-

SÆC. XV. MARTINUS V.

Diaconus à Joanne Epiſcopo Oſtienſi, In Presbyterum, & ſequenti die Dominica In Epiſcopum couſecratus eſt, ac ſtatim more ſolito per Raynaldum Cardinalem Brancatium Archidiaconum grandi celebritate coronatus, exindeque de more per civitatem ductus, regentibus binc Inde equi ejus frenum Sigiſmundo Romanorum Rege, & Friderico Maschione Brandeburgenſi Imperii Electore Archicamerario: *Die dominica vigeſima prima ſupradicti menſis Novembris idem ſanctiſſimus Dominus noſter more ſolito, & in coronationibus Romanorum Pontificum bactenus obſervari conſueto, fuit apud Eccleſiam Conſtantienſem bonorificè coronatus, & demum per dominos ſacroſauctæ Romauæ Eccleſiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, alioſque Prælatos, Ambaſſiatores, & Romanæ Curiæ Officiales, in ſacroſancta Synodo prædicta præſentes; necnou illuſtriſſimum principem dominum Sigiſmundum Romanorum Regem à dextero, & illuſtriſſimum priucipem dominum Fridericum Marchionem Brandeburgenſem ſacri Romaui Imperii Archicamerarium & Electorem à ſiniſtro lateribus ejuſdem domini noſtri Papæ, per equi frenum, in quo ſedebat, unà cum populoſa multitudine proceſſionaliter ab Eccleſia Conſtantienſi prædicta uſque ad monaſterium S. Auguſtini couductus, & per circuitum ad Conſtantienſem prædictam fuit ſolemuiſſimè reductus*, inquiunt Acta. Sumpſit autem ſymbolum ſigilli, ſive ſententiam, verſum Pſalmi 53, *Averte mala inimicis meis, & in virtute tua diſperde illos*. Ceterùm nullus antè ex Pontificibus Romanis, majori, imò nec pari univerſæ Eccleſiæ conſenſu electus & coronatus dici poteſt Martino; cujus creationi & coronationi non ſolùm Cardinales ordinarii electores, verùm etiam cunctarum Chriſtiani orbis nationum ex tribus partibus, in quas Eccleſia fuerat antè diſtracta, ſpeciales delegati ſuffragia ſua & præſentiam ſingulatim contulerint.

V. *Ejus clarum genus.*

Natus erat Martinus è Principibus Romanis, patre ſcilicet Agapeto Columna circa annum 1367, cùm obierit circa annum ætatis 64 ineunte anno 1431. Clariſſima porrò bæc familia erat, cùm Raynaldus Dux Juliacenſis & Gueldriæ in literis, quas ad ipſum dedit poſt ſuam coronationem 13 menſis Decembris, fateatur ſe ex Columnenſi ſtirpe genus traxiſse, idque magnæ gloriæ ſibi ducere: *Ego qui à progenitoribus meis è domo veſtra Columna, antiqua & excelſa Romana ſtirpe, claram traxiſſe fateor originem*, &c. apud Raynaldum num. 4. Ipſemet Martinus in literis ad Ladisiaum Poloniæ Regem, quas laudat Oldoinus citatus in Notis, ex Martino Chromero in Hiſtoria Poloniæ, aſserit domum Friderici Marchionis Brandeburgenſis ab eodem Columnarum ſtipite derivatam eſſe: *Sicut ab antiquo accepimus*, Inquit, *qui priſcam originem Noſtram per manus traditam ab antiquioribus retulerunt; Noſtra de Columna Romana, & præſentium Burgraviorum Nurimbergenſium domus, quæ etiam Romana fuiſſe dicitur, ab eodem ſtipite derivatæ ſunt. Ex quo cùm eſſemus antea Serenitati tuæ affecti propter gloriam & virtutem tuam & propter merita, & officia tua in populum Chriſtianum, eſſe nunc debemus & erimus, accedente vinculo affinitatis magis cum Excellentia tua conjuncti, & ad bonorem Celſitudini tuæ exhibendum inclinati*. Hæc ſola verba illius Epiſtolæ refert Oldoinus, forsan quia ſequentia ipſi negotium faceſſebant, quæque ſupplenda ſunt ex libro XI Hiſt. Polonorum Joannis Dlugoſſi ſeu Longini, ubi Epiſtola integra recitatur, & in qua poſt laudata verba legitur, *qui ſimul cum Brandeburgenſi noſtram quoque proſapiam illuſtribus & regalibus nuptiis bonoraſti*. Fridericus enim antea Burgravius Norimbergenſis factus eſt Elector Brandeburgenſis à Sigiſmundo Imperatore, à quo inveſtituram Electoratûs recepit Conſtantiæ die Dominica, qua cantatur, *Quaſi modo geniti*, ſeu die 18 Aprilis anni 1417; & poſtmodùm Heduigen Ladislai prædicti Regis Poloniæ filiam in matrimonium collocandam obtinuit cum Friderico filio ſecundo genito, qui poſtea ei in Electoratum ſucceſſit anno 1430. Unde Pontifex Burgraviorum Norimbergenſium domum confundit cum domu Brandeburgenſi, quæ ab iſto Friderico Burgravio Norimbergenſi initium ſumſit quantum ad Electoratum, & in hodiernum uſque diem perſeverat, cui & addita eſt à non multis annis corona Pruſſiæ à Friderico tertio. Ex quibus manifeſtè patet proſapiam Electoris Brandeburgici, hodie in Pruſſia regnantis, *ab eodem ſtipite* derivatam eſſe, quo proſapia de Columna ſeu Martini V. Hæc porrò Martini V ad Ladislaum Poloniæ Regem Epiſtola data eſt *Romæ apud ſanctos Apoſtolos, quinto Kalendas Junii, Pontificatus noſtri anno ſeptimo*, ideoque anno 1424.

VI. *Ejus primordia ante Pontificatum.*

Martinus juri Pontificio Peruſii operam dedit, unde poſt nonnullos annos ad Urbem rediens, ab Urbano VI Protonotarius & Referendarius dictus, à Bonifacio poſtea IX Urbani ſucceſſore Nuncius Apoſtolicus per Italiam deſtinatus, tandem ab Innocentio VII anno 1405 Cardinalis Diaconus tit. S. Georgii ad Velum aureum renunciatus eſt. Interfuerat electioni Gregorii XII, quem etiam ab omnibus Cardinalibus deſertum Senas Lucâ revertentem ſecutus eſt; nec eum unquam deſtituit, donec per Concilium Piſanum ab eo diſcedere coactus eſt. Electioni itaque Ale-

Alexandri V, & poſtea Joannis XXIII præſens fuit, quo Pontifice ſancti Petri patrimonio, ac Tuſciæ Eccleſiaſticæ, Legationis munere præfuit, ac aliquot oppida ab hoſtibus occupata recuperavit. Vicarius deinde Generalis, ſeu Legatus Apoſtolicus Apoſtolicæ Sedis in Umbria, Peruſii, Tuderti, Urbeveteri, Interamnæ, & Reate nominatus ab eodem Pontifice. Humanitate ac manſuetudine ſimul & juſtitia ita excelluit, ut cùm præterea in Concilio Conſtantienſi inter partium altercationes ita ſe medium habuiſſet, ut publicæ tantummodò utilitati conſulens in neutram partem inclinare videretur, quæ etiam potiſſima cauſa ipſius electionis in ipſis Synodi Actis continetur, adeo omnibus ſe gratum exhibuit, ut nullus aptior exiſtimatus fuerit, qui quaſſatam diuturno ſchiſmate Eccleſiam reſtaurare poſſet.

VII. *Benedictus XIII Paniſcolæ Conciliabulum celebrat.*

Interea Benedictus XIII Paniſcolæ ſuorum Conventiculum agebat, quod Oecumenicum Concilium, & Catholicam Eccleſiam vocitabat. Ad quod Aragonii Præſules qui acceſſerant, ut officii ſpecie ipſius pertinaciam flecterent, ſuaſerunt ut ad reliquias ſchiſmatis abolendas, inſignia Pontificalia deponeret, permitteretque tribus ſuæ factionis Cardinalibus, ut Martinum Conſtantiæ electum, ipſimet etiam Romanum Pontificem deſignarent. Conſilium, ſeu ſupplicem libellum Benedicto à duobus Archiepiſcopis, Tarraconenſi nimirùm, & Cæſarauguſtano, ſex aliis Epiſcopis, & tribus Monaſteriorum Abbatibus porrectum die 26 Decembris ejuſdem anni 1417, repræſentat Raynaldus num. 5 ex Martini regiſtro, ſicuti & alium ſupplicem libellum eadem de cauſa à Carolo Sancti Georgii, Alfonſo Sancti Euſtachii, & Petro Sancti Angeli Cardinalibus Benedictinis eidem Benedicto porrectum, quo iterum eum etiam atque etiam rogarunt, ut ab ipſis Martinum creatum Conſtantiæ Pontificem renunciari pateretur, ut ſub uno capite univerſus orbis Chriſtianus conjungeretur. Sed hæc omnia fruſtrà fuerunt, ut dicetur inferius; ad Concilium enim Conſtantienſe priùs redeundum eſt.

VIII. *In Seſſione XLII Joannes olim Papa, Martini PP. cuſtodiendus traditur.*

Die Martis vigeſima octava Decembris celebrata eſt *Seſſio XLII* Concilii, cui præfuit ipſe Martinus Papa. In ea petente Sigiſmundo Rege, unà cum Ludovico Bavariæ Duce, liberari à cuſtodia Balthaſſaris Coſſæ, olim Joannis XXIII, ſibi à Concilio commiſſâ, decretum eſt à Pontifice, ſacro approbante Concilio, ipſos liberos ab ea fore confeſtim ac eum in manus ipſius Pontificis, aut ab eo delegandorum tradidiſſent. Quem tamen adhuc toto anno milleſimo quadringenteſimo decimo octavo, & aliquot menſibus anni ſequentis, in Germania detentum in cuſtodia conſtat, donec Florentiæ eodem anno 1419 menſe Junio Martinum Papam adiit, à quo benignè exceptus, dictus eſt Cardinalis Tuſculanus, ut ſuperiùs dictum eſt.

IX. *Petrum de Luna fruſtra admonet Martinus PP. Pontificatu ſe abdicare.*

Ineunte anno 1418 Martinus Papa cernens, ut loquitur Platina, renaſcentis hydræ caput reſtare, ſcilicet Benedictum Lunenſem cum aliquot Cardinalibus & Prælatis Paniſcolæ, tanquam in arce ſchiſmatis, ſe continentem, quibuſdam Aragoniæ populis, utram in partem inclinarent, adhuc titubantibus; approbante Concilio Conſtantienſi Alamanum Ademarium tit. Sancti Euſebii Presbyterum Cardinalem Piſanum dictum, Legatum à latere ſuo in Aragoniam miſit, qui ſub pœnis & cenſura Eccleſiaſtica Petrum de Luna admonetet Pontificatu ſe abdicare. Quod cùm etiam Cardinales, qui cum ipſo ſentiebant, ſuaderent, reſpondit Petrus cavillationibus quibuſdam, id ſibi nequaquam integrum eſſe: ſibi autem cum Martino conventurum, ſi vera eſſent quæ de hominis integritate & humanitate dicerentur. Ex quatuor igitur Cardinalibus ei adhærentibus, duo pertinaciam hominis inſpicientes, ab eo ad Martinum ſtatim defecêre, qui autem in ejus fide mansêre, anti-Cardinales ſunt habiti, quorum alter Carthuſienſis fuit, alter Julianus Dobla appellatus. Narrat hæc Platina. Sed quatuor fuiſſe Cardinales, qui eum tunc deſeruerunt, & anno 1419 Florentiam ad Martinum accedentes ab eo ſunt humaniſſimè recepti, & in dignitatibus ſuis confirmati, habet poſtea idem Platina, itemque Onuphrius & alii. Ex Suritæ tamen Hiſtoriæ Aragonenſis lib. 12, cap. *66* & *67*, conſtat jam ante Ademarium, miſſum fuiſſe à Martino, ſtatim ac electus fuit, Bernardum Burdegalenſem, qui res Conſtantiæ factas denunciaret, Alphonſumque Regem exiſtimantem nihil ſibi denegare debere ob Benedicti deſertionem, multa à Martino immodica petiiſſe per nuncios, ob quorum repulſam non parùm in eum commotus fuerit, nec parvam Petro occaſionem exhibuerit obdureſcendi in ſchiſmate. Hanc Bernardi Burdegalenſis in Aragoniam miſſionem, antequam Alemannus Cardinalis mitteretur, veram exiſtimo; Alemannus enim miſſus non eſt ante annum 1418, cùm præſens fuerit Seſſioni XLII Concilii Conſtantienſis, in qua recenſetur inter Cardinales ſub Cardinalis *Piſani* nomine: & tamen Bernardus Burdegalenſis juxta Suritam miſſus, eſt à Martino ſtatim poſt ſuam electionem. Quomodò verò poſtea à prædicto Alemanno Legato omnium regnorum Alphonſi Regis Aragoniæ Acta Conſtantienſia Leridæ promulgata fuerint, refert idem Surita loco laudato cap. *69*. Quod attinet ad Cardinales Benedictinos, eos à Mar-

ti-

tino Papa in dignitatibus ſuis confirmatos Gebennæ anno 1418, non verò Florentiæ anno 1419, videbitur inferiùs.

X. *In Seſſione XLIII reformationis capita publicantur.*

Interea Conſtantiæ habita eſt *Seſſio XLIII* Concilii eodem Martino Papa præſide, die Lunæ vigeſima prima Martii, in qua quod ante ingreſſum conclavis decretum vidimus, quædam reformationis capita promulgata ſunt, quæ extant col. 254 editionis Concil. Labbei, & in aliis Conciliorũ editionibus. Primum, de exemptionibus ab obitu Gregorii XI conceſſis abrogandis. Secundum, de revocandis unionibus beneficiorum ab eodem tempore factis. Tertium, de fructibus beneficiorum vacantium. Quartum, de ſuſpenſione ſimoniacè ordinatorum, deque nullitate electionum, poſtulationum, & quarumvis proviſionum ſimoniacè factarum. Quintum, de diſpenſationibus revocandis. Sextum, de decimis, & aliis oneribus Eccleſiis, & Eccleſiaſticis non imponendis à quovis Romano Pontifici inferiore. Septimum, de vita, & honeſtate Clericorum, præcipuè circa veſtes, & tonſuram. Quibus addenda quæ Philippus Labbeus in Appendice ad Concilium Conſtantienſe col. 1450 edidit, tanquam ad Seſſionem XL ſpectantia, & ea quæ Emmanuel Schelſtrate ex duobus MSS. uno Vaticano, & altero Palatino, ad hanc Seſſionem XLIII reducenda obſervavit. Primum eſt de numero, & qualitate Cardinalium, & modo promotionis eorum, ſtatuit ut deinceps numerus Cardinalium S. R. E. adeò ſit moderatus, ut nec gravis ſit Eccleſiæ, nec ſuperflua numeroſitate vileſcat. Numerus ad XXIII definitur: Quos viros eſſe oporteat ſcientiâ, moribus, & rerum experientiâ excellentes, Doctores in Theologia, aut Jure Canonico vel Civili, præter admodum paucos, è ſtirpe Regia, aut Ducali, vel magni Principis oriundos, in quibus competens literatura ſufficiet, non fratres aut nepotes ex fratre vel ſorore alicujus Cardinalis viventis, &c. Secundũ de proviſionibus Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Dignitatum & aliorum beneficiorum, aliquem ad Epiſcopales dignitates evehi vetat, niſi ſit Doctor aut Licentiatus cum rigore examinis, in Theologia, aut Jure Canonico vel Civili. Tertium, de Annatis, quo ſtatuitur ut pro ſuſtentatione ſummi Pontificis & S. R. E. Cardinalium, de Eccleſiis & Monaſteriis virorum duntaxat vacantibus & vacaturis, ſolvantur pro fructibus primi anni, à die vacationis ſummæ pecuniarum in libris Cameræ Apoſtolicæ taxatis, quæ communia ſervitia nuncupantur; ſi quæ verò malè taxatæ ſunt, juſtè taxentur. Si autem infra annum bis Eccleſiæ vacaverint, ſemel tantùm ſolvatur, nec debitum hujuſmodi in ſucceſſorem tranſeat, &c. Quartum,

De numero & qualitate Cardinalium. *De proviſionibus Eccleſiarum.* *De Annatis.*

de cauſis in Romana Curia, vel extra, tractandis ſtatuit, ut cauſas, quæ ad forum Ecclaſiaſticum de jure vel conſuetudine non pertinent, Curia Romana ad ſe non trahat, niſi de conſenſu partium. Quæ verò ad ipſam per appellationem devolutæ ſunt, aut ad eam aliàs de jure pertinent, in ea tractentur. Cæteræ committantur in partibus. Matrimonialium cauſarum prima cognitio non habeatur in Curia. Appellationes fruſtratoriæ ante diffinitivam ſententiam interpoſitæ ſub gravibus mulctis prohibentur. Quintum, de exemptionibus, idem habet ac primum editionum Labbei, Binii & aliarum, licèt prolixius & explicatius. Sextum, de Commendis, vetat ne impoſterum, Monaſteria aut magni Prioratus Conventuales, ultra decem Religioſos & Officia clauſtralia habere conſueti, Dignitates majores poſt Pontificalem in Cathedralibus, ſive Eccleſiæ Parochiales, ulli Prælato, etiam Cardinali, dentur in Commendam. Septimum, de fructibus medii temporis, idem eſt cum tertio Labbeanæ, Binianæ & aliarum editionum. Octavum, de non alienandis rebus Eccleſiaſticis, omnes alienationes rerum immobilium & jurium Eccleſiæ Romanæ, ſine Concilii conſenſu, & ſubſcriptione majoris partis Cardinalium illius obedientiæ: nec non omnes alienationes rerum ſimilium aliarum Eccleſiarum, Monaſteriorum, & aliorum beneficiorum, ſine conſenſu libero Rectorum & Miniſtrorum eorundem, per quoſcumque pro Romanis Pontificibus ſe gerentes, à tempore Gregorii XI factas penitus revocat. Alienationes autem à Prælatis & Miniſtris, præter & contra Juris formam factas reſcindit. Nonum, *de quibus cauſis Papa corrigi poſſit, vel deponi*, hoc tantùm habet: *Non videtur, prout nec viſum fuit in pluribus Nationibus, circa hoc aliquid novum ſtatui vel decerni.* Decimum, de Simoniacis, idem habet ac quartum vulgatarum editionum. Undecimum, de Diſpenſationibus, idem eſt cum quinto earundem editionum. Duodecimum, de reſidentia, jubet ut Epiſcopi & Superiores hujuſmodi in ſuis Eccleſiis & diœceſibus, Abbates autem in ſuis Monaſteriis perſonaliter reſideant; à quibus ſi ſex menſes continuos abſuerint, perceptione fructuum & proventuum per biennium ſint privati: qui fructus Eccleſiis & Monaſteriis applicentur. Si biennio abſuerint, Eccleſiis ipſis & Monaſteriis priventur. Item declarat Pontifex, ſe non intendere diſpenſare circa beneficia incompatibilia obtinentes. Decimum tertium, de proviſione Papæ & Cardinalium, ipſorum ſuſtentationi aliter non poſſe provideri declarat, quàm huc uſque factum eſt, ſcilicet per Beneficia & communia ſervitia, quæ vacantiæ nun-

De cauſis. *De Commendis.* *De alienationibus rerum, & jurium Eccleſiæ.* *De reſidentia.* *De proviſione Papæ, & Cardinalium.*

nuncupantur: Sed quæ Beneficia non poſſint à Cardinalibus poſſideri declarat. Decimum quartum, de Indulgentiis, Pontificem deinceps à nimia Indulgentiarum effuſione temperare ſtatuit, ne vileſcant, & olim conceſſas ab obitu Gregorii XI citra perpetuas; item quæ dicuntur de pœna & culpa, ſive de plena remiſſione conceſſa locis; item omnes conceſſas ad inſtar alterius Indulgentiæ, revocat & irritas declarat. Decimum quintum, de Decimis, & aliis oneribus Eccleſiaſticis, idem eſt cum ſexto vulgatarum editionum. Per hæc verò & alia cum ſingulis Nationibus concordata, nec non per ea quæ in Cancellariæ Regulis poſita ſunt, factum eſſe ſatis Articulis de Reformatione facienda die trigeſima Octobris anni milleſimi quadringenteſimi decimi ſeptimi promulgatis, declaravit Pontifex de conſenſu & approbatione Concilii.

De Indulgentiis.

XI. *Cardinalium, & Nationum diſsenſio circa reformationem.*

Sed quænam fuerint concordata cum Nationibus, & quæ in Cancellaria poſita, neque Acta edita, neque MSS. exprimunt. Maxima tamen fuit circa reformationis negotium Cardinalium & Nationum diſſenſio. Nationes enim Germanica & Anglica, Sigiſmundo Auguſto incitante, reformationem electioni Pontificis præmitti volebant; Cardinales verò cum Nationibus Italica, Hiſpanica & Gallicana priùs electionem fieri, ut docet proteſtatio ab ipſis facta poſt Seſſionem XXXVIII, quam ex quatuor codicibus MSS. edidit idem Schelſtrate. Natio Anglicana, jubente Magnæ Britanniæ Rege, Germanicam dimittit, & tribus aliis ſe adjunxit. Duo etiam Cardinales Bononienſis, & Senenſis, cum nonnullis Prælatis, ad frequentiorem acceſsêre ſententiam. Tandem Sigiſmundus Rex & Germani eò ſe recepêre, ut ſecuritas ipſis daretur per Decretum irritans, quòd poſt electionem Papæ fieret reformatio, ante coronationem ipſius, & adminiſtrationem aliquam. Decretum his verbis conceptum eſt: *Sacroſancta, &c. ſtatuit & decrevit, quòd futurus ſummus Pontifex per Dei gratiam & pro primo aſſumendus, cum hoc ſacro Concilio vel deputandis per ſingulas Nationes, debeat reformare Eccleſiam in Capite & Curia Romana, ſecundùm æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ, antequam hoc Concilium diſſolvatur, ſuper materiis Articulorum, videlicet &c.* Ita fragmenta Actorum Concilii ex codicibus MSS. ab Emmanuele Schelſtrate edita. Auctor anonymus Burdegalenſis in Hiſtoria Pontificum hoc ipſo tempore vivens, à Spondano ſæpiùs laudatus, de reformatione facienda in hoc Concilio tradit multa circa reformationem Eccleſiæ tam in capite, quàm in membris tractata fuiſſe, pauca verò concluſa. Gobelinus verò Perſona, qui anno milleſimo quingenteſimo decimo octavo finem imponit ſuo Coſmodromio, hoc Operi Hiſtorico breviter continente res toto orbe geſtas ab ejus ortu uſque ad eum annum milleſimum quadringenteſimum decimum octavum, quo jam ſexagenarius erat, cùm natum ſe dicat anno 1358, in ejuſmodi Coſmodromii cap. 96 ait: cùm ante electionem Pontificis electi fuiſſent viri literatiſſimi ex omnibus Nationibus, qui nomine totius Concilii reformationem ordinarent & conſcriberent, illis moram facientibus ortam eſſe diſſenſionem inter Nationes, Germanicâ unà cum Rege petente, ut priuſquam ad electionem Pontificis procederetur, fieret reformatio tam in capite, quàm in membris; ceteris contrà aſſerentibus melius fore ut per Pontificem fieret: tandem reformatione conceptâ, ſed nondum publicatâ, proceſſum eſſe ad electionem Pontificis. Qui poſtquam creatus fuiſſet, petitam à Nationibus fuiſſe publicationem articulorum præconceptorum: ſed quia non omnes æquè ardenter inſtabant, ac Cardinales in hoc torpebant, Nationem Gallicanam à Sigiſmundo Rege petiiſſe, ut Pontificem ad id urgeret: ipſumque reſpondiſſe, ipſam olim obſtitiſſe ne reformatio ante electionem fieret; adiret igitur modò illum, cùm jam non ſibi integrum eſſet de iis agere, ſicuti Sede vacante.

XII. *In Seſſione XLIV Martinus PP. futurum Concilium indicit Papiæ.*

Cùm jam quartus Concilii annus magno omnium incommodo ageretur, Martino Papæ placuit illi finem imponere. Quare *Seſſio XLIV* habita eſt die Martis decima nona Aprilis, in eaque juxta decretum in trigeſima nona ſeſſione factum, Pontifex de omnium conſenſu locum futuri Concilii Generalis quinquennio poſt celebrandi deſignavit civitatem Papienſem, ad quam cuncti tempore indicto convenire deberent. Decretum hac de re à Martino Papa editum erat inter Acta edita, diciturque datum *Conſtantiæ in loco ſeſſionis publicæ decimo tertio Kalendas Maji, Pontificatûs noſtri anno primo.*

XIII. *In Seſſione XLV finem imponit Concilio, illudque confirmat ore proprio.*

Denique *Seſſio XLV* & ultima Concilii celebrata eſt die Veneris, vigeſima ſecunda Aprilis, in qua finis impoſitus eſt Concilio, Umbaldo (al. Raynaldo) tit. Sancti Viti in Macello Diacono Cardinale de mandato Pontificis & totius Concilii pronunciante hæc gratiſſima verba, *Domini ite in pace*, reſpondentibuſque omnibus *Amen*. Antequam verò Patres exirent à ſeſſione Nuncii Wladiſlai Regis Poloniæ, & Witoldi, ſive Alexandri Ducis Lithuaniæ petierunt, quemdam libellum cujuſdam fratris Joannis Falckemberg, crudiſſimos quoſdam errores continentem, ritèq; jam damnatum tanquam hæreticum per delegatos in cauſa fidei, ac etiam per omnes

Na-

Nationes Concilii, modò etiam in ſeſſione publica damnari, ſeu publicè damnatum pronunciari, antequam præſens Concil. diſſolveretur, alioquin proteſtabantur de gravamine, & de appellando ad futurum Concilium. Quibus reſpondit Pontifex ore proprio, quòd omnia *determinata & decreta in materiis fidei per Concilium Conciliariter* tenere & inviolabiliter obſervare volebat, ſeque ipſa *ſic Conciliariter facta* approbare & ratificare, *& non aliter nec alio modo*. Quod cùm iteraſſet Pontifex per Concilii Advocatum, mox lecta eſt bulla Pontificis, quâ omnibus & ſingulis qui Concilio interfuiſſent ejus causâ, tam Dominis quàm eorum familiaribus, abſolutionem plenariam ſemel in vita, præviis quibuſdam jejuniis, ac propterea in articulo mortis conceſſit. Hæc bulla in Actis editis dicitur data *Conſtantiæ in loco Seſſionis publicæ dicti Concilii decimo Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri anno primo*, ſed legendum, *decimo Kalendas Maji*, ſeu die 22 Aprilis, quo celebrata eſt ultima ſeſſio, præterquamquòd, ut inferiùs dicetur, Martinus Pontifex die X Kalendas Junii Conſtantiæ non erat.

XIV. *Sicut fecerat bulla jam ante confecta.*

In Actis editis poſt hæc ſequitur bulla Martini Papæ de erroribus Joannis Wicleff, Joannis Huſs, & Hieronymi de Praga, data *Conſtantiæ octavo Kalendas Martii, Pontificatûs* Martini *anno primo*, ideòque ante Seſſionem XLIII, quæ bulla à pluribus creditur confirmatio Actorum Concilii à Martino facta. Ejus initium eſt: *Inter cunctas paſtorales curas* &c. Sed Emmanuel à Schelſtrate in Tractatu de ſenſu & auctoritate decretorum Conſtantienſis Concilii ſeſſione quarta & quinta Romæ anno 1686 edito contendit ſe inveniſſe veram bullam Martini in ejus Regeſto variorum, confirmatoriam decretorum Concilii in materia fidei, quæ incipit: *In eminentis Apoſtolicæ dignitatis ſpecula...... ut fides catholica, quæ chriſtianæ religionis firmiſſimum eſt fundamentum, noſtris proſperetur temporibus, ac à contagioſis hæreticorum dogmatibus, quibus illam quaſi tenebroſi fumi caligine obſcurare ſatagunt, conſervetur, hæreticaque pravitas de finibus fidelium extirpetur*, &c. Præmittit in illa bulla Martinus V, inquit Schelſtratius, quæ contra errores Joannis Wicleff, & Huſs, ac Hieronymi de Praga à Joanne XXIII in Concilio Romano anno Pontificatus ejus tertio decreta fuerant, duaſque Conſtitutiones ejuſdem Joannis, quarum una à Labbeo edita eſt Tomo XI Conciliorum, altera hucuſque lucem non vidit, exhibet. Deindè ſtatuta Conſtantienſis Concilii circa propoſitiones Wiclefi, & Huſs, nec non errorem Bohemorum de communione ſub duplici ſpecie de verbo ad verbum inſerit, concludens his verbis: *Nos igitur declarationes, decreta, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes & ſententias ſubſcripta rata habentes, & grata, illaque auctoritate Apoſtolicâ ex certâ ſcientiâ tenore præſentium confirmantes, & præſentis ſcripti patrocinio communientes, ſupplentes quoque omnes defectus, ſi qui forsan propter ſolemnitates juris in procedendo non ſervatas intervenerint in eiſdem; volumus etiam & eâdem auctoritate decernimus, quòd declarationes, diffinitiones, reprobationes, mandata, inhibitiones, ſtatuta, nec non condemnationes & ſententiæ, præinſerta plenam vim, plenumque robur & vigorem per omnia habeant, & ad ea ubilibet probanda hæ noſtræ litteræ plenæ ſufficiant, quandocumque & ubicumque eas ſive in judicio, ſive alibi exhiberi contigerit, vel oſtendi. Nulli ergo, &c. Noſtræ approbationis, ratificationis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere, &c. Si quis &c. Datum Conſtantiæ 8 Kal. Martii, Anno primo*. Atque hæc eſt Bulla Martini V confirmatoria, quæ hactenus typis deſcripta non fuit, omneſque noſtri ſæculi peritos in hunc uſque diem latuit, inquit, Schelſtratius loco laudato, Diſſert. 3 cap. 4. In eo tamen fallitur Schelstratius quòd credat eam bullam omnes ſæculi ſuperioris peritos latuiſſe; eam enim non ſolùm legerat, ſed & magnam ejus partem jam ante ipſum typis mandaverat Odoricus Raynaldus ad annum 1425 num. 15 & ſeqq. ubi & ſuperiora verba à Schelſtratio producta etiam exhibet: *Nos igitur declarationes* &c. Num. verò 15 Bullæ initium eſt ſicut in Schelſtratio: *In eminentis Apoſtolicæ dignitatis*, &c. addens illam bullam deſcriptam eſse Tom. 8 pag. 181 Diverſ. de Curia, cùm Schelſtratius dicat ſolùm ſe eam inveniſſe in manuſcripto Regeſto authentico.

XV. *Conſtantia Genevam pergit.*

Cùm poſt abſolutam Synodum Conſtantienſem, ut narrat Platina, Martinus Papa, hinc à Sigiſmundo Rege & Germanis in Germania aliquandiù remorari, hinc à Galliæ Principibus in Galliam proficiſci rogaretur; oſtendit nequaquam ſibi id integrum eſſe, quòd patrimonium Eccleſiæ, abſente Pontifice, à tyrannis diſtraheretur, Urbſque Roma penè ad interitum redacta eſſet. Ut tamen aliquo modo videretur utriſque gratificari, Conſtantiâ diſceſſit regente frænum mulæ uſque ad civitatis egreſſum Sigiſmundo Rege, & Gebennam, ſive Genevam inter Galliam, & Germaniam ſitam petiit, ibique uſque ad menſem Septembrem permanſit, ut narrat Joannes Monſtreletus Tomo I cap. 192, & anoymus Auctor Burdegalenſis in Vita Martini. Die decima tertia menſis Maji adhuc Conſtantiæ erat,

SÆC. XV. MARTINUS V.

eo enim die Wladiſlaum Poloniæ Regem Pontificium Vicarium in Ruſſiam creavit literis datis *Conſtantiæ III Idus Maji Pontificatûs anno primo*, quæ extant apud Raynaldum num. 19: Eum tamen triduo poſt Conſtantiâ receſſiſſe conſtat ex Felice Contelorio, qui illius itinera ex MS. Vaticano ita deſcribit apud eundem Raynaldum num. 36: *Die XVI Maji anno* 1418 *Martinus V Conſtantiâ receſſit, ac die V Junii per Bieruum caſtrum Luſanenſis* (legendum Lauſanenſis) *diœceſis tranſiens in Monaſterium fratrum Prædicatorum aliquot diebus quievit. Die verò undecima Julii ſolemni pompa & acclamante populo in civitatem Gebennenſem eſt ingreſſus, ubi Oratores Avenionenſes obviam profecti fidelitatis præſtitere juramentum. Hinc die tertia Septembris abiens*, &c. Verùm in Contelorio, *die verò undecima Julii*, legendum puto, *die verò undecima Junii*; cùm die decima tertia ejuſdem menſis, ſeu *Idibus Junii* Martinus Gebennis Diploma dederit, quo facultatem fecit tribus Cardinalibus diſpenſationem ineundi pro connubio Blanchæ Caroli Navarræ Regis ſecundægenitæ cum Joanne Comite Fuxenſi, qui primis nuptiis junctus fuerat Joannæ ejuſdem Navarræ Regis primogenitæ, tunc ſine liberis defunctæ. *Datum* eſt diploma *Gebennis Idibus Junii, Pontificatûs noſtri anno I*, apud eundem Raynaldum num. 34. Porrò non obſtante illa diſpenſatione Joannes Fuxenſis non duxit uxorem dictam Blancham, quæ poſtea nupta eſt Joanni Principi Alfonſi Aragoniæ Regis fratri, ut ſcribit Garibajus lib. 27, cap. 48, cùm antea nupta fuiſſet Martino Trinacriæ quondàm, ſeu Siciliæ Regi anno 1409 mortuo.

XVI. *Boemorum de communione Calicis deliberatio.*

Sigiſmundus Romanorum Rex rogaverat Martinum Papam antequam Conſtantiâ abiret, ut mitteret Legatum in Boëmiam Joannem Dominici Florentinum Presbyterum Cardinalem Sancti Sixti, dictum vulgariter Raguſinum, ad reducendos Huſſitas ad Eccleſiæ fidem. Doctores enim Huſſitæ Boëmiæ poſt ſupplicium Hieronymi Pragenſis pejores facti, ut Nobilitatem & populum in ſuis erroribus continerent, ac ſi non alia de re controverſia eſſet, quàm de uſu Calicis, quem à Chriſto præceptum obtrudebant, die decima Martii anni 1417 declarationem quamdam promulgarunt: qua fingentes ſæpiùs ſe à Nobilitate populoque rogatos, confeſſionem fidei de Calicis in ſumenda à fidelibus Euchariſtia uſu, palàm proferre: fraudulentaque calliditate profitentes, nihil ſe temerè aut præſumptuosè contra ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam definire, quin potiùs inhærere aſſertioni Concilii Conſtantienſis, quòd communionem ſub utraque ſpecie à Chriſto inſtitutam & miniſtratam, atque in primitiva Eccleſia diutino uſu receptam comprobaſſet: hortati ſunt quos propriæ ſalutis cura tangeret, hoc vivificum duplicis ſpeciei, unius tamen fidei ſacramentum amplecti, & hanc Chriſti inſtitutionem omni humanæ Conſtitutioni præferre. Quod conſilium Univerſitatis Pragenſis, ab Huſſitis Laicis loco generalis decreti & inſtar legis Evangelicæ receptum recitat Cochlæus in Hiſt. Huſſitarum lib. 4, ejuſque fraudes aperit & confutat. In id verò temeritatis eos perveniſſe Krantzius lib. 10 Vandaliæ cap. 27 narrat, ut etiam confuſis ordinibus in Eccleſia, Laici ſe adminiſtrandis ſacramentis ingererent. Patres autem Concilii Conſtantienſis, ut nobile regnum ab ea labe purgarent, viginti quatuor articulos ad id conceperunt, quos idem Cochlæus recitat.

XVII. *Martinus PP. Legatum in Boemiam mittit pro reducendis Huſſitis.*

Sed cùm hæc omnia fruſtrà fierent; cùm jam tanta eſſet turbatio rerum, ut nec ipſe Rex Wenceslaus, etiamſi maximè voluiſſet, potuiſſet ampliùs regnum in priſtinam tranquillitatem reducere; cùm jam cœpiſſent dirui & incendi Eccleſiæ & Monaſteria, ut ſcribit Æneas Silvius in Hiſt. Boem. cap. 36, Martinus Papa Gebennis exiſtens, videns literis quibus Boëmiæ Proceres ad orthodoxam fidem reducere conatus erat (quæ dicuntur datæ *Conſtantiæ VIII Kal. Aprilis anno primo Pontificatus*) ad pietatis cultum non potuiſſe Huſſitas flecti, ſed priora novis flagitiis cumulaſſe, menſe Julio anni 1418, prædictum Joannem Dominici Cardinalem Legatum in Hungariam & Boëmiam deſtinavit, qui eò ſtatim profectus, adeò duræ cervicis hæreticos illos expertus eſt, ut gladio opus eſſe Regi Sigiſmundo ſignificarit. Qui regno, quod ſuum futurum erat, compatiens, ſperanſque proceſſu temporis eos ſanari poſſe, tunc ab eo abſtinuit. Joannes autem Dominici Legatus Budam Hungariæ ad eundem Regem, ſive cum illo, ut alii volunt, pergens, quò etiam eadem hæreſis jam penetraverat, ibidem mortuus eſt, & honorificè ſepultus, miraculis etiam poſt obitum clarus, cujus res geſtas deſcripſit Sanctus Antoninus tit. 22, cap. 7, & tit. 23, cap. 11, § 3. Datæ ſunt porrò literæ legationis Joannis Dominici *Gebennis VI Idus Julii Pontificatûs anno primo* apud Raynaldum num. 9.

XVIII. *Anti-Cardinales Petri de Luna jure Cardinalitio afficit.*

Cardinales quatuor, qui hactenus Benedicto XIII, vel Petro de Luna adhæſerant, cognita illius pertinacia ad Eccleſiæ caſtra confugêre, quos Martinus Papa eodem anno 1418, exarato die prima Auguſti Gebennæ diplomate vero honore ac jure Cardinalitio affecit, ut refert Felix Contelorius in Elencho Cardinalium. Ii autem erant Joannes Murillus Abbas Mon-

Digitized by Google

Montis Aragonum tit. Sancti Laurentii in Damaſo Presbyter; Carolus de Urries ſancti Georgii ad Velum aureum; Alphonſus Carilius Sancti Euſtachii; & Petrus Fonſeca ſancti Angeli Diaconi Cardinales, qui omnes anno ſequenti 1419 in Italiam ſe contulére atque à Martino Papa Florentiæ benignè excepti ſunt. Ceterùm Ciaconius ſolum Carolum de Urries die prima Auguſti anni 1418, à Martino Papa in Cardinalatu confirmatum ſcribit, ſed major fides adhibenda Contelorio, qui ex MSS. Vaticanis deſumpſit, quæ de illis quatuor Cardinalibus ſcripſit. Martinus etiam literis datis Gebennæ VI Idus Auguſti poteſtatem fecit Alemanno tit. Sancti Euſebii Presbytero Cardinali, quem ineunte anno Legatum in Aragoniam miſerat, Sacerdotia, quæ in Paniſcolenſi agro poſt latam Synodicam in Petrum de Luna ſententiam, vacarent, Catholicis Clericis conferendi. Vide quæ de Alemanno diximus poſt Seſſionem XLII Concilii.

XIX. *Martinus PP. in Italiam pergit, & magna pompa Florentiæ excipitur.*

Cùm Martinus Papa Gebenni per tres ferè menſes ſubſtitiſſet, *hinc die tertia Septembris abiens, ac Taurinum iter faciens Mediolanum ingreditur, ubi perbenignè ac ſplendidè ſuſceptus, altare majus Eccleſiæ Metropolitanæ conſecravit, & die Martis XXV Octobris undecim Cardinalibus comitantibus Mantuam pervenit*, inquit Felix Contelorius mox laudatus. Ea in civitate permanſit uſque ad diem ſeptimum Februarii anni 1419, ut ex eodem Auctore mox conſtabit. Certè die ſexta Februarii, ſeu VIII Idus Februarii adhuc ibidem agebat; ea enim die diploma exaravit, quo ad conciliandam pacem inter Wladislaum Poloniæ Regem & Cruciferos Equites, Jacobum Spoletanum, & Fernandum Lucenſem, Epiſcopos illius interpretes & arbitros, ampliſſima munitos auctoritate legavit; *Datum Mantuæ VIII Idus Februarii anno, II* apud Raynaldum eo anno num. 1. Poſtridie, die ſcilicet ſemptima Februarii, Ferrariam profectus eſt, qua in civitate adhuc erat die 13 Februarii, quo Petrum Epiſcopum Sabinenſem Cardinalem ad Venetam Rempublicam legavit diplomate dato *Ferrariæ Idibus Februarii, Pontificatûs anno II*, apud eundem Raynaldum num. 3. Inde per urbes Ravennam & Forolivienſem Florentiam venit, Bononiam vitans, quæ ſe per id tempus in libertatem vindicaret, ut ſcribit Leonard. Aretinus in Hiſtoria ſui temporis, & ex eo S. Antoninus tit. 22, cap. 6, § 1, & 2. Hæc & ſuperiora Martini Papæ itinera Felix Contelorius ex libro participationum ſacri Collegii, & Manualii Rudolphi Rocilgini Cameræ Apoſtolicæ Notarii, & ex Diario Florentino ab anno 1406, ad annum 1439, accuratiùs deſcripſit; *Die*, inquit, *ſeptima Februarii Mantua egreditur, Ferrariam tranſiit, ac Monaſterium ſancti Salvi prope Florentiam advenit: ubi capitanei partis Guelfæ album equum ſerico rubro tegmine coopertum cum frænis aureo argentoque lucentibus obtulerunt. Hinc ad S. Gallum obviam habuit delectos reipublicæ Florentinæ primates, ſupra ejus caput mappulam ſuſtollentes, ac reipublicæ adminiſtratores cum maxima equitum multitudine, Judices, Mercatorum ſocietatem, ceteroſque cives & populum. Ubi verò die Dominica 26 Februarii* (legendum XXVII, quæ eo anno, littera dominicali exiſtente B, concurrebat cum Dominica) *prope urbem ſtetit, domini civitatis ſub alia mappula auro ditiſſima armellinis pellibus ornata Pontificem equitantem receperunt: præcedebat civitatis Clerus ſolemni cultu reliquias deferens, ſubſequebantur cives, equites, judices, cæteraque nobilitas; hinc crux Pontificia & ſanctiſſimum Eucbariſtiæ Sacramentum deferebatur: poſt Cardinales Pontifex medius inter cives nobilitate præſtantes, ætate fervidos, inceſſu graves, vultu decoros, veſtitu ſplendidos, capite laureatos, olivam manu deferentes equitabat. Progrediens igitur per burgum S. Laurentii & prope flumen Paleæ in Eccleſiam S. Mariæ de Flore per tabulatum pannis ornatum ſericis ob dignitatem Pontificis à civibus erectum ingreditur, factaque oratione populum benedixit.* Ita Contelorius pompam, quâ Florentiæ exceptus eſt Martinus, deſcribit.

XX. *A quo die annos ſui Pontificatus repetierit.*

Antequam Martini res Florentiæ geſtas percurramus, hic obſervandum, quod penè exciderat, ipſum paulò poſtquam Mantuam advenit, die decima quarta Novembris anni 1418, reſcriptum edidiſſe contra Simoniacos, ex quo habemus, ſui Pontificatûs annorum initium, à die electionis, non verò à conſecrationis & coronationis die deſumpſiſſe; cùm enim electus fuiſſet die undecima Novembris anni 1417, & coronatus die tantùm 21 ejuſdem menſis; annum tamen ſecundum Pontificatus jam numerabat die 14 Novembris, cùm debuiſſet numerare annum primum, ſi hic computatus fuiſſet à die coronationis, ſeu 21 Novembris. Extat illud reſcriptum apud Raynaldum eo anno num. 32, *Datum Mantuæ XVIII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri anno II.* Cùm tamen ipſo die electionis literas dederit ad Viterbienſes, ut ejus Pontificatûs initio diximus, ſignatas non anno primo Pontificatûs, ſed Apoſtolatûs, quod & omnes ejus prædeceſſores fecerant, ſuſpicor mendum irrepſiſſe apud Raynaldum in data hujus reſcripti, ſubſtituendumque annum primum pro ſecundo; qui error forſan Typographo Colonienſi attribuendus; cùm ipſemet Raynaldus anno 1420 num. 9, referat diplo-

diploma ejuſdem Pontificis datum Romæ XV Kal. Decembris anno III Pontificatûs, ſeu die XVII Novembris anni 1420, ut putat ipſe Raynaldus, ex quo conſtat eum annos ſuos non deſumpſiſſe à die electionis, alioquin anno 1420, die 17 Novembris, numeraſſet annum quartum. Præstereà anno 1427, num. 7, idem Raynaldus refert aliud diploma Martini eodem anno III Idus Novembris, ſeu die XI datum, ex quo etiam evincitur Martinum à die electionis annos ſuos non numeraſſe, alioquin anno 1427, die XI Novembris numeraſſet annum Pontificatûs duodecimum, ut patet. His adde Papebrochium in Conatu-Chronico Hiſt. referre, extare apud Wadingum bullam Martini ordine 19, datam *Waltero electo Roſſenſi XVIII Kal. Decembris anno I*, ideoque die decima quarta Novembris, quam putat datam anno 1418; neque enim, inquit Papebrochius, anno 1417, eo die Martino nondum in Epiſcopum ordinato fas fuiſſet Epiſcopum inſtituere ſicut ibi facit; & ſi fas fuiſſet, negotia urgentiora, quæ totum requirebant Martinum, id non permiſiſſent. Quidquid ſit, cùm nullus quòd ſciam ex ejus deceſſoribus à duobus & ampliùs ſæculis annorum ſuorum initium ſumpſerit à die electionis, valde veriſimile eſt ipſum quoque, exemplo deceſſorum, initium annorum ſui Pontificatûs à die conſecrationis repetiiſſe; cùm inſuper in literis ante conſecrationem ſcriptis eandem formam uſurparit, ut ſuperiùs dictum eſt. Quoad alias bullas Martini relatas à Wadingo apud eundem Papebrochium, cùm ad manum non ſit, priores enim tantùm ejus tres tomos mihi videre licuerit, non poſſum hîc eas examinare.

XXI. *Quatuor Cardinales Petri de Luna, & Joannem olim PP. XXIII Florentia ſuſcipit.*

Ad Martinum Papam Florentiæ exiſtentem venêre die decima ſeptima Martii Cardinales Petri de Luna, quos ipſe Martinus anno 1418, Gebennis exiſtens, vero jure Cardinalitio exornarat. Id ipſum expreſsè teſtatur ex monumentis laudatis Felix Contelorius, qui poſt ſuperiora verba mox ſubjungit: *Ex partibus etiam Aragoniæ, relicto Petro de Luna, venêre Florentiam XVII Martii MCCCCXIX Joannes Murillus Abbas Montis Aragonum tit. S. Laurentii in Damaſo Presbyter, Carolus de Urries S. Georgii ad Velabrum, Alfonſus Carillus S. Euſtachii, Petrus Fonſeca S. Angeli, Diaconi anti-cardinales, Kal. Auguſti anni 1428, Gebennis in S. R. E. Cardinales recepti ſeu confirmati.* Duo itaque tantùm Anticardinales in fide Petri de Luna manſêre, quorum alter Carthuſienſis fuit, alter verò Julianus Dobla appellatus eſt. Unde Leonardus Aretinus in Hiſt. rerum Italicarum, & ex eo S. Antoninus part. 3, tit. 22, cap. 7, § 2, Martino Papæ dixit: *Cardinales ab Hiſpania, deſerto Benedicto, hunc ipſum ad locum* (ſc. Florentiam) *venientes, te ut verum atque unicum Pontificem recognoverunt, quo facto tres obedientiæ dudum ſeparatæ in te uno conglutinatæ ſunt*, Non multò poſt Martinum Papam etiam acceſſit Balthaſſar olim Joannes XXIII, menſe ſcilicet Junio, ut ſuperiùs poſt Seſſionem XII Concilii Conſtantienſis diximus. Atque omnis Respublica Chriſtiana, una duntaxat Paniſcola excepta, Martini auctoritatem ſecuta eſt.

XXII. *Status Patrimonii Eccleſiaſtici, & Urbis Romæ.*

Antequam Martinus Conſtantiâ diſcederet, quamquam & ab Imperat. ac Germanis rogaretur, ut in Germania aliquandiu remaneret, à Principibus verò Gallicis, ut in Galliam proficiſceretur, oſtendit id nequaquam ſibi integrum eſſe, quòd patrimonium Eccleſiæ abſente Pontifice à tyrannis in Italia occupatum diſtraheretur & laceraretur: Urbemque Romam, religionis Chriſtianæ caput, cùm Rectore ſuo careret, penè ad interitum redactam eſſe, peſte, fame, ferro, igne, ſeditionibus: Baſilicas ac ſanctorum Martyrum ſacella, abſente Pontifice corruere, aut paulò poſt collapſuras videri, proindeque abeundum ſibi eſſe dixit. Sed licèt tanto deſiderio teneretur Romam adeundi, ad eam tamen pervenire non potuit ante menſem Septembris anni 1420; imò dum Mantuâ Florentiam pergeret, à recta via declinare coactus fuit, ne fines Bononiæ attingeret, quæ ſolitâ inconſtantiâ, nuper jugum Eccleſiæ excuſſerat, auctore Antonio Bentivolio, qui ejus dominationē ſpecie libertatis occupavit. Subſtitit itaque Florentiæ, quouſque Status Eccleſiaſtici, Urbiſque Romæ rebus in tranquilliorem ſtatum redactis, ipſe tutò ad eam accederet, in eademque liberè & cum dignitate agere poſſet. Præter Bononiam à Bentivolio occupatam, Braccius Peruſinus Dux rei militaris peritiſſimus bonam partem Patrimonii Eccleſiaſtici obtinebat. Hic Martino Papæ infenſiſſimus erat occaſione Balthaſſaris Coſſæ, olim Joannis XXIII, ſub quo meruerat, & quem quærebat iterum reſtituere. Romæ adhuc Caſtrum Sancti Angeli, Oſtia & Civitas vetus in poteſtate Joannæ Reginæ Siciliæ erant; ſed Braccius Romam aggreſſus & in eam admiſſus, Dominum etiam ſe Urbis indigitare non erubuerat; niſi à Romanis eo titulo prohibitus, mitiori *Almæ Urbis Romæ Defenſoris* contentus eſſe rogatus fuiſſet.

XXIII. *Martinus PP. Legatum Neapolim mittit ad coronandam Joannam Reginam.*

Statim ac Martinus Florentiam advenit Joanna II Siciliæ Regina ad eum miſit Joannem Caracciolum, qui ſpoponderat, ſe caſtrum ſancti Angeli, ſeu molem Hadriani, & Civitatem veterem Eccleſiæ reſtituere velle, & non multò poſt ea caſtra

ſtra in poteſtatem Martini remiſit, obtinens viciſſim à Pontifice mitti Neapolim Petrum Maurocenum Venetum, Diaconum Cardinalem, virum apprimè doctum & Juriſconſultum inſignem, ad Reginam coronandam ipſius auctoritate. Quod tamen ea conditione conceſſit Pontifex, ut ante omnia Rex Jacobus Borbonius Joannæ maritus, liberaretur à cuſtodia, quâ à multo tempore detinebatur ab ea, interim dum illa eodem palatio laſciviæ ſuæ venereæ cum prædicto Joanne Caracciolo abſque ullo pudore turpiſſimè indulgebat, quæ narrat Summontius Hiſt. Neapol. lib. 4, cap. 3. Jacobus porrò Rex cuſtodiâ liberatus rediit in Galliam, ubi Tertio Ordini Sancti Franciſci ſeſe primò dedidit, quoniam adhuc vivebat Joanna II ejus uxor; ſed poſtomodùm eâ anno 1435 mortuâ, Regulam primi Ordinis ejuſdem habitum ſuſcepit Veſuntione, ubi uſque ad obitum, qui contigit anno 1438, manſit, ſepultus in Eccleſia Monialium S. Claræ. Joanna verò Regina anno milleſimo quadringenteſimo decimo nono, principio menſis Octob. à prædicto Petro Mauroceno Legato coronata ſub conditionibus in inveſtitura appoſitis, quam Summontius loco laudato recitat.

XXIV. *Braccium tyrannum pœnitentem recipit, ejuſque opera Bononiam recuperat.*

Parte alia, Joanna Regina Jacobum Sfortiam ſtrenuiſſimum ducem, Braccii æmulum & hoſtem Romam miſit, qui ex ea urbe pepulit, ut refert Corius in Hiſt. part. 4; perſeveravit nihilominus Braccius in rebellione adverſùs Pontificem, ejuſque monitionibus acquieſcere detrectavit, ideoque ab eo publicè excommunicatus eſt, & ubiq; publicari juſſus. Quod adeò ipſum cum ſuis complicibus contempſiſſe ait S. Antoninus tit. 22, cap. 7, § 1, ut ipſi pariter excommunicarint Pontificem in deriſum & opprobrium. Sed Florentinis mediatoribus compoſita eſt concordia; Braccio veniam petente ad pedes Pontificis, quibuſdam civitatibus & oppidis ei in vicariatum relictis, ceteris Eccleſiæ reſtitutis. Quibus Leonardus Aretinus in Hiſt. Rerum Italicarum Martinum Pontificem ejuſdem Braccii operâ Bononiam recuperaſſe: *Florentiæ*, inquit, *biennium ferè reſedit peropportuno loco ad rem Eccleſiæ componendam; nam & cum Braccio, qui Eccleſiæ oppida permulta occupaverat, opitulantibus Florentinis concordiam fecit, illiuſque poſt hæc fretus operâ Bononiam redegit in ſuam poteſtatem, & ceteras urbes ubique recepit, ex quo ejus plurimum crevit auctoritas.* Idem aſſerit idem Leonardus Aretinus Martinum Pontificem alloquens apud S. Antoninum laudatum § 2: *Illius*, ſcilicet Braccii, *poſtea tu fretus operâ, Bononiam tibi parere vi adhibita compuliſti.*

XXV. *Florentia diſcedit, ejus Eccleſia in Metropolim erecta.*

Pace cum Braccio facta, receptiſque oppidis Eccleſiæ, cùm omnia pacata viderentur, Martinus Pontifex Romam petere conſtituit; ſed antequam Florentiâ diſcederet, civitati ſupplicanti conceſſit, ut Eccleſia Cathedralis Florentiæ ex Epiſcopali ad Metropolitanam promoveretur, & pallio decoraretur, cui Epiſcopi Feſulanus & Piſtorienſis, ut viciniores pro ſuffraganeis conſignati ſunt & non alii, inquit S. Antoninus loco mox laudato. Platina autem Volaterranum adjicit. Nec tamen ſatis benevolo animo in Florentinos recedere videbatur; cùm enim ex cantilenis puerorum Florentinorum, paſſim dicentium ſuâ linguâ rithmicè, *Papa Martino non val' un quatrino*, hoc eſt Papa Martinus non valet unum quadrantem, ſeu unum obolum; inde nonnihil in Florentinos commotus eſt, exiſtimans hoc à pueris non ex ſe ipſis, ſed impulſu malevolorum hominum concini; ſed demotus ea opinione fuit per Leonardum Aretinum Secretarium ſuum, quanta ei proſpera Florentiæ contigiſſent enarrantem, quæ non facilè alio loco conſequi potuiſſent. Martinus hæc audiens, ſubdit S. Antoninus, lætari admodùm viſus eſt, loquentemque Aretinum laudavit, ac veriſſima dicere faſſus eſt. Et cùm abire ſtatuiſset, vocato ad ſe Florentinorum Magiſtratu: *Valde*, inquit, *obligor huic civitati, cognoſco enim quàm multa mihi in illa & per illam proſpera acciderunt.* Deinde illa enumerans, eodem ordine, quo ſibi à Leonardo dicta fuerant recenſet.

XXVI. *Roſtochienſi Academiæ privilegia confert.*

Eodem circiter tempore, anno ſcilicet 1419, Joannes & Albertus Duces Megalopolitani cùm Senatu urbis Roſtochienſis Academiam fundarunt, ad inſtar Academiarum Erfurdienſis, & Lipſienſis, ex quibus coloniam deduxerunt. Cui Academiæ Martinum Papam privilegia contuliſſe ſcribit Sethus Calviſius in Opere ſuo Chronologico ad annum 1419, citato eam in rem Chytræo. Eſt porrò Roſtochium, vulgò *Roſtock*, urbs libera Germaniæ in Saxonia inferiori, & in Ducatu Megalopolitano, ſeu de *Mecklebourg*, Hanzeatica & ſui penè juris. Joannes autem & Albertus Duces eam Academiam fundarunt, quia Ducatus Megalopolitanus duobus Principibus etiamnum ſubeſt ex eadem familia, pars ſcilicet Orientalis Duci Guſtrovienſi ab ejus primaria *Guſtrouu*, & pars Occidentalis Duci Schvverienſi, ſeu *Schvverin & Svverin*, eſtque nunc Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Bremenſi.

XXVII. *Enſem & pileum benedictos Delphino, Roſam verò auream populo Florentino donat.*

Martinus Pontifex Florentiæ exiſtens Enſem & Pileum à Romano Pontifice benedici ſolitos ad Carolum Delphinum Caroli VI Regis Francorum filium, ac poſtea ſucceſſorem, per ipſius Oratorem in Curia præſentem tranſmiſit; Roſam verò au-

ream in Dominica quarta Quadrageſimæ, ſeu *Lætare Jeruſalem*, à Romano Pontifice geſtari ſolitam, Florentino populo donavit, quam Thadæus Gherardinus nomine Confalonerii tunc ægrotantis recepit; & à civibus ac populo & quindecim S. R. E. Cardinalibus, aliiſque Prælatis ſtipatus ad Palatium Dominorum detulit. Ita Auguſtinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium refert Auctore neſcio quo, niſi forſan hæc deſumpſerit ex Ricordano Maleſpina in Hiſtoria Florentina, quem non multò ante citaverat, ſed hic Auctor mihi prorſus ignotus eſt; non poteſt enim confundi cum Ricordano Maleſpina, qui florebat anno 1282. De Enſe & Pileo benedictis vide dicta in Urbano V, & in Urbano VI.

XXVIII. *Tractat cum Imperatore Græcorum de unione Eccleſiæ.*

Suſcepit inſuper Florentiæ Pontifex Oratores Manuelis Græcorum Imperatoris, ut narrat Platina, pollicentes Græcos quòd ad fidem pertineret, velle in ſententiam Latinorum venire, ſi æquæ conditiones proponerentur. Quos perbenignè ac ſplendidè Pontifex habens, Legatum à latere creavit Petrum Fonſecam S. Angeli Diaconum Cardinalem, hominem Hiſpanum, in quavis facultate doctum, qui Conſtantinopolim ad res componendas proficiſceretur. Præmiſit tamen, antequam eum dimitteret, Antonium Maſſanum Ordinis Minorum Generalem Miniſtrum, ut Imperatoris ac Græcorum exploratâ ſententiâ, quid ea in re poſtea ſperandum eſſet Pontificem admoneret. Maſſanus Conſtantinopolim profectus, cum Imperatore Joanne Palæologo Manuelis tunc ægrotantis filio, & cum Patriarcha congreſſus eſt anno 1422 menſe Octobri. Quid reſponſum ab Imperatore fuerit dicemus cùm de Concilio Senenſi agemus; Illius enim congreſsûs Acta habentur in Concilio Senenſi pag. 370 Tom. XII Concil. editionis Labbeanæ.

XXIX. *Romam appellit.*

Sed ut ad Martini Papæ receſsum redeat ſermo, *die tandem nona Septembris anni* 1420, Florentiâ diſceſſit, ex Felice Contelorio, qui ex veteribus monumentis non ſolùm ejus receſsum deſcribit, ſed & quo honore à Magiſtratibus affectus ſit, & poſtea addit: *Pontifex per civitatem Viterbienſem iter faciens, die* 28 *Septembris Romam tandem exoptatus pervenit, & in Eccleſia Sanctæ Mariæ de Populo pernoctavit. Die Lunæ* 30 *ejus menſis Senatus & cives acclamantibus omnibus* Martino Papæ ſalus & vita, *per publicas vias aulæis ſplendidas, hilara & fauſta omnia, & novam Urbi faciem prænunciantes, ad Vaticanum Palatium deduxerunt*. Auguſtinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium ex Petro Correntino de Epiſcopis Viterbienſibus ſcribit Martinum Viterbium perveniſſe menſe Auguſto; ſed in hoc fallitur, nam ex diplomate dato *Florentiæ Kalendis Septembris, Pontificatûs anno III*, quod refertur à Raynaldo num. 12, invictè demonſtratur eum eadem die adhuc Florentiæ ſubſtitiſſe, & Felicis Contolorii deſcriptio confirmatur. Imò die octava Septembris adhuc Florentiæ erat, ea enim die reſcriptum emiſit, datum *Florentiæ VI Idus Septembris anno III*, apud Raynaldum num. 8. Receptus eſt autem Romæ, ut ait Platina, non ſecus ac quoddam ſalutare ſidus, vel unicus patriæ parens, ita ut dies ille in Faſtis à Romanis annotatus fuerit *decimo Kalendas Octobris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo primo*. Romam tamen pervenit die tantùm 28 Septembris, ſeu die quarto Kalendas Octobris, & pridiæ Kalendas ejuſdem menſis ſolemniter à Romanis receptus, ſi Contelorio fides. Platina addit, Martinum Romam adeo deſolatam inveniſſe, ut nulla videretur Urbis facies, nullum urbanitatis in ea indicium, collabentibus domibus, collapſis templis, deſertis vicis, ſola regnante rerum omnium inopia; ideoque animum ad eam exornandam, componendoſque civium mores ita adjeciſſe, ut brevì Urbs convaleſcens meliorem faciem præ ſe tulerit: eamque ob rem Urbs ipſa *eum non modò Summum Pontificem, verùm etiam patriæ parentem appellavit*, id eſt alterum Romulum. Porrò cùm Martinus Romam adveniens die 30 Septembris ad palatium Vaticanum deductus fuerit, eoque in loco V Kalendas Novembris, teſte Raynaldo ad annum 1420 num. 11, literas dederit, quibus Baptiſtam Sabellum ejuſque filios læſæ majeſtatis Pontificiæ reos venia donavit, & omnia ab ipſis flagitia patrata dum bellum in Romanam Eccleſiam geſſerant, delevit: idem Raynaldus infert Martinum poſtea mutaſſe ſedes, eaſque in ædibus Baſilicæ duodecim Apoſtolorum contiguas locaſſe, quia, ut refert S. Antoninus tit. 22 cap. 7 § 3, Martinus *Romam applicatus, reſidentiam ſuam juxta Eccleſiam Apoſtolorum domibus ſatis humiliter ædificatis elegit*; ſed videtur migraſſe ad illam habitationem prope SS. Apoſtolos circa finem anni ſui Pontificatûs ſeptimi; ad finem quippe illius anni omnes ejus bullæ apud Raynaldum dicuntur datæ, vel apud S. Petrum, vel apud S. Mariam majorem; ab initio verò anni ſui Pontificatûs octavi, Chriſti 1424, omnes ferè dicuntur datæ apud SS. Apoſtolos. Extat etiamnum palatium familiæ Columnenſis Baſilicæ duodecim Apoſtolorum contiguum, quod ideò à Mart. V de novo conſtructum, cùm antea eſſet domicilium ejuſdem familiæ, ex qua ortus erat Martinus. Hoc autem palatium, licèt jam ſumptuoſum, vocatur tamen domus humiliter ædificata à S. Antonino, per reſpectum ad Summum Pontificem. Ea porrò duo-

Digitized by Google

SÆC. XV. MARTINUS V.

duodecim Apoſtolorum Baſilica, quæ eſt titulus Cardinalitius Ordinis noſtri Minorum Conventualium.

XXX. *Ludovico Andeg. Siciliæ Regi favet contra Alphonſum Aragonium.*

Cùm interea orta eſſet æmulatio inter Sfortiam, & Caracciolum Joannæ Siciliæ Reginæ adulrerum, Sfortia ut hunc deturbaret, Ludovicum ejus nominis Tertium, Ducem Andegavenſem, filiumque alterius Ludovici, qui de regno cum Ladislao Joannæ II fratre contenderat, è Gallia accivit annuente Pontifice in ſpem ejus recuperandi: à quo etiam ipſe Sfortia Conneſtabilis regni creatus eſt, ſicut & fuerat à Pontifice Vexillifer Eccleſiæ. Caracciolus verò, ut contra eos ſe muniret, Alfonſum Aragoniæ Regem in filium & hæredem à Joanna Regina adoptari curavit; eaque conſentiente Braccium Peruſinum, de quo ſuprà, in auxilium adverſùs Sfortiam vocavit. Braccius autem denuò in Pontificem Martinum rebellavit, adeoque eum contempſit, ut teſte S. Antonino tit. 22, cap. 7, § 4 jactarit ejus ſtatum ſuppreſſurum, & ad celebrandum Miſſas privatas pro unico bajoco (genus eſt monetæ Italicæ valentis ſex denarios Turonenſes) compulſurum. Huic Alfonſi adoptioni Martinum Pontificem conſenſiſſe tradunt aliqui; ſed id videtur omninò improbabile, nam præterquamquòd Alexander V in Concilio Piſano Ludovicum Andegavenſem in Regem Siciliæ confirmaverat, & Vexilliferum Eccleſiæ conſtituerat, S. Antoninus tit. 22, cap. 6, § 3 refert Concilium Conſtantienſe conceſſiſſe bullas ſolemnes Ludovico Andegavenſi, ac ſucceſſoribus ejus pro adenndo & poſſidendo regno Apuliæ, ſive Siciliæ citra Pharum. Prætereà cùm Joanna Regina Braccium Capuæ Principatu donaſſet, & commeatus è regno Romam invehi vetuiſſet, Martinus Præſulibus, ceteriſque Eccleſiaſticis viris, ac Principibus, Magiſtratibus, & populis Siciliæ citerioris præcepit, ne ulla Joannæ vectigalia penderent, diplomate dato *Tybure III Kal. Julii, Pontificatus anno IV*, ideoque anno 1421, apud Raynaldum num. 1, qui num. 2 addit ex lib. 3 Epiſt. Martini conſtare Pontificem tunc in Ludovici Andegavenſis auxilium Tartaliam Lavelium mille equitibus ſuccinctum miſiſſe, & reſtituendæ paci vias omnes tentaſſe, ac miſiſſe hanc in rem duos Cardinales Legatos, diplomate dato *Romæ apud S. Mariam majorem XV Kal. Octobris, Pontificatus anno IV*, quorum miniſterio Alfonſus inducias pepigit cum Ludovico Andegavenſi, quæ certè evincunt Martinum Papam non conſenſiſſe adoptioni adulterinæ Alfonſi.

XXXI. *Ab Alphonſo Aragonio vexatur.*

Sed Martinum Papam Ludovico Andegavenſi faviſſe ex eo convicitur, quòd Alphonſus nihil intentatum reliquit, ut inſinuaret Petrum de Luna in Conſtantienſi Synodo iniquâ ſententiâ damnatum, & ut Martinum vexaret, in vulgus pervulgandum curavit Paniſcolenſes ſchiſmaticos, ſcilicet Dominicum è Bona Fide, Euximinum Dachiæ, Julianum de Ohla Cardinalitia dignitate auctos eſſe à Petro de Luna, qua de re extant Martini ipſius querelæ de Alfonſo in literis ad Caſtellæ Regem ſcriptis apud Raynaldum anno 1423 num. 7. Imò Alfonſum in Synodo Senenſi, de qua mox, contra Martinum turbas excitaſſe, quòd hic Ludovicum Andegavenſem contra Alfonſum tueretur, abrogatâ jam à Joanna Regina ejuſdem Alfonſi adoptione, in ejuſque locum ſuffecto Ludovico Andegavenſi, Martinus ipſe arcanis literis ad Archiepiſcopum Narbonenſem datis apud eundem Raynaldum num. 12 ſignificat: *Quod*, inquit, *ſcribis te locutum eſſe cum chariſſima filia noſtra Joanna Regina Siciliæ illuſtri, valde nobis placet, & quædam veriſſimè dixiſti, nos quæ patimur à Rege Aragonum pati propter filium ſuum* (nempe Ludovicum Andegavenſem filium adoptivum) *quem ille nihil exiſtimat fuiſſe facturum abſque auxilio & favore noſtro. Non dicimus quàm injuſtè adverſus nos ille moveatur, notorium eſt enim: ſed tamen ſumpta occaſione, quòd Regem Ludovicum foveamus, reſiluit à nobis*, id eſt apertas inimicitias cum nobis egit, qui antea clandeſtinis artibus ſchiſma aluerat.

XXXII. *Legatos ad Concilii Papienſis celebrationem mittit.*

Concilium Ticini celebrandum decretum fuiſſe à Martino Papa in Concilii Conſtantienſis ſeſſione quadrageſima quarta ibidem diximus. Anno itaque 1422 Pariſienſis Academiæ Theologi ad Martinum Papam Oratores decreverunt, adjectis literis, quibus ipſum cohortabantur, ut illud celebrandum curaret. Pariſienſis Academiæ Theologis reſpondit Pontifex per eoſdem Oratores, ſuiſque literis purgavit ſuſpicionem quòd nollet Concilium celebrari, eorumque pia ſtudia commendavit. Refert Martini literas Raynaldus num. 2 datas Romæ ſine ulla temporaria nota. Adveniente autem anno 1423 futuros in Concilio Ticinenſi ſeu Papienſi præſides creavit Pontifex Donatum Archiepiſcopum Cretenſem, Jacobum Epiſcopum Spoletanum, Petrum Abbatem Roſarium Ordinis Benedictini Aquilejenſis diœceſis, ac Leonardum Ordinis Prædicatorum Magiſtrum Generalem, quos ampliſſima decernendi in Concilio, transferendi illius in aliam Italiæ urbem, ſi id tempus & neceſſitas flagitaſſet, atque indicendi ad ſeptennium proximè recurrens alterum, deſignandæque urbis poteſtatem fecit literis datis *Romæ apud S. Petrum VIII Kal. Martii, Pontificatus anno VI*, ſeu die 22 Februarii anni 1423, quæ referuntur in Concilio Baſi-

Digitized by Google

SÆC. XV. MARTINUS V.

leenſi pag. 465 editionis Labbei. Inchoatum itaque eſt Concilium menſe Majo, ut habet Codex Manuſcriptus Sancti Victoris Pariſienſis apud Spondanum num. 2, quamvis nulli adhuc tranſalpini advenisſent, præter duos Abbates Burgundos, & quem Pithœus de Scriptoribus Angl. addit Joannem Baſtonum Carmelitanum à Clero Anglicano miſſum.

XXXIII. *Concilii tranſlationem ad civitatem Senarum approbat.*

Cùm igitur tum ob paucitatem Patrum viſum fuiſſet, rem in aliquod tempus differre; graſſante Ticini peſtilentiâ, poſt duos menſes inutiliter tranſactos mutari locum placuit: deſignataque à Synodi Præſidibus civitate Senarum ad Kalendas Novembris, ut legitur in eodem codice Victorino, cujus auctor tunc vivebat, eam translationem confirmavit Pontifex, & Ludovico Epiſcopo Magalonenſi præcepit, ut cum Senenſium Oratoribus de excipiendis Patribus, & tuenda Concilii libertate, ad quod unà cum Cardinalium Senatu ſe conferre meditabatur, paciſceretur; & pacta inter eos conventa confirmavit, ut ipſemet ait apud Spondanum num. 3: *Super ordinatione & celebratione Concilii Generalis in civitate Senarum, & acceſſu noſtro, nec non Venerabilium fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, & Romanæ Curiæ, & aliorum venientium ad Concilium & civitatem prædictam. Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem. Id. Auguſti, Pontificatus noſtri anno VI.* Codici Victorino adverſatur recens Hiſtoria urbis Senenſis, ſeu Malavolt. part. 3 lib. 1 ad finem, tradens, inchoatum Senis Concilium die vigeſima ſecunda Auguſti: & cùm ingens numerus ex omnibus provinciis, Antiſtitum, Doctorum & Oratorum Principum advenisſet, habitas fuiſſe Seſſiones aliquot: ſed ortis nonnullis inter eos diſcordiis, Martinum, qui Septembri menſe adeſſe promiſerat, ſententiâ mutatâ prætextu peſtilentiæ, quæ tamen nulla erat, veriùſque metu turbarum Alfonſi Regis permiſiſſe Prælatos abire.

XXXIV. *Synodus Senenſis hæreſum damnationem Conſtantiæ factam confirmat.*

Verùm laudatus codex Victorinus primam hujus Concilii Seſſionem celebratam tantùm ponit octavo Kalendas Novembris, præſidentibus pro Pontifice prædictis illis quatuor, qui primùm Papiam miſſi fuerant, cui majorem fidem adhibendam exiſtimo; probabile enim non eſt, Concilium à menſe Auguſto ad menſem Februarium exeuntem anni 1424 duraſſe, ut revera duravit, in tanta rerum confuſione ab Alfonſo Rege excitata; cùm præſertim Senenſes Apoſtolicis Legatis adverſarentur, qua de re Martinus literis ſuis compeſcuit, quæ extant apud Raynaldum num. 11. Seſſione itaque die Lunæ 25 Octobris celebratâ Patres reformationem Eccleſiæ à fidei fundamento incipientes, damnationem hæreſum Joannis Wicleſi & Joannis Huſs Conſtantiæ factam, & à Martino Pontifice pro viribus procuratam, confirmarunt, & ad eas penitus extirpandas omnes Principes hortati ſunt.

XXXV. *Sententiam contra Petrum olim de Luna ratificat, & aggravat contra ſuccedentes.*

Sententiam deinde ab eodem Concilio Conſtantienſi contra Petrum olim de Luna approbavit, ejuſque memoriam damnavit: atque in perſeverantes poſt ejus obitum quoquomodo in obſervantia aut quolibet favore ejus obedientiæ, aut ejus ſucceſſorum, pœnas & cenſuras in dicta ſententia contentas pronunciavit: *Hæc ſancta Synodus ſententiam damnationis & condemnationis in perſonam damnatæ memoriæ Petri de Luna, olim Benedicti XIII, in ſua obedientia nuncupati, ſchiſmatici & hæretici pronunciati per ſacrum Conſtantienſe Concilium, & inhibitionem factam omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ſub pœnis fautoriæ hæreſis & ſchiſmatis, ac privationis omnium beneficiorum, dignitatum & honorum eccleſiaſticorum ac mundanorum, & alias pœnas juris infligendo, ut dicta ſententia præfati Concilii, cujus totum tenorem hìc haberi vult & habet pro ſufficienter expreſſo, latius continetur, ratam & gratam habens, ejuſque executionem, continuationem continuare volens, decernit, ſtatuit & declarat, omnes & ſingulos poſt obitum dicti Petri de Luna continuantes ſeu perſeverantes in credulitate vel obſervantia erroris & ſchiſmatis ejuſdem Petri, ſic (ut præmittitur) damnati, vel jus aliquod ab eo in eas directè vel per indirectum derivaſſe aut derivari potuiſſe prætendentes, ſeu in vicem ejus ſuccedentes, eorumque receptatores, defenſores & fautores, cujuſcumque ſtatus, præeminentiæ vel conditionis exiſtant, etiam Pontificali, Cardinalatus, imperiali vel regali, aut alia quacumque eccleſiaſtica vel ſæculari præfulgeat dignitate, omneſque & ſingulos eiſdem conſiliis, auxiliis vel favoribus aſſiſtentes vel receptantes, nec non quoſcumque victualia, ſpecies aromaticas, & pannos, ſed & plumbum, pulveres, bombardas vel arma, ſeu inſtrumenta bellica, ſeu res alias quaſcumque eis adducentes, ſive alia quæcumque negotia vel commercia publicè vel occultè facientes cum eiſdem: eos etiam qui ſcienter per dominia, terras, diſtrictus vel loca ſuæ ditioni ſubjecta, præmiſſa in toto vel in parte præfatis hæreticis adduci vel apportari, vel ſubditos ſuos cum eis negotiari permiſerint, fore obnoxios atque ligatos pœnis & cenſuris in dicta ſententia contentis; cùm etiam novi erroris inventores non ſint, alieno tamen facinori prædamnato ſuam communionem immiſcuerunt, nullo eiſdem exceptionis, immunitatis, privilegii, ſtatuti, vel conſuetudinis præſidio ſuffragante, per hanc tamen approbationem & declarationem, ſtatutum ſive decretum, non intendit privilegiis, habi-*

SÆC. XV. MARTINUS V.

habilitationibus, declarationibus quibuſcumque perſonis per ſanctiſſimum Dominum noſtrum Papam Martinum quintum conceſſis, & concedendis præjudicium generare, ſeu in aliquo derogare. Extat hæc ratificatio damnationis Petri de Luna & aggravationis contra ſuccedentes, & participantes Tomo XII Concil. Labbei col. 367 inter Acta Concilii Senenſis.

XXXVI. *Annus mortis Petri de Luna inquiritur.*

Ex hac Concilii Senenſis ſententia videtur poſſe demonſtrari Petrum de Lnoa, Benedictum XIII olim in ſua obedientia nuncupatum, jam tunc mortuum fuiſſe, ideoque mortem ejus copulandam cum anno 1423; illud quippe decretum editum eſt eodem anno, vel ſaltem ante menſem Februarium anni 1424, quo diſſolutnm eſt Concilium Senenſe, & tamen in eo ſupponitur mortuus, cùm appelletur Petrus de Luna *damnatæ memoriæ;* ſicut enim cùm loquimur de aliquo viro pio jam defuncto, vocamus ipſum *ſanctæ memoriæ*, vel *bonæ memoriæ* virum, ita Concilium loquens de Petro de Luna tanquam de ſchiſmatico, vocat ipſum *damnatæ memoriæ*. Ideo autem potiùs dicendus eſt objiiſſe anno 1423, quàm initio anni 1424 ante diſſolutionem Concilii Senenſis; quia cùm in omnium ſententia obierit vel in die Pentecoſtes, vel menſe Septembri, vel exeunte Novembri, alius annus ejus morti aſſignari non poteſt, quàm annus 1423, cùm obierit ante diſſolutionem Concilii Senenſis, quæ contigit menſe Februario anni 1424, ut conſtat ex Actis. Certè Hieronymus Surita, Joannes Mariana, & alii recentiores Scriptores Hiſpaniæ ejus morti annum 1423 aſſignant. Præterea in eodem decreto additur, eàdem ſententià involvi, *ſingulos poſt obitum dicti Petri de Luna continuantes.... ſeu in vicem ejus ſuccedentes*, non dicitur *continuaturos*, aut *ſucceſſuros*, ſed, *continuantes*, aut *ſuccedentes*; quibus verbis dici poteſt deſignari Ægidius Sancii Munionis, qui Benedicto XIII ſubrogatus eſt; qui tamen nominatus non eſt in ſententia, non quòd pudendam ejuſmodi dignitatem ſuſcipere recuſaret, ſed quòd, ut infrà dicetur, necdum electus eſſet, imò Petrus de Luna nondum obiiſſet, quod tamen credebatur à Patribus Concilii. Unde in eodem decreto Petrus de Luna dicitur *olim* Benedictus XIII in ſua obedientia nuncupatus, *olim*, id eſt, dum viveret. Adeò porrò Petrus de Luna uſque ad mortem in ſua obſtinatione perſeveravit, ut & ſuos ſacramento adjuraverit alium in ſuum locum eligere, quin imò, ut habet Auctor Burdegalenſis illius temporis, etiam poſtquam loquelam amiſit, ne fortè rem negligerent, accepto calamo, ſuis qui aderant Cardinalibus injunxerit ſub pœna maledictionis æternæ alium poſt mortem ſuam eligere in Papam. De cujus electione, ſimul & de vero anno mortis Petri de Luna mox agetur.

SÆC. XV. MARTINUS V.

XXXVII. *An in coronatione Pontificis diceretur:* Non videbis dies Petri.

Sanctus Antoninus part. 3 tit. 2 cap. 7 ſcribit Petrum de Luna manentem in ſua pertinacia tranſiviſſe *annos Petri ad cumulum ſuæ damnationis*, ex quo videtur crediſſe eum pro illegitimo haberi debere, quòd tranſierit annos Petri, vixit enim triginta in ſuo Pontificatu; ex eo etiam forſan quidam commenti ſunt, in Pontificis Romani coronatione dici ſolitum *non videbis annos Petri*. Verùm, ut obſervat Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium, Auguſtinus Patritius qui lib. 7 act. 2 cap. 3 Rituum S. R. E. ſeriem & ritum Pontificiæ coronationis diligenter recenſet, ne verbulum quidem de hac re in ſuo libro habet, unde id inter fabulas reputatur, & ab aliquo non bene feriato viro ſcripta eſſe oportet. Licèt enim myſterio non vacare quidam credant, quòd nullus in tanto numero legitimorum Pontificum, quamvis juniori ætate permulti creati, inventus hactenus fuerit qui annos XXV Romanæ Sedis S. Petro attributos, non ſolùm non prætergreſſus ſit, ſed nec quidem attigerit; non tamen propterea inde inferri poteſt, conſueviſſe dici Pontificibus in coronatione, *Non videbis dies Petri*. Quis enim, inquit Spondanus anno 1424 num. 3, futurorum adeò ſecurus, ut nulla præcedente revelatione divina, rem tantam poſſit aſſerere? Utut ſit, ex loco S. Antonini, meritò deduci poteſt ejus tempore creditum fuiſſe S. Petrum annos XXV Romæ præfuiſſe, qua de re vide dicta Tomo primo in Sancti Petri Pontificatu num. V.

XXXVIII. *Petri de Luna ſepulchrum, & ſcripta.*

Petrum de Luna mortuum eſſe ex veneno aſſerere quoſdam Hiſpanos ſcribit Mariana lib. 20, cap. 14, illudque fuiſſe ei propinatum à Thoma quodam Monacho, de quo ſupplicium ſumptum ſit, conſilii nefarii auctore Cardinale Piſano, qui ad capiendum Benedictum venerat, cujus audita morte confeſtim aufugit; quod profectò eſt parum certum; nam quod præſentius venenum, quàm ætas octogenaria, vel etiam nonagenaria, qua Benedictum confectum volunt? Neque etiam certius quod quidam ſcribunt corpus ejus poſt ſex annos refoſſum ſuavem odorem efflaſſe, & Illuecæ in oppido Joannis de Luna ejus nepotis incorruptum adhuc perſeverare. Hoc certiſſimum, inquit Brietius in Annalibus, primò eum funere tranſlatitio tumulatum eſſe, deinde prophano ſepulcro incluſum, utpote in quem Eccleſiæ ſacra fulmina vel nunquam librata ſunt. Scripſiſſe traditur Benedictus, ſeu Petrus de Luna *de poteſtate ſummi Pontificis & Concilii* librum, qui extare perhibetur MS.

Ro-

Digitized by Google

Romæ in Bibliotheca Vaticana. Extat etiam ejus libellus linguâ Hiſpanicâ Conſcriptus, quem appellavit: Conſolationes vitæ humanæ contra omnes labores & adverſitates, quæ homini ſuccedere poſſunt in hac vita miſerabili.

XXXIX. *Ante mortem obitam anno 1424 quatuor Cardinales creat.*

Verum porrò annum, imò & diem mortis Petri de Luna habemus, ſi fides adhibenda ſit Epiſtolæ Joannis Carrerii Anticardinalis (quem Edmundus Martene credidit vocari Joannem de Thurena, qua de re mox) ad Joannem Armaniaci Comitem & univerſos Chriſti fideles data die vigeſima menſis Januarii anni 1429, quæ extat Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum col. 1714. Ex ea enim conſtat Petrum de Luna die 17 menſis Novembris anni 1424, cœpiſſe infirmari, eum die 27 ejuſdem menſis quatuor Cardinales creaſſe, & *tandem die penultima ejuſdem menſis inter ſeptimam & octavam horam* expiraſſe. In ea epiſtola, poſtquam Joannes Carrerius pluribus probare conatus Urbanum VI, ſeu Bartholomæum Prinianum in Romanam Sedem intruſum, ideoque Robertum de Gebennis, ſeu Clementem VII in ſua obedientia dictum, fuiſſe legitimum Romanum Pontificem, ſicuti & Petrum de Luna, ſeu Benedictum XIII, qui conſequenter deturbari non potuiſſet à Concilio Conſtantienſi, ex quo infert Martinum V eſſe Antipapam; tandem concludit Petrum de Luna uſque ad obitum incluſivè remanſiſſe verum Pontificem Romanum. Ait poſtea Petrum de Luna, ut jam dictum eſt, die 27 menſis Novembris anni 1424 quatuor Cardinales, *duos videlicet Aragonenſes, & duos Gallicos* creaſſe, *videlicet Julianum tituli XII Apoſtolorum, & Eximinum tit. S. Laurentii in Lucina, Aragonenſes; Dominicum S. Petri ad Vincula, Joannem tituli S. Stephani in Cœlio monte, Gallicos*, ideſt ipſummet Joannem Carrerium diœceſis Ruthenenſis tunc extra curiam exiſtentem. Subdit, Petro de Luna die penultima ejuſdem menſis Novembris mortuo, duos Cardinales Aragonios extitiſſe quidem in curia apud Paniſcolam, ſed Cardinalem S. Petri ad eam tantùm applicuiſſe ſabbato Quatuor Temporum menſis Decembris proximè ſequentis: ſibi verò extra curiam reſidenti, nempe in Caſtro de Thurena Ruthenenſis diœceſis, mortem Petri de Luna ſeu Benedicti nec per dictos Cardinales, nec per alios fuiſſe ſignificatam, ſed ſibi fuiſſe celatam uſque ad 23 menſis Maji proximè ſequentis, & ultra ferè uſque ad ſeptimam Julii.

XL. *Hi Pſeudo-Cardinales Petri de Luna mortem celant, & omnia diripiunt.*

„Quo pendente tempore, inquit,
„ bona Eccleſiæ non fuerunt adminiſtrata
„ per Camerarium Apoſtolicum, ſeu ejus
„ locum tenentem, nec per manum Came-
„ ræ, ſeu ejus aliquem rectorem ſeu geren-
„ tem; immò dicti Cardinales ad admini-
„ ſtrationem & gubernationem tam bono-
„ rum dicti Domini Benedicti quondàm,
„ quàm Eccleſiæ, ſe propria auctoritate
„ immiſcuerunt, bonorum dictæ Eccleſiæ &
„ domini Benedicti quamplurima recipien-
„ tes, occupantes, & inter ſe dividentes;
„ ſicut ſunt pecuniæ aureæ, & argenteæ,
„ anuli cum lapidibus pretioſis, reliquiæ
„ S. Crucis & Sanctorum, calices aurei
„ & argentei, & alia vaſa aurea, & argentea,
„ ſicut ſunt taceæ, libriq; diverſi, & diverſarũ
„ facultatum; ornamenta, paramẽta, capellæ
„ munitæ, ſupellectilia diverſa & alia multa
„ bona non modici, immò maximi valo-
„ ris. Hoc etiam tempore pendente, di-
„ cti Cardinales fingentes dictum Dominum
„ Benedictum vivere, in Miſſis diebus con-
„ ſuetis dabant indulgentias ſolitas ac ſi
„ Papa viveret. Scripſerunt ſeu ſcribi fe-
„ cerunt plures literas diverſis perſonis no-
„ mine dicti Papæ ut viventis, & plures
„ bullas plumbaverunt, ſeu plumbari fece-
„ runt cum plumbo dicti Domini Benedi-
„ cti jam mortui, & ferè in omnibus ute-
„ bantur ac ſi viveret.„ Porrò adeò verum eſt ut Petrum de Luna mortuum non eſſe anno 1423, ut Oldoinus in vita Eximini Dahæ Cardinalis ante mortem à Petro de Luna renunciati, ſcribat extare diploma Martini V datum quinto Idus Octobris anno X Pontificatûs, ideoque anno 1427, in quo narratur Benedictum menſe Septembri die ante obitum anno 1424, in Paniſcola de novo enunciaſſe nonnullos Cardinales; ex quo ſequitur hac in re fidem non eſſe derogandam Joannis Carrerii epiſtolæ: & inſuper verum eſſe, quod ſuperiùs diximus, Patres ſcilicet Concilii Senenſis crediſſe eum mortuum, cùm decretum ſuperiùs memoratum contra ejus memoriam ediderunt. Proſequitur poſtea idem Joannes Carrerius.

XLVI. *Ad Antipapæ electionem non ſtatim procedunt & quare.*

Eodem tempore duo dicti Cardinales Aragonenſes & Rodericus de Luna mortem Petri nunciaverunt ſecretè Alfonſo Aragoniæ Regi in partibus Neapolitanis exiſtenti, & interim non curarunt de aliquo ſubrogando in locum Petri de Luna. Cùm autem Pſeudo-Cardinalis ſancti Petri inſtaret ſæpè & ſæpiùs, ut conclave intrarent, & Eccleſiæ providerent de Papa, ei dicebant: Domine non curetis, quia non intendimus alium eligere quàm vos, & hoc tam ſeparatim quàm inſimul pluries ei dixerunt, & promiſerunt, quòd ipſum eligerent in Papam: adjicientes quòd nolebant alium, dum tamen ipſe vellet acceptare: & ſic per tales fictas & vanas promiſſiones, quas dictus Cardinalis ſancti Petri ante ingreſſum conclavis non acceptavit ullo modo, ipſum duxerunt, abſque eo quòd Eccleſiæ providerent, uſquequò ha-

habuerunt reſponſum à dicto Rege ferè circa medium menſis Maji proximè ſequentis anni 1425. Ita Joannes Carrerius in dicta Epiſtola. Porrò exiſtimo iſtum Joannem Anticardinalem ideo vocatum ab Edmundo Martene de Thurena, quia ipſemet in ſua Epiſtola col. 1731, aſſerit poſt mortem Benedicti ſe moratum eſſe *in caſtro de Toreno Ruthenenſis diœceſis*, verùm ex hoc non ſequitur eum vocatum fuiſſe Joannem de Thurena; & col. 1735, ubi ait: *Cardinalis autem S. Stephani de Thorena vi ejectus eſt*, ponenda eſt interpunctio poſt vocem S. Stephani, hoc modo: *Cardinalis autem S. Stephani, de Thorena vi ejectus*, Ita ut non ſe dicat Cardinalem de Thorena, ſed tantùm vi ejectum de Thoreno; & revera à Ciaconio in Nova editione anni 1677, ſemper vocatur Joannes Carrerius. De electiones pſeudo Pontificis ab illis Anticardinalibus facta poſt reſponſum Alfonſi Regis dicetur poſtea; redeundum enim nobis eſt ad Concilium Senenſe, quod non ſolùm mortem Petri de Luna, ſed & Antipapæ alterius electionem præceſſit.

XLII. *In Concilio Senenſi agitur de unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina.*

In eo comparuit Antonius Maſſanus ad Patriarcham, & Imperatorem Græcorum à Martino Papa jam antea miſſus, ut ſuperiùs dictum eſt, literas attulit Joannis Imperatoris Græcorum, in quibus dicebatur prædictum Antonium Maſſanum appulcuiſſe Conſtantinopolim die decima Septembris anni 1422, ac die decima ſexta in præſentiam Imperatoris Manuelis admiſſum, literas Martini Pontificis obtuliſſe: dumque poſt aliquot dies legationem ſuam exponere deberet, Manuele in graviſſimum morbum incidente, rem cum Joanne ejus filio æquè Imperatore ac cum Joſepho Patriarcha egiſſe; & primò quidem expoſuiſſe vehementiſſimum deſiderium Martini Pontificis & omnium Cardinalium de unione Eccleſiarum Græcæ & Latinæ, quam Legati Imperatoris & Patriarchæ Florentiæ Pontifici obtuliſſent; cujus rei cauſa tam ipſe Antonius miſſus fuiſſet, quàm præcipuè Cardinalis ſancti Angeli deſtinatus ad celebrandum Conſtantinopoli Concilium Antiſtitum totius Græciæ & Orientis, ſine quo non videbatur unio concludi poſſe, ne idem contingeret quod poſt Concilium Lugdunenſe, in quo quamvis Oratores Imperatoris adhæſiſſent unioni ac fidei Eccleſiæ Romanæ, minimè tamen Græcia id approbare voluiſſet, quòd id ſine communi eorum Eccleſiæ conſenſu factum fuiſſet. Deinde excuſatâ morâ prædicti Cardinalis S. Angeli, tum ex morbo quo detentus fuit in Hiſpania multo tempore; tum maximè ex eo quòd literas à Theodoro, uno ex Oratoribus Græcis qui Florentiæ Martinum Papam acceſſerant, accepiſſet, quibus ſignificabat Concilium Epiſcoporum Græcorum hoc tempore fieri non poſse ob crudeliſſimum Turcarum bellum: omninò petiiſse Maſsanum ſibi indicari quo tempore, quove loco, & ex quibus Græcorum Prælatis Concilium celebrari vellent; & utrum Patriarcha & Imperatores realiter amplexuti forent, ſicut eorum Nuncii promiſerant, Eccleſiæ Romanæ fidem & obedientiam, etiamſi ceteri Græci, qui non eſsent modò Imperio Conſtantinopolitano ſubditi, eam detrectarent: Pontificem enim miſsurum Legatum à latere cum Prælatis & Magiſtris, & Cardinale S. Angeli procuraturum auxilium armorum Regum Hiſpaniarum. Hæc Antonium Maſsanum coram Patriarcha & Imperatore peroraſse dicitur in Actis Concilii Senenſis.

XLIII. *Eam non intermittendam edixit Concilium.*

In iiſdem Actis recitantur Joannis Imperatoris literæ ad Martinum Pontificem decimo quarto Novembris ejuſdem anni 1422, ſcriptæ, quibus imprimis conteſtatus eſt, cupere ſe quidem unionem cum Romana Eccleſia, ſed quod dixiſset Maſsanus Imperatoris Oratores renunciaſse Pontifici, animi ſui ac Patriarchæ eſse, unionem ſub fide & obedientia Eccleſiæ Romanæ amplecti; non ſolùm non ſe tale quid eis commiſiſse, verùm nec unquam in mente habuiſse, ſed tantùm ut Concilium univerſale fieret ſecundum ordinem & conſuetudinem ſanctorum ſeptem antiquorum, & quòd ſuaderet Spiritus Sanctus id tenere. De loco verò, & modo ac tempore celebrandi Concilii, nullum quidem locum aptiorem eſse hoc rerum Græcarum ſtatu ipſa civitate Conſtantinopoli, quandoquidem ob ingruentia bella & penuriam Imperii non poſsent Græci aliò ire. Quòd ad modum, minimè neceſse fore omnes Patriarchas & Epiſcopos intereſse; eorum verò qui venturi forent & Concilii expenſis à Pontifice provideri debere; quippe cùm id olim ab Imperio fieri conſueviſset, jam deerat illi facultas. De tempore, cùm eſsent modò res adeo turbatæ, ut impoſſibile videretur Patres congregari; quamprimùm tranquillitas aliqua eluceret, certiorem ſe facturum Pontificem. Ultimò rogavit Pontificem, ut cenſuris accerrimis ageret apud Chriſtianos ſibi ſubditos, ut Græcis in extremis laborantibus opitularentur. Ex quibus cùm appareret Patribus Synodi unionem iſtis temporibus non poſse utiliter & fructuosè pertractari, decreverunt hoc negotium minimè deſerendum eſse, ſed cùm ſe facultas offerret, pro viribus ei intendendum.

XLIV. *Item additionem facit ad Bonifacii VIII conſtitutionem contra hæreticos.*

Denique in eodem Concilio additio facta eſt Conſtitutioni Bonifacii VIII de inveſtigatione ac punitione hæreticorum faciendis & procurandis per Dominos temporales locorum, ſtatutumque ut quicumque eos ponerent in poteſtate Ordinariorum

rum vel Inquiſitorum, vel de ſuis territoriis expellerent, ſeu requiſiti brachium ſæculare contra eos præſtarent; eam Indulgentiam conſequerentur, quæ dari conſuevisset perſonaliter proficiſcentibus in ſubſidium Terræ ſanctæ. Hujuſmodi autem decretum prima & quarta Dominica Quadrageſimæ, in feſto Nativitatis & Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, quando populus convenit ad divina, ſingulis annis perpetuò intelligibiliter publicandum decrevit.

XLV. *Senenſe Concilium diſſolvitur & Baſileenſe indicitur.*

De Eccleſiaſtica diſciplina, & Chriſti fidelium moribus in primævum decus reſtituendis agendum erat in eodem Senenſi Concilio; ſed cùm pauci Prælati ad hoc convenisſent, nec ſpes esſet deinceps venturos, ingruentibus ferè per univerſum orbem bellis & calamitatibus diverſis, & parte alia cùm ob turbas in eo excitatas ſaniora explicari conſilia non poſſent, Pontifex Senas miſit cum Leonardo Datho Dominicum è Capranica, qui Pontifici à ſecretis erat, ad diſſolvendum Concilium, cùm in eo obortæ esſent lites de auctoritate Pontificis & Concilii; eò quòd decretum Conſtantienſis Concilii in alienum ſenſum referrent, quod indicat Poggius in Vita Cardinalis Firmani apud Raynaldum anno 1424, num. 6. Tum ſubdit Poggius: *Eo igitur ubi ventum eſt, ſuâ prudentiâ effecerunt, ut omiſſa ejus rei mentione id in civitate Germaniæ Baſilea ſeptennio poſt conventurum indicerent.* Indicta itaque eſt in Senenſi Concilio Synodus Baſileæ, quæ eſt civitas Germaniæ in provincia Bizuntina, die decima nona Februarii anni 1424, & die vigeſima ſexta ejuſdem menſis Februarii Senenſe Concilium diſſolverunt, ac publicis literis Patribus, ut ad ſuas redirent diœceſes, ſeptimo Martii die edixêre, & prohibuêre interratis graviſſimis pœnis tum iis, tum Regum ac Principum Oratoribus, ne ullos celebrarent conventus, quibus Senenſe Concilium diſſolutum renovare vel propagare viderentur: quorum decretum Martinus ratum habuit literis datis *Romæ apud S. Petrum IV Idus Martii, Pontificatus noſtri anno VII.* Poſtea verò aliis literis datis etiam *Romæ apud S. Petrum IV Idus Aprilis anno VII* Baſileenſes certiores fecit de ſoluto Senenſi Concilio, deque ingenti honore ipſorum urbi delato, in qua ſolemnes Epiſcoporum totius orbis conventus celebrandi eſſent, ipſoſque ad Pontificium nomen colendum, & Eccleſiaſtici ordinis tuendam dignitatem eſt cohortatus. Utræque illæ literæ extant in Actis Concilii Senenſis. Quia verò Eccleſiaſtica

XLVI. *Romanam curiam componere aggreditur Martinus Papa.*

diſciplina reſtituenda erat in Concilio Senenſi, Pontifex eam rem ad Sedis Apoſtolicæ curiam revocavit.

Perfecit mox promiſſa Martinus Pontifex, Antonium enim Epiſcopum Portuenſem, Petrum S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum, & Alphonſum Sancti Euſtachii Diaconum, Cardinales deſignavit, ad quos univerſi Fideles referrent, quæ cenſurâ caſtiganda, vel in meliorem ordinem redigenda viderentur; qua de re encyclicas literas dedit *Romæ apud S. Petrum IV Idus Martii, Pontificatus anno VII*, quæ ibidem extant. Ut autem Cardinales cæteris exemplo prælucerent, atque ad ſuſtentandam univerſæ Eccleſiæ rerum molem aptiores esſent, has ipſis leges impoſuit, quas ex tabulario Vaticanæ Eccleſiæ ſe deprompſiſſe refert Felix Contelorius in Vita Martini V: *Cardinales munditie vitæ alios præcellant, ac ſobriè, juſtè, piéque vivant, non ſolùm à malo* &c. deſumenda ex Raynaldo ad annum 1424, num. 4. Licèt autem hæ leges nulla temporis nota conſignatæ ſint, videntur tamen ad hanc reformationem referendæ

XLVII. *Jubileum Romæ celebrat.*

Licèt Urbanus VI, ut ſuo loco diximus, Jubilei celebrationem ad triginta tres annos reduxiſſet anno 1390, Ciaconius tamen, & Bzovius in Annalibus ſcribunt Martinum Papam Jubileum Romæ celebraſſe anno 1425, ſed refelluntur ab Onuphrio in ſuo Chronico de Romanis Pontificibus, ubi Jubilei ſub Martino celebrationem conjungit cum anno 1423, quod demonſtratur Pauli II conſtitutione, quæ extat in Bullario, in qua hic Pontifex disertè aſſerit, Martinum Jubilei reductionem per Urbanum VI factam ratam habuiſſe, & ad effectum deduci anno illo ingruente permiſiſſe. Cùm itaque Urbani VI reductio facta fuerit anno 1389, & Jubileum celebratum anno 1390, Martiniani Jubilei celebratio in annum 1423 neceſſariò incidit. Hujus celebrationis pauciſſimi ſunt qui meminerint, fortè, inquit Spondanus, quòd ob bella, quæ tam in univerſa Italia, quàm in Gallia & Germania, aliiſque regnis & provinciis vigebant, pauci Romam accedere potuerint.

XLVIII. *Peruſium, & alias ditionis Eccleſ. urbes recuperat.*

Annò 1424 Martinus Pontifex magnam partem ditionis ereptæ prædeceſſoribus è tyrannorum manibus recepit. Cùm enim initio anni inclytus ille bellorum ductor Sfortia, de quo ſuperiùs, bellum pro Martino Pontifice, & Joanna Siciliæ Regina feliciter gerens in tranſitu Aterni fluvii, quà in mare interfluit, armis prægravis aquis abſorptus esſet, ejus obitum Franciſcus filius egregiè ultus eſt in Braccium, quem antea jactaſſe vidimus, ſe Martinum Papam ad ſacra unius oboli peragenda adacturum, contra Martinum & Joannam tunc in regno Neapolitano militantem pro Alfonſo Aragoniæ Rege, immiſſo quippe in eum exercitu copiarum Pontificis ac Reginæ, cui & Franciſcus Sfortia cum copiis

pa-

SÆC. XV. MARTINUS V.

paternis interfuit, ingenti facto prælio die ſecunda Junii, idem Braccius, ſuis in fugam verſis, & ipſe fugiens gladio percuſſus in terram dejectus eſt, captuſque paucis poſt diebus obiit: ejuſque cadaver Romam ad Pontificem delatum, in commune ſterquilinium, uti hoſtis Eccleſiæ acerbiſſimi, ſæpiùs diris devoti, & impœnitentis mortui, extra portam S. Laurentii projectum eſt, vix levi ceſpite ſemitumularum. Occiſum Braccium à Perufinis exulibus ſcribit S. Antoninus part. 3, tit. 22, cap. 7 § 5. Partam autem illam victoriam ab exercitu Pontificio die ſecunda Junii refert Collenutius lib. 5, Hiſt. Neapol. & conſentiunt literæ à Martino Papa ad Regem Caſtellæ & Legionis datæ, ut cum illo gaudia de triumpho reportato communicaret. Extant eæ literæ apud Raynaldum num. 16. Statim autem Peruſium aliæquæ urbes in Pontificis poteſtatem rediêre, ait enim S. Antoninus laudatus: *Perufium & aliæ civitates ab eo* (nempe Braccio) *uſurpatæ, ſub dominio Eccleſiæ rediêre*, quod confirmatur diplomate Pontificio apud eundem Raynaldum ibidem dato *Gallicani Praneſtinæ diœceſis IV Kal. Auguſti anno VII* Pontificatûs, quo Perufini omnibus cenſuris ac pœnis, quas ob perduellionem, & ſecutas Braccii partes ſuſceperant, ſoluti ſunt. De eadem victoria certiorem fecit Pontifex Fridericum Marchionem Brandeburgenſem, qui cruceſignato in Bohemos Huſſitas exercitui præerat.

XLIX. *Mortuo Petro de Luna, ejus Anti-Cardinales agunt de electione alterius Anti-papæ.*

Eccleſia fuiſſet etiam eodem anno penitus liberata peſtilentiſſimo illo ſchiſmate, quod eam ab annis pluſquam quadraginta dilaniabat, niſi illud renovare conatus eſſet Alfonſus Aragoniæ Rex. Cùm die penultima menſis Novembris ejuſdem a nl 1424 obiiſſet Petrus de Luna, Anticardinales ab eo ante mortem creati, ſaltem duo Aragonenſes, cum Roderico de Luna Petri mortem Alfonſo in partibus Neapolitanis tunc exiſtenti ſecretè nunciaverunt, cujus reſponſum cùm habuiſſent circa medium menſis Maji anni ſequentis 1425, quo, ut plerique aſſerebant, continebatur, quòd alium in Petri de Luna locum eligerent, tres Anticardinales, nempe Julianus tit. XII Apoſtolorum, & Eximinus tit. S. Laurentii in Lucina, Aragonenſes, ac Dominicus S. Petri ad Vincula Gallus, abſente Joanne tit. S. Stephani in Cœlio monte, & etiam mortem Petri de Luna ignorante, conclave ingreſſi ſunt, & tunc Anticardinalis XII Apoſtolorum elegit Anticardinalem S. Petri & vice verſa; Anticardinalis verò S. Laurentii nominavit Ægidium Sancii Munionis Canonicum Barcinonenſem, qui illicò ab aliis duobus tanquam vilis & abjecta perſona refutatus eſt: quod audiens Ægidius in Paniſcola exiſtens tanquam furibundus receſſit, & continuans ſuum iter Valentiam Bajulo Valentiæ & Gubernatori obviavit, qui Roderico de Luna in favorem dicti Ægidii ſcripſerunt, magnalia promittentes & offerentes: *qui cornua flectens, promiſſis devictus, accedens ad portam conclavis vocavit duos Cardinales Aragonenſes duntaxat, non vocato Domino S. Petri; & eiſdem duobus dixit talia verba, vel in effectu ſimilia*: Cur non eligitis Dominum Ægidium Sancii Munionis in Papam, qui tenet viginti vel tria millia florenorum in capſa? unde cùm tendatis ad perſonam potentem & divitem, quæ poſſit ſuſtinere ſtatum veſtrum, ille eſt quem quæritis. *Dicti autem duo Cardinales, dictis verbis auditis, & favore Regis & patriæ, ut creditur, & ad inſtantiam dicti Domini Roderici, poſt receſſum dicti Domini Roderici, adinvicem inter ſe loquentes, illicò declinaverunt ad perſonam dicti Domini Ægidii, quam gratam fore Regi credebant, & notificaverunt dicto Domini S. Petri, quòd ipſi erant concordes de eligendo dictum Dominum Ægidium: quod audiens Cardinalis S. Petri & graviter ferens: videns tamen quòd ipſi erant duo, & faciebant duas partes collegii in conclavi, & quòd in vanum contradiceret eis ſuper coeligendo* (legendum videtur, ſuper eo eligendo) *eiſdem tandem adquievit*. Ita Joannes tit. S. Stephani in Cœlio monte Anticardinalis Lunanus in laudata ſuperiùs Epiſtola ad Joannem Armaniacum Comitem & univerſos Chriſti fideles data, quæ extat Tomo 2 Theſauri novi Anecdotorum, qui immediatè poſt ſubdit.

L. *Cum Ægidio Munionis pactum ineunt.*

Advertentes autem dicti Cardinales quòd multa de bonis dicti Domini Benedicti & Eccleſiæ adminiſtraverant & receperant, verùm & rapuerant & ſibi appropriaverant, & quòd penſionem octuaginta trium florenorum Aragoniæ pro quolibet menſe ſibi & inter ſe taxaverant, & ordinaverant de bonis Eccleſiæ recipiendam pro ſuſtinendo ſtatu ſuo: ſcienteſque dictum Dominum Ægidium fore terribilem & malignam perſonam, timenteſque de raptis & habitis ab eodem vexari & penſionem diminui, ſi ipſum eligerent, volentes proſpicere & providere in futurum, fecerunt ordinari quamdam cedulam, ſeptem articulos continentem, cui poſt fuit additus octavus articulus: ſcripta autem erat hæc cedula manu Cardinalis S. Laurentii, & in eorum articulorum principio poſita erat data in hunc modum: *Actum die decima Junii anno Domini 1425, quæ ſequuntur debent promitti & jurari per quemcumque ad Papatum promovendum ſeu eligendum*. Primò, quòd proſequatur unionem Eccleſiæ quantum honeſtè fieri poterit, ſine offenſione Dei, & infamia, & dejectione hujus partis, maximè propter illa, quæ ſunt fa-

facta contta ſanctæ memoriæ Dominum Benedictum Papam XIII, & ſequaces ejus, ſeu de obedientia ejus ſemper & cum conſilio Cardinalium. Secundò, quòd ubi talis via reperiretur, per quam ſine offenſa Dei & ſcandalo hujus partis unio poſset dari, quòd revocentur ante omnia geſta contra dictum Dominum Benedictum & ſequaces ejus, ſeu de obedientia ejus; & hæc omnia fiant de & cum conſilio Cardinalium. Tertiò, quòd executionem ſanctæ memoriæ dicti Domini Benedicti non impediet, & bona aſſignabit ad complementum dictæ executionis juxta facultates Eccleſiæ. Quartò, quòd Cardinales manu tenebit, durante hoc tempore proſecutionis, in ſtatu quem hactenus uſque tunc tenuerunt: & quòd nunquam eis deficiet, & privilegia & libertates Romanæ Eccleſiæ eis conceſſa ſervabit. Quintò, quòd familiares, qui hactenus ſervierunt, & fuerunt cum Domino noſtro Benedicto, ſive in beneficiis & aliis gratiis & beneficiis habebit propenſius recommiſſos. Sextò, quòd proviſiones & gratias conceſſas familiaribus, quæ hactenus non fuerunt ſortitæ effectum, non revocabit. Septimò, quòd nullum tractatum faciet circa unionem Eccleſiæ ſine, ſed de & cum conſenſu Cardinalium. Octavò, quòd Dominus Ægidius Sancii Munionis jurabit nunc dicta capitula obſervare, ſicut nos tres, videlicet Julianus Baſilicæ XII Apoſtolorum de Utbe, Eximinus tit. S. Laurentii in Lucina; & Dominicus tit. S. Petri ad Vincula collegium facientes juravimus. Et caſu quo aſſumptus eſſet, illicò illa ratificabit per juramentum, & quòd ſubſcribat ſe propria manu: *Ego Ægidius Sancii Munionis prædictis omnibus per me juratis & promiſſis ſubſcripſi manu propria. Nos Clemens divina providentia Papa octavus prædictis omnibus per nos juratis & promiſſis ſubſcribimus nos manu propria; & ita juravimus attendere & complere.*

LI. *Eum in Antipapam eligunt ſub nomine Clem. VIII.*

Hac cedula ſic otdinata Anticardinales intra conclave mandaverunt Ægidium ad ſe venire, quod cùm feciſſet ei notificaverunt ſe eſse concordes ad ipſum eligendum in Papam, ſeu potiùs Antipapam: attamen velle ſe quòd ante electionem promitteret & juraret tenere & ſervare contenra in dicta cedula, *quam copiatam & ſcriptam manu Domini Cardinalis pro tunc XII Apoſtolorum ei exhibuerunt, & quod propria manu ea ſubſcriberet, ut Ægidius Sancii Munionis, & quòd poſt electionem ſimiliter promitteret & juraret iterum de novo ſe ſubſcribere. Quæ promiſit & juravit, & ut præmittitur bina ſubſcriptione ante electionem, & poſt vallavit, ut ex tenore dictæ cedulæ liquet, & cum præmiſſis & poſt præmiſſa ipſum in Papam elegerunt & intbronizaverunt, receperunt & publicaverunt, abſente & neſciente Sancti Stephani Cardinali, qui in præmiſſis nullo modo peccavit.* Quis conſecrationis, ſeu veriùs execrationis ejus auctor fuerit ignoratur, illud certum nullum ex tribus pſeudo-Cardinalibus ipſi ſacrilegas manus impoſuiſſe, cùm nullus eſſet Epiſcopus, Ciaconius quidem ſcribit Julianum fuiſſe primò dictum Cardinalem tit. S. Clementis, & poſtea Epiſcopum Oſtienſem; ſed ex hac Epiſtola conſtat, eum triduo ante mortem Petri de Luna fuiſse dictum Cardinalem tituli XII Apoſtolorum. Fallitur etiam Ciaconius ſcribens Ægidium coronationis inſignia ſuſcepiſſe die 18 Maji anni 1425, poſtquam in ea dignitate, quam ſuſcipere recuſabat, ab Alphonſo Aragoniæ Rege confirmatus fuiſſet ad eam excipiendam: ex dictis enim conſtat, non ſolùm Ægidium eam dignitatem non recuſaſſe, ſed eam ſimoniacè adeptum eſſe, & die 18 Maji anni 1425 nondum fuiſse electum.

LII. *Paſſa ſimoniaca cum Anti-Cardinalibus uno ſibi reddi curat.*

Poſt hæc autem ſubdit, *dictus Dominus Ægidius una die menſis Septembris proximè ſequentis*, anni 1425, *vocavit dictos tres Cardinales, qui ipſum elegerunt, dicens quòd maturius penſaverat ſuper dicta cedula & ejus tenore, & ſuper contentis in eadem conſilium habuerat cum peritis, qui ſibi retulerant, quòd dicta cedula importabat Simoniam, cujus labes nedum tangebat ipſum & ejus electionem, imò famam ipſorum Cardinalium, cùm ipſe & ipſi in hoc eſſent participes. Adjiciens quòd poſtquam præmiſſa audiverat, fuerat triſtis & infirmus, & ita infirmum ſe fore fingebat, perſuadens dictis Cardinalibus quòd vellent ſibi reſtituere dictam cedulam, eis quampluṛima promittens. Qui tandem promiſſionibus devicti, ipſam ſibi reſtituerunt, quam igne combuſſit & in aygueria, ſive cloaca projecit, & ſic ut tutus de promiſſo in Papatu remanſit.*

LIII. *Contra eum Joannes Carrerius Anticardinalis alium Antipapam ſecretò eligit.*

Poſt hæc Joannes Carrerius, ſeu Anticardinalis Sancti Stephani de Cœlio monte è caſtro de Thotena vi ejectus, ut ipſemet refert in eadem Epiſtola, Paniſcolam applicuit die 12 menſis Decembris anni 1425, ubi aliqualiter præmiſſa ſentiens, licèt non plenè informatus, in dubio ad vitandas pœnas juris, antequam ſe præſentaret Ægidio Antipapæ, coram Notario & tribus teſtibus fide dignis ſolemniter proteſtatus eſt, quòd non intendebat ei conſentire, nec per aliquos actus coram ipſo exercendos aliquod jus ei attribuere, niſi quantum ex vera & canonica electione illi competebat, ut conſtare dicit ex inſtrumento ſumpto manu dicti Notarii. Poſt quam proteſtationem, ſecretè ut meliùs potuit ſe informavit, & comperiens dictam electionem, ſi talis dici mereatur, ſimonia-

Digitized by Google

niacè factam, & conſequenter eſſe jure nullam, *Eccleſiæ Dei ſacroſanctæ*, verba ipſius ſunt, *ſic à morte dicti Domini Benedicti vacanti providens, prout tenebatur ex tenore ſui officii, juxta decretum Domini Nicolai Papæ II, quod incipit*, Si quis pecuniam &c. *quemdam Gallicum Aquitanum elegit in Papam*, quia, ut poſtea ait, ipſi tres Cardinales ipſum modo prædicto eligentes, eumque in Papam admittentes & ab aliis adorare facientes, ex pluribus capitibus ipſo jure fuerant privati jure eligendi ſaltem pro iſta vice. *Vacanti itaque ab obitu dicti Domini Benedicti de Puſtore Romano Pontifice vero Papa canonico & vero Chriſti Vicario providere cupientes, prout ex injuncto nobis officio tenebamur, juxta decretum Nicolai Papæ II, de quo ſupra ſit mentio, ad electionem veri Romani Pontificis & Chriſti vicarii proceſſimus, prout in inſtrumento dictæ electionis publico exinde confecto ſuperius inſerto eſt expreſſum*, inquit idem Sancti Stephani in Cœlio monte pſeudo Cardinalis ibidem. Porrò ſacrilegam hanc electionem ab eo factam ante diem vigeſimum Januarii anni 1426 ex eo conſtat, quòd hæc Epiſtola data ſit, ut in fine ejus legitur, *die vigeſima menſis Januarii anno à Nativitate ejuſdem Domini 1429, & à dicta noſtra electione anno quarto*, quæ ideo facta fuerat ante diem vigeſimam Januarii anni 1426, ut numeranti patet.

LIV. *Paniſcola in Franciam fugit.* Ciaconius in Nova editione loquens de Joanne Carrerio Anticardinali Lunano ſcribit, in codice Vaticano MS. de Legatione Petri Fuxenſis haberi, quòd Joannes ab Ægidio Mugnotio in ſua obedientia Clementi VIII nuncupato Paniſcolæ cum Dominico de Bona Spe in carcere detentus fuerit, quaſi contra ipſum ſtuderet procedere ad electionem alterius tertii Papæ, quod quidem de Joanne Carrerio verum exiſtimo, ipſe enim Joannes ſuperiùs narratis col. 1737 addit: *Qua* (id eſt electione) *facta, propter multa & grandia pericula, quæ dictæ Eccleſiæ & perſonæ noſtræ & noſtris ſervitoribus & ceteris Catholicis veriſimiliter poterant contingere & evenire, à dicto loco de Paniſcola, de nocte, hora captatâ opportuna, cùm de die commode non poſſemus, S. Spiritus gratia, qua Eccleſia militans regitur, nos & iter noſtrum ſalubriter dirigente; & de conſilio quorumdam Catholicorum & Dei electorum, ut credimus, qui more Pauli, perſonam noſtram cum funibus ſubmiſerunt per murum, quàm citius diſceſſimus, & ad regnum iſtud Franciæ continuatis dietis, quamquam gravi infirmitate febrium eſſemus lacerati, tutè ipſa dirigente gratia applicuimus*. Non dicit quo in loco ſe receperit, ſed ex totius Epiſtolæ contextu conjicere poſſumus eum ſe recepiſſe apud Armaniacum Comitem, vel apud Archiepiſcopum Auxitanum, vel in aliquo ab ipſis non multùm diſtante; ex quo inferri meritò poteſt non ſolùm Comitem Armaniacum, ſed & Auxitanum Archiepiſcopum, cujus civitas erat primaria Comitatûs Armaniaci, ſchiſma foviſſe. Refert enim poſtea Joannes Carterius poſt conſenſum electi habitum, fuiſſe opinionis ipſam electionem non publicandi, imò ſe finxiſſe nondum eam electionem factam ad tentandum utrum contendentes de Papatu, ſcilicet Romanum ſeu Martinum Papam, & Paniſcolenſem, ſeu Ægidium Antipapam ad pacem reducere valeret & totam Chriſtianitatem ad tam optatam & deſideratam unionem. *Super quibus*, inquit, *per*

LV. *Jactat ſe pro unione Eccleſiæ laboraſſe.* *medium ſereniſſimi Principis Domini Comitis Armaniaci, cui ſuper hoc major opportunitas occurrere videbatur, quamdam viam, ut credimus, juſtam & rationabilem, utrique ex dictis contendentibus præſentari fecimus, videlicet ipſi Domino Othoni de Columna per nobilem virum Dominum Antonium de Capralurio primò, & per R. P. Dominum Auxitanum ſecundò, ambaxiatores ad ipſum per dictum Dominum Comitem ſucceſſivè deſtinatos; & dicto Domino Ægidio in Paniſcola per R. in ſacra pagina Magiſtrum Johannem Fabri & Joannem Martini familiarem dicti Domini Auxitani, Nuncios per ipſum Dominum Comitem ſuper hoc ad illum de Paniſcola miſſos, qui de Paniſcola literatoriè ſatis congruam ſuper præmiſſis, licèt, ut credimus, fictè & ſimulatoriè feciſſe videbatur reſponſionem. De qua reſponſione, cujus copia eidem Othoni miſſa fuit, & dicta via per nos oblata, idem Dominus Otho fuit ſufficienter informatus: cui etiam certo modo ſcripſimus diſcrimina plura & ſcandala, quæ ipſi Eccleſiæ ad cauſam tam, proh dolor! inveterati ſchiſmatis evenerant, & damna quæ ejus occaſione patiebatur Eccleſia irreparabilia, & quæ et in futurum amplius imminebant reſerando; eundem in viſceribus Chriſti exhortantes, ut eandem viam eidem qui penitus nullum jus habet in Papatu, etiam nullum favorabilem acceptare, & pacem Eccleſiæ dare favorabiliter & breviter dignaretur, in dictis noſtris literis, certis juſtis cauſis & rationabilibus inſertis, quibus etiam durior cervice ipſo in tam favorabili materia flecti deberet & ſperaretur.*

LVI. *Multa de Martino PP. ſchiſmaticorum more mentitur.* *Dictus autem de Columna, qui prius aures ipſis nuntiis præbere inceperat, more vulpino uſus, terga vertens ipſi Auxitano, & Nunciis ſereniſſimi Principis Domini Regis Aragonum faciem præbens, cum quibus de iſta materia utilius ſibi tractare videbatur, licèt in contrarium recto Dei judicio, ut credimus res ſit verſa* (ab anno 1425 tractata eſt reconciliatio Regis Aragonum cum Martino Papa, ſed tantùm perfecta men-

menſe Junio anni 1429 quinque ad minùs menſibus, antequam Joannes Carterius hanc epiſtolam ſcriberet) *partem noſtram ferè ad nihil reputans, tandem more aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, ipſam viam per nos apertam penitus refutavit; & tacite per ſuos ſatellites plura nobis præſentari faciendo, ſe per nos eligi de novo procuravit. Quibus data repulſa, cùm ſit omnino ineligibilis, niſi reſipiſcens abſolvi & habilitari meruiſſet, Papatu etiam realiter dimiſſo, perſonam noſtram ſub umbra cujuſdam ſalvi conductus, per quoſdam Abbates prætenſos Bonævallis & Bonæcumbæ, ac quemdam Heliam Kadrageſime, nec dubium antichriſti miniſtros & executores, occidi aut capi proditoriè procuravit, nos turpiſſima morte prævenire cupiens, ne ad electionem alterius, quam credebat nondum factam, procedere valeremus; cùm ipſum non lateret, ipſum jus eligendi ad nos pertinere, & etiam per multos alios multas & magnas ſummas dignitates & beneficia nos occidentibus vel capientibus promittendo, id ſæpius conati ſunt deducere ad effectum per multas vias exquiſitas & veneficas, & alias in tanto ſolio præſidenti de facto & hominibus de tam claro genere, ſicut ſe eſſe aſſerunt minus honeſtas, viris Eccleſiaſticis maximè inceſtuoſas, ut ita diximus, & nefarias, utriſque juribus, divino, naturali & poſitivo evidentiſſimè reprobatas.*

LVII. *Publicat ſe in Papam elegiſſe Benedictum XIV.* Pergit Joannes Carterius, & ait quamplurimos fideles advertentes & dubitantes mortem ſuam aut captionem Eccleſiæ fore damnoſam, ſi ei de paſtore non provideret, urſiſſe ut quàm citiùs ad dictam electionem ſi facta non eſſet, procederet, aut factam publicaret. Quare *nos*, inquit, *præmiſſa attendentes, & quòd dicti duo de Papatu contendentes Otho & Ægidius ad pacem Eccleſiæ dudum deſideratam diutius venire minimè curant, ſuper quo jam per tres annos & ultra* [ſcilicet ab exeunte anno 1424, vel ineunte anno 1425] *eos expectavimus, ſed negligunt & malitioſè differunt, ſic cauſam Dei ſine remedio dimittentes, intentioni noſtræ ſinceræ jam data repulſa .... precibus Catholicorum inclinati, quidquid de perſona noſtra contingat..... gemitus ſacroſanctæ Eccleſiæ matris noſtræ Catholicæ continuos advertentes, ipſam de paſtore canonico dudum deſolatam conſolantes, reintegrantes & reformantes, quatenus in nobis eſt, & ad nos pertinere dignoſcitur, Vobis ſereniſſimo Principi prædicto, ceteriſque univerſis & ſingulis in Chriſto fidelibus volumus eſſe notum, & notificamus, & publicamus per præſentes, quòd illud quod ipſi veri fideles & Catholici & vos à nobis cum tanta inſtantia petierunt & petunt, petiiſtis & petitis, factum eſt...... Nos pro nobis & vice & nomine totius ſacri collegii & Dominorum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalium, eligimus* (legendum elegimus) *in ſummum Romanum Pontificem, Papam verum & ſanctum Chriſti Vicarium in terris, videlicet Dominum Benedictum XIV. Papam hodiernum, anno, menſe, die & loco & regnantibus in inſtrumento publico de dicta electione manu Notarii publici confecto latius contentis & expreſſatis*, &c. Tandem poſt multa concludit ſchiſmaticus ille Cardinalis: *Si in præmiſſis dubitaveritis, Concilium generale, ſeu Eccleſiam convocari, congregari univerſalem & celebrari procurate per illum ſeu illos, ad quem ſeu ad quos pertinebit convocatio Concilii. Diſcutiatur ibi canonicè an apud illum Othonem vel Ægidium, aut apud Electum noſtrum Eccleſia vera ſit, & quis eorum verus Papa eſt. Electus noſter de jure ſuo confidis, ut credimus, convocare Concilium praſto eſt, ſi requiratur. Vos etiam ceteri Eccleſiaſtici & alii Eccleſiæ filii boni amate tantam matrem ſic ſæpius expugnatam, deſolatam & tribulatam*, &c. *Datum ſub ſigillo noſtro parvo in abſentia majoris, die vigeſima menſis Januarii anno à Nativitate ejuſdem Domini 1429, & à dicta noſtra electione anno quarto.* Quis fuerit ille Benedictus XIV non dicit Joannes, qui tantùm antea col. 1736 dixerat ſe elegiſſe in Papam *quemdam Gallicum Aquitanum.*

LVIII. *Joannis Carterii Epiſtola in notatione temporis, & aliis quibuſdam fides iis adhiberi poteſt.* Huic ſchiſmaticæ Epiſtolæ nullam fidem adhibendam prima fronte videtur, quòd calumniis in ſanctiſſimum Pontificem Martinum referta ſit, ei tamen, ni valde fallor, in temporum & aliquorum geſtorum narratione fides non videtur deneganda. Nam quantum ad annum & diem mortis Benedicti, & ad Creationem quatuor illorum pſeudo Cardinalium, quorum creationem ſuppoſitam fuiſſe ab Alfonſo Aragoniæ Rege credebat ipſe Martinus Papa, ut conſtat ex inſtrumentis vel diplomatibus à Raynaldo ad an. 1423 relatis, indubitatæ ſunt fidei; cùm poſtea anno 1427 Martinus diploma emiſerit, quod laudat Auguſtinus Oldoinus in Vita Eximini Dahæ unius ex dictis Anticardinalibus apud Ciaconium, ex quo diplomate conſtat, Petrum de Luna anno 1424 ante mortem nonnullos Cardinales creaſſe: cùm autem ſtatim poſt tranſlationem Concilii Papienſis ad civitatem Senarum Martinus ſcripſerit Alphonſo & de morte Benedicti locutus fuerit, apparet Pontificem deceptum eſſe ex rumore de ea orto, ſicuti & Concilium Senenſe, in quo ejus memoria damnata eſt. Certè plura aliis refert idem Auguſtinus Oldoinus in tribus Anticardinalibus à Petro de Luna ante mortem dictis, quæ evincunt & ipſum mortuum anno 1424, & ante mortem quatuor illos Cardinales renunciaſſe. Una

fo-

SÆC. XV. MARTINUS V.

ſola mihi ſupereſt difficultas, quam ſolvere non potui. Ait enim Joannes Carrerius in hac Epiſtola Cardinales Aragonios ſtatim poſt mortem Petri de Luna ſcripſiſſe Alphonſo in partibus Neapolitanis tunc exiſtenti; cùm ex Actis Legationis Petri de Fuxo, de qua infrà, conſtet Alphonſum menſe Januario anni 1425, ideoque ſtatim poſt mortem Petri de Luna fuiſſe in Aragonia, quem nodum fateor me ſolvere non potuiſſe, cùm præſertim ad manum non ſit Bzovius, apud quem dictæ Legationis Acta reperiuntur.

LIX. Alphonſus Rex Aragoniæ S. Ludovici Epiſcopi Toloſani reliquias Valentiam Hiſp. transfert.

Cùm enim Alfonſus Aragoniæ Rex anno 1423 Neapoli diſceſſiſſet menſe Octobri, in Aragoniam abiit cum valida claſſe, ut Henricum fratrem à Caſtellæ Rege incluſum carcere liberaret, ut ex pluribus illius temporis Hiſtoricis narrant Henricus Spondanus, & Odoricus Raynaldus in Annalibus; ſed in hoc ultimo hæc res narratur cum maxima confuſione, eodem enim anno 1423 ſupponit num. 24 Henricum Alfonſi fratrem jam à cuſtodia Caſtellæ Regis fuiſſe ſolutum, eamque in rem affert Martini Papæ literas ea de re ad Petrum Infantem Aragonium, quem vice ſui Alfonſus in regno Neapolitano reliquerat, quibus eum gratulatur, & de liberatione Henrici, & de coronatione in Regem Navarræ Joannis alterius fratris, & tamen anno poſtea 1425 num. 2 & ſeqq. diſertè ſcribit, Alfonſum cauſatum ſe bellicis curis detineri ad liberandum Henricum fratrem è Caſtellano carcere, negaſſe Petro de Fuxo Apoſtolicæ Sedis Legato ingreſſum in Aragoniam, ubi tunc exiſtebat. Sat itaque ſit difficultatem indicaſſe, ut ab aliquo viro erudito ſolvatur. Ceterùm Alphonſus menſe Novembri anni 1423, dum in Aragoniam pergeret, in itinere oppugnandæ Maſſiliæ, quæ Ludovico Andegavenſi parebat, conſilium cœpit; cujus portu expugnato nequicquam obſiſtentibus civibus, urbem diripuit, tectis faces injecit; cùmque urbem tenere non poſſet, ne Provincialium concurſu obrueretur, receſſit, & oſſa Sancti Ludovici Epiſcopi Toloſani, quæ, ut ait nuperus Auctor brevis Hiſtoriæ ejuſdem Sancti, tunc abſcondita erant in quadam urbis domo, eò quòd conventus Fratrum Minorum Conventualium eſſet extra urbem, Valentiam Hiſpaniæ detulit; quod ſine aliqua culpa Fratrum Minorum, uti quidam bonorum ejus detentores poſtea calumniati ſunt, contigit; cùm ea alia parte idem eruditus Auctor aſſeratur, idque ex monumentis authenticis, ſacrarum illarum reliquiarum capſam tribus clavibus fuiſſe obſitam, quarum prima à magno Seneſcallo Provinciæ, ſecunda à civibus Maſſilienſibus, tertia à Fratribus Minoribus ſervabatur, idque ex præcepto Roberti quondam Siciliæ Regis & Comitis Provinciæ: Denique tres nauticos operarios, qui ſacrat illas reliquias in urbem detulerant, juſſos ab Alfonſo ſuſpendio ſtatim necari, locum in quo reconditæ fuerant ipſi relevaſſe ad vitæ conſervationem.

LX. Martinus PP. Legatum in Aragoniam mittit pro ſibi ſanatis cum traditione.

Anno 1425 Martinus Pontifex tranquillitati Eccleſiæ in ditionibus ejus Alfonſi Aragonii proviſurus literis datis Romæ ſexto Idus Januarij, Pontificatus anno octavo, quarum partem recitat Raynaldus num. 1., Petrum tit. S. Stephani in Cœlio monte Presbyterum Cardinalem, *de Fuxo* nuncupatum, quod frater eſſet Comitis Fuxenſis, ipſi Alfonſo Regi propinquitate conjunctum, religione Franciſcanum, doctrina & moribus inſignem, Legatum à latere ad eum deſtinavit cum ampliſſima & abſolutiſſima poteſtate. Petrus ſtatim itineri ſe accinxit, & Carpentoractum pervenit menſe Martio, ibique literas ab eodem Alfonſo accepit, quibus ſignificabat ſe non poſſe illum pro Legato ſuſcipere, donec Martinus Pontifex, de quo multùm querebatur, ipſi quædam concederet, quæ per certum nuncium ſuum ab eo poſtulabat: aliaſque rurſum Avenione ad feſta Paſchalia, ne ulteriùs progrederetur; iterumque alias, ut in aliquo oppido Comitis Fuxi tantiſper opperiretur, quoad aliquid certi Alfonſus decerneret. Neque unquam Legatus obtinere potuit, ut ſimul aliquo loco congrederentur: ſed tantùm poſt multos itus & reditus, ut in civitate Balaguerii certis modis & formis legatione ſua fungeretur. Quæ tamen, quòd multùm derogarent ſuæ legationis officio, noluit admittere, ſed ad locum Orgarilianum, fratris ſui Comitis Fuxenſis oppidum, Vicecomitatûs Caſtriboni diœceſis Urgellenſis divertit. Quæ pleniùs continentur in ſcripto anno ſequenti 1426 eidem Regi à Nunciis Legati oblato, nec non in actis Legationis, quæ integra Annalibus ſuis inſeruit Bzovius, in quibus etiam legitur, miſiſſe Regem ad Legatum religioſum Dominicanum, qui erat ipſi à Confeſſionibus, tria ab eo poſtulaturum: primum, ut corpus, vel ſaltem caput S. Ludovici Maſſilienſibus ereptum concederet in aliqua Eccleſia Ordinis Minorum in regno Aragoniæ collocari: ſecundum, ut quæ de bonis & juribus Cameræ Apoſtolicæ à certo quodam tempore in Regiis ditionibus recepta eſſent, remitteret: tertium, ut oppidum Rocqualos Militum Rhodiorum ipſi concederet: Sed eorum primum diſertè negaſſe Legatum, quòd Regum & Principum Galliæ intereſſet, ne ſacro illo corpore per ſacrilegium ablato privarentur: tertium item, quòd in damnum & injuriam verteretur Rhodiorum, qui pro illo

Sæc. XV. MARTINUS V.

lo oppido tuendo ſumptus ingentes fecisſent, & multum ſanguinem ſparſiſſent: deſecundo ſpem feciſſe, ſi priùs Rex idolum Paniſcolæ ejiceret, ac de negotio Legationis ſecum coràm conferret. Hæc ex Actis Legationis Henricus Spondanus ad annum 1425.

LXI. *Academiæ Lovanienſis erectionem confirmat.*

Ex quo etiam habemus eodem anno Martinum Pontificem Academiam Lovanienſem, in Brabantia Belgica à Joanne Duce fundatam, auctoritate Apoſtolica confirmaſſe, & privilegiis ac gratiis muniviſſe, quæ ejus diplomate continentur, dato quinto Idus Decembris, Pontificatûs anno nono paulò ante incepto. Addit illud extare in Hiſtoria Suffridi Petri de Epiſcopis Leodienſibus cap. 13. Cui Academiæ poſtea Eugenius quartus Theologiæ facultatem addidit. Quæ verò ad eam pertinent pluribus deſcripſit Lipſius in ſuo Lovanio lib. 3 cap. 2 meritò omnibus ſæculis laudandam, ob fortem præſtitam propugnationem fidei Catholicæ & Eccleſiæ Romanæ contra hæreſes noſtrorum temporum, inquit idem Spondanus. Illius Academiæ inſtituendæ facultatem Joannem Brabantiæ Ducem à Martino Papa impetraſſe abſque tamen Theologica facultate, quam poſtmodùm admiſit Eugenius Martini ſucceſſor, ſcribit etiam Calviſius in ſuo Opere Chronologico ad annum 1426, addens eodem anno factum eſſe initium lectionum die ſecunda Decembris feria 2, eamque in rem citat magnum Chronicon Belgicum.

LXII. *Joannem Comitem Armaniaci ſchiſma Paniſcolenſe foventem Romā citat.*

Joannes Armaniaci Comes ſchiſma Petri de Luna etiam poſt Concilium Conſtantienſe fovit, licèt Martinus à Carolo VI Franciæ Rege verus Papa agnoſceretur. Quare Martinus Carolum VII Franciæ tunc regentem requiſivit, ut Joannem Comitem moneret, ut ad unitatem Romanæ & univerſalis Eccleſiæ rediret, cùm Rex Franciæ eſſet ipſius ſupremus Dominus in temporalibus; quod cùm Joannes Comes facere recuſaret, Pontifex nonnullas terras & oppida ipſius interdicto ſuppoſuit, quod tamen Joannes violavit, verùm cum quidam illud obſervarent, ipſe Joannes Comes decrevit, licèt fictè & doloſè per ſuos procuratores ad hoc ſpeciale mandatum ab eo habentes, in Eccleſia Toloſana, præſentibus Nunciis & Commiſſariis Martini Papæ, nonnullíſque Epiſcopis & Prælatis, ac Cleri & populi multitudine copioſa, quamdam profeſſionem, quam in ſcriptis ſolemniter fecit, per quam omnem hæreſim abjuravit, atque promiſit illum tenere & habere pro Papa, quem præfatus Carolus Franciæ Rex pro Papa haberet, eidemque ut Papæ obediret. Quare licèt in hujuſmodi profeſſione nomen atque Pontificatum Martini non expreſſiſſet, cùm tamen notorium eſſet, Carolum VI ejuſque filium ac ſucceſſorem Carolum VII ipſum tanquam verum & indubitatum Papam Romanum habuiſſe, ſciente dicto Joan. Comite & ignorare non valente, & nihilominus Ægidium Sancii Munionis, ut legitimum Pontificem agnoſceret, & eidem pertinaciter obediret, crimina ſchiſmatis & fautoriæ hæreſis, ac alia multipliciter committendo contra auctoritatem dicti Concilii generalis Conſtantienſis, & conſequenter privationem Comitatuum, & omnium dominiorum incurrendo, Martinus Pontifex anno 1426 per edictum publicum & peremptorium Baſilicis Apoſtolorum Principis & S. Mariæ Rotundæ de Urbe, ac Toloſanæ, & Biterrenſis Eccleſiarum valvis affigendum Joannem Comitem citari mandavit, quatenus centeſima die à die publicationis & affixionis hujuſmodi in valvis dictarum Baſilicarum de Urbe comparere coram ipſo in publico conſiſtorio, data ei fide, vim abſuturam donec cauſam dixiſſet, ne ad declinandum Sedis Apoſtolicæ judicium, itinerum pericula, hoſtiumve inſidias prætexeret. Hæc ſententia *Romæ apud SS. Apoſtolos Kal. Martii anno IX*, ideoque anno 1426 data extat apud Raynaldum num. 9, ex eaque ſupradicta deſumpta.

Sæc. XV. MARTINUS V.

LXIII. *Commnatoriam fert ſententiam in Alfonſum Aragoniæ Regem.*

Eodem anno Petrus Cardinalis Fuxenſis Legatus Apoſtolicus ad regnum Aragoniæ, inſtabat apud Alfonſum Regem pro mutuo congreſſu; ſed multiplicibus tergiverſationibus eluſi ab eo Nuncii re infecta ad Legatum redire coacti fuere poſt principiū menſis Junii Orgarilianum, ubi ipſe moroſitatis Regis exitum opperiebatur. Extant Nunciorū propoſitiones illi oblatæ, & reſponſiones ab eo factæ, quibus conſtat iratum Alfonſi animum adversùs Martinum Pontificem laborare in extenuanda Sedis Apoſtolicæ auctoritate, in mittendis ad regna & provincias Legatis, ipſiuſque Martini in ſuſcipienda morum reformatione, & hæreſum ac ſchiſmatis extirpatione, abſque Concilio generali, contra decreta Synodorum Conſtantienſis, & Senenſis. Adeo ut edicto publico prohibuerit omnibus regni ſui Prælatis, ne reciperent Apoſtolicas literas, vel Legatorum Pontificiorum, nec illas exequi auderent ſub pœna amiſſionis omnium bonorum; quod & ipſimet Petro Fuxenſi Legato denunciari juſſit. Adversùs quod proteſtatus Legatus de pœnis, ſententiis, & cenſuris, tam à jure quàm ab homine in talia ordinantes, mandantes & facientes, ipſiſque adhærentes & conſentientes inflictis; de omnibus Pōtificem certiorem reddidit, & Fuxum ſe ad fratrem ſuum Comitem recepit. Pontifex verò his auditis, proceſſus de more contra Regem perficiens, Idibus Julii graviſſimam ac feveriſſimam

in

Digitized by Google

SÆC. XV. MARTINUS V. in eum, ejuſque regna, ac perſonas comminatoriam ſententiam promulgavit, quæ extat apud eundem Raynaldum num. 1, & ſeqq. in qua narratis omnibus ab Alfonſo Rege contra Eccleſiam geſtis, ait: *Et quia notorium fore decrevimus, ad dictum Alfonſum, domicilia & loca ejus pro citando eum non eſſe nec fore tutum acceſſum, per hoc publicum edictum noſtrum peremptorium, eundem Alfonſum Regem peremptoriè, unoque certo peremptorio pro omnibus terminis ad comparendum perſonaliter coram nobis in Romana Curia in noſtro conſiſtorio die centeſima vigeſima prima à die publicationis & affixionis, ſi ipſa die nos publicum conſiſtorium tenere continget; alioquin proxima inde ſequenti die, qua nos publicum conſiſtorium tenebimus, ad procedendum & procedi videndum, & audiendum per nos ex noſtro officio, inſtante procuratore & promotore prædicto, etiam uſque ad definitivam ſententiam, declarationem, & impoſitionem pœnarum pro dictis criminibus debitorum ...... Eidemque Alfonſo Regi per idem edictum intimamus, quòd ſi ipſa die, ut præmittitur, comparuerit, ſive non, nos in præmiſſis & ad præmiſſa procedemus, prout juris & rationis fuerit, ipſius abſentia non obſtante.* Decernit tandem eam citationem affigi ad valvas Baſilicarum, Lateranenſis, Principis Apoſtolorum de Urbe, ac Narbonenſi, & Avenionenſi Eccleſiis, ut Alfonſus nullam poſſit excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, *cùm non ſit veroſimile quoad remanere incognitum, vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Nulli ergo, &c. Datum Romæ apud SS. Apoſtolos Idibus Julii, Pontificatus noſtri anno IX.* Mox Raynaldus num. 7, aliam Martini Epiſtolam ad Andream Epiſcopum Gerundenſem datam *Genezani Peneſtrinæ diœceſis* ſine temporaria nota, quæ ſi revera poſt ſententiam in Alfonſum datam data ſit, ex ea demonſtrari poteſt, verum eſſe quod ſuperiùs ex Joannis Carrerii Epiſtola diximus, Clementem nempe VIII Antipap. anno tantùm 1425, thiara redimitum eſſe, in ea quippe Epiſtola ait Martinus: *Illud execrabile monſtrum Paniſcolæ noviter, ut aſſeritur, coronari procuravit*, id eſt anno prætetito 1425, non verò anno 1424.

LXIV. *Quatuordecim Cardinales creat.* Eodem anno 1426 Martinus Pontifex Sacrum Cardinalium collegium auxit. Ab eo tempore quo electus fuerat, præter Balthaſſarem Coſſam, olim Joannem XXIII in ſua obedientia dictum, quem Epiſcopum Cardinalem Portuenſem dixerat, & quatuor pſeudo-Cardinales Petri de Luna, quos vera Cardinalitia dignitate decoraverat, ſolos Dominicum Ram Epiſcopum Ilerdenſem, & Dominicum à Capranica anno 1423, juxta Contelorium, Cardinales nominaverat, ſed non promulgaverat, SÆC. XV. MARTINUS V. verùm, ut aiunt, in pectore reſervaverat, quorum priorem die decima Martii anni 1430, publicavit ſub titulo SS. Joannis & Pauli; poſteriorem verò Diaconum Sanctæ Mariæ in Via lata biennio tantùm poſt promulgandum cum Cardinalibus pepigerat. Quare anno 1426, die 24 Maji, quæ concurrebat cum feria ſexta Quatuor temporum, octo Presbyteros ſequentes creavit & promulgavit, ut ex monumentis Vaticanis eruit idem Felix Contelorius; quatuor verò Diaconos, quorum tamen tantùm duos promulgavit. Nomina Presbyterorum ſunt hæc, *Joannes è Rupeſciſſa* Archiepiſcopus Rotomagenſis tit. S. Laurentii in Lucina; *Ludovicus Alamannus* Archiepiſcopus Arelatenſis tit. S. Cæciliæ; *Henricus Beaufort* Anglorum Regis avunculus Epiſcopus Wintonienſis tit. S. Euſebii; *Joannes è Praga* Epiſcopus Olomucenſis tit. S. Cyriaci in Termis, *Antonius Caſinus* Epiſcopus Senenſis tit. S. Marcelli; *Nicolaus Albergatus* Epiſcopus Bononienſis tit. S. Crucis in Jeruſalem; *Raymundus Marroſius* Epiſcopus Caſtrenſis tit. S. Praxedis; & *Antonius*, vel, ut Oldoino placet, *Joannes Cervantes* Archidiaconus, Oldoinus ſcribit, Archiepiſcopus Hiſpalenſis tit. S. Petri ad Vincula. Diaconi Cardinales fuere *Ardicinus è Porta* Advocatus conſiſtorialis tit. SS. Coſmæ & Damiani; *Hugo Luſignanus* Regis Cypri frater tit. S. Hadriani; *Proſper Columna* Martini Papæ ex fratre nepos tit. S. Georgii in Velabro; & *Julianus Cæſarinus* tit. S. Angeli in Foro Piſcium. Verùm hi duo poſtremi anno tantùm 1430, die octava Novembris promulgati fuére. Ad illuſtrationem autem Hiſtoriæ Cardinalium obſervat Spondanus anno 1427, num. 1, Henricum Wintonienſem Epiſcopum, quem Martinus Cardinalem tit. S. Euſebii dixit, malè confundi à Ferdinando Ughello in Additionibus ad Ciaconium, & ab ipſo Auguſtino Oldoino, cum Henrico Chichelejo, qui hoc eodem tempore erat Archiepiſcopus Cantuarienſis & Angliæ Primas: hic enim Henricus Chichelejus in nullo Cardinalium catalago recenſitus reperitur, & ut inquit Henricus Spondanus, publicatio diplomatis Pontificii injuncta in Anglia per eundem Cardinalem, quo alteri Henrico Archiepiſcopo Legatio totius Germaniæ, Hungariæ & Boëmiæ conferebatur, quæ extat apud Bzovium, ſatis utriuſque Henrici diſcrimen demonſtrat. Iſte itaque Henricus Cardinalis tit. S. Euſebii nunquam fuit Archiepiſcopus Cantuarienſis, ſed tantùm Epiſcopus Wintonienſis, in cujus Eccleſia Cathedrali ſepultus eſt, ipſo Oldoino fatente. Id tamen difficultate non caret, nam apud Raynaldum anno 1427, num.

1, & ſeqq. extant Martini diplomata, quibus conſtat Legationem Germaniæ, Hungariæ datam eſſe *Henrico tit. S. Euſebii Presbytero Card. Apoſt. Sedis Legato*, qui num. 2, dicitur *Cardinalis Wintonienſis*. Sed his non obſtantibus mihi quidem videtur dictum Henricum Chichelejum Archiepiſcopum Cantuarienſem nunquam dictum fuiſſe Cardinalem; extat enim Eugenii IV Epiſtola ad ipſum data anno 1440, apud Spondanum num. 31 ex qua id deducitur. Cùm Eugenius anno 1439 in Cardinalium numerum cooptaſſet Joãnem Kemp Archiepiſcopum Eboracenſem, atque Henricus ei quæſtionem ſuper prærogativa ſeſſionis, ſive præcedentia moviſſet, ſcripſit ad eum Eugenius mirari ſe rem novam & inſolitam ab eo attentari; quia jam per quatuordecim & ampliùs annos cum Henrico Cardinali S. Euſebii, è regio ſanguine, Wintonienſi Epiſcopo, ipſius Henrici Cantuarienſis ſuffraganeo in ſedendo & ferendis votis ſine ulla diſceptatione vixiſſet. Neque regii ſanguinis rationem prætendi poſſe, quoniam cùm is Epiſcopus Wintonienſis tantummodò eſſet, ſed nondum Cardinalis, & voce & loco ipſi Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi cedebat; poſtea verò quam à Martino V factus eſſet Cardinalis ſemper ei anteceſſit. Cur igitur non in Joanne Kemp eadem dignitas id ipſum operaretur, cùm & inſuper iſte Archiepiſcopus nullo jure Archiep. Cantuarienſi ſubjectus; Henricus verò Cardinalis Wintonienſis tantùm Epiſcopus eſſet, & ſuffraganeus Eccleſiæ Cantuarienſis. In eadem Epiſtola laudat Henricum Cantuarienſem Pontifex, quòd in ſuæ proteſtationis fine ſignificaverit, haud ſe propterea quid honori, prærogativæ, aut dignitati Cardinalium in aliquo detractum, aut derogatum velle. Ex quibus, ni valde fallor, ſequitur Henricum Cantuarienſem de ſeſſionis præcedentia diſceptaſſe, quia Archiepiſcopum, Cardinalem præcedere debere contendebat; nam ſi ipſe antea fuiſſet Cardinalis, nulla inter eos fuiſſet contentio de præcedentia; anterioritas enim Cardinalatûs eam diremiſſet in favorem Henrici Chichelejii. Movebat itaque tantùm illam litem Chicheleius ob dignitatem Cardinalatûs, quam Archiepiſcopali inferiorem putabat, licèt de hoc quæſtionem non moviſſet ſub Henrico Wintonienſi ob eam fortè rationem, quia erat regii ſanguinis. Denique ſi Henricus Cantuarienſis fuiſſet Cardinalis, ſicut Henricus Wintonienſis, nullum dubium eſt quin citatus fuiſſet à Baſileenſibus ad Concilium; quod tamen factum non eſt; cùm enim Seſſione VI promotores Concilii accuſarent contumaciam omnium Cardinalium, qui antea citari fuerant, non repetitur inter eos Henricus Cantuarienſis, ſed Henricus S. Euſebii Presbyter Cardinalis de Anglia, qui alius eſſe non poteſt, quàm Henricus Wintonienſis. Quod attinet ad Dominicum Ram, & Dominicum à Capranica eos quidem non publicavit Martinus anno 1423, ſed decrevit, ut ſi ipſum mori contingeret, antequam illos publicaſſet, Cardinales ſuperſtites intra diem ab ejus obitu publicare deberent, ac eos recipere in Cardinales, ſub privatione vocis activæ & paſſivæ, prout in quadam ſchedula, cui omnes Cardinales ſe ſe ſubſcripſerunt. Horum tamen primum ipſe Martinus die decima Martii anni 1430, alterum ex aliquibus die octava Novembris ejuſdem anni publicavit. Ita Oldoinus.

LXV. Permittit Petro Fuxenſi Legato in Aragoniam intrare.

Vocaverat in jus Martinus Pontifex anno 1426 Alfonſum Aragoniæ Regem, diemque non modò ad cauſam de violato jure Eccleſiaſtico, verùm etiam de inita cum ſchiſmaticis ſocietate dicendam conſtituerat; quare Alfonſus ante decretoriam ſententiam pertinacem animum frangens, ut procellam averteret, pollicitus eſt ſe Legatum admiſſurum; quod cùm ſciviſſet Pontifex, Petro Cardinali Fuxenſi Apoſtolicæ Sedis in Aragonia Legato in mandatis dedit, ut in regnum illud ingrederetur, diplomate dato *Romæ apud SS. Apoſtolos VIII Idus Julii anno* X, adeoque anno 1427. Acta Legationis ejuſdem Petri pluribus narrant ut in adulta æſtate Hiſpaniam Tarraconenſem Legatus peragravit, tum pompam quâ Valentiam, ubi Rex morabatur, ingreſſus ſit: *Ingredienti*, inquiunt, *Domino Legato civitatem Valentiæ cum inſigniis Legationis ſuæ obviam ad mediam leucam vel circa primò Canonici Eccleſiæ Valentinæ cum ſolemni apparatu exiverunt: parumper perpaululum Epiſcopi Catanenſis, Vicenſis, Gerundenſis, Elnenſis cum Domino Archiepiſcopo Tarraconenſi, & pluribus Abbatibus Ciſterſienſibus, ac Doctorum & Eccleſiaſticorum virorum multitudine copioſa eidem Domino Legato obviam proceſſerunt. Inſuper nobiles Conſiliarii civitatis Valentiæ cum tubis ſtipati militibus pluribus & civibus nobilibus habitatoribus dictæ civitatis venerunt obviam eidem Domino Legato. Supervenerunt denique arcubaliſtæ & ultra fores civitatem Dominus Alfonſus Rex illuſtris in perſona propria capite diſcooperto cum Archiepiſcopo Ulixbonenſi regni Portugalliæ cum ſua regia familia obviam venit eidem Domino Legato, reverentiam impendit, oſculum ſibi tradidit, & partem dextram in progreſſu poſt plurimas reverentias & invitationes mutuas eidem Domino Legato renuenti aſſignavit, ipſumque cooperiri fecit etiam cappello rubeo Cardinalatûs, dicto Domino Rege capite diſcooperto cum præfato Domino Legato familiariter colloquente, & in via verſus civitatem procedente*

SÆC. XV. MARTINUS V.

dente uſque ad pontem portæ civitatis, ubi ad eodem Domino Legato, cùm eſſet jam tardè, & tranſiret hora prandii, petiit licentiam recedendi ad palatium ſuum, quod eſt extra civitatem, & ſic receſſit cum paucis. Dictus verò Dominus Legatus cum præmiſſis omnibus & proceſſionibus ſolemnibus infinito populo ſibi occurrente cum maximis honoribus in civitate Valentiæ & in Cathedrali Eccleſia cum cymbalis bene ſonantibus, in tympanis, tubis & organis cum magno gaudio ſolemniter fuit receptus; & data benedictione ac indulgentiis in Eccleſia, ad domum Epiſcopalem adductus, & cum omnibus ſuis in eadem domo honorificè collocatus. Id verò actum eſt in vigilia ſancti Bartholomæi vigeſima tertia die Auguſti.

LXVI. *Conſcribuntur à Legato & à Rege poſtulata.*

Cùm verò die ſequenti Cardinalis affigi in valvis Eccleſiæ, ſuique palatii juſſiſſet libellos, quibus ſignificabat auditores cauſarum, quos ſecum duxerat, incepturos officium ſuum exercere poſt biduum; Rex ſive ad ingenium rediens, aut veritus ne à pluribus injuſtè à ſe vexatis in judicium appellaretur, graviſſimè inde commotus, publico edicto prohibuit ne quis ſub graviſſimis pœnis ad quoſqumque Judices delegatos vel ſubdelegatos Apoſtolicos recurrere auderet, vel eorum literis uti. Quod patienter Legatus ferens, adeo prudentia ſua & affabilitate apud Regem profecit, ut poſt multas conſultationes & tractatus in id convenerint, ut factæ hinc inde poſtulationes conſcriberentur, & per ipſummet Legatum ad Pontificem deferrentur, reverſurum poſtea in Aragoniam ad res omnino terminandas. De his omnibus factum eſt inſtrumentum publicum, quod ſic incipit apud Raynaldum num. 22: *In Chriſti nomine cunctis pateat evidenter, quòd die Lunæ intitulata vigeſima ſeptima menſis Octobris anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo ſeptimo in civitate Valentia intus regale palatium, & in quadam turri nova dicti palatii perſonaliter conſtitutis reverendo in Chriſto patre Domino Petro divina providentia tit. S. Stephani in Cœlio monte Preſbytero Cardinale de Fuxo vulgariter nuncupato, Sedis Apoſtolicæ Legato, & ſereniſſimo & potenti principe Domino Alfonſo Dei gratia Rege Aragonum, Siciliæ, Valentiæ, &c. de ordine & mandato eorundem Dominorum fuerunt per me Franciſcum Daryajo ſecretarium Domini Regis lecta & publicata alta & intelligibili voce præſentibus infraſcriptis capitula quæ ſequuntur.* Referentur poſtea tam Legati quam Regis poſtulata.

LXVII. *Legati poſtulata.*

Fuêre autem poſtulata Legati: I: Ut Rex efficacem daret operam quòd Ægidius Paniſcolenſis unà cum ſuis ad obedientiam & unitatem Eccleſiæ, vel ſponte reducerentur, vel capti in manus Pontificis aut ejus Legati reponerentur. II: Ut edicta regia contra auctoritatem Summi Pontificis & Apoſtolicæ Sedis Legatorum publicata ſolemniter revocarentur. III: Ut ejuſdem Sedis Collectores liberè permitterentur jura Cameræ Apoſtolicæ exigere. IV: Ut Eccleſia Romana, aliæque omnes in ditionibus regiis exiſtentes, juribus, libertatibus, ac privilegiis ſuis gauderent. V: Ut Prælati, aliique Eccleſiaſtici pulſi aut ſpoliati reſtituerentur in integrum. VI: Ut à moleſtatione regni Apuliæ, hoc eſt Neapolitani omnino Rex deſiſteret; & ſi quid juris in eo prætenderet, judicio ſe perſonarum non ſuſpectarum à Pontifice nominandarum ſubjiceret. Quibus omnibus annuit Rex, niſi quòd ad quintum aliquas perſonas excepit: & ad ſextum reſpondit rem altiori deliberatione indigere.

SÆC. XV. MARTINUS V.

LXVIII. *Regis poſtulata.*

Regis verò poſtulata fuêre: I: Corpus Sancti Ludovici Epiſcopi Toloſani. II: Remiſſio ac condonatio omnium jurium Cameræ Apoſtolicæ, vacantiarum Eccleſiarum & beneficiorum quorumcumque, tam de præterito, quàm uſque ad diem finiendæ concordiæ. III, Remiſſio cenſuum debitorum uſque ad dictam diem pro inſulis Siciliæ, Sardiniæ & Corſicæ; ac deinceps ad vitam ipſius Regis: niſi quòd ſingulis quinquenniis teneretur dare Pontifici unum pallium panni aurei pro recognitione dictorum feudorum. IV. Solutio centum quinquaginta millium florenorum, in compenſationem omnium expenſarum & laborum pro Eccleſia toleratorum. V: Tranſlatio Ordinis B. Mariæ de Monteſia ex regno Valentiæ in inſulam Siciliæ, ubi Rex alios reditus ei aſſignaret: vel conceſſio caſtri Paniſcolæ, quod per Benedictum Lunenſem fuerat Eccleſiæ Romanæ contributum. VI: Proviſio Abbatiarum & Eccleſiarum vacantium uſque ad diem finiendæ concordiæ, facienda ad voluntatem Regis. VII: Promotio ad Cardinalatum duarum perſonarum ex ſex per Regem nominandis: pariterque certorum beneficiorum collocatio certis aliis perſonis. VIII: Denique remiſſio omnium injuriarum damnorum & expenſarum Papæ & Sedi Apoſtolicæ illatarum, unà cum abſolutione à quacumque excommunicatione aut aliis cenſuris eccleſiaſticis à jure vel homine latis, diſpenſationibus, habilitationibus, &c.

LXIX. *Utraque à Legato Romam deferuntur.*

Super his autem omnibus, factum eſt, ut jam dixi, inſtrumentum die vigeſima ſeptima Octobris, quo præter prædicta utrimque poſtulata, Rex petiit per bullam publicam revocari, & omninò aboleri, atque è Regeſtis Pontificiis, aliiſque ſcriptis & archivis publicis & privatis abradi, proceſſus & ſententias contra ipſum Regem, ejuſque ditiones & ſubditos tanquam

quam ex falſis in ipſum Regem ſuggeſtionibus per ſubreptionem prolatas. His peractis Legatus continuò ad Pontificem reverſus eſt, paratis ei ad tranſmiſſionem à Rege duabus triremibus: pervenitque poſt multa maris pericula Romam principio anni milleſimi quadringenteſimi vigeſimi octavi, & amantiſſimè à Pontifice exceptus. Legato Romam appulſo die octava Januarii tractari cœpit de poſtulationibus Regis Aragoniæ, quibus ſingulis Martinus Papa reſponſiones appoſuit, quæ ad Regem miſſæ fuêre una cum literis de conceſſione caſtri Paniſcolæ, omniumque ejus jurium, quam is petierat. Poſt quæ miſſis remiſſiſque ultrò citroque diverſis Nunciis, antequam res omninò concordata eſſet, tranſiit annus milleſimus quadringenteſimus vigeſimus octavus, eò maximè quòd ob peſtem Romæ graſſantem diſperſi eſſent Cardinales, ut non facile eſſet negotiis ſeriis attendere. Interea cùm Legatus ad Martinum Papam detuliſſet literas, Alfonſi Regis benevolentiæ atque officiorum ſignificationibus refertas, quibus Apoſtolicæ Sedi obedientiam deferebat, Pontifex ingenti gaudio cumulatus paternis ſe ſtudiis ipſum proſecuturum pollicitus eſt aliis literis quæ extant apud Raynaldum anno 1428, num. 1.

LXX. *Legato in Aragoniam reverſo Rex tergiverſatur.*

Solutis tandem Romæ omnibus difficultatibus, confirmatiſque fœderis legibus, Petrus Cardinalis Fuxenſis Legatus à latere iterum miſſus eſt à Pontifice quinto Kalendas Februarii ejuſdem anni 1429, terreſtrique itinere pervenit Barcinonem die duodecima Maji, exceptus ibi honorificè ab Archiepiſcopo Patriarcha Jeroſolymitano, aliiſque plurimis Prælatis, ac Clero univerſo, populoque; denique ab ipſo Alfonſo Rege extra civitatem obviam ei procedente. Et tamen adeò varii fuit ingenii hic Princeps, ut quantumvis quotidie à Legato urgeretur de negotiis quorum causâ venerat tractare, per varias tergiverſationes, ac locorum mutationes, rem produxerit uſque ad diem decimum quintum Junii, quo vix inductus precibus Joannis Regis Navarræ fratris ſui, ac procerum ſuorum, Calatajubii Tiraſonenſis diœceſis iis intendere conſenſit; ſed tanta moroſitate & animi obſtinatione denegavit contra promiſſa ac jurata, revocationem decretorum, quæ contra Apoſtolicam Sedem publicaverat, quin priùs Legatus promulgaret literas Apoſtolicas de ejus excuſatione à favore ſchiſmati Paniſcolenſi impenſo; & cùm negaret Legatus id juri ac rationi conſentaneum eſſe, aut agere id ſe poſſe, cùm prohibitum ipſi omninò fuiſſet à ſummo Pontifice & collegio Cardinalium; poſt longas verborum altercationes, ituſque ac reditus, ab invicem diſcordes receſſerunt abſque ulla ſpe futuræ concordiæ.

LXXI. *Rex divinitus mutatur.*

Sed Deus, in cujus manus ſunt corda Regum, ſummam patientiam ac fortitudinem animi Legati reſpiciens, dum Rex poſtridie equum obfirmato in Legatum animo aſcenderet ad expeditionem bellicam in fines Caſtellæ, permiſit, ut ſuperveniente Legato, eum de obſervatione juratorum ultimò interpellaret, aut generale interdictum in omnibus ejus terris ac ditionibus intimaret; difficulter licèt atque ægrè à Rege admiſſus, cùm referre cœpiſſet labores, quos paſſus fuiſſet in Legatione iſta, Rex momento in alterum divinitùs mutatus, præoccupaverit ejus verba, dixeritque ſe ſcire quanta Legatus pro honore Dei & Eccleſiæ, ac pro ipſo Rege fideliter egiſſet, ideoque ob reverentiam Dei & Eccleſiæ, atque ipſius Legati ac domûs ejus, offerre ſe omnia jurata ſervare, & quæcumque Legatus vellet præſtare; cunctiſque mirantibus ac præ gaudio lachrymas effundentibus, ambo Reges fratres Legati latera tegentes ad Eccleſiam perrexerunt, ac gratiis Deo redditis, acceptâque Legati benedictione iter in Caſtellam accelerarunt. Die verò ſequenti ab abitu Regis promulgata eſt revocatio decretorum regiorum.

LXXII. *Clemens VIII Antipapa abdicat.*

Miſſi ſunt prætereà à Rege Paniſcolam duo præcipui ipſius conſiliarii, qui res ad voluntatem Legati diſponerent. Quibus effectum eſt ut die vigeſima ſexta Julii Sanctæ Annæ ſacra Ægidius Munio Antipapa, ſe pro Clemente VIII ferens, papalibus inſignibus ſedens in medio ſuorum Cardinalium & Miniſtrorum Curiæ publica ſeſſione, Pontificia ornamenta depoſuerit. Ritus in ea abdicatione ſervatos ita deſcribunt Acta Legationis Petri de Fuxo: *Dominus Ægidius in ſeſſione publica induitur Papalibus inſignibus in caſtro Paniſcolæ die S. Annæ prædicta primitus & ante omnia pro ſerenitate conſcientiæ ſuæ, & ſuorum ſequacium, ut dixit, publicè & ſolemniter omnes proceſſus, ſententias, fulminationes & cenſuras, depoſitiones, inhabilitationes per ſuum prædeceſſorem olim Benedictum Papam XIII in ſua obedientia nuncupatum, & ipſum in ſuo prætenſo Pontificatu contra omnes & ſingulos ei non obedientes, & ſpecialiter contra Dominum Odonem de Columna, quem ſecundùm eorum opinionem reputabant Antipapam & ſchiſmaticum, & omnes ſibi adhærentes factos, pronuntiatos & fulminatos verbo & in ſcriptis, per ſuas literas & ſuas prætenſas bullas plumbeas, expreſsè & ſpecialiter revocavit; & omnes illos, qui præfato Domino Odoni adhæſerant & obedierant, & ſpecialiter ipſum Dominum Odonem de Columnâ ad omnes dignitates & honores, ſpecialiter ad Papatum, motu ſuo*

pro-

proprio habilitavit, reſtituit & reintegravit. Deinde idem D. Ægidius ibidem ſolemniter propoſuit coram omnibus, qualiter poſt obitum ſui prædeceſſoris olim Benedicti XIII electus ab ibidem præſentibus ſuis fratribus prætenſis Cardinalibus Papatum recepit non ad alios fines, quàm ad hoc principaliter, ut per ejus medium Dei Eccleſiæ vera & indubitata unio ſequeretur, & ceſſaret, & extirparetur omne ſchiſma: & jam à primis diebus ſuæ novæ aſſumptionis ad Apoſtolatum veraciter geſſit in animo & diſpoſuit, ac firmavit, pro tanto bono unionis Eccleſiæ Dei ſponte & liberaliter ſe velle renunciare dignitati, officio, ac honori Papali; quod utique jam diu feciſſet, ſi impeditus non fuiſſet, & aſtitiſſet ſibi plena & libera facultas opportuna. Nunc verò, ut ibidem aſſeruit, dixit plenam & liberam, optatam facultatem & opportunitatem complendi deſideratam reſignationem & renunciationem ſibi adeſſe, confitens expreſsè viam renunciationis hujuſmodi eſſe viam planiorem, utiliorem, ſecuriorem & breviorem ad conſequendam veram & indubitatam unionem Eccleſiæ Dei. Addunt Acta, Ægidium ſuis dictis coram Alfonſo Borgia regio Oratore, qui poſtmodùm ſub Calliſti III nomine Pontifex Romanus fuit, gradu Antipapali ceſſiſse, ut ex literis ipſius ad poſterorum memoriam editis conſtat, in quarum fine legitur: *Ne de hujuſmodi ceſſione, renuntiationeque, ut præmittitur, factis imposterum hæſitetur, quin potius conſtet authenticè de eiſdem, præſentes literas motu proprio, non ad alicujus inſtantiam expeditas ad rei geſtæ memoriam in futurum juſſimus publicari, &c. Datum Paniſcolæ Dertuſenſis diœceſis VII Kal. Auguſti, Pontificatûs noſtri anno V.* Ex his colligere poterat Raynaldus, qui iſta refert, Benedictum XIII, ſeu Petrum de Luna mortuum non eſſe anno 1423, ut ipſe aſſerit eodem anno num. 7, & alibi; ideoque & Ægidium Antipapam eodem anno non fuiſse electum, quia exeunte Julio anni 1429 annum quintum ſui Antipapatûs numerabat. Ceterùm bulla abdicationis Ægidii extat Tomo XII Concil. in Concilio Dertuſenſi, col. 406.

LXXIII. *Ejus pſeudo-Cardinales Martinum Papam eligunt.*

Clemens Antipapa Cardinalem Diaconum ſub tit. S. Mariæ in Coſmedin creaverat Ægidium Sanctium Mugnotium Juniorem, nepotem ex fratre, Baccalaureum in decretis, Præcentorem & Canonicum Eccleſiæ Gerundenſis, eadem verò die qua abdicavit, die ſcilicet 26 Julii, Franciſcum Rovera Hiſpanum Decretorum Doctorem, Promotorem negotiorum regiæ Curiæ Aragoniæ, ex Canonico Majorenſi, conſentiente Petro de Fuxo Cardinali Legato, Cardinalem tit. S. Clementis dixit ipſo invito & renuente. Hiſtoriam & cauſam hujus creationis refert Oldoinus ex codice Vaticano his verbis: *Franciſcus Rovera Decretorum Doctor creatus illa die novus Cardinalis per præfatum Ægidium ad titulum S. Clementis, procurantibus & ad hoc Roveram inducentibus præfatis ambaſſiatoribus, videntibus Dominum Ægidium diſpoſitum non velle renunciare, niſi ille Rovera reciperet capellum ab eo, dicens quòd volebat eſſe Cardinalem ipſum Roveram, ad hoc ut intereſſet cum aliis Cardinalibus ibi præſentibus, & illos dirigeret in promotione Romani Pontificis ſecutura, taliter, quòd non amplius eſſet ſchiſma. Quem capellum idem Rovera, ne facta Eccleſiæ impedirentur, licèt per antea fuiſſet, & protunc eſſet de vera obedientia Domini noſtri Martini Papæ V, tamen pro tanto bono nullatenus impediendo infeſtatus recepit, licèt renuens & invitus.* Eadem itaque die duo illi prætenſi Cardinales, & Julianus Epiſcopus Oſtienſis unus ex illis quatuor, quos Petrus de Luna ante mortem Cardinales dixerat, conclave ingreſſi Martinum Pontificem elegêre, eaque de re confectæ ſunt tabulæ hac temporis nota conſignatæ: *Anno à Nativitate Domini 1429, indictione VII, die verò 26 menſis Julii in die feſtivitatis S. Annæ*, quæ extant Tomo XII Concil. col. 408, in quibus Julianus Dobla dicitur Epiſcopus Oſtienſis, licèt in Epiſtola Joannis Carrerii, de qua ſuprà, dicatur factus Cardinalis ſub titulo XII Apoſtolorum; nullibi tamen quod ſciam dicitur Cardinalis ſub titulo S. Clementis, ut ait Oldoinus. Dici forsàn poſset Julianum ab ipſo Clemente Antipapa poſt mortem Petri de Luna, dictum eſse Epiſcopum Oſtienſem.

LXXIV. *Ægidius ejuſque adhærentes ſe ſubmittunt Martino Papæ.*

Cùm interea tam Ægidius, quàm ejus Anticardinales, aliique Paniſcolenſes ſe ſe in divinis ingererent antequam cenſuris eccleſiaſticis ſoluti eſſent, de eo Legatus graviter conqueſtus eſt, quare à prædicto Alfonſo Borgia regio Oratore ad Legatum veniam petituri accedere juſſi ſunt. Agminis dux erat Ægidius Sancius Munio, quem ſui olim pſeudo-Cardinales, tum prætenſæ ejus Curiæ Miniſtri ſequebantur in municipio tribus tantùm leucis Paniſcola diſtanti, cui S. Matthæi nomen inditum, ibi ad Petri Cardinalis Legati pedes procubuêre die Dominica decima quarta Auguſti hoc demiſſionis ritu, ut narrant Acta: *Inclinatis capitibus reverenter eidem Domino Legato obedientiam, reverentiam & fidelitatem debitas per organum ipſius Ægidii exhibuerunt ſub his verbis in effectu:* Reverendiſſime Pater. „ Ego & iſti alii mecum exiſtentes audivimus à fide dignis vos „ hîc eſſe ſacroſanctæ Sedis Apoſtolicæ & „ ſanctiſſimi Domini noſtri Domini Martini divina providentia Papæ V Legatum à la-

SÆC. XV. MARTINUS V.

„ à latere, ideo venimus ad impendendam „ & exhibendam reverentiam, præſtandam„ que obedientiam & fidelitatem vobis „ nomine præfati D. noſtri D. Martini Pa„ pæ V, quem profitemur verum Vicarium „ Jeſu Chriſti & ſucceſſorem B. Petri, & „ offerendum nos ipſius & veſtri ejus Le„ gati mandatis ſemper obedire paratos „ *Quibus quidem verbis per eundem D. Ægidium, ſicut præmittitur, prolatis, aliiſque prædictis & approbantibus ea, præfatus D. Cardinalis ſtans obedientiam, fidelitatemque hujuſmodi acceptans, ac manus ipſius D. Ægidii in ſuas recipiens, dixit eidem D. Ægidio* „ Vos ergo in manibus noſtris promit„ titis & juratis, quòd de cetero eritis fi„ delis & obediens ſanctiſſimo D. noſtro „ Martino divina providentia Papæ V, & „ ſuis ſucceſſoribus canonicè intrantibus? *Qui reſpondit*: Sic ero. *Hoc omnes & ſinguli ſupradicti profeſſi fuerunt. De quibus omnibus & ſingulis præfatus D. Cardinalis Legatus requiſivit ſibi retineri publicum & publica inſtrumentum & inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam; & per nos Notarios infraſcriptos acta fuerunt hæc in loco ſupradicto ſub anno à Nativitate Domini* 1429, *indictione VII, die verò Dominica* 14 *menſis Auguſti, Pontificatus Domini noſtri Papæ anno XII.* Extat etiam hic actus reverentiæ & ſubmiſſionis Ægidii, eique adhærentium Tomo XII Concil. Labbei col. 419 & ſeqq.

LXXV. *A Legato cenſuris abſolvuntur.*

Adactis per jusjurandum in Pontificia verba Ægidio Munione, ejuſque præcipuis ſectatoribus à Legato Apoſtolico, Alfonſus Borgia ad excutiendos ex eorum animis religionis ſtimulos flagitavit, ut in Eccleſiæ gremium, ſolutis omnibus cenſuris, quibus illaqueati eſſent, admitterentur, cujus precibus ſuas addidit Munio, votiſque mox potitum recenſent Acta. *Dominus Ægidius in perſona propria dixit hæc verba*: Ita petimus & rogamus; *& alii qui cum eo venerant, ut præmittitur, quaſi uno contextu ſimiles abſolutionem, habilitationem, receptionem & reductionem petierunt; dictuſque D. Legatus, auditis petitionibus & ſupplicationibus hujuſmodi, ipſum D. Ægidium & alios ſupradictos, qui cum eo venerant, ut præfertur, auctoritate Apoſtolica per præfatum D. noſtrum Martinum Papam V ſibi conceſſa ab omnibus ſententiis, pœnis & mulctis, quas occaſione præmiſſorum incurrerant, abſolvit, ipſoſque habilitavit & in priſtinum ſtatum repoſuit, ac ad Sanctæ matris Eccleſiæ gremium recepit auctoritate Apoſtolica per præfatum D. noſtrum D. Martinum Papam V ſibi conceſſa, offerens ſe bene, piè & benignè illos tractaturum, & pro eis facturum quæque ſibi poſſibilia*, &c. Quæ promiſſa ſumma fide percepit.

Sequenti autem die Aſſumptæ in cœlum Virgini ſacra decima quinta Auguſti, Petrus Legatus peractis ſolemni ritu ſacris, crucis ſigno ac prece adſtantes luſtravit, gratuitamque noxarum veniam ipſis intulit. Deinde Julianus Dobia, Franciſcus Rovera, & Ægidius Munio Junior, pſeudo-Cardinalatûs inſignia, confectis publicis tabulis, quæ extant in eiſdem Actis Legationis, poſuerunt: Tum idem Legatus Paniſcolam perrexit. Quo viſo Eximinus Dahæ pſeudo-Cardinalis Petri de Luna in vincula jam conjectus, quòd extrahendi ſchiſmatis conſilium dediſſet, pervicaciâ edomitâ, ad abdicandos pſeudo-Cardinalitios titulos paratum ſe exhibuit, reque ſolemni ritu peracta, è cuſtodia emiſſus eſt, ſicut etiam eductus Dominicus à Bona Fide, qui conſilia unà cum Joanne Carrerio de tertio Antipapa Ægidio Munioni opponendo contuliſſet; tum Martinum Pontificem verum Chriſti Vicarium eſt profeſſus. De Joanne Carrerio nec in vincula eum conjectum, nec pſeudo-Cardinalitiam dignitatem ſicut alios tres abdicaſſe invenire potui, de quo etiam in Oldoino apud Ciaconium nulla eſt mentio poſt ſchiſmatis extinctionem. Tum egreſſus Paniſcolâ Legatus, caſtrum illud, quod juris erat Pontificii Alfonſo Regi, ut pactum fuerat, tradidit, Dertuſamque ad Synodum celebrandam ſe contulit.

SÆC. XV. MARTINUS V.

LXXVI. *Anti Cardinales falſæ dignitatis inſignia deponunt.*

Inter alia conventum fuerat, ut Ægidius Munionis provideretur de Epiſcopatu Majoricenſi, jamque ipſum Martinus Papa in conſiſtorio providerat dictæ Eccleſiæ de dicto Ægidio; ſed hujus pactionis immemor Alfonſus Rex à Martino Papa poſtulavit, ut Galcerandus Albertus ad eum dignitatis gradum perduceretur. At Pontifex, qui datam fidem colebat, jamque Ægidium eo honore affecerat, eique ut Epiſcopo Majoricenſi ſcripſerat, Regem ipſum monuit à conventionibus non diſcedendum, ne Pontificiæ & Regiæ Majeſtati fœda inconſtantiæ labes inferretur. Hæc conſtant ex literis, quas Pontifex ad Alfonſum Regem ſcripſit datas *Romæ apud SS. Apoſtolos VI Idus Novembris anno XII*, ideoque anno 1429, & ex aliis datis ad Alfonſum Borgiam, qui recenter ad Epiſcopatum Valentinum ob eximiam ab ipſo in ſchiſmate ſedando navatam operam evectum, iiſdem ferè verbis conceptis, ut Regem ab ea poſtrema voluntate ad priorem reduceret: *Ad Te*, inquit Pontifex apud Raynaldum num. 3, *ſpectat, & ad famam tuam dare operam cum effectu, ut quæ ſunt per tuam diligentiam concluſa & ſcripta, firma permaneant.* Alfonſus enim Borgia jam antea ad Pontificem ſcripſerat Regis voluntatis & beneplaciti eſſe, ut Eccleſiæ Majoricenſi provideretur de perſo-

LXXVII. *Ægidius fit Epiſcopus Majoricenſis*

Digitized by Google

SÆC. XV. MARTINUS V.

na Ægidii, ut ait Pontifex in literis ad Alfonſum Regem ſcriptis apud Raynaldum ibidem. Ita Ægidius Majoricenſis Epiſcopus factus eſt, Alfonſus Borgia Valentiæ Pontifex renunciatus, quæ merces navatæ operæ fuit Ægidio & ſociis ſanandis, ad ſummos & maximos honores aditus. Sic dexteritate Petri Cardinalis Fuxenſis funeſtiſſimum ſchiſma, quod ab anno 1378 Eccleſiam diviſerat, omnino ſublatum eſt, præſertim poſtquam Joannes Comes Armaniaci, in quem Pontifex decretoriam ſententiam tulerat tanquam in ſchiſmaticum relapſum die IV Non. Martii ejuſdem anni 1429, ad obſequium rediens, una cum ceteris Paniſcolenſibus cenſuris, ac pœnis, quas contraxerat, ab eodem Legato ſolutus eſt; qua de re datæ ſunt ad eum à Martino Papa literæ, quæ ſicuti & ſententia in eum lata extant apud Raynaldum num. 11 & ſeq. Porrò Oldoinus in ſuo Necrologio Clementis Antipapæ morti aſſignat diem 28 Julii; verùm nec locum, in quo obiit, nec annum mortis indicat, nec denique à quo diem obitûs acceperit.

LXXVIII. *Corpus S. Ludovici Alfonſo Regi conceditur.* Nuperus Auctor Hiſtoriæ & cultûs Sancti Ludovici Avenione typis mandatæ pag. 110 & ſeq. his addit promiſiſſe Alfonſo Regi Petrum Fuxenſem Cardinalem Apoſtolicæ Sedis Legatum bullam Martini, qua abſolveretur ab omnibus ſententiis & excommunicationibus, quas incurrere potuiſſet, cum poteſtate conſervandi ſacras ejuſdem Sancti Ludovici Reliquias: *Quod conceditur, inquit, corpus Sancti Ludovici, cum Bulla neceſſaria, plena & opportuna, abſolvendo Dominum Regem & alios à quibuſvis ſententiis tam Eccleſiaſticis quam mundanis, ſi quas fortè incurrerint occaſione corporis ſupradicti.* A' quo autem hæc verba deſumſerit me latet. His & aliis ſuprà dictis de corpore S. Ludovici ab Auctore erudito nobili cive Maſſilienſi ex authenticis documentis demonſtratis, videant bonorum Fratrum Minorum uſurpatores, an tutâ conſcientiâ iis potiri poſſint, ſub ridiculo prætextu, quòd ii religioſi ſacras ejuſdem Sancti reliquias Alfonſo Regi vendiderunt: ſunt autem multi qui ſine ſcrupulo ea poſſident, quod mirum non eſt de ſæcularibus, ſed mirum quantùm de viris eccleſiaſticis tum ſæcularibus, tum regularibus, iis præſertim qui in Concilio Tridentino ab omnium bonorum immobilium poſſeſſione excludi petiêre.

LXXIX. *Alfonſus Rex libertatem Eccleſiaſticam redintegrat.* Non ſolùm Martinus Pontifex Alfonſo Regi promiſſa; ſed ipſe etiam Alfonſus Martino Pontifici in perſona ſui Legati promiſſa & jurata adimplevit; cùm enim Legatus Dertuſæ ſeu Dertonæ Epiſcopos Tarraconenſis provinciæ in Concilium congregaſset, in eo lectæ ſunt octo Alfonſi Regis Literæ, quarum primâ datâ Calatarabii die decima ſeptima Junii ejuſdem anni 1429 jurat ſe edicta non facturum contra libertatem Eccleſiarum, neque de bonis earum acceptorum, neque in jura Cameræ Apoſtolicæ manum appoſiturum. Secundâ vetat aliquod crimen Clericis falsò imponi, vel eos vexari, perſonas immunitate eccleſiaſtica gaudentes ab Eccleſiis extrahi, & libertatem eccleſiaſticam violari vel infringi. Tertiâ literâ Officiariis regiis inhibet, ne Clericos incarcerent, immunitatem eccleſiaſticam infringant, vel à perſonis Eccleſiaſticis aliquid exigant vel extorqueant. Quartâ prohibet ne quis criminoſos Clericos adverſus Eccleſiaſticos judices, de talibus juſtitiam debitam facere volentes, manuteneat vel defendat contra juriſdictionem Eccleſiaſticam. Quintâ Vicecancellario & Conſiliariis inhibet ne proceſſus Conſtitutionum provincialium, contra invaſores Eccleſiarum Eccleſiaſticorum virorum editarum, deb tè inceptos impediant, ſeu perturbent. Sextâ declarat Clericos & Eccleſiaſticos, qui fraudulenter literas familiaritatis regiæ obtinuerint, ut de ſuis criminibus & delictis maneant impuniti & incorrecti, privilegiis familiaritatis regiæ non debere gaudere: inhibens inſuper juſtitiariis ſuis, ne ſe talibus intromittant, ſed ad ſuum judicem remittant, prout ipſe Rex tales remittit. Septimâ præcipit ſuis, ut Eccleſiaſticis judicibus proceſſus contra uſurarios, & ad exequendas pias voluntates teſtantium & exercendas viſitationes, facientibus, aſſiſtant, nec eos impediant. Octavâ denique literâ mandat non permittendum quæſtores uti officio quæſtorum niſi habeant teſtimoniales diœceſani loci. Hæ porrò omnes literæ exceptâ primâ, datæ Dertuſæ die duodecima Octobris anni 1429 ad inſtantiam Patrum Concilii, quod ibidem à Petro Legato Sedis Apoſtolicæ celebrabatur, extant Tomo XII Concil. Labbei col. 419 & ſeqq.

LXXX. *Martinus PP. novos Cardinales creat.* Anno 1430, juxta Felicem Contelorium in Elencho Cardinalium, die octava Novembris Martinus Pontifex duos novos Cardinales creavit, & duos ex ſuperioribus promulgavit. Joannes Caſanova ex Ordine Prædicatorum ſacri palatii Magiſter & Epiſcopus Elnenſis, dictus eſt Cardinalis Presbyter tit. S. Sixti, & Guilielmus Dinanus de Monteforti Epiſcopus Maclovienſis creatus quidem ſed non promulgatus niſi poſt biennium ab Eugenio IV, à quo pileum rubrum accepit cum titulo Sanctæ Anaſtaſiæ. Promulgati etiam eadem die octava Novembris fuêre, Proſper Columna, & Julianus Cæſarinus, quos antea creatos, ſed in arcano habitos diximus. Fallitur autem Auguſtinus Oldoinus dum ſcribit, Julianum Cæſarinum, qui à Martino dictus eſt

SÆC. XV. MARTINUS V.

eſt Cardinalis tit. S. Angeli in foro piſcium, fuiſſe poſtea ab eodem dictum Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ; nam in prima Seſſione Concilii Baſileenſis, celebrata die 14 Decembris decem ferè menſibus poſt Martini mortem dicitur Diaconus Cardinalis S. Angeli, ideoque poſtea adeptus eſt titulum S. Sabinæ, cùm in reſponſione Synodali Concilii, quæ extat Tomo XII Concil. col. 704 dicatur Presbyter Cardinalis tit. S. Sabinæ, quem ideo titulum obtinuit ab Eugenio IV, a quo poſtea dictus eſt Epiſcopus Tuſculanus. Quod attinet ad Dominicum Ram, quem Martinus anno 1423 cum Dominico à Capranica Cardinalem creaverat, ſed non promulgaverat, publicavit quidem Pontifex anno 1430 die decima Martii, eique titulum SS. Joannis & Pauli aſſignavit; ſed Dominicum à Capranica non publicavit, ſed cum Cardinalibus pepigit Pontifex biennio tantùm evoluto promulgandum, adjecta conſtitutione, quam Joannes Baptiſta Poggius in ejuſdem Cardinalis à Capranica, ſeu Firmani vita MS. apud Raynaldum anno 1430 num. 5 recenſet his verbis: *A' Martino creatus eſt Cardinalis ſecretus. Mores eſt Romanorum Pontificum, multiſque annis obſervatum, cùm aut plures pro Cardinalium creatione ſibi ſunt infenſi, vel ipſi augeri collegii numerum ægrè ferant, Pontifices verò quempiam ad eam dignitatem velint extollere, & competitorum moleſtias evitare, diſſimulata aliquorum creatione de collegii ſententia, quos volunt nominant Cardinales præſentibus jurejurando adactis, ſe illos pro Cardinalibus habituros, nec obſtituros, quominus in ſuum collegium recipiantur. Certum inſuper tempus ſtatuunt, quo id palam fiat: qui contrafecerint ſacris interdictum fore. Ita Dominicus Cardinalis creatus eſt: convenerat verò inter Pontificem & Cardinales, ut intra biennium pronunciaretur Dominicus: quod ſi interea mori Pontificem contingeret, liceret illum intereſſe pro Cardinali alterius electioni, ac deinceps talis haberi, idque jurejurando ſanxerant.* Falluntur itaque qui apud Oldoinum in ſuperiori Cardinalium creatione laudatum ſcribunt Dominicum à Capranica promulgatum fuiſſe Cardinalem à Martino V die octava Novembris anni 1430 & ſi vera ſcribit Poggius non video cur Dominicus poſt mortem Martini non interfuerit electioni Eugenii IV. Qua de re infrà. Ceterùm cùm Alfonſus Rex à Petro Fuxenſi poſtulaſſet, ut Pontifex promoveret ad Cardinalatum duas perſonas ex ſex ab eo nominandis, & omnia poſtulata Regis à Pontifice admiſſa fuerint, forsàn quis non immeritò conjiceret, duos illos Cardinales creatos fuiſse anno 1430 à Martino Papa ad nominationem Alfonſi Regis, aut ſaltem Joannem Caſanovam Epiſcopum Elnenſem, ſeu Helenenſem: Elna, ſeu Helena tunc erat ſub dominio Alfonſi, cùm ſit urbs Comitatus Ruſcinonenſis, quæ tunc erat Epiſcopalis, ſed anno 1604 hic Epiſcopatus Perpinianum à Clemente VIII translatus eſt, adjecta verò eſt regno Franciæ anno tantùm 1641. Hæc conjectura ex eo fulciri videtur quòd Oldoinus ſcribit, Joannem Caſanova Hiſpanum natione, adhuc juvenem Regi Aragoniæ à confeſſionibus fuiſse, ejuſque corpus poſt mortem Florentiæ obitam Barcinonem delatum eſſe.

LXXXI. *Nugivendi cujuſdam Manfredi congregationem diſſolvere conatur.*

Sanctus Antoninus part. 3 tit. 22, cap. 7, § 8 ſcribit, ſedente Martino Papa & Florentiæ adhuc exiſtente, Manfredum quemdam patrià Vercellenſem, religioſum Ordinis Prædicatorum, timentem Deum, adventum Antichriſti proximè venturum prædicaſse argumentis ex Apocalypſi deſumtis, cujus terrore multi utriuſque ſexûs & omnis ætatis homines bonis omnibus abdicatis, Tertium Ordinem S. Dominici, ſeu de Pœnitentia ſub eodem Manfredo ſuſcipientes, ei adhæſerunt, viventes in communi, viri ſeorſim à mulieribus, de labore manuum ſuarum, non omiſſis divinis officiis, in ſumma honeſtate & caritate converſantes. Quod hominum genus cùm timeret Martinus Pontifex ſcandalum aliquod poſſe generare, conatus eſt Congregationem diſſolvere, ſingulos ad ſua remittendo, & eleëmoſynam eis dare prohibendo: nec tamen potuit, ob devotionem populorum in eorum ſubventionem. Quin imò cùm Martinus Papa Romam Florentià petiit, ſecutus eſt eum Manfredus cum ſua congregatione, ac præcipuè fœminis, quarum magna pars Romæ obiit, reliquiæ in ſumma vitæ anguſtia degentes, pleræque juniores à Dæmonibus vexatæ, & illuſionibus tentatæ fuêre. Cùmque ab eis putaretur Manfredus Papa futurus, ipſe nimiùm eis credulus, poſt multos annos ſub Eugenio IV deceſſit, in conventu Minervæ ſui Ordinis ſepultus. Ac poſtea diviſæ in duas partes mulieres, paulatim defecerunt; nec Manfredum Papam, nec Antichriſtum videntes.

LXXXII. *Quomodo egerit cum Bernardino Minorita Nominis Jeſu inſigni propagatore.*

Addit S. Antoninus contra hunc Manfredum prædicaſſe Bernardinum, magnæ tunc pietatis & doctrinæ virum, patriâ Senenſem, religioſum Ordinis Minorum, qui prædicando, regiones Italiæ miro audientium fructu peragrabat, ut jam Antoninus § 5 dixerat. Cum verò præcipuus cultor eſſet nominis Jeſu; ut illud quaſi obliteratum in cordibus fidelium inſculperet, & ad ejus amorem inflammaret, pictum & ſculptum in medio magnæ tabulæ ornatæ populo adorandum proponere conſueverat. Ita S. Antoninus. Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus lib. 4 anno 1423 originem

præ-

SÆC. XV. MARTINUS V.

prædictæ picturæ inde prodiiſſe ſcribit, quòd cum Bernardinus Bononiæ prædicationibus ſuis luſores omnes impuliſſet ludi & aleæ inſtrumenta igni objicere, quæ IV Nonas Maji in foro populo ipſo approbante combuſta ſunt, atque hinc quidam artiſex, qui tabellas luſorias pingere & familiam eâ re alere conſueverat, eo quæſtu privatus apud Sanctum virum conquereretur in extremam neceſſitatem, illo dempto vitæ præſidio, perductum iri, cùm nihil aliud pingere didiciſſet: Bernardinus mox ſole in circulo formato, atque in ejus medio nomine Jeſu novis quibuſdam literarum formis effiсto, illud ita pingendum tradiderit, quod cùm ille feciſſet, confluentibus ad emendam imaginem ex Bernardini auctoritate plurimis, longè majores inde pecunias quàm ex chartis aut tabellis luſoriis conſueverat, comparaverit. Talem autem picturam adhuc ſuo tempore in porticu boni Jeſu adhuc viſam eſſe cum Beati Bernardini effigie addit Sigonius; de quo tamen nihil habet S. Antoninus, qui pergit, ea novitate veluti ſuperſtitioſa quoſdam ſapientiores commotos, quòd videretur plebs literas illas magis quàm qui ex ſignificabatur, Chriſtum venerari, jamque Bernardinum imitarentur aliqui alii prædicatores Minorum, tabulas ejuſmodi in proceſſionibus ante crucem deferentes, rem ad Martinum Pontificem delatam eſſe, qui habita ſuper his diligenti Prælatorum ac Doctorum conſultatione, rem ut periculoſam prohibuit: ac Bernardinus obedientiæ filius ab ea deinceps abſtinuit. Rem nihilominùs paulò aliter geſtam narrat Laurentius Surius in Vita ejuſdem Sancti, & ſunt qui tradunt, Bernardino aliquando concionante, nomen Jeſu eâ formâ quam pingebat miro ſplendore coruſcans ſupra illum apparuiſſe: juſſumque à Martino Pontifice eſſe, non omninò à prædicta pictura abſtinere, ſed ei imaginem Crucifixi appingere. Certè Martinum plurimùm feciſſe Bernardinum ex eo certè conjicitur, quòd cùm anno 1427 Antonius Caſinus Cardinalis Senenſem Eccleſiam dimiſiſſet, Pontifex ad ſupplicationem ejuſdem Cardinalis ei præfecit Bernardinum, ut conſtat ex literis, quas Caſinus ſcripſit ad Senenſes, quæ extant in ejus Vita apud Claconium. *Magnifici & Excellentes Domini. Hic mane Sanctiſſimus Dominus noſter de Eccleſia Senenſi providit Reverendo in Chriſto patri domino fratri Bernardino de Senis, de qua re ſuæ Beatitudini inſtantiſſimè ſupplicavimus. Et ſicut in hoc operati fuimus, ita in omnibus vobis gratis, & juxta vota veſtra faciemus. Romæ die quarta Junii anno* 1427. Patriæ tamen & aliarum civitatum infulas humilitatis gratiâ Bernardinus longiùs à ſe repulit, dicens, *Non ſe miſſum à Domino baptizare, ſed evangelizare.* Imò Wadingus in Annalibus oſtendit eo anno Martinum conceſſiſſe Bernardino, ut in Baſilica Vaticana per dies octoginta proponeret verbum Dei inſtitutâ ſolemniſſimâ proceſſione totius Romani Cleri, cui nomen Jeſu eleganter depictum & ſolaribus radiis ornatum in longa pertica perferebatur: Deinde templorum domorumque portis ejuſmodi depictas tabulas affixas. Anno poſtea 1431 cùm Michael cauſarum fidei in Romana Curia actor ignominioſam hæreſeos calumniam ei inurens ex pio illo facinore & perperàm interpretatis nonnullis aliis geſtis, aliquot nonnullos falſos teſtes adduxiſſet, & Joannem tit. S. Sixti Presbyterum Cardinalem contra Sanctum Bernardinum excitaſſet, ut ipſum in judicium vocaret, diemque peremptoriam conſtitueret. Eugenius Pontifex anno 1432 explorata Bernardini integritate, libellum, quo citatus fuerat, reſcidit, & eum ab omni impietatis crimine puriſſimum, imò acerrimum orthodoxæ religionis propugnatorem vindicemque pronunciavit diplomate dato *Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1432, VII Idus Januarii Pontificatûs noſtri anno I*, quod extat apud Raynaldum num. 24.

LXXXIII. *Julianum Cæſarinum Card. Legatum mittit contra Huſſitas.*

Martinus Papa de extirpatione hæreſis Bohemorum valdè ſolicitus, exeunte anno 1431, Julianum Cæſarinum Cardinalem Diaconum S. Angeli in Foro piſcium, virum doctrina, facundia, & rerum experientia, prudentiaq; mirabilem, omnibuſque tam Latinis quam Græcis illorum temporum Scriptoribus laudatiſſimum, jam tum in Germania apud Sigiſmundum Regem Romanorum agentem, ad id operis cum ampliſſima facultate Legatum à latere conſtituit pro bello ſacro contra Boëmos Huſſitas indicendo, & aliis gerendis, quæ ad eandem rem pertinerent, dato ad eum diplomate tertio Idus Januarii, quod Cochlæus lib. 6 Hiſtoriæ Huſſitarum recitat, unà cum ejus promulgatione, & orationum ad divinum auxilium implorandum indictione per eundem Julianum die vigeſima prima Martii facta Nurembergæ diœceſis Bambergenſis: cùm, ut ait, pridem in eadem urbe Sigiſmundus conventu Electorum Imperii, cæterorumque Principum tam Eccleſiaſticorum, quàm Sæcularium, & communitatum habito, deliberaſſet cum potenti ex tota Germania exercitu ad feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ Boëmiam ingredi ad extirpationem hæreticorum: qui interea, ut Krantzius de hoc eodem conventu agens, deſcribit, rem factis potiùs quàm verbis agentes, Sileſiam & Marchiam de more crudeliter devaſtabant, nec ordini, nec ſexui, nec ætati deferentes, nullique loco aut ſacro aut

pro-

profano parcentes. Quàm infelix fuerit illa eapeditio refert Æneas Silvius poſtea Pius Papa II in Hiſt. Boëmorum cap. 48, & ex eo Cochlæus loco laudato, apud quos hæc legi poſſunt, non ſunt enim hujus loci.

LXXXIV. *Eumdem Card. conſtituit Legatum pro celebratione Concilii Baſileenſis.*

Eodem anno 1431 Martinus Pontifex, inſtante jam tempore celebrationis Concilii Generalis, ex decreto primùm Seſſionis 44 Concilii Conſtantienſis, deinde Senenſis, quo civitatem Baſileam, ad id deſignatam vidimus, eundem Julianum Cardinalem tanquam Angelum pacis ad prædictam civitatem Baſileenſem deſtinauit Legatum à latere, cum plena & abſoluta poteſtate, ipſius Pontificis nomine, Concilio in ea celebrando præſidendi, atque in illo proponendi, & cum Patribus deliberandi ac ſtatuendi quæ ad laudem Dei, conſervationem & augmentum fidei, ſtatum Eccleſiæ, reformationem Cleri, reductionem Orientalis Eccleſiæ, & quorumlibet aliorum oberrantium, ac præcipuè Boëmorum, & extirpationem hæreſum ubique graſſantium, conſervationem Eccleſiaſticæ libertatis, pacem & quietem regnorum, Regumque, ac Principum, & populorum pertinerent, ut ait ipſemet Pontifex conſtitutione ea de re edita ad eundem Cardinalem Julianum miſſa, data *Romæ apud SS. Apoſtolos Kalendis Februarii, Pontificatûs noſtri anno decimo quarto*, quæ extat Tomo XII Concil. Labbei col. 468. Verum cùm dictus Cardinalis expeditioni Germanorum in Huſſitas intenderet, dum exercitum moram aliquam nectentem opperiri ſtatuiſſet uſque ad Kalendas Auguſti, interim Baſileam miſit Joannem de Palomar ſacri Palatii Apoſtolici Auditorem, Archidiaconum Barcinonenſem, & Joannem de Raguſio Doctorem in Theologia Pariſienſem Procuratorem Generalem Ordinis Prædicatorum, qui Concilium ſuo & Apoſtolicæ Sedis nomine auſpicarentur.

LXXXV *Martini PP. obitus.*

Cùm multa alia præclata egiſſet Martinus Pontifex, quæ non ſunt Breviarii Hiſtorici argumentum, ſed Libri materies, divina providentia eum ad æternam vitam vocavit anno circiter ætatis LXIV, menſe Februario. Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium, & Lucas Wadingus, quos ſequitur Oldoinus in ſuo Pontificum Necrologio, eum mortuum ſcribunt die vigeſima prima ejuſdem menſis; ſed eorum opinioni repugnant Eugenii IV ſucceſſoris literæ IV Idus Martii datæ, quæ extant apud Raynaldum, in quibus ait: *Cùm felicis recordationis Papa Martinus V prædeceſſor noſter, ſicut Domino placuit, nuper, videlicet X Kal. Martii, ab hac mortali lacbrymarum valle ad immortalem vitam migrarit*. Repugnat & ipſius Martini epitaphium, in quo etiam dicitur mortuus die XX Februarii, niſi dicatur eum mortuum nocte inter diem XX & XXI Februarii. Litem dirimeret Solis deliquium quod contigiſſe dicit Oldoinus in Notis ad Ciacon. die 20 Februar. circa horam vigeſimam ſecundam, quo ita adumbrata fuerunt omnia, ut noctem duabus horis præcurriſſe judicatum ſit; eaque ipſa die, quæ obitum præceſſit Pontificis, Joannem Capiſtranum Ordinis Minorum è palatio Pontificio diſcedentem vidiſſe fulgur è cœlo emiſſum, quo clarè exarata hæc verba perlegit: *Non videbit lucem ſurgentis auroræ*; ex ea enim inferri poſſet Martinum ante ortum Solis die XXI Februarii obiiſſe; cùm ex alia parte epitaphium non videatur tempore Martini poſitum, ut mox dicetur. Sed deliquium illud Solis eſt valdè dubium; nam Andreas Victorellus in Notis ad Ciaconium ſcribit illud Solis deliquium contigiſſe die duodecima Februarii feria ſecunda Carnis privii, & Martinum obiiſſe die 21 ejuſdem menſis die Martii in aurora diei; fallitur tamen quoad feriam; dies 21 Februarii concurrebat anno 1431 cum die Mercurii. Certè nullus, quod ſciam, de hac eclypſi locutus eſt præter S. Antoninum tit. 22, cap. 10, in principio, ubi ait: *Martino de hac via ſubtracto, quo die eclypſim naturaliter paſſus eſt ſol poſt ſolemnes exequias ejus, dominis Cardinalibus in conclavi exiſtentibus*, ita ut diſcerni non poſſit an eclipſis ſolaris acciderit ipſa die mortis Martini, vel dum Cardinales eſſent in conclavi poſt ejus exequias. Nam in editione, qua utor, interpunctio ponitur poſt vocem *ſubtracto*, & nulla alia ponitur poſt vocem *ſol*, ideoque hæc eclipſis in ejus ſententia non referretur ad diem mortis, ſed ad tempus quo ejus exequiæ peractæ ſunt. Sed Sethus Calviſius in Opere ſuo Chrorologico, quod primùm Lipſiæ in quarto anno 1605 prodiit, & poſtea in folio Francofurti ad Mœnum anno 1650, in quo Tempus Aſtronomicum per motus & eclipſes luminarium cœleſtium, tanquam characteres infallibiles epocharum demôſtravit, circa hæc tempora nullam aliam eclipſim ſolarem memorat, quàm illam, quam Annales Turcici volunt contigiſſe anno Hegiræ 836, qui initium ſumſit die 28 Auguſti feria 5, anni 1432, quæ contigit ſub veſperam diei 17 Junii feria quarta anno 1433, quæ eclipſis viſa eſt Vitembergæ horis quatuor poſt meridiem.

LXXXVI. *Ejus Epitaphium, & locus ſepulturæ.*

Martini Papæ corpus terræ mandatum eſt, ut ipſe mandaverat, in Lateranenſi Eccleſia ante capita Apoſtolorum Petri & Pauli, ut quorum ſemper tenuerat memoriam, & pro quorum ſemper honore pugnaverat, ipſi ad Deum pro eo fierent continui interceſſores. Epitaphium tùm ibi ſculptum, tùm à Ciaconio, tùm à Raynal-

SÆC. XV. MARTINUS V.

naldo, tùm à Cæſare Raſpono concordi-
ter tranſcriptum his conſtat notis: Marti-
nus PP. V ſedit annos XIII, Menſes III,
dies XII, obiit anno milleſimo quadringen-
teſimo trigeſimo primo, die vigeſima Fe-
bruarii. Temporum ſuorum Felicitas.
„ Quis crederet, inquit Papebrochius, huic
„ ter concorditer expreſſo epitaphio ſubeſ-
„ ſe errorem? ſubeſt tamen. Nam cùm die
„ Sancti Martini, unde & nomen ſumſit,
„ electum fuiſſe conſtet, & X Kalendas
„ Martii defunctum dicat infra ſucceſſor
„ Eugenius, non potuit ſupra annos 13,
„ menſes III, pluſquàm X dies ſediſſe,
„ ut conſideranti patebit. Ita Papebrochius
qui exiſtimat, temporis ſequentis longio-
ris lapſu extritum epitaphium, aliquem
renovandum curaſſe, ſed infeliciter: &
rotundo numero invenientem numeratos
annos 31, menſes III, vacantis autem
Sedis dies XII, hos putaſſe ad Pontifica-
tum pertinere. Quod miratur nec à Ray-
naldo quidem obſervatum fuiſſe. Sed mihi
videtur huic viri doctiſſimi conjecturæ ma-
gnam vim non ineſſe; ad quid enim in
epitaphio ipſius Pontificis addita fuiſſet
contra uſum vacatio Sedis ante electionem
ſucceſſoris? Crederem potiùs illud epita-
phium longè poſt mortem Martini poſitum,
ideoque non multi faciendum. Obiit ita-
que Martinus inter diem XX & XXI
menſis Februarii, ſicque ſedit à die ele-
ctionis annos XIII, menſes III, dies X,
vel dies XI, ſi includatur dies XXI, ut ali-
quando factum eſſe multis exemplis con-
ſtat.

LXXXVII. *Ejus virtutes, & in adverſis conſtantia.*

Laudatur Martinus ab omnibus Scri-
ptoribus multarum virtutum: ei anim Ec-
cleſia unionem, Italia quietem, Roma re-
ſtaurationem debuit, ut ex ejus geſtis ſu-
periùs narratis manifeſtum eſt; ceteræ au-
tem nationes eximiam de omnibus bene
merendi voluntatem in eo agnoverunt. Eum
tantâ conſtantiâ fuiſſe ſcribit Platina, ut
cùm duos haberet fratres unicè ſibi dile-
ctos, eorumque alter Jordanus Princeps Sa-
lernitanus major natu peſte, alter Lauren-
tius minor, in turri igne caſu injecto periiſſet;
nihil ex eo ſit auditum, nihil viſum quod im-
patientiæ abjecti animi ſignum aliquod præ-
ſe ferret. Immò antiquus codex MS. apud
Papebrochium in Conatu Chronico-Hiſtori-
co, cùm contigiſſet fratrem natu majorem
peſte infirmari, nequiviſſe ſe Pontificem con-
tinere, quin ipſum, omni timore peſtis
abjecto, videret, viſitaret, alloqueretur,
manu tangeret, & per magnum ſpatium
cum eo remaneret, eum chriſtianè exhor-
tando, quod pauciſſimi etiam privati fe-
ciſſent: cujus mortem poſtea ita patienter
tulit, ut de ſe cunctis ſpectaculum ſimul
& exemplum præbuerit. Addit mortem
alterius fratris in turre igne conſumpti ei
nunciatam eſſe die ſolemni mane antequam
celebraret: quo intellecto non dimiſit pro-
pterea publicè divina ſiccis etiam oculis
peragere quieto & placido, ut videbatur,
animo omnem Miſſæ ſolemnitatem explens;
cùm enim eſſet conſtantis & integri pro-
poſiti ad omnia adverſa paratum animum
habebat. Accuſatur à quibuſdam Martinus
de nimia cumulandarum pecuniarum cupi-
dine; ſed excuſatur à S. Antonino Chro-
nic. part. 3, tit. 22, cap. 7, §. 3, quòd
eæ inſumptæ ſint in ſtipendiarios, & contra
hoſtes Eccleſiæ: præter ingentes illas, quæ
in reſtaurationes Eccleſiarum, aliaque Ur-
bis ornamenta expendendæ fuerunt.

LXXXVIII. *Purgatur à calumnia.*

Hæretici, Angeli de Clavaſio in ſua
Summa auctoritate fulti culpant Martinum
quaſi cuidam permiſerit ſororem germanam
uxorem ducere; ſed ſi Summam S. Anto-
nini, quam idem Angelus teſtem citavit,
inſpexiſſent, reperiſſent utique falſitatem
Citationis, inquit Spondanus anno 1431,
num. 3, Antoninus quippè part. 3 ſummæ,
tit. 1, cap. 11, disertè loquitur de diſpen-
ſatione conceſsâ cuidam, qui matrimonium
contraxerat cum fœmina, cujus ſororem
priùs fornicariè cognoverat. Super qua
affinitate diſpenſare, poteſtatis Pontificiæ
limites minimè excedere in confeſſo eſt.
Tametſi Antoninus ſcribat variè ſuper hac
re à Theologis & Canoniſtis tunc diſcepta-
tum eſſe: nec diſpenſaſſe Martinum niſi
quia fornicatio erat occulta, nec vir ille
aptus eſſet ad religionem, vel ad longin-
quam peregrinationem: & ſi divortium fa-
ctum fuiſſet, magna ſcandala ſequenda
erant. His addit Natalis Alexander Mar-
tinum tanta cautione uſum eſſe in diſpen-
ſationibus concedendis conſtare ex ea, quam
conceſſit Joanni Comiti Fuxenſi, ut cum
prioris uxoris ſorore nuberet, de qua di-
ctum eſt initio ejus pontificatus; licèt enim
Gallicani Doctores & plerique aliarum na-
tionum deputati in Concilio Conſtantienſi,
cujus examini hæc quæſtio relicta fuerat,
reſpondiſſent, non ſolùm utilem, ſed &
neceſſariam hujuſmodi diſpenſationem, &
Cardinalium conſilium concedendam eſſe
dixiſſet, cùm poteſtatis Pontificiæ fines non
excederet, & publici boni ratio id poſtu-
laret: nihilominus ad majorem cautionem
duobus S. R. E. Cardinalibus commiſit,
ut quæſtione iterum à viris doctis diſcuſsâ,
diſpenſationem, ſi fas eſset, concederent.
Reſcriptum hac de re Gebennis datum ex-
tat apud Raynaldum anno 1418, num.
34; Non mirum ſi ab hæreticis culpatus
ſit Martinus, cùm ipſe ſui temporis hæ-
reticorum acerrimus inſectator fuerit; licèt
autem dum viveret ab aliquibus culpatus
fuerit, hoc itidem nihil mirum, cùm enim
mortalium felicitas invidiam comitem ha-
bere ſoleat, populus perpetuò inſanus,

SÆC. XV. MARTINUS V. non ſolùm eum, ſed & aliquot ejus ſucceſſores, pereunte cũ eis ſimul invidia, mortuos laudavit. Quam in rem Joannes Gobelinus Hiſtoricus in Præfatione libri primi ſuorum Commentariorum, *Martinum V*, inquit, *vidi*, *& Eugenium IV*, *& Nicolaum V*, *& Calliſtum III*, *quos dum vixère*, *damnavit populus*, *fato defunctos magnis extulit præconiis*. Eorum porrò Commentariorum Joannis Gobelini auctor exiſtimatus eſt Æneas Silvius, poſtea Pius II, ab ipſo etiam Platina, & ſub illius nomine circumferebantur, typis tamen editi ſunt nomine Joannes Gobelini, Nugas denique Pleſsæi contra Martinum refutat Gretzerus cap. 63 Examin. Myſterii Pleſsæani.

LXXXIX. Ejus ſcripta. Cùm Martino ſedente corpus ſanctæ Monicæ matris ſancti Auguſtini in Urbem translatum eſset, ipſe illud anno 1430 die Palmarum collocavit in Eccleſia Eremitarum ejuſdem S. Auguſtini, de qua translatone Sermonem ſcripſit, qui extat in Hiſtoria Auguſtiniana Toloſæ anno 1641 edita. Scripſit etiam varias Epiſtolas, quæ aſservantur MSS. in Vaticano; ejus verò Conſtitutiones in Collectione Romana & in magno Bullario. Ejus approbatio Regulæ Monachorum extat inter Opera S. Hieronymi; ejus autem teſtamentum & Ceremoniale Curiæ Romanæ extant MSS. Romæ in Bibliotheca Barberina, ita Ludovicus à S. Jacobo in Bibliotheca Pontificia. Ejus geſta & vitam, non minùs præclarè quàm Platina & quicumque alius, literis mandavit lib. 8, rerum memorabilium Baptiſta Fulgoſius, qui eum ſæpè viderat. SÆC. XV. MARTINUS V.

EUGENIUS IV *Pontif. CCIX.*

Anno Domini MCCCCXXXI.

I. Eugenius IV eligitur Pont. Rom. Martino V Papa die vigeſima menſis Februarii anni 1431 mortuo, poſt juſta funebria de more novem diebus celebrata, Cardinales quatuordecim, qui in Urbe erant, die prima vel ſecunda Martii Conclave ingreſſi, paucis evolutis diebus Gabrielem Condelmerium, tunc Presbyterum Cardinalem tit. S. Clementis, dictum vulgariter Cardinalem Senenſem ab Epiſcopatu Senarum quem geſſerat, Pontificem Romanum elegerunt. Ciaconius, quem Spondanus, & alii ſequuntur, ſcribunt eum electum die tertia menſis Martii, Eugenium IV vocatum. Papebrochius in Conatu Chronico-Hiſt. vult eum electum die ejuſdem menſis ſexta, & in Joannis Stellæ Chronico, ubi legitur electus V Nonas Martii, ſeu die tertia Martii legendum eſſe ſecundo nonas Marti, ſeu die ſexta Martii, cujus opinioni libenter ſubſcriberem, cùm ex S. Antonino tit. vigeſimo ſecundo, cap. decimo in principio, interceſſerint aliquot dies inter introitum Cardinalium in Conclavi, & ejus electionem, *intra pauciſsimos dies*, inquit, *creatus eſt*; quod falſum eſſet, ſi ejus electio contigiſſet die tertia Martii; die enim tantùm prima ejuſdem menſis finitæ ſunt exequiæ Martini, & ſic Cardinales vel ſub veſperam ejuſdem diei, vel ut probabilius die ſecunda menſis conclave introierunt, in quo eadem die antequam ad electionem procederent, ſtatuerunt inter ſe, atque juraverunt quoſdam articulos *ad conſervandum ſtatum Eccleſiæ Romanæ*, *& monarchiam Eccleſiaſticam cum Cardinalium dignitate*, *qui cùm ſint lumina*, *& ornamenta propè Papam Sedem Apoſtolicam illuſtrantia*, *& columnæ firmiſſimæ ſuſtentantes Eccleſiam Dei cum Romano Pontifice*, *eidem ut membra ſuo capiti concordia inſolubili debent eſse conjuncti*, verba ſunt ipſius Eugenii in diplomate confirmationis. Inter illos articulos hi erant, Ut impoſterum poneretur in literis Apoſtolicis *de conſenſu fratrum noſtrorum*, non verò ut priùs, *de conſilio*; Ut Papa non poſset creare novos Cardinales abſque conſenſu antiquorum; & ut medietas patrimonii Eccleſiaſtici eſset ipſorum Cardinalium. Cùm igitur inter introitum Conclavis & electionem quidam dies interceſserint, neceſsariò electio videtur differenda uſque ad diem ſextam Martii vel circiter. Sed huic Papebrochi Chronologiæ non parum obſtat Epiſtola, qua Florentini Eugenio gratulati ſunt de ſua electione; data eſt enim *Florentiæ die quinta Martii* 1431, apud Raynaldum num. 9; ex ea quippe certum eruitur argumentum ejus electionem factam eſse die tertia Martii. Quidquid hac de re ſit, illis articulis ſubſcripſerunt quatuordecim Cardinales *apud Eccleſiam S. Mariæ ſupra Minervam in capella conclavis anno Domini milleſimo quadringenteſimo triceſimo primo*, *indictione nona*, *die verò Veneris*, *ſecunda menſis Martii*, *Apoſtolica Sede vacante*, & inſerti ſunt in diplomate confirmato ab Eugenio electo, quod extat apud Raynaldum eo anno num. 5, & ſeqq. & dicitur *datum Romæ apud S. Petrum per manus mei Blaſii Patriarchæ Gradenſis*, *Cancellariam S. R. E. regentis anno Incarnationis Dominicæ* 1430, 4 *Idus Martii*, *Pontificatus præfati Domini noſtri Papæ Eugenii anno I*.

II. Solemniter coronatur. Eadem die, qua præfatum diploma con-

confirmationis emiſit Eugenius, die nempe duodecima Martii, corona Pontificia redimitus eſt apud Baſilicam Sancti Petri, ac tum Præſules de ſuſcepto à ſe Pontificatu certiores fecit encyclicis literis, quas idem Raynaldus refert num. 8; addens eodem argumento datas eſse literas eadem die ad Chriſtianos Principes, quos etiam hortatus eſt, ut Eccleſiaſticum jus tuerentur, datas, ſicut poſteriores, *Romæ apud S. Petrum IV Idus Martii anno I*, & in uno Codice MS. legi hæc verba: *Die coronationis noſtræ*, ad quæ ſi animum advertiſset Papebrochius, non ſcripſiſset, ut Onuphrius, Eugenium coronatum die undecima Martii in Dominica; licèt enim de more Pontifices Romani conſecrarentur die aliquo Dominico, ipſe tamen fatetur eas ſolemnitates etiam peractas in feſto aliquo ſolemni, qualis erat dies duodecima Martii, utpotè ſacra divo Gregorio Magno, cujus feſtum Romæ ſumma ſolemnitate celebrabatur. Ceterùm mirum mibi accidit in ſubſcriptione dictorum articulorum, facta in conclavi die ſecunda Martii, inveniſse duos Presbyteros Cardinales ejuſdem tituli S. Clementis, nempe ipſum Eugenium ita ſubſcriptum: *Ego Gabriel tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis Senenſis, prædicta promiſi, vovi, & juravi, & ad fidem manu propria me ſubſcripſi.* Et uno tenore: *Ego Branda tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis, Placentinus nominatus, prædicta promiſi*, &c. mirum, inquam, hoc mihi viſum eſt; cùm enim ob ſchiſma contigiſset, ut plerumque duo eſsent ejuſdem tituli Cardinales, ab Alexandro V manaſse uſum in Eccleſia Romana mutandorum titulorum, ſuperius vidimus. Ex hoc porrò loco conſtat, dictum Brandam Cardinalem à Joanne XXIII creatum, non eſse dictum Epiſcopum Portuenſem à Martino V, ut quidam volunt, ſed ab Eugenio IV, & quidem ante annum 1436; eo enim anno decimo tertio Kalendas Martii ſubſcripſit ut Epiſcopus Portuenſis Bullæ Eugenii IV datæ *anno* 1435, *decimo tertio Kal. Martii, Pontificatus anno quinto*, qui currebat adhuc menſe Februario anni 1436, ut demonſtrat annus quintus Pontificatûs, qui eo die nondum inceptus erat anno 1435, qui ideo poſitus eſt in Bulla, quia annus ſimilium ibi reperitur à die 25 Martii.

III. *Cur Dominicus Capranica electioni ejus non interfuerit.*

Auguſtinus Oldoinus ſuperiùs à nobis in Martino V laudatus ſcribit, Martinum non publicaſse creationem Dominici Capranica, cùm eum ſibi in pectore reſervavit, ſed decreviſse, ut ſi ipſum mori contigeret, antequam eum publicaſset, Cardinales ſuperſtites intra diem ab ejus obitu eum publicare deberent & recipere in Cardinalem, ſub privatione vocis activæ & paſſivæ, prout in quadam ſchedula, cui omnes Cardinales ſe ſe ſubſcripſerunt. Joannes Baptiſta Poggius verò in ejuſdem Cardinalis Vita, apud Raynaldum anno 1430, num. 5, ait tunc conveniſse inter Pontificem & Cardinales, *ne intra biennium pronunciaretur Dominicus. Quod ſi interea mors Pontificem contingeret, liceret illum intereſſe pro Cardinali alterius electioni, ac deinceps talis haberi*, *idque jurejurando* ſancitum eſse. Non interſuit tamen Dominicus electioni Eugenii hac ſine dubio de cauſa, quia, ut ſcribit Auguſtinus Oldoinus in ejus Vita apud Ciaconium, cùm Romam ad ædem B. Laurentii Via Nomentana veniſset poſt mortem Martini, quemdam ex amicis ad Cardinales collegas miſit, qui & publicè & privatim à ſingulis poſtulavit, ut venire ſibi ad ſuffragia pro creando Pontifice liceret. Sed cùm Cardinales variis inter ſe habitis ſententiis rem in longum protraherent, miſit iterum ad omnes amicos communes, qui aut id ab eis impetrarent, aut injuſsum ſe venturum exponerent. Quamvis juſta eſset ejus poſtulatio, nonnullorum tamen Cardinalium perſuaſionibus ab incepto deſtitit, affirmantium ſi hanc ſuam, licèt juſtam, voluntatem paululum differret, futurum ut faciliùs quod ſperaret, aſsequeretur. Rediit igitur Peruſium Dominicus uſque ad electionem Eugenii IV. Quæ eadem refert Poggius laudatus. Quid ei deinde contigerit, infrà dicetur.

IV. *Eugenii genus, & primordia ante Pontificatum.*

Natus erat Eugenius, ſeu Gabriel Condulmerius Venetiis circa annum 1383, honeſta familia populari, ſed antiqua, quæ poſtea ipſo Pontifice renunciato, Patriciatum obtinuit, patre Angelo Condulmerio, matre Bariola Coraria, quæ, ut ſcribit Oldoinus in Gabrielis Condulmerii Vita apud Ciaconium, raro felicitatis exemplo fratrem, Gregorium ſcilicet XII, filium Eugenium IV, & nepotem ex Polixena filia Paulum II Romanos Pontifices vidit. In adoleſcentiæ flore Gabriel Ordinem Canonicorum ſæcularium S. Georgii in Alga Venetiarum, cui cum ſocio Antonio Corario, poſtea Cardinali Bononienſi dicto, initium dedit, profeſſus eſt, ut diximus in Bonifacio IX, cùm antea viginti millia aureorum largâ manu pauperibus diſtribuiſset. A' Gregorio poſtea XII avunculo Romam vocatus, ex Canonico Veronenſi Protonotarius primùm Apoſtolicus, deinde S. R. E. Theſaurarius & Epiſcopus Senenſis anno 1407 renunciatus eſt; quo Epiſcopatu ſe exſolvens, anno 1408 primò dictus Apoſtolicæ Cameræ Clericus, mox ab eodem Pontifice Presbyter Cardinalis tit. S. Clementis creatus eſt. Martinus V ejus operâ in magnis rebus uſus, eum Piceni Legatum dixit; qua in Legatione Pi-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

centes in fide Eccleſiæ confirmavit. At cum intellexiſſet Martinus, Bononienſes rebus novis ſtudere, eò è Piceno Gabrielem Legatum miſit, qui ſno adventu ſeditionem omnem ſuſtulit. Bononiâ Romam venit, & paulò poſt Martino mortuo, ei ſubrogatus eſt. Ceterùm fuit Eugenius, ut eum S. Antoninus deſcribit, ſtaturâ procerus, gratioſus aſpectu, nec animo minor; liberaliſſimus ad pauperes, ad reparationem Eccleſiarum munificus; religioſos Deum timentes eximio ſovens affectu pariter & effectu cultûs divini & chriſtianæ religionis dilatandæ zelator præcipuus. Multas autem perſecutiones injuſtè paſſus & inſidias vitæ, eas æquanimiter, excelſoque animo tulit. Ita Sanctus Antoninus, qui eum ſæpè viderat, tit. 22 cap. 10 in principio.

V.
Literas de ſua electione non mittit ad Principes per Nuncios Apoſtolicos, & quare.

Eugenius, ut jam ſuperiùs diximus, Pontificia tiara redimitus, encyclicas de ſua electione ad cunctos Præſules, & ad Principes literas ſtatim dedit, quas non per Nuncios Apoſtolicos, ut antea fieri conſueverat, miſit, ſed regiis Oratoribus apud Sedem Apoſtolicam agentibus ad illos mittendas tradi juſſit: quod cùm Joannes Caſtellæ Rex ægrè ferret, Eugenius non alia de cauſa id factum ſignificavit literis, quæ extant apud Raynaldum anno 1431 num. 9, niſi ut ejuſmodi Nunciis cogendæ improba arte pecuniæ occaſionem adimeret, & exiſtimationem Sedis Apoſtol. conciliaret, ſui enim eſſe conſilii Romanam Curiam ab omni turpis quæſtus labe vindicare. *Viſum eſt nobis deſtinationem hujuſmodi Nuntiorum pro tali cauſa quæſtuariam eſſe, cum ad eam multi ſe offerant, & quaſi pro lucro laborem precibus impetrare conantur. Igitur voluimus initium noſtri Pontificatûs hac labe carere, & certas etiam conſuetudines alias quæſtuarias de Curia noſtra removimus, cupientes Romanam Curiam ab omni turpis quæſtus infamia liberare*, inquit Pontifex in prædictis ad Joannem Caſtellæ Regem literis.

VI.
Agit in nepotes Martini deteſſores, & poſtea in gratiam recipit.

Cùm Martinus Papa obiit, dereliquit in palatio apud SS. Apoſtolos, in quo deceſſit, & aliis locis inæſtimabilem pretioſorum mobilium & aliorum bonorum, & rerum Romani Pontificis ornatui congruentium, multitudinem copioſam, ac immenſas pecuniarum ſummas; quæ omnia à Proſpero de Columna Diacono Cardinali, & ab ejus fratribus Antonio Salernitano, ac Eduardo Celani Comite ſubtracta fuiſſe queritur Eugenius in diplomate dato *Romæ apud S. Petrum XV Kal. Junii anno primo* Pontificatûs, quod extat apud Raynaldum num. 10, quo eos ac rapinarum ſocios, læſæ majeſtatis reos pœnis eccleſiaſticis mulctavit, & bonis, dignitatibus, ac juribus privavit, quòd die ipſis conſtituta judicio adeſſe contempſiſſent. Cùm enim antea Eugenius ea omnia reſtituere, ſicuti & caſtra, terras, & loca Eccleſiæ per eos occupata monuiſſet, ipſi ſeditiones & oppreſſiones varias moliti erant; conflatoque exercitu de Pontifice opprimendo conjuraverant; ac facta irruptione die 22 Aprilis jugum Romanæ urbi imponere nitentes, cum Pontificiis copiis, Romaniſque fortiter pugnantibus repreſſi ſunt. Verùm eæ turbæ non multò poſt ſedatæ fuêre, auctore, ut creditur, Sigiſmundo Romanorum Rege; Antonius enim Princeps Salernitanus & Eduardus Celani Comes pridie Idus Septembris, reſtitutis urbibus eccleſiaſticis, in gratiam Pontificis admiſſi ſunt, qua de re Blondus Decad. 2 lib. 4. *In ea pace*, inquit, *illud cernere ſtupendum fuit, opes maximas nepotibus à Martino relictas, infra ſextum, quàm obierat menſem, mirabili profluvio effluxiſſe, quod Princeps Salernitanus partim Pontifici Eugenio dono dederit, partim Candolæ & aliis quos antea conduxerat, militibus in ſtipendium diſſolverit, partim Pontifici in pacis conditionibus reſtituere ſit compulſus. Acceſſeruntque alia detrimenta, quod ſimul cum Narniæ, Orti, Suriani, Gualdi, Nucerini, Aſſiſii, Aſculi, Imolæ, Foroliviì & Fortpopilii arcibus ex patrui ſententia ſponte redditis, præter Salernitani Principatus amiſſi damnum, alia dimittere coactus fuit circa Urbem Caſtella.* Hector Pignattellus in Diario MS. apud Raynaldum num. 12, ait etiam Joannam Siciliæ Reginam Salernitano Principatu & aliis toparchiis Columnenſes exuiſſe.

VII.
Abbas Vezeliacenſis & Nuncii Univerſitat. Pariſ. Baſileam accedunt pro Concilii celebratione.

Antequam Eugenii res geſtas proſequamur, temporum ordo poſtulat, ut primò de Concilio Baſileenſi breviter agamus. Inter plures collectiones ejuſdem Concilii, extat una in Bibliotheca Regia compendioſè concinnata per Auguſtinum Patricium Canonicum Senenſem, poſtea Rituum Sacelli Pontificii Magiſtrum, de quibus etiam librum conſcripſit, ac tandem creatum Epiſcopum Pientinum à Pio II, cujus ſecretarium egerat in Legatione Germanica, in qua legitur, quarto Nonas Martii anni 1431, quo die ſecundùm decreta Synodi Conſtantienſis inchoari oportebat Baſileenſem, Alexandrum Abbatem Vezeliacenſem Ordinis Sancti Benedicti in Burgundia, virum doctrina clarum, Baſileæ ſe ſiſtentem, convocatis Canonicis è collegio Eccleſiæ Baſileenſis, ac plurimis aliis viris egregiis propoſuiſſe, jam ſeptem annos completos eſſe à fine Concilii Senenſis, & ſecundùm illius, & Conſtantienſis decretum, Baſileenſe debere inchoari, ad quod Prælatos omnes abſque alia vocatione ſub pœnis juris venire oporteret: adeſſe ſe obedientiæ filium, paratum alios expectare, & cum iis, ad quos ſermonem habebat, interim omnia agere quæ neceſſaria forent pro ſalute

lute

lute Chriſtianæ plebis, &c. proteſtando per ſe non ſtare quin decreta ſacrorum Conciliorum implerentur. Ita Acta illa apud Spondanum num. 12, cum quo ea vocabimus impoſterum Acta Patritiana, quorum contenta quoad hoc confirmantur ex Epiſtola Juliani Cardinalis Legati, Concilii Præſidis, ad Eugenium Pontificem poſteà ſcripta contra diſſolutionem Concilii, quæ extat inter Opera Æneæ Silvii, in Faſciculo rerum expetendarum Orthwini epiſtola 2 & ex parte apud Raynaldum num. 27; ubi & præterea traditur, infra menſem veniſſe Nuncios Univerſitatis Pariſienſis Baſileam, ac cœpiſse tractare de iis quæ ad Concilium pertinerent, ſcribendo etiam Regi Sigiſmundo ac Principibus Germaniæ, ut mitterent ad Concilium.

VIII. *Eugenius PP. Concilii Baſileenſis indictionem confirmat.*

Antequam hæc reſciret Eugenius Pontifex imprimis ſollicitus de ſacra in Boëmos expeditione, & Concilii Baſileenſis celebratione, Juliano Cardinali Cæſarino literas dedit ipſo ſuæ coronationis die, nempe IV Idus Martii, quæ extant Tomo XII Concil. Labbei col. *934*, quibus ejus Legationem a Martino Papa ita confirmavit, ut tamen quod circa negotium Concilii mutationem in pluribus factam audiret, ab eo de iis reddi certior poſtulaverit. Receptis verò ejus literis, quæ quidem non extant, ſed quarum mentio in reſponſo Eugenii, cùm percepiſset paucos aut nullos adhuc Patres Baſileæ conveniſſe, reſcripſit ad eundem Julianum II Kal. ſeu pridie Kal. Junii, injungens ut interim negotium Boëmorum agens, eo expedito Baſileam ſe transferret. Extant hæ literæ ibid. col. *469*. Julianus videns expeditionem in Boëmos hæreticos moras nectere, Baſileam miſit Joannem Polmar Auditorem ſacri palatii, & Joannem de Raguſio Doctorem Pariſienſem, Ordinis Prædicatorum Procuratorem Generalem, delegatos ad præſidendum Concilio, qui præſidentes die decima nona Julii ejuſdem anni 1431 Baſileæ applicuerunt; & die vigeſima tertia ejuſdem menſis, convocatis omnibus Eccleſiaſticis perſonis, tam extraneis quàm intraneis, in capitulo majoris Eccleſiæ Baſileenſis Concilium inchoaverunt, decernentes tamen majorem numerum ad res tractandas expectandum eſſe. Quare nulla Seſſio habita eſt ante menſem Decembrem, licèt Julianus Cardinalis jam per aliquot menſes Baſileæ ſubſtitiſſet, ut conſtat ex Seſſionibus Actorum Concilii apud Labbeum. Baſilea portò ſeu Baſilia eſt antiqua & inſignis Germaniæ civitas ad Rhenum provinciæ Biſuntinæ, media ferè inter Conſtantiam & Argentoratum ad quindecim leucas, quæ Helvetiis poſtmodùm fœdere contributa, poſtremus eſt eorundem Helvetiorum Conventus, ſive Pagus.

Cùm Julianus Cardinalis Baſileæ aliquandiu ſubſtitiſſet, ad Boëmos verbis alliciendos, qui armis ſuperari non poterant, quòd quererentur nunquam ſibi traditam fuiſse, qualem voluiſsent, audientiam, ſcripſit ad eos die decima quinta Octobris nomine Concilii epiſtolam benigniſſimi & ſinceri affectus pleniſſimis hortationibus, qua invitabat Oratores ad Synodum mittere, cum quibus de fide tractari pacificè poſſet, cum oblatione ſecuriſſimi & ampliſſimi commeatûs ſeu ſalviconductus. Hanc Epiſtolam extare ſcribit Spondanus num. 13 in fine Actorum editionis Binii, quæ tamen non reperitur in editione Labbei. Quare hanc Epiſtolam eandem eſse exiſtimo ac illam, cujus partem recitat Raynaldus anno 1431 num. 24, ſcriptam non à Juliano Cardinali, ſed ab ipſa Synodo, apud quem ſic incipit: *Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis, in Spiritu Sancto legitimè congregata, univerſalem Eccleſiam repræſentans, univerſis viris Eccleſiaſticis, nobilibus & toti populo regni Boemiæ unitatem & pacem in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Poſtea Synodus eos ad mutuam pacem ſollicitat, & ad Concilium vocat; data eſt autem *Baſileæ die 15 menſis Octobris, anno Domini 1431, indictione I Pontificatûs ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini noſtri, Domini Eugenii divina providentia Papæ IV anno I*. Extat Tomo XII Concil. Labbei col. *669*. Eodem tempore Synodus monita, Catholicos Boëmis vicinos conditiones pacis ab eis, poſt victoriam menſe Auguſti de Catholicis reportatam, oblatas acceptare velle, arbitrans hoc ignominioſum eſſe, miſit Joannem Niderium Ordinis Prædicatorum, & Joannem Gelhuſium, ſive de Mulbruo Ciſtercienſem, ut Catholicos conſolarentur, & meliora ſperare hortarentur, necnon à pacto cum hæreticis ineundo dehortarentur; ſimul & Moravos, Boëmoſque ad Concilium antè vocatos, ad veniendum ſedulò urgerent, prout traditur in Narratione compendioſa rerum de Boëmis ad Concilium Baſileenſe vocatis, quam ex editione Freheriana Hiſtoriæ Æneæ Silvii anni 1602 poſt cap. 50 inſeruit Labbeus ſuæ editioni Concil. ante Concilium Baſileenſe; eam enim non ſatis fideliter & prudenter congeſſerat M. Ortwinus Gratius in Faſciculo rerum expetendarum. In ea autem legitur, Joannem Niderium, & Joannem Gelhuſium tertio Kalendas Novembris Baſileâ Monachium, oppidum Bavariæ, verſùs diſceſſiſſe. In eadem etiam dicitur, Julianum quidem, ſtatim ac Baſileam advenit, miſiſſe ad Sigiſmundum Cæſarem & ad Fridericum Ducem Auſtriæ, pro componendo bello, quod hic erat cum Philippo Duce Burgundiæ; & hoc factum eſſe, ut reddita pace omnibus liceret Baſileam

IX. *Ad illud Boëmi invitantur.*

tu-

tutò venite: ſed nullibi legitur Julianum Cardinalem Boëmos per literas evocaſſe. Imò ibidem additur, Joannem Niderium & Joannem Gelhuſium literas accepiſſe à Sancta Synodo Sigiſmundo Cæſari reddendas, quibus Boëmi & Moravi ad Concilium vocabantur, quas ille mox in Boëmiam perferendas curavit; cùmque in Italiam proficiſceretur, Imperialem à Pontifice coronam ſuſcepturus, protectorem Synodo dediſſe Willelmum Bavariæ Ducem. Ex quibus ſequi videtur, literas Concilii ipſius perperam Juliano Cardinali Legato attributas eſſe.

X. *Eugenius Concilium diſſolvit, & aliud Bononiæ indicit.*

Cùm hæc accepiſſet Eugenius Pontifex, ratus creari inde orthodoxæ fidei periculum, & Conſtantienſis ac Senenſis Conciliorum auctoritatem infringi, cùm damnati in iis articuli in diſceptationem à Baſileenſibus vocarentur, utpote quòd Boëmi Baſileam invitarentur ad diſputandum & contendendum ſuper articulis in præfatis Conciliis Generalibus, & per proceſſus Apoſtolicos tam ſolemniter condemnatis, ſtatim, nempe ſecundo Idus Novembris, Apoſtolicis literis Baſileenſem Synodum ſolvendi, atque aliam Bononiæ poſt decem & octo menſes celebrandam, cui ipſi præeſſe, & in ea Græcos Romanæ Eccleſiæ aggregare decreverat, indicendi, Juliano Cardinali Legato poteſtatem fecit. Certior enim etiam factus fuerat per Joannem Pulchri-panis Canonicum Biſuntinum à Juliano Card. ad ſe miſſum, nullos ferè Prælatos adhuc Baſileam acceſſiſſe, & tam eam urbem, quàm vicina loca infeſtari armis Burgundiæ, & Auſtriæ Ducum inter ſe bellantium, adeo ut non eſset tutus ad eam acceſſus, tandem in urbe Baſileenſi multa gravia ſcandala oboriri, cùm multi ex civibus Hußitarum hæreſi infecti Clerum perſequerentur & crudeliter trucidarent, ut ipſe narrat in prædictis literis ad Julianum ſcriptis, quæ apud Binium, juxta Spondanum num. XIV, dicuntur datæ ſecundo ſeu pridie Idus Novembris; unde corrigenda ea quæ extat apud Labbeum col. 934 & ſeqq. ubi dicitur data *II Idus Februarii*, anni conſequentes 1432, cùm tamen Bulla revocationis Concilii dicatur ibidem col. 937 & ſeqq. publicata Romæ & alibi 15 *Kalendas Januarii Pontificatus anno primo*, ideoque anno 1431. Partem etiam Epiſtolæ ad Julianum recitat Raynaldus num. 21, *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1431, *II Idus Novembris, Pontificatus noſtri anno I.* Dici enim nequit Bullam revocationis Romæ publicatam die 18 Decembris anni 1431, ad Julianum Cardinalem Concilii Præſidem miſſam eſſe anno 1432; & tamen Pontificem Juliano Cardinali poſtea II Idus Februarii anni ſequentis 1432 poteſtatem feciſſe Concilium diſſolvendi: præſertim cùm in eodem Labbeo col. 940 extet litera Apoſtolica ad Sigiſmundum Regem ſuper diſſolutione Concilii, data etiam Romæ die 18 Decembris anni 1431. In Labbeo itaque loco *II Idus Februarii*, legendum *II Idus Novembris*. Ex quibus ſequitur, Eugenium propriè non revocaſſe Concilium ante diem 18 Decembris.

XI. *Duos Cardinales creat.*

Porrò priori Epiſtolæ datæ II Idus Novembris decem Cardinales ſubſcripſêre, inter quos eſt Franciſcus Condulmerius ſub titulo Sancti Clementis; Eugenius enim eodem anno decimo tertio Kalendas Octobris duos Cardinales creaverat, dictum nempe Franciſcum Condulmerium Venetum nepotem ſuum, non ſub titulo S. Cæciliæ, ut ſcribit Raynaldus num. 34, ſed ſub titulo S. Clementis, ut ex hujus Bullæ ſubſcriptione manifeſtum eſt. Hic quidem Franciſcus Condulmerius dicitur etiam paſſim ab aliis creatus ab Eugenio Vicecancellarius S. R. E. ſed hanc dignitatem non obtinuit ante annum 1437, quo obiit Joannes de Rupeſciſſa Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina, dictus Rotomagenſis, qui ſub Martino V dictus fuerat Vicecancellarius. Eodem die Eugenius Cardinalem ſub titulo Sancti Marci & Archipresbyterum Baſilicæ Lateranenſis dixit Angelottum Fuſcum Romanum ex honeſtiſſima prognatum familia, cum quo arctiſſimo neceſſitudinis vinculo conjunctus fuerat ante Pontificatum, qui etiam ſubſcripſit literis Eugenii ad Julianum Legatum. Angelottus autem à Martino V Epiſcopus Anagninus, ac dein Cavenſis dictus fuerat.

XII. *Decretum edit de Cardinalium votis contra Dominicum Capranicam.*

Eugenio Pontifice electo, Dominicus Capranica, quem ſuperiùs diximus à Martino V Cardinalem dictum, ſed non promulgatum, ſtatim ad illum miſit, qui primò pro adepta dignitate gratularetur, deinde peteret, ut ſe cum Cardinalium inſignibus Romam ingredi pateretur. Cùm verò videret, Pontificem conſiliis quorundam Cardinalium Martino Papæ infenſorum aures præbentem, de ſe capiendo conſilia agitare, Baſileam ſe recipere deliberavit, poſtquam in ſacello quodam in Faliſcis ad Soractis montem ſexaginta dies continuos latuiſset, omnia experiri ſtatuens, quò Pontificis iracundiam, plus æquo inimicorum calumniis præbentem aures, leniret. Sed tandem cùm ejus leniendæ nulla ſpes videretur, ſed è contrà in judicium ab iis Cardinalibus, quibus mandatum erat à Pontifice, ut de ejus cauſa cognoſcerent, ſcilicet quòd Dominicus Martini nepotes contra Eccleſiam animaſſet, venire noluit, & codicillis manu ſua ſcriptis, quibus ad Baſileenſe Concilium provocavit, Baſileam petiit, cùm antea omnia ejus bona publicata fuiſsent, & ipſe beneficiis ſpoliatus. Ita

Pog.

Poggius in ejus Vita ſuperiùs laudata. Interea Pontifex non longè poſt prædictam duorum Cardinalium creationem, ſcilicet ſeptimo Kalendas Novembris, decretum edidit, quo de decem Cardinalium conſilio & conſenſu ſancivit, Cardinales in ſecreto Conſiſtorio pronunciatos pro talibus haberi non debere, quouſque inſignia Cardinalatûs, videlicet capellum rubrum, tituli aſſignationem, & annuli in digitum immiſſionem accepiſſent: neque verò etiam his acceptis, & in publico Conſiſtorio Cardinales pronunciatos, in electione Romani Pontificis, aut alio quolibet actu vocem activam habere poſſe, donec de rebus & ritibus in Conſiſtorio tractari & obſervari ſolitis planè inſtructis, à Romano Pontifice de conſenſu & conſilio antiquiorum Cardinalium licentia impertita, & os apertum fuiſſet: & ſi qui ſic pronunciati, contra præmiſſa Cardinales ſe auſi fuiſſent nominare, eo ipſo perpetuam ad eam dignitatem inhabilitatem, fautores verò & auxiliatores excommunicationem ſummo Pontifici reſervatam incurrere. Quæ quidem creditum eſt Eugenium potiſſimùm decreviſſe contra Dominicum Capranicam, quem abſentem à Martino Papa Cardinalem creatum vidimus.

XIII. *Dum in Cardinalem recipit, ejuſque opera utitur.*

Poſtquam Dominicus Baſileam adventavit, ut ſubdit Poggius, *Pontificis injuriarum conqueſtus ſuam cauſam propoſuit, quam triennium continuum eâ modeſtiâ agitavit, ut cùm plerumque tantæ inopiæ fuerit, interceptis Pontificis juſſu tum paternis facultatibus, tum beneficiorum proventibus, ut neceſſariis etiam ad victum indigeret, & Pontifex extorquere ab illo eam dignitatem vellet, quæ maxima poſt Pontificatum ſit, nemo tamen dictum quidquam ab eo aſpertus, nihil contumelioſum in illum, aut inimicos audierit, quos plurimos habebat apud Pontificem potentes, qui ſuæ dignitati adverſarentur, ejuſque animum ſoliâ naturâ mitem & ad meliora promptum aſſiduis delationibus criminationibuſque accenderent.* Paucis poſtea interjectis ait Poggius, Dominici conſtantiam viciſſe, & ex Concilii ſententia Cardinalem declaratum; at non multò poſt ab Eugenio vocatum Florentiam, in itinere, quem tanto labore, ac periculo, tantaque impenſa defenderat, pileum puniceum accepiſſe ac eo uti cœpiſſe: Legati enim Eugenii à Dominico impetraverant, poſteaquam Præſidentes Concilii pronunciaverant eum Cardinalem eſſe, ac pileum ferre dederant, ne priuſquàm Bononiam veniſſet, eum gereret, & ut hunc ab Eugenio acceptarus Florentiam veniret, ibi enim tunc fortè degebat. Cùm porrò Dominicus inſigni doctrina & prudentia præditus eſſet, ejus deinceps operâ ipſemet Eugenius utiliſſimè in rebus arduis, paciſque ac belli negotiis uſus eſt: ipſeque ingentibus virtutibus, morum excellentiâ, vitæ auſteritate, ac piis operibus nomen ſuum immortalitati conſecravit.

XIV. *Sigiſmundus coronam ferream Mediolani recipit.*

Sigiſmundus interea Romanorum Rex tranſmiſſis Alpibus in Italiam perrexit, coronam Imperialem à Pontifice recepturus, pervenit autem Mediolanum menſe Novembri anni 1431, deque vigeſima quinta ejuſdem menſis in feſto S. Catharinæ in Baſilica Ambroſiana Diadema regium, ſeu coronam ferream magna ſolemnitate aſſumpſit (ea enim aliàs Modoetiæ, ut alibi diximus, in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ſervabatur, ubi & eam recipere conſueverant Reges Romanorum) ut ipſemet Sigiſmundus refert in Epiſtola ad Julianum Cardinalem & Patres Concilii Baſileenſis ſcripta, quæ extat in Concil. Labbeana editione col. 954, data Mediolani die undecima menſis Decembris. Meminit ſolemnium in ejus coronatione obſervatorum per Bartholomæum Capram Archiepiſcopum Mediolanenſem, Bernardinus Corius Hiſt. Mediol. part. 5, nimirum impertitæ benedictionis, atque anuli pretioſi, gladii nudi, coronæ ferreæ, ſceptri & pomi aurei in ſignum Monarchiæ traditionis. Scripſerat Martinus Papa Sigiſmundo, gratum futurum ſibi ejus in Italiam adventum, ſed cùm hic ſuſpectus eſſet Eugenio, ante annum 1433 Romam non perrexit ad coronam Imperialem recipiendam, ut inferiùs dicetur.

XV. *Scribit ad Eugenium PP. contra Concilii diſſolutionem.*

Non multò poſt Sigiſmundus Mediolano Placentiam petiit, ubi receptis Eugenii Papæ literis, die 18 Decembris anni 1431 ſcriptis, quæ extant apud Labbeum col. 940, quibus certior fiebat de diſſolutione Concilii, reſpondit aliis literis die nona Januarii anni 1432 datis, quibus Eugenio ſignificavit, vehementiſſimè mirari ſe de ejuſmodi ipſius edicto, quod innumeras calamitates & graviſſima ſcandala allaturum erat, ac fidem Catholicam radicitùs enervaturum; & tam pro zelo quem ad religionem haberet, quam ex debito officii quod gereret, advocati & defenſoris Eccleſiæ, enixiſſimè rogavit, ut permitteret Concilium Baſileæ celebrari, niſi vellet Eccleſiam in deterrimas conditiones prolabi, ipſeque ſiniſtræ ſuſpicionis notæ ſubjici. Cum iis literis, quæ extant apud Labbeum col. 955, miſit quædam monita ſeu Aviſamenta ſuper facto Concilii, quæ ibidem extant; quibus imprimis præcipuam ab Eugenio diſſolutionis cauſam, nempe reductionem Græcorum ita diluit, ut quamvis ea reductio valde optanda eſſet, poſſet tamen illa abſque ullo fidei Catholicæ periculo differri; cùm præcipuè hæc reductio, quæ tot centenis annorum ſic perſi-

ſtit,

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

ſtit, durarit ſine læſione Romanæ Eccleſiæ, cùm à Græcis & ſuis concredentibus hucuſque Chriſtianitas nihil violenti pertulerit: quin imò & hanc debere differri; quouſque diſſenſio fidei & deſormitas morum in Latinis compoſita eſset, cùm credibile non ſit Græcos, ritui noſtro conformari velle, videntes nos in tanta diſſenſione & deſormitate morum & vitiorum, nec unquam aliquam correctionem adbiberi, ſed de die in diem nos in viliora & magis inordinata corruere. Ad ſecundam cauſam diſsolutionis Concilii negabat Pontifex, Boëmos hæreticos jam prædamnatos ampliùs audiri debere; ad quam reſpondet Sigiſmundus, nec eam eſſe mentem Concilii, nec ſuam, ſed ſolùm ut vocarentur ad inſtructionem à Patribus Concilii accipiendam, prout Martinus ipſius Eugenii deceſſor pluribus epiſtolis ſuis tam ipſi Sigiſmundo, quam ipſi etiam Regi Poloniæ faciendum præſcripſerat. Si verò Concilium diſſolveretur, jactaturos Huſſitas, Catholicos fugere, & Eccleſiam eorum rationibus ſuccumbere, qui & propterea eò deteriora mala populis illaturi eſſent per totam Germaniam, quò probatior ipſorum religio videri poſſet. Tertiò reſpondet Imperator, quòd ſi diſſolvatur Concilium congregatum pro reformatione morum in populo Catholico & ſtatu Eccleſiaſtico, timendum eſt, quòd Laici capiant occaſionem irruendi contra Clericos, contra quos debacchantur, dicentes, in congregandis & diſſolvendis Conciliis ſine fructu illuſores fieri; & revera jam civitatem Metropolitanam Magdeburgenſem expuliſſe ſuum Archiepiſcopum cum Clero, eique ferè omnes civitates Saxoniæ ſubſidio eſſe. Quartò, licèt plures Principes, nobiles & civitates poſt victoriam à Bohemis reportatam cum iis treugas inierint, tamen major pars adhuc contra eos ſe ſuſtentabat, ponendo ſpem totalem in Concilio pro liberatione ſua, qui audientes Concilium debere diſsolvi, totaliter ſe avertent, & treugas etiam inient ad redimendas vexationes. Quintò, quia Concilium inter cetera pro pace congregatum eſt inter Principes, ipſi audientes diſſolutionem Concilii, convertent ſe ad gladium, & erit error noviſſimus pejor priore. Quare Imperator petit & requirit à Pontifice, ut ſcribat ad Concilium, ſe revocare & annullare quæ circa diſſolutionem ejus ſtatuerat. Deinde eum requirit ut perſonaliter interſit Concilio: quod ſi non poſſit, feſtinanter & citò illud exequi mandet. Quòd ſi poſtea voluerit perſonaliter intereſſe ſuper facto Græcorum, ſeu aliis, quæ non requirerent tantam feſtinantiam, poterit congregare aliud Concilium, quod fiet cum gratitudine & majori aptitudine, quam nunc hæc mota tolerari poſſet. Hæc & alia plura Sigiſmundus ad Eugenium.

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

XVI. *Juliani Præſidis Concilii vehemens ad eundem PP. Epiſtola pro ejuſdem celebratione.*

Sed longè vehementiùs ad Pontificem ſcripſiſse Julianum Cardinalem Concilii Præſidem, demonſtrat ejus Epiſtola, quæ extat inter Opera Æneæ Silvii, ac apud Ortwinum in Faſciculo rerum expetendarum apud Spondanum num. 3, quæ licèt ab aliquibus credatur non eſse ipſius Juliani, ejus tamen ſumma hîc exhibenda, ut Lector ante oculos habeat omnes cauſas, quas afferebant Baſilenſes pro Concilii continuatione; ea enim Epiſtola vel à Concilio, vel ab ipſo Juliano à ceteris Patribus coacto ſcripta eſt. In ea Julianus poſt narrata quæ hactenus in cauſa Boëmum & Concilii geſta eſſent, pro neceſſitate ejus celebrationis in urbe Baſileenſi, eaſdem, quas Sigiſmundus, aliaſque proponit & latè explicat cauſas, propter quas illud non poſset diſsolvi ſine magno ſcandalo & propè everſione fidei. Magna prorſus libertate, haud tamen ſine debita reverentia, Pontifici objiciens oblocutiones, quæ in eum undique proventuræ eſsent; hortanſque, etiamſi ſciret ſe occidendum ratione hujus Concilii, non permitteret ſe tam indelebili ignominia notari & tanta ſcandala ſequi, quorum diſtrictam rationem Deo redditurus eſset. Et quod ad petitum ab eo ſubſidium triginta millium aureorum in bellum Boëmicum, debuiſse ipſum vendere cruces & calices, ac ſtatim ſubvenire, & non in tantilla ſumma cunctari, aut excuſationes quærere, cùm ipſe Julianus paratiſſimus eſset vel carcerem ſubire vel etiam vitam profundere, pro ſervanda promiſſione, cui ſe ſe ad tantum Eccleſiæ bonum de illo ſubſidio exhibendo obſtrinxiſset. (ſummam triginta millium ducatorum periiſse Julianum ab Eugenio conſtat ex aliis ejus literis à Raynaldo anno 1432, num. 22, relatis) Denique addit Julianus, Pontificem rebus Concilii ita ſtudere debere, ut etiamſi certus eſſet perdere Romam, & totum patrimonium Eccleſiæ, potiùs ſubveniendum eſſet fidei & animabus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt. Et quamquam non fortè ex Concilii celebratione tot bona ſequutura forent quot ſperarentur; tamen ſi diſſolveretur, omnes dicturos, ſi non fuiſſet diſſolutum, eventura fuiſſe. Diluenſque poſtea rationes in literis Eugenii pro diſſolutione Concilii allatas, conquerenſque de duplicitate verborum illius, qui literas diſſolutionis attulerat, quaſi non ipſi Juliano fideretur, proponit rurſùm periculum præſentiſſimum ſchiſmatis, Patreſque Baſileenſes omnino decreviſse Concilium Baſileæ continuare, ac mittere quemdam inſignem virum ad ipſum Pontificem: obſecranſque, ut ſi nihilominus ſtatuiſſet illud diſſolvere, ſaltem ad aliquod tem-

Digitized by Google

tempus differret, quo quæ cœpta erant in Synodo poſſent adimpleri. Poſtremò, ſatis ſe clamaſſe dicens & raucas factas eſſe fauces ſuas, Chriſtum invocat in auxilium Eccleſiæ ſuæ, quam ſuo pretioſiſſimo ſanguine fundavit. Eandem Epiſtolam recitat ex Ænea Silvio Raynaldus anno 1431, num. 27, ſed more ſuo in mulris mutilam, truncatam. Eam autem ſcriptam puto menſe Decembri, cùm diſſolutio Concilii nondum Romæ publicata eſſet, ut ex ejus lectione apparet.

XVII. *Agitur cum Boemis de eorum acceſſu ad Concilium.*

Interea Joannes Niderius, & Joannes Gelhuſiut, quos ſuperiùs diximus à Concilio miſſos, ad invitandos Boemos, Baſileâ diſceſſiſſe die trigeſima Octobris anni 1431, Nurembergam venientes, cùm audiſſent Pragenſes literas Synodi magna reverentia accepiſſe, ſcripſerunt inde die quinto Januarii anni 1432 ad univerſos Boemos, magno affectu invitantes eos ad dirigendos Oratores ſuos ad Synodum, cum plena ſpe perfectæ reconciliationis, quam Synodus toto animo deſiderabat. Poſt multos tandem itus & reditus, poſt diverſos hinc inde tractatus & relationes per eosdem Legatos ad Synodum miſſas, factus eſt menſe Majo apud Egram, permunitam urbem Germaniæ in Boemiæ regno, 20 Leucis à Praga diſtantem, conventus, cui & alii recèns miſſi à Synodo Oratores unà cum præmiſſis, nec non Friderico Marchione Brandeburgenſi, & Joanne Bavariæ Duce interfuerunt unà cum duobus Nunciis Boemorum, in quo poſt multas difficultates ſtatutum fuit, miſſuros Boemos ſuos Oratores, modò de commeatu ſeu publica fide, quem ſalvum-conductum appellant, eis plenè provideretur. Ad quod omnino præſtandum prædicti Principes, aliique, nec non & civitates, Baſileaque, adeoque ipſa Synodus ſe ſe obſtrinxit: ſunrque diplomata Pragam miſſa, quorum ſecuritate Boemorum Nuncii Baſileam petierunt principio anni 1433. Hæc pluribus continentur in Narratione rerum cum Boemis geſtarum, cujus ſuperiùs meminimus, & in Epiſtolis Synodalibus, his de rebus ſcriptis.

XVIII. *Bituricenſis Conventus pro Concilio.*

Non multò antè cùm Rex & Clerus Gallicanus hinc Baſileam ad Synodum, illinc Bononiam ab Eugenio vocarentur, ut quid agendum eſſet deliberaretur, decretum eſt fieri Conventum Prælatorum: qui in civitate Biturgium auctoritate regia congregati, poſt rem diſputatam, cauſam Concilii Baſileenſis ſuſcipientes, nonnulla capitula nomine *Adviſamentorum*, hoc eſt, monitorum, conſiderant, die vigeſima ſexta Februarii, quibus id Concilium legitimè & juſtis de cauſis congregatum eſſe, neque inde transferri debere, mulris rationibus contendentes, Regem Chriſtianiſſimum ſuppliciter hortati ſunt Legatos ad Eugenium Pontificem mittere, rogarum ut pro fidei neceſſitate, proque religionis Chriſtianæ univerſali utilitate, mandaret continuari Concilium Baſileæ, obſtruendo ora malignantium in fidem orthodoxam & ſuam Sanctitatem. Suppliciter etiam petierunt à Rege Conventus Bituricenſis Præſules, ſcribere Sigiſmundo Romanorum Regi, & Ducibus Sabaudiæ & Mediolanenſi, ut faverent Concilio, curarentque nihil à quibuſcumque attentari contra quoſcumque itinerantes, ac præcipuè Pontificem, aut Curiam Romanam, unde Pontifex aut Collegium Cardinalium occaſionem Concilii mutationis aſſumerent. Idem Conventus Bituricenſis elegit Amedeum de Talaru Archiepiſcopum Lugdunenſem, poſtea Cardinalem, qui cum Oratoribus Regis, vel ſolus tam Regis, quàm Cleri nomine Romam pergeret, & prædicta apud Pontificem proſequeretur. Supplicavit inſuper Regi, ut ſuos quoque Oratores ad Concilium mitteret, permitteretque ire Prælatos regni, concedens in ſumptus exigi quartam partem unius decimæ à Clero. De illo Conventu in Appendice Concilii Baſileenſis, Tomo XII Concil. Labbei, extant duæ prædicti Archiepiſcopi Lugdunenſis Epiſtolæ, una quidem brevis col. 978, ſcripta ad Synodum, poſterior ad Ludovicum de Palude, Epiſcopum Lauſanenſem, Baſileæ agentem, qua res Biturigibus, & cum quodam Nuncio Eugenii a ſe tractatas, aliaque eò ſpectantia refert; vehementiſſimum præſeferens Concilii ſtudium, ac nihilominus monens, ut cùm multa manſuetudine ageretur cum Pontifice, qui caput eſſet Eccleſiæ, & depreſſo capite arida vel infructuoſa remanſura forent membra; eòque maximè quòd vita ejus eſſet commendabilis, & ſine exceptione quacumque. Utraque data eſt Petræ-ſciſſæ die vigeſimo octavo Aprilis, duobus menſibus poſt Conventum. Adviſamenta autem Conventûs Bituricenſis ad Regem Franciæ extant ibid. col. 813.

XIX. *Ordo ſervatus in Concilio Baſileenſi.*

Antequam ulteriùs progrediamur redeundum eſt ad Concilium, & primò quidem agendum de ordine in eo ſervato, ex eo enim multa lux affertur Actis Concilii Conſtantienſis. „ In eo itaque decretum eſſe ſcribit Spondanus num. XI, „ ut multitudo omnis in quatuor Nationes „ primùm diſtincta, Italicam, Gallicam, „ Germanicam, & Hiſpanicam, ex iis pa„ ti ex unaquaque numero, quatuor Con„ ventus, quas ſacras Deputationes ap„ pellabant, conſtituerentur, inter quos, „ quantum fieri poterat, etiam pari nume„ ro adeſſent Cardinales (quamdiu ſcilicet „ hi interfuerunt), Patriarchæ, Archie„ piſcopi, Epiſcopi, Abbates, Magiſtri, „ Doctores. Habebant quoque diverſa ac „ pro-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

,, propria tribunalia, variis nominibus cenſita; videlicet Fidei, Pacis, Reformationis, & Communium: quippe celebrationis Concilii cauſæ prædicabantur, extirpatio hæreſum, pacis inter Principes conciliatio, & morum emendatio. Erant cuique conventui proprii magiſtratus ac miniſtri; *Præſidens*, qui concionem advocaret, negotia proponeret, & ſecundùm majoris partis ſententias concluderet: *Promotor*, qui tanquam curator publicus ingereret negotia, inſtaretque ut abſolverentur: *Scribæ*, qui geſta decretaque publicis monumentis adnotaret: *Lector* ſive apparitor, qui conventûs nomine Patres convocaret, & edicta proponeret. Conveniebant ter in hebdomadâ, iiſdem horis, propriis in prætoriis; ubi confectâ re divinâ rebus gerendis operam dabant. Ex quatuor deinde Conventibus duodecim virorum collegium creabatur, qui appellabantur XII Deputati, terni ex unoquoque Conventu, viri doctrinâ & experientiâ clariores. Ad hoſque primùm negotia omnia deferebantur: qui rebus digeſtis vel reſpuebant, vel, ſi admittendas judicabant, ad collegium ſive tribunal, cui competebant, mittebant. Eratque XII illis Deputatis poteſtas, cùm aliquid grave inſtaret, convocare quatuor Conventus etiam extra Ordinem. Quæ verò ab iis ad quempiam ex conventibus remittebantur, in concione per Præſidentem illius conventûs proponebantur. Neque licebat primâ die de propoſitis quidquam decernere, niſi res neceſſariam celeritatem manifeſtè exigeret. Quod major pars ſtatuiſſet, firmabatur ſigno Præſidentis, & ad alios tres conventus deferebatur: & ſi ita minori parti videretur, etiam deferebatur eorum ſententia cum rationibus & argumentationibus utriuſque partis. Quod autem per tres conventus approbatum erat, ad Præſidentem Concilii Generalis publicis documentis deferebatur: qui ſtatuto die in generali Congregatione (quæ octavo quoque die fiebat) de ea re referebat. Neque ei licebat de ulla re agere cum Patribus in generali conventu, niſi priùs deliberatum de illâ, ſive, ut aiebant, concluſum fuiſſet per quatuor aut ſaltem tres ſpeciales conventus ſive deputationes. Demùm ubi quippiam approbatum erat in generali conventu ſeu congregatione, id in formam decreti redactum, in publica univerſi Concilii Seſſione ſolemni ritu ſtatuebatur. Cùm verò res erat in publicâ Seſſione promulganda, conveniebant Patres ad Baſilicam civitatis, & nonnunquam Clerus cum ſacrâ pompâ, ubi re divinâ per aliquem ex Prælatis factâ, Præſules, Abbateſque omnes ſacras veſtes & albas infulas ſumebant. Præſidens autem Concilii mitrâ & veſte pretioſiori ornatus in Pontificali ſede ad altare ſedens, faciem ad Patres convertabat: cui Diaconus & Subdiaconus in ſacris veſtibus ut celebraturo adſtabant: Patres infulati hinc inde in ſubſelliis chori ſedebant: Legati verò Regum & Principum in medio ante faciem Præſidentis humilioribus ſedibus; poſt eos, Generales Ordinum, Magiſtri, Doctores, Graduatique omnes & alii Sacerdotes ſuo quique ordine. Dictis poſteà precibus cum Litaniâ, (quarum forma ex Concilio Conſtantienſi edita extat in principio Actorum Baſileenſis) unus aut duo Prælati, reliquis omnibus ſuo loco ſedentibus, cum mitrâ ſuggeſtum aſcendentes decreta legebant: Iiſque perlectis, interrogabant Præſidentes an placerent; & Præſidens Concilii pro toto Concilio, alii pro ſuis Conventibus reſpondebat, Placet. Aderant Scribæ, qui rogati omnia adnotabant ut lecta erant, & in acta publica redigebant. Tum depoſitis ſacris veſtibus, dimiſſo Senatu, domum revertebantur. Decretum verò ſcriptum Concilii Bullâ ſive Sigillo muniebatur: cùm tamen quæ à Scribis notabantur non priùs ederentur, quàm à Correctoribus, quibus ea provincia demandata erat, emendarentur. Erant verò prætereà in Concilio alii Miniſtri, ſeu Officiales, putà Promotores, ſedium diſtributores, Procuratores & Advocati, Judices & Auditores cauſarum, Auditor Cameræ juriſdictionem habens in omnes Conciliares, Soldanus prætor & executor Auditoris, denique Magiſtratus & miniſtri omnes qui in Romana Curia eſſe ſolent ,, Ita ferè Patritius in Collectionis ſuæ Epilogo: quæ pariter tractantur in Appendice Actorum editionis Binianæ, & ſtatuta dicuntur in generali congregatione die Veneris vigeſima ſexta Septembris; unà cum pluribus aliis articulis de recto vivendi modo, & modeſtia ac honeſtate tam in Prælatis, quàm aliis omnibus in Concilio exiſtentibus, in moribus ſervandâ.

XX. *Julianus Legatus indicit primam Concilii Seſſionem.*

Julianus Cardinalis Legatus, acceptis prædictis Eugenii literis, datis Romæ pridie Idus Novembris hæſit in earum executione; imò volens obedire Summo Pontifici præſidentiam dimiſit, ut ait Pius II in ſua Retractatione; qui & addit ipſum tamen videntem creſcere in dies Antiſtitum numerum undique adventantium, itemque Oratores Regum & Principum, ac nonnullos Cardinales occurrere, eam reſumpſiſſe, & auctoritatem Concilii mirum in

modum

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

modum extuliſſe. Conſiderans inſuper Julianus præcipuam jam cauſam Eugenii, quæ erat Antiſtitum paucitas & itinerum difficultas, ceſſare; nec tam diſſolutionem Eugenium injunxiſſe, quàm rebus ſic, ut narrabat, ſtantibus poteſtatem diſſolutionis feciſſe videretur; maximèque neceſſariam eſſe ad res Germanicas & Boëmicas Synodi continuationem; nec denique poſſe ampliùs abſque pudore, & Principum ac Prælatorum injuriâ & querimoniâ, rem in alium locum, aliùdve tempus remitti: decrevit omninò ulteriùs procedere, nondum enim publicata erat Romæ Concilii diſſolutio: quod, ut jam diximus, factum eſt tantùm die decima octava Decembris. Habita igitur generali Congregatione die Veneris ſeptima Decembris, Primam Synodi Seſſionem indixit in diem Veneris decimam quartam in Eccleſia Cathedrali celebrandam; eaque de re per nuncios incunctanter certiorem reddidit Sigiſmundum Regem, qui ex dictis jam Mediolanum pervenerat ad iter Romanum pro Imperii corona accipienda: à quo & literas recepit, tam ipſi Juliano, quàm univerſo Concilio directas, datas Mediolani die undecimo ejuſdem menſis Decembris, quæ extant in Appendice Actorum col. 954, quibus eos valdè laudavit de eorum propoſito, hortatuſque eſt vehementer ad rem conſtanter proſequendam; & ſi qui forent, qui Concilium protrahere, aut diſſolvere conarentur, illos tanquam membra putrida prociderent; quippe ex ejuſmodi induciis aut diſſolutione Eccleſiam Dei in totalem interitum ruituram. Jam antea idem Rex cùm audiſſet Pontificem decreviſſe Concilium diſſolvere aut protrahere, ad eum literas dederat extantes in eodem Appendice col. 953, quibus eum hortatus erat ad illud fovendum & augendum. Verùm ob hæc non mutavit Eugenium, ſed potiùs, ut veroſimile videtur, certior factus de indictione primæ Seſſionis facta die ſeptima Decembris, ſtatim die decima octava ejuſdem menſis Bullam revocationis Concilii Romæ publicavit, quatriduo poſt celebratam prædictam ſeſſionem primam, ac proinde antequam reſcire potuiſſet, quæ in ea geſta fuiſſent.

XXI. *Prima Seſſio, in qua ſtabilitur Concilium.*

Adveniente igitur die decima quarta Decembris celebrata eſt *Prima Seſſio*, in qua celebratâ ſolemni Miſſâ de Spiritu Sancto in Eccleſia Cathedrali per Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem provinciæ Rotomagenſis in Gallia, cantatis inſuper & lectis Litaniis, antiphonis, aliiſque devotis orationibus in talibus ordinatis, Cardinalis Præſidens in Pontificalibus ſedens ſuper cathedram ad hoc ſibi præparatam, aliiſque Prælatis in Pontificali habitu ſimul cum mitris in capite exiſtentibus, Orationem paræneticam ad Synodum habuit de recto vivendi modo, & purâ in rebus agendis mente. Quâ finitâ idem Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis ambonem aſcendit, ubi de mandato Synodi clara voce legit decretum ſeſſionis 39 Concilii Conſtantienſis de celebratione Conciliorum generalium: inſtrumentum electionis civitatis Baſileenſis pro generali Concilio celebrando, in Concilio Senenſi factum auctoritate Martini Papæ, & ab eo confirmatum Bullâ datâ Romæ IV Idus Martii, Pontificatûs anno VII, quæ extat in Concilii Senenſis Actis col. 378: ejuſdemque Martini atque Eugenii ejus ſucceſſoris mandata, Juliano Cardinali injuncta de eodem Baſileenſi celebrando; & quæ hactenus ibidem geſta eſſent pro ejus ſtabilimento. Deinde cauſis finalibus celebrationis Concilii, nempè extirpatione hæreſum, pace Principum, & reformatione morum, indicatis, decretum legit Concilii Toletani XI de modis & geſtibus in ſeſſionibus ſervandis, aliudque iſtius Baſileenſis, ad evitandas diſſenſiones, quæ inter nonnullos Principes, certaſque Eccleſias intervenire conſueverant, de ſalvis cujuſcumque Prælati aut Principis honoribus, præeminentiis, & dignitatibus, in quibuſcumque actibus, ſeſſionibus, ſuffragiis, dictis aut factis, quæ præpoſterè vel inordinatè fieri poſſent; ut nullum inde præjudicium cuique generaretur, nulli jus novum acquireretur. Itemque aliud decretum Seſſionis XV Concilii Conſtantienſis, contra invaſores ſeu ſpoliatores accedentium ad Concilium, ſtantium, ac recedentium: aliudque præſentis Concilii contra eos, qui quocumque modo ipſum impedire, aut perturbare verbo, facto, vel literis, aut ejus prorogationem, vel diſſolutionem palàm, vel occultè molirentur; rurſumque aliud de fructibus beneficiorum integrè percipiendis per eos, qui Eccleſiæ causâ Concilio intereſſent. Denique creati ſunt Miniſtri & Officiales Concilii, Notarii, ſeu ſcribæ, Protonotarii ſeu correctores, Promotores ſeu procuratores, ac ſedium ordinatores, ut in Actis videre eſt. In Actis dicitur ibidem præſentes fuiſſe Ambaſſiatores Sigiſmundi Regis, & Amedei Ducis Sabaudiæ; Willelmum autem Bavariæ Ducem, Comitem Palatinum, quem ſuperiùs diximus à Sigiſmundo protectorem ac defenſorem Concilii deſtinatum eſſe, ibidem etiam adfuiſſe, nullum dubium eſt, licèt Acta non referant.

XXII. *Eugenius PP. reſpondet Sigiſmundo Regi ſuper Concilii diſſolutione.*

Cùm Sigiſmundus Romanorum Rex ſcripſiſſet ad Eugenium Papam die nona Januarii anni 1432, unàque cum literis miſiſſet monita quædam ſeu Adviſamenta pro continuatione Concilii Baſileenſis, Eugenius Pontifex ejus literis Placentiæ datis, de

de quibus ſuprà, reſpondit aliis literis datis Romæ ſexto Kalendas Februarii, quæ extant in Appendice Concilii col. 943, ſe ad diſſolutionem Concilii & alterius indictionem cum conſilio & aſſenſu Cardinalium ex juſtis & rationabilibus cauſis cum magna deliberatione & maturirate proceſſiſſe: *De quibus*, inquit, *cùm ad Urbem veneritis, per viva colloquia nos & præfati Cardinales clarius informabimus & certificabimus ſublimitatem tuam: non dubitantes pro tua ſapientia ſingulari te nobis auditis de prædictis fore bene contentum........ Adventus autem tuus ad Italiam & ad Urbem, de quo fuimus ante per plures tuas literas certiorati, dudum deſideratus & gratus eſt nobis, dum tamen ad has Italiæ partes ipſum adventum pacificum facias, ſicut huc uſque feciſti.* Ait poſtea ſperare ſe Oratores ab ipſo mittendos, ut cum eis tractaret de honoribus ipſi reddendis ante ejus coronationem; ſed ſuper reformarione Concilii, & ſuper aliis nonnullis negotiis cupere ſe cum Serenitate ejus communicare conſilia.

XXIII.
Concilii litera circulatoria pro ejus continuatione.

Eodem tempore ne his diſſolutionis rumoribus aut literis Eugenii inducti Prælati, aliique Baſileam ſe conferre ceſsarent; ſcripsêre qui ibi congregari erant, publicas ad univerſos Chriſti fideles literas, quæ extant in Appendice Concil. Bini inter Epiſtolas Synodales; quibus literis die vigeſima prima Januarii datis, eos certiores fieri voluêre, ſe omninò decrevisſe, inchoatum ſemel ritè ac legirimè Concilium proſequi, nec ullo modo Baſileam deſerere, donec opus, ad quod fuiſsent convocati, conſummaſſent: cunctos hortantes ut ſibi in iis adeſsent, ac Prælatis ſub pœnis juris injungentes, ut ad Synodum feſtinarent. Reges verò ac Principes pariter rogarunt & Concilio favere, & Prælatos mittere, literas ſcribentes, quarum exemplar ut ad Poloniæ Regem datum eſt, quod ultimum extat etiam in Appendice Actorum editionis Labbei col. 832.

XXIV.
Secunda Seſſio decreto facit pro comprobatione, & auctoritate Concilii.

Sed non multò poſt, nempè decima quinta menſis Februarii die Veneris Baſileenſes publicam Concilii Seſſionem ſecundam celebrarunt, in qua, ut habent Acta S. Victoris Pariſienſis à Spondano num. 7 laudata, celebrata eſt Miſsa de Spiritu Sancto per Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem provinciæ Rotomagenſis præſidentem, ceteræque ſervatæ precum ſolemnitates, præſente Willelmo Bavariæ Duce Concilii protectore, in eaque Berengarius Epiſcopus Petracoricenſis nationis Gallicanæ ex ſuggeſto Synodi decreta legit, quæ non leguntur in Actis editis Synodi, ſed ſolùm declaratum eſſe in ea ſeſſione, ſacram Baſileenſem Synodum, ſacris Conſtantienſi & Senenſi Conciliis generalibus decernentibus, & auctoritate Apoſtolica interveniente, fuiſse & eſſe legirimè ac ritè initiatam & congregatam. Et ne de ejus poteſtate à quoquam dubitaretur, duæ declarationes ex decretis Synodi Conſtantienſis conditæ confirmatæ ſunt, quarum prima eſt; Synodum generalem legitimè congregatam poteſtatem immediatè à Chriſto habere, cui quilibet cujuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, obedire teneatur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatis, generalemque reformationem Eccleſiæ Dei in capite & in membris. Secunda eſt, quòd quicumque cujuſcumque dignitatis, etiam Papalis, ſtatutis cujuſcumque Concilii generalis ſuper præmiſſis, ſeu ad ea pertinentibus, obedire conrempſerit, puniendus eſt. Quibus ſic declaratis, collegerunt Baſileenſes & pariter declararunt, Synodum Baſileenſem per nullum quâvis auctoritate, etiamſi dignitate Papali præfulgeret, differri, aut transferri, aut in aliud tempus prorogari poſſe aut debere abſque ipſius Synodi deliberatione & conſenſu: Neque item perſonas ejuſdem Synodi ad recedendum ab ea compelli, vel ne ad illam accedant impediri: Et ſi quis aliud ejuſmodi, etiamſi Papali dignitate fulgeret, quibuscumque modis tentaret, totum irritum fore & inane. Denique declaravit Synodus, quòd Prælati & alii qui tenentur huic ſacro Concilio intereſſe, ante finitum Concilium non recedant, niſi ex cauſa rationabili per deputandos à Concilio examinanda & approbanda, & hoc ſub pœnis juris per Concilium indicendis. Lecta ſunt hæc decreta in Seſſione publica *in Eccleſia majori Baſileenſi ſolemniter celebrata, decimo quinto Kalendas Martii, anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo.*

XXV.
Seſſio tertia, in qua Eugenius PP. & Cardinales monentur ad Synodum accedere.

In Seſſione Tertia habita die Martis vigeſima nona Aprilis narrant Baſileenſes, quæ Synodus ipſo initio præſtitiſset in rogando per Joannem Pulcripratis ſacræ Theologiæ Magiſtrum ad hoc ſpecialiter deſtinatum, & deinde per Jacobum Sirik Scholaſticum Trevirenſem, & per Thomam Fiene decretorum Doctorem Oratores ad Eugenium Papam & Cardinales tranſmiſsos ante diſsolutionem Concilii, & poſt ipſam per Ludovicum de Plaude Epiſcopum Lauſanenſem, & Henricum Srater Decanum Trajectenſem, ad Papam miſsum, ut ipſam revocationem Concilii revocare dignaretur, & ad ipſam Synodum ob graviſſima, quæ in ea forent tractanda, negotia, ipſe cum Cardinalibus venire dignaretur ſi commodè fieri poſset: Jam eadem Synodus ex vi & conſequentia decretorum præterita Seſſione explicatorum, ipſum Pontificem ut prædictam

ctam diſſolutionem literis publicis revocaret, atque intra trium menſium ſpatium vel ipſemet ad Synodum accederet, vel legitimè impeditus Legatos ſuos cum plenaria poteſtate mitteret, obteſtata eſt & monuit; Cardinales verò rogavit atque citavit, ut intra dictum trium menſium terminum, canonico impedimento ceſſante, ad dictam Synodum venirent; alioquin proviſuram ipſam neceſſitatibus Eccleſiæ, prout Spiritus Sanctus dictaret, ac proceſſuram contra illos ordine juris. Actum in ſeſſione publica *ſub ſigillo Synodi anno à Nativitate Domini* 1432, *indictione decima, die verò Martis 29 Aprilis*.

XXVI. *Julianus Card. ad Eugenium PP. iterum ſcribit pro Concilii continuatione.*

Antequam celebraretur quarta Seſſio, ſeu ante diem vigeſimam Junii acceptis literis Nunciorum Concilii Egram miſſorum de conventione cum Bohemis facta mittendorum ad Concilium Oratorum, Julianus Cardinalis Præſidens die quinta Junii novam ad Eugenium Pontificem ſcripſit Epiſtolam, priori, de qua jam locuti ſumus, breviorem quidem, ſed non minùs vehementem, cujus minimam partem ex Ænea Silvio refert Raynaldus num. 5 anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimiſecundi, apud quem hoc eſt initium. *Vereor loqui, timens irritare Sanctitatem veſtrã, nam forſitan Sanctitas veſtra credit diſſolutionem valere, & propterea in illa perſeverat; ex quo cùm multa ſcandala poſſint contingere, remordet me conſcientia ne taceam. In primis* C. Frequens *videtur innuere, quod non; nam ſi prohibetur prorogatio, quod eſt minus, multò magis diſſolutio, quod eſt plus: plus enim eſt auferre, quàm differre: prorogando differtur, diſſolvendo aufertur.* Sic autem definit apud eundem Raynaldum: *Hæc dixi, beatiſſime pater, Deus eſt mihi teſtis, cum diſplicentia animi: ſed cogor ita dicere, ut Sanctitas veſtra deſinat à prædicta diſſolutione, ne contingant infinita mala in Eccleſia Dei &c. Baſileæ V Junii.* Verùm Spondanus num. 10 ejuſdem Epiſtolæ ſummam refert ex eodem Ænea Silvio, in Faſciculo rerum expetendarum Ortwini, & ex Actis Navarricis; aitque Julianum Cardinalem poſt commemorata quæ apud Egram & Bituriges ſtatuta fuiſſent, & quæ ſpes affulgeret converſionis Boëmorum, obtendere, ſi his non moveretur Pontifex, provocaturum ipſum Eccleſiam ad indignationem, & populum Chriſtianum irritaturum. Hortabatur igitur ipſum quàm maximè accedere ad Concilium ad tanta perficienda, exemplo Chriſti & Apoſtolorum, nec ejus diſſolutioni ampliùs inſiſtere: Si non poſſet perſonaliter venire, mitteret majorem partem Cardinalium: Si nec hoc poſſet, ſaltem hoc unum verbum diceret; Placet ut fiat Baſileenſe Concilium: Utrùm autem illud legitimum eſſet, pendere ex Conſtantienſi, quod illud fieri decrevit: Si Conſtantienſe verum eſſet, item & Baſileenſe: Neminem autem dubitare viſum eſſe, quin illud legitimum fuerit, ſimiliter & quidquid ibi decretum eſt: Nam ſi quis diceret decreta illius non eſſe valida, neceſſe pariter habere privationem Joannis XXIII factam vigore illius decretorum non valuiſſe: Si illa non valuit, nec etiam Martini electionem factam adhuc Joanne ſuperſtite: Si Martinus non fuit verus Papa, nec Eugenium eſſe, qui per Cardinales ab eo creatos fuit electus: Nullius igitur magis intereſſe, defendere decreta Concilii Conſtantienſis, quàm ipſius: Et ſi quodcumque illius decretum revocaretur in dubium, eadem ratione poſſe revocari alia quæcumque ejus decreta: Eademque ratione nec aliorum quorumcumque Conciliorum decreta valida fore, quia qua ratione vacillat fides unius, vacillare & reliqua, omnia juxta argumentationem B. Auguſtini Epiſt. 3 ad Hieronymum C. ſi ad Script. diſt. 9. Addenſque inſuper alia ad Concilii Baſileenſis firmitatem, diſſolutionis ejus aut tranſlationis convenientiam, nec non Pontificis ad id agendum impotentiam, veluti Concilio inferioris, adſtruendam; excuſabat demùm libertatem dicendi, ex pura mente & integro animo procedentem: ſic poſtremò rem concludens: *Dixi ſæpe, & jam dico & proteſtor coram Deo & hominibus, quòd cauſa eritis ſibiſmatis, & infinitorum malorum, ſi non mutaveritis ſententiam*, Quæ verba „ Juliani eſſe, inquit Spondanus, ſicut & „ totam Epiſtolam cùm multi dubitent; „ nos tamen quòd eam reperimus in co„ dice Navarrico Scriptoris qui interfuit, „ ut veram agnoſcamus non adeò difficilè „ inducimur; ſed ſcriptam in ſumma ama„ ritudine animi Juliani, à Baſileenſibus „ & Principibus, urgentiſſimis querelis a„ gitati.

XXVIII. *In IV Seſſione ſunt decreta de electione Pont. Rom. & Cardinalium.*

In quarta Seſſione celebratâ die Veneris vigeſimâ Junii plura ſtatuta ſunt. Et primò quidem conceſſus eſt Boëmis, aliiſque omnibus ad Synodum venire volentibus, commeatus, ſive ſalvus conductus ampliſſimus, qualis in Conventu Egrenſi poſtulatus fuerat: Miſſuſque eſt ad Sigiſmundum Regem in Italiam Joannes Mulbrunus, unus ex Nunciis Synodi ad Conventum Egrenſem, ut ejus nomine publica fides eiſdem daretur. Secundo, quia S. R. E. Cardinales jam ad Synodum vocati fuerant, ne aliquibus forſan venire negligentibus inobedientia prodeſſe videretur, Synodus ſtatuit, quòd ſi fortè contingeret Sedem Apoſtolicam vacare, eâ durante, electio ſummi Pontificis in loco Concilii fieret, & non alibi, interdicens ne alibi celebraretur, non obſtantibus quibuſcumque Con-

Conſtitutionibus editis vel edendis, quibus ex certa ſcientia derogavit: contrarium verò attentantes, tam activè quàm paſſivè, ad electionem Romani Pontificis & ad alias quaſcumque dignitates inhabiles forent, omnibuſque habitis dignitatibus perpetuò privari eſſent, & infamiæ notam, ac etiam excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrerent. Quòd ſi fortè his non obſtantibus alicubi, præterquam in loco Concilii, fieret aliqua electio, tam electus, quàm illi adhærentes & eum pro tali gerentes ſupradictas pœnas incurrerent pari modo. Tertiò, diffinivit neminem adſtrictum ſe putare debere ad Concilium venire non poſſe, vi juramenti aut promiſſionis alicui factæ. Quartò, quoniam multiplicatio Cardinalium eſſet Eccleſiæ diſpendioſa & oneroſa, Synodus ordinavit, Pontificem ea durante, nullum creare poſse, & ſi fortè crearet, eorum electio irrita eſſet, &c. Quintò, ſtatuit fieri Bullam plumbeam ad literas & Acta Synodi, quæ uno latere miſsionem Spiritus Sancti in furma columbæ, in alio verò hæc verba ſculpta haberentur, *Sacroſancta Generalis Synodus Baſileenſis*.

XXVIII. *In eadem Seſsione Legatus Avenion. deputatur.*

Denique in eadem Seſſione dicunt Baſileenſes ad Synodi notitiam deveniſſe, civitatem Avenionenſem certis urgentibus rationibus & cauſis neceſſariis, recuſantem admittere Vicarium, ſeu, ut nunc loquitur, Legatum ab Eugenio Papa miſſum, quem ex aliis inſtrumentis conſtat fuiſſe Petrum de Fuxo Cardinalem, & ſuppliciter poſtulaſse ab Eugenio, ut alium deſtinaret, quod hactenus obtinere non potuerat: idcirco Synodus Alphonſum Carrilium Hiſpanum Diaconum Cardinalem S. Euſtachii, olim à Benedicto Lunenſi creatum, & à Martino Papa factum Legatum Bononienſem, nondum Baſileæ exiſtentem, ut conſtat ex Seſſione VI Concilii, conſtituit Gubernatorem & Rectorem ſeu Vicarium civitatis Avenionenſis & Comitatus Venaiſcini in ſpiritualibus & temporalibus, cum omni plenaria poteſtate, qualem habuerat antea ab eodem Martino Franciſcus Archiepiſcopus Narbonenſis S. R. E. Camerarius, qui primus reperitur poſt diſceſsum Curiæ & Pontificum factus Vicarius Avenionenſis. Spondanus num. XI ſcribit, Acta Patriciana & Auctorem Burdegalenſem, qui deſinit anno 1450, tradere Petrum Fuxenſem cum fratribus ſuis Comitibus Fuxi & Convenarum bellum Alphonſo Carrilio intruſo & Avenionenſibus intuliſse: Baſileenſes autem contra eum cenſuris egiſſe: ſed demum Petrum civitatem obſidione cepiſse. Quod tamen, inquit, nonniſi biennio poſt contigiſse noſcitur; ideoque anno 1434, poſt mortem ſcilicet Alphonſi, quæ eo anno die 14 Martii contigit Baſileæ, juxta Auguſtinum Oldoinum. Porrò Petrus Fuxenſis functus eſt poſt hæc hac Legatione tanta omnium gratulatione & laude uſque ad annum 1464, quo obiit, ut *Bonus Legatus* vulgò nominaretur. Oldoinus, Auctore neſcio quo, ſcribit Petrum de Fuxo anno 1428 ex Legatione Aragonica reducem, dictum eſſe Epiſcopum Albanenſem à Martino V, quod nullibi ſcriptum inveni, præterquam in Spondano loco laudato, ubi vocat eum Epiſcopum Albanenſem; imò in Seſſione VI Concilii Baſileenſis celebrata die ſexta Septembris anni 1432 dicitur Presbyter Cardinalis *tituli S. Laurentii in Cœlio monte, de Fuxo vulgariter nuncupatus*; ſed ibi loco *tituli S. Laurentii in Cœlio monte*, legendum *tituli S. Stephani in Cœlio monte*; nullus enim titulus reperitur S. Laurentii in Cœlio monte, ſed tantùm S. Laurentii in Lucina, & S. Laurentii in Damaſo; titulus enim S. Laurentii in Pane & Perna additus eſt tantùm anno 1517 à Leone X. Quare ſi Petrus Epiſcopatum Albanenſem obtinuit, illum non à Martino, ſed ab Eugenio poſt menſem Septembrem anni 1432 adeptus eſt.

XXIX. *In Seſsione V creantur Procuratores in cauſis fidei & alii.*

In quinta Seſſione celebrata quinto Idus Auguſti in vigilia S. Laurentii deputati ſunt Procuratores in cauſis fidei, aliique Judices & præcognitores ad examinandum cauſas ad Concilium deducendas, quorum omnium poteſtas ultra tres menſes non duraret; quibus finitis, eſset in poteſtate Congregationis Generalis, etiam citra Seſſionem publicam, in eorum locum, quos decreverit, deputare. Creati ſunt etiam alii Miniſtri & Officiales in Seſſione nominati; additumque eſt decretum, ne qui Conciliares poſſent extra Concilium ad Curiam Romanam, vel aliò in judicium evocari.

XXX. *Eugenii Papæ Nunciorum Orationes ad Synodum.*

Antequam celebraretur quinta Seſſio Synodus die decima octava Julii in Congregatione Generali ſalvum-conductum dedit Andreæ de Conſtantinopoli, Coloſſenſi, & Joanni Tarentino Archiepiſcopis, ac Bertrando Epiſcopo Magalonenſi, nec non Antonio de Sancto Vito, Apoſtolici Palatii cauſarum Auditori, Eugenii Papæ ambaſſiatoribus, quo pleniſſima libertas & ſecuritas ipſis concedebatur veniendi ad Synodum, & ab ea recedendi, qui ſalvus conductus extat Tomo XII Concil. col. 833. Hi Nuncii Baſileam advenientes in publico conventu auditi, Andreas quidem undecimo Kalendas Septembris, Joannes verò octavo, ut ponunt Acta Patriciana, luculentiſſimas orationes habuerunt, quæ extant in eodem Tomo Concil. col. 872, & col. 884. Coloſſenſis quidem oratio tota ferè eſt de malo ſchiſmatis & diviſionis, deque pacis & unionis bono, cum exhorta-

ta-

tatione ad illam fugiendam, hanc amplectendam, & cum capite & Principe Eccleſiæ tenendam; quò Græci, qui variis jam legationibus de collatione Synodali cum Latinis facienda, tam cum defuncto Martino, quàm cum Eugenio egerant, faciliùs reduci, & Huſſitæ converti, ac morum reformatio fieri poſſet. Tarentini verò Archiepiſcopi oratio magis eſt de auctoritate Summi Pontificis, ejuſque neceſſitate; de juſtis cauſis diſſolutionis Concilii Baſileenſis per Eugenium decretæ, cujus eſset ſuper loco & tempore celebrationis Synodorum diſponere, ac diſpenſare, neque eum alicui mortali in his aut aliis ejuſmodi rebus ſubeſse: Cùm verò perciperet, omninò Synodum fieri, Græcorum, Huſſitarum, morumque cauſâ, nec poſſet ipſe, tam propter invaletudinem, quàm graves alias cauſas Italiam deſerere; offerre ipſum quemcumque alium in Italia locum Eccleſiæ ſubjectum, quem plenæ Concilii poteſtati tribueret; nec tempus celebrationis prorogaturum, ſed confeſtim ac ejus electio facta eſset, ſe ſe illò translaturum; ſubiturumque ante omnia reformationem in perſona ſua non ſolùm à tempore, quo ad ſummum Apoſtolatûs apicem aſſumptus eſt, ſed & à tenera juventute: indeque proceſſum iri ad reliqua Romanæ Curiæ membra, Principeſque, Prælatos, & alios, qui indigerent. Hic porrò monendus eſt Lector, hæc in Actis MSS. Navarricis collocari poſt nonam tantummodò ſeſſionem, ſed perperàm, ut mox dicetur.

XXXI. *Synodi ad eos responſio.* Ad hæc Patrum nomine longè prolixiùs reſponſum eſt tertio Nonas Septembris, ut dicitur in iiſdem Actis Patricianis: imprimis formidabile eſſe in Sanctum Spiritum delinquere; quod ii facerent, qui Synodum ritè ac legitimè indictam & congregatam diſsolvere conantes, ſchiſma in Eccleſia generarent, & offendiculum tam ſanctis operibus, ob quæ illa congregata eſt, & quæ omnes neceſſaria eſſe agnoſcerent, apponerent: Conciliorum Generalium univerſam Eccleſiam Catholicam repræſentantium, ſupremam eſſe in omnes auctoritatem, ab ipſo Chriſto immediatè manantem; cui & ipſi Pontifices teneantur obedire in his, quæ pertinent ad fidem, ſchiſma, & reformationem: ac propterea non poſſe dici Baſileenſem præſumpſiſse contra Eugenium, eum citando: Cauſas & excuſationes diſsolutionis ab eo prætextas, multis nominibus nullas eſse, quin imò & valdè damnoſas in rebus, propter quas Concilium celebrari deberet; ideoque non potuiſse Synodum illas admittere, aut diſsolutioni Concilii acquieſcere. Hæc ipſi copioſiſſimè in reſponſione Nunciis Eugenii Papæ facta, data *Baſileæ in Congregatione noſtra Generali tertio Nonas Septembris, anno à Nativitate Domini milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſecundo*; quæ extat eodem Tomo Concil. col. 673; ex eaque conſtat hæc perperàm collocata eſse in Actis Navarricis poſt Seſſionem nonam.

XXXII. *In ſexta Seſſione accuſatur contumacia Eugenii PP.* Triduo poſt, nempe die ſexta Septembris, in Sabbato celebrata eſt Seſſio ſexta, cui præfuit de more Philibertus Epiſcopus Conſtantienſis in Normannia, ut dicitur in Actis: *Miſſa ſolemnis de Beata Virgine Maria per Dominum Philibertum Epiſcopum Conſtantienſem Præſidentem celebrata*, preceſque ſolemnes recitatæ, *aſſiſtentibus Dominis Legato* (id eſt Juliano Legato Apoſtolico) *Placentino* (ſeu Branda Caſtellioneo) *& Firmano* (ſeu Dominico Capranica) *Cardinalibus, cum triginta duobus aliis Prælatis in eorum mitris*, & Willelmo Bavariæ Duce Protectore; in qua Concilii Promotores contumaciam Eugenii accuſarunt, quòd nec Concilii diſſolutionem revocaſſet, nec comparuiſſet per ſe, vel alios die ipſi in tertia Seſſione dicta. Quando accedentes prædicti Nuncii Eugenii petierunt ad evitanda ſcandala ſuperſederi in negotio proceſsus contra Pontificem & Cardinales. Quemadmodum & cùm ſeparatim ab iiſdem Promotoribus accuſaretur Cardinalium abſentium contumacia, Auditor Juliani Cæſarini Cardinalis Legati juſtas ſe quorundam abſentiæ cauſas habere aſseruit; quibus examinandis duo Epiſcopi commiſſi fuêre, rem poſtea Patribus relaturi. Dixi porrò Epiſcopum Conſtantienſem huic Seſſioni etiam præfuiſſe de more, quia valdè probabile eſt ipſum aliis etiam præfuiſse, exceptâ primâ, cui certum eſt præfuiſse Julianum Legatum, ut in ea legitur, quod non habetur in aliis Seſſionibus; imò in Actis Victorinis apud Spondanum Epiſcopus Conſtantienſis dicitur Concilii Præſidens, ſicut & in ſexta in Actis editis: cur autem non præfuerit Julianus Cardinalis Legatus ſaltem ſecundæ & ſextæ Seſſioni, fateor me ignorare; ſed mirum mihi omninò accidit, ipſum huic ſextæ Seſſioni interfuiſſe, ut legitur in Actis editis, & tamen Epiſcopum Conſtantienſem ei præfuiſse. Ex hac eadem Seſſione ſexta miſſum eſse à Synodo Gerardum Landrianum Epiſcopum Laudenſem ad Regem Angliæ, traditur in Actis Patricianis apud Spondanum; extatque in Actis editis col. 867 ejuſdem Epiſcopi graviſſima Oratio, qua de legitima Concilii convocatione diſſerens, hortatus eſt Regem Prælatos ſuos ad illud mittere, & pacem cum hoſtibus facere. Denique idem Spondanus ſcribit, in Actis Navarricis haberi plura capita reformationis morum & modi vivendi Conciliaribus indicti, publicatique in Congregatione Generali die Vene-

neris vigeſima quarta Octobris ejuſdem anni 1432 ante Seſſionem ſeptimam, quæ deſiderantur tam in Actis editis Binianis quàm Labbeanis; niſi dicamus, illa capita eadem eſse ac ea quæ referuntur a Labbeo col. 794 & 798. Ex hac porrò Seſſione deceptum conſtat Auguſtinum Oldoinum, dum ſcripſit Brandam Caſtillionæum non adfuiſſe Concilio Baſileenſi, cùm Cardinalis Placentinus, qui adfuit huic Seſſioni, diverſus non eſset à Branda, quem poſtea ad Eugenii partes tranſiiſse, & ab eo Epiſcopum Portuenſem dictum etiam conſtat; quia ut Epiſcopus Portuenſis ſubſcriptus reperitur Epiſtolæ Eugenii datæ Florentiæ anno 1435, Pontificatûs Eugenii quinto, Tomo XII Concil. 951.

XXXIII. *In ſeptima Seſſione ſunt decreta contra Eugenium PP.* Seſſio ſeptima celebrata eſt die tantùm Jovis ſexta Novembris, in qua poſt Miſſam de Spiritu Sancto per Epiſcopum Novarienſem cantatam, & alia peracta ſolemnia, quæ deſcribi ait Spondanus in Actis S. Victoris Pariſienſis, iterum promulgatum eſt decretum Seſſionis quartæ de non eligendo Summo Pontifice extra locum Concilii, ſi eo durante Sedem Apoſtolicam vacare contingeret. Sed quia ex hoc decreto apud aliquos exorta erat dubitatio, ne tempus decem dierum ad intrandum conclave præfinitum Conſtitutione edita in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X, ſaltem à tempore notæ vacationis in loco hujus Concilii curreret & arctaret; cùm terminus nimis brevis eſset propter multos Cardinales in partibus remotis Concilii exiſtentes, Synodus terminum intrandi conclave, durante Concilio, ad ſexaginta dies protogavit à die vacationis computandos, ita ut ante illos dies ſexaginta ad electionem Romani Pontificis minimè procederetur. Statutum eſt inſuper, ut beneficia Cardinalium, qui contra prædictum decretum aliquid attentarent, etiamſi eſſent Eccleſiæ Metropolitanæ, remitterentur collationi Ordinariorum, nulla habita ratione reſervationum Sedis Apoſtolicæ.

XXXIV. *Item alia in Seſſione octava.* In Seſſione octavâ habitâ die Jovis decima octava Decembris, Eugenio Pontifici negligenti adimplere quæ Seſſionibus tertiâ & ſextâ decreta fuiſsent, rurſum ſexaginta dies præfixi ſunt, intra quos prætenſas diſsolutionem Concilii Baſileenſis & alterius convocationem publicè revocaret; alioquin abſque ulteriori monitione ſeu citatione contra ipſum proceſsum iri: Omnes ejus promotiones & ordinationes Eccleſiarum irritæ declaratæ ſunt: Cardinales ſub pœna privationis beneficiorum, Patriarchæ verò & Epiſcopi ſub pœnis Juris ad Concilium accedere juſſi. Decretum item, præter Generale Concilium Baſileenſe, eo durante, nullum aliud cogi poſse; fore namque ſchiſmaticorum Conventiculum: ac propterea omnibus prohibitum ad illud accedere, ſub pœna excommunicationis, & privationis omnium beneficiorum & dignitatum. Itemque ne Papa beneficia eorum qui Concilio Baſileenſi intereſsent aut adhærerent, conferre aliis poſset, neve nova onera aut tributa terris Romanæ Eccleſiæ vel ceteris quocumque nomine imponere, aut earum alienationes, infeudationes & impignerationes facere; & jam factæ declaratæ ſunt irritæ. Putat autem Spondanus, Baſileenſes ad hæc decernenda audaciores factos, ex eo quòd inter hæc Sigiſmundus Romanorum Rex Senis exiſtens die vigeſima ſecunda Novembris diploma promulgaſset, quo teſtatus eſt ſe & ab initio faviſse Concilio Baſileenſi, ad quod per Martinum Papam, & deinde per Eugenium vocatus & invitatus fuerat, & impoſterum ei pro viribus patrocinaturum, nec permiſſurum ejus auctoritatem & libertatem in aliquo labefactari. Sed hæc conjectura deſtrui furſan poſset ex eo quòd illud diploma, ſeu Litera Sigiſmundi lecta ſit in Congregatione Generali habita die decima nona Januarii anni 1433, ut dicitur in Conciliorum Labbei editione col. 964, ex quo deduci poſse videtur, eam ante Seſſionem octavam Baſileenſibus fuiſse incognitam, alioquin in eadem Seſſione ſtatuiſsent, quæ in nona die 22 Januarii habita ſtatuerunt pro Sigiſmundo Rege. Ceterùm apud Labbeum legitur, *Lecta in Congregatione Generali die Lunæ decima nona Januarii*, habetur in margine, 2 *Maji*; ſed perperàm, nam dies ſecunda Maji anno 1433 concurrebat cum Sabbato, non verò cum die Lunæ, cùm litera Dominicalis eſset D. Inter Eugenium porrò & Sigiſmundum eodem anno 1433 concordia inita eſt, de qua mox ſermo erit; ſed rerum geſtarum ordinem ſequentes, quædam antea Seſſiones referendæ, imò & ea quæ illas præceſserunt.

XXXV. *Legati Boemorum ad Synodum Baſil. accedunt.* Anno Chriſti 1432 exeunte, Oratores Bohemorum Nurembergam ingreſſi ſunt, vexillum proferentes: cujus una pars Crucifixi imaginem habebat depictam, altera calicem Euchariſtiæ figurâ ſuperpoſitâ. Verùm à Catholicis moniti, id poſtea nuſquam fecerunt. Advertendum eſt autem, quòd ſoli Pragenſes Calixtini dicerentur, eo quòd in omnibus ferè cum Eccleſia ſentirent, excepta neceſſitate promiſcui calicis: Boëmi tamen omnes hac in parte cum Pragenſibus conveniebant, ideoque calicem non ſolùm in vexillis, ſed etiam in parietibus & templis pingere conſueverant; unde Dubravius lib. 26 cujuſdam diſtichon inſerit de calice:

Tot pingit calices Boemorum terra per urbes,
Ut credas Bacchi numina ſola coli.

Præ-

Prædicti Boëmorum Oratores cum trecentis equitibus Baſileam ingreſſi ſunt die quarta Januarii anni 1433; eorumque Duces fuêre *Guillelmus Coſca*, non tam equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione inſignis: *Procopius* cognomento *Raſus* à Presbyteratu, quem olim ſumpſerat, multis victoriis magniſque ſceleribus nobilitatus: *Joannes Rockiſana*, à vico ejus nominis Pragenſis Eccleſiæ ſic dictus, & ipſe Presbyter, Pragenſium pſeudo-Apoſtolus: *Nicolaus Galecus* Thaboritarum Sacerdos: & *Petrus Payne* Anglicus, patriâ profugus, ac ſolis elenchis in diſputatione confidens. Acceſſerunt ad Synodum die nona ejuſdem menſis; tuncque Julianus Cardinalis Cæſarinus Legatus Apoſtolicus benignè eos allocutus eſt, & longa ac luculenta oratione nomine Catholicæ Eccleſiæ babita, quæ extat Tomo XII Concil. col. 894, ad ea quæ pacis & unionis eſſent, cohortatus eſt; quamplurimis ſacræ Scripturæ, quâ ſolâ uſus eſt, auctoritatibus adſtruens, Eccleſiam Chriſti Salvatoris Sponſam omnium fidelium eſſe matrem: claves ligandi atque ſolvendi habere: in his quæ neceſſaria ad æternam vitam eſſe creduntur, non poſſe errare: qui eam contempſerint, quaſi ethnicos publicanoſque cenſendos: eam nuſquam meliùs quàm in Generali Concilio repræſentari: Statuta Conciliorum Eccleſiæ placita cenſeri, eiſque in omnibus credi oportere: Baſileenſe hoc verum ac legitimum eſſe: Boëmos qui ſe filios Eccleſiæ dicerent, vocem matris in eo audire debere, extra quam ſalus non inveniretur: Faceſſenda jam odia ac ponenda arma: Audituros benignè Patres quæcumque pro cauſa dicere vellent; tantùm parati animo eſſent, ne benè conſulta ſanctæ Synodi conſilia reſpuerent. Hæc oratio ut legitur in Narratione compendioſa de Boemis, non omnibus Boëmis probata fuit; unde cùm eis par facundia non eſſet, per Rockiſanam tamen paucis verbis reſponderunt: gratias imprimis agentes Deo, qui ipſos multipliciter conſolari dignatus eſſet; deinde Cardinali Legato, univerſæque Synodo ob benignum erga ſe affectum & honeſtam acceptionem; deinde verò poſtularunt diem, quo audirentur ſuper articulis quibus potiſſimùm inſiſtebant; & aſſignatus eſt illis dies decimus ſextus Januarii. Hanc porrò Rockiſanæ oratiunculam, quæ deſideratur in Tomis Concil. recitat Cochlæus lib. 6 Hiſt. Huſſit.

XXXVI. *Eorum diſputationes de articulis à ſe propoſitis.*

Licèt Boëmi in multis ab Eccleſia Catholica diſſentirent, urgebant tamen potiſſimùm circa quatuor articulos, à quibus ſe nunquam abſceſſuros declaraverant in Epiſtola encyclica Conradi Archiepiſcopi Pragenſis, qui à fide Catholica apoſtataverat, ac Baronum, civitatum & communitatum Boëmiæ, ad ceteros Principes & civitates regni, data menſe Januario anni 1421, quam refert Cochlæus lib. 5 Hiſt. Huſſ. Articuli autem illi erant: 1, De miniſtranda publicè omnibus communione ſub utraque ſpecie: 2, De omni peccato mortali in quolibet ſtatu per reformationem deſtruendo: 3, De prædicando ubique liberè verbo Dei: 4, De abſcindenda ſuperflua Cleri dotatione. Adveniente itaque die decima ſexta Januarii, Joannes Rockiſana pauca præfatus primum articulum de communione ſub utraque ſpecie proponere cœpit uſque in tertium diem, ſemper ante meridiem. Deinde Wenceslaus, ſeu Nicolaus Taborita, ſecundum articulum de corrigendis & eliminandis peccatis publicis in medium protulit per bidui ſpatium. Poſt quem Udalricus Presbyter orphanorum tertium articulum de libera prædicatione verbi Dei duobus item diebus propoſuit. Poſtremò Petrus Payne Anglus de quarto articulo, qui erat de civili dominio Clericorum, per tres dies diſſeruit. Fecerunt autem copiam ſuarum diſputationum ſacro Concilio in ſcriptis, & gratias egerunt quòd auditi fuiſſent. Ita legitur in Narratione compendioſa de Boëmis ad Concilium Baſileenſe vocatis, in qua & additur: *Poſterioreſque tres ſatis inciviliter in noſtros invexerunt, Joannem Wiclephum & Joannem Huſſum à doctrina laudantes, nihil veriti doctores Evangelicos vocare, quos quidem Eccleſia damnaret.*

XXXVII. *Catholicorum reſponſiones.*

Exigente verò re, ut aliquid eis reſponderetur, *Joannes de Raguſio* Ordinis Prædicatorum Procurator Generalis à Synodo poteſtatem petiit reſpondendi privato nomine ad primum articulum Boëmorum; cujus petitioni cùm aſſenſiſſet Synodus, octo diebus reſpondit horis antemeridianis; ſed cùm inter reſpondendum crebrò hæreſeos & hæreticorum vocabulum haberet in ore; Procopius cognomento Raſus hoc non ferens, de hac injuria apud Synodum conqueſtus eſt, parumque abfuit, quin ob id Boëmi Baſileâ exirent, vixque placari potuerunt. Deinde reſpondit ad ſecundum articulum inſignis Theologus *Ægidius Carlerius* Decanus Eccleſiæ Cameracenſis, per quatuor dies. Ad tertium articulum reſpondit per tres dies *Henricus Kalteiſen* Confluentinus, Ordinis item Prædicatorum, qui juxta Trithemium in Catal. de Scriptoribus Eccleſiaſt. poſtea Nidroſienſis in Norvegia Archiepiſcopus fuit. Ad quartum poſtremò reſpondit tribus item diebus *Joannes Polemarius* Archidiaconus Barcinonenſis, Auditor cauſarum ſacri Palatii. Extant quatuor iſtæ orationes prolixiſſimæ, eæque doctiſſimæ Tomo XII Concil. col. 1023, & ſeqq. Quamquam verò Doctores illi Catholici tam accuratè reſpondiſſent, ni-

hilominus Boëmi illos ſuos articulos pertinaciter defendebant, præſertim primum; adeo ut Joannes Rockiſana reſponſiones Joannis de Raguſio ſex diebus impugnarit.

XXXVIII. *Fruſtrà agitur de concordia amicè faciendà.*

Quare cùm diſputatio pareret diſputationem, & non videretur hoc pacto concordia facilè coitura; propoſitum eſt aliud remedium à Willelmo Bavariæ Duce Concilii Protectore, videlicet ut omiſſis diſputationibus res amicè componeretur. Utrimque deputati ſunt aliqui de concordia tractaturi: qui cùm die undecima Martii conveniſſent, & juſſi eſſent dicere ſententiam ſuam: qui à parte Concilii erant, dixerunt optimum ſibi videri, ſi Boëmi Catholicis unirentur & unum corpus efficerentur: quod corpus omnes tum diverſitates opinionum ſive ſectarum concordare & declarare poſſet, atque definite quid in ſingulis agendum foret, ſive credendum. Sed Boëmi poſt aliqualem deliberationem dixerunt hanc viam non videri ſatis aptam, niſi priùs quatuor illi articuli eſſent declarati, ita ut aut ipſi cum Catholicis, aut hi cum illis ſentirent; alioquin ridiculum eſſe ajebant, ſi jam uniti in articulorum rurſus deciſione diſceparent. Verùm Boëmis reſponſum eſt, ſi ritè unirentur, invocato Spiritu Sancto, nequaquam eos in hujuſmodi deciſione erraturos, quando quilibet Chriſtianus tali definitioni credere debeat. Sed ſurdis, ut ajunt, ſabula canebatur, nam alii tres qui diſputaverant pro tribus aliis articulis, adhuc etiam adversùs reſponſiones datas pertinaciter diſputabant.

XXXIX. *Oratio Juliani Card. ad Oratores Boëmorum.*

Tunc Julianus Cardinalis Cæſarinus Concilii Præſidens ad Oratores Boëmorum habuit orationem: Audivit, inquit, hæc ſancta Synodus per decem dies cum magna patientia quatuor veſtrorum articulorum propoſitiones, & in fine ſubjunxit: „ Propoſuiſtis proximis diebus quatuor „ articulos; ſed audimus præter hos quatuor multa vos alia habere dogmata peregrina, in quibus à nobis diſſentitis. Neceſſarium eſt, ſi veſtra unitas & perfecta fraternitas inter nos ſequi debet, ut omnia in hoc ſacro Concilio propalentur, quatenus per gratiam „ Spiritus Sancti, qui pacis & veritatis „ eſt auctor, debita ac ſalubris proviſio „ fieri poſſit. Nec ex levibus conjecturis „ iſta accepimus. Partim enim à fide dignis perſonis audivimus, partim quidam „ qui hic ſunt, propriis oculis in Boëmia „ viderunt, partim etiam ex veſtra relatione perpendimus. Magiſter enim Nicolaus ſecundo loco proponens allegavit „ inter alia Joannem Wicleff evangelicum „ doctorem. Si illum creditis eſſe evangelicum, conſequens eſt ut dicta ejus „ anthentica reputetis: ſi verò non ita „ putatis, æquum eſſet ut hoc nobis innoteſcat. De iis igitur & quibuſdam „ aliis vos rogamus, ut nos certificare velitis quid credatis, & quam ſuper his „ fidem adhibeatis. Nec ſic requirimus ut „ motiva & rationes veſtras nunc explicetis; ſed ſatis nobis nunc eſt, ut ad ſingulos articulos nobis reſpondeatis per „ verbum *Credimus*, aut, *Non credimus.* „ Quod ſi feceritis, ut ſperamus, tunc „ apertè cognoſcemus vos cupere, ut „ bonam de vobis æſtimationem capiamus. „ Si quid autem eſt de quo velitis per nos „ certificari, interrogate audacter, & confeſtim vobis reſpondebimus. Parati enim „ ſumus juxta beati Petri doctrinam (1, „ Petr. 3,) unicuique poſcenti reddere „ rationem de ea quæ in nobis eſt fide.„ Ad hoc paucis reſponderunt Oratores Boëmorum, veniſſe ſe tantùm, ut quatuor illos articulos proponerent, non tam ſuo, quàm publico totius regni Boëmorum nomine. Nec aliud dixerunt.

XL. *Mittuntur Pragam Legati à Synodo.*

Ex his patet, articulos jam in Conſtantienſi & Senenſi Conciliis damnatos in diſceptationem iterum vocatos fuiſſe, cùm ſuper iis diſputaverint & contenderint Huſſitæ Boëmiæ, & in eis definita ad novum quaſi examen revocaverint. Collationem quidem cum hæreticis non cenſuerat denegandam Leo Auguſtus poſt Concilium Chalcedonenſe; ſed cùm hac de re ad S. Leonem Papam ſcripſiſſet, ut Epiſcopos mitteret ex Occidente, qui quaſdam quæſtiones elucidarent, hic quidem ſanctus Pontifex Collationem non probavit, ſe tamen miſſurum Epiſcopos pollicitus eſt, qui præſentiam ſuam ſupplerent, at non ad pugnam cum hæreticis inſtaurandam: *Non ad confligendum cum hoſtibus fidei, nec ad certandum contra illos..... quia de rebus & apud Nicæam, & apud Chalcedonem, ſicut Deo placuit, definitis nullum audemus inire tractatum, tanquam dubia, vel infirma ſint, quæ tanta per Spiritum Sanctum fixit auctoritas*, ait S. Leo in Epiſtola 78, novo ordine 132, data 9 Kal. April. anni 458: eodemque anno, tertio Kalendas Septembris, Epiſtolam dedit ad Leonem Auguſtum, quæ de Incarnationis myſterio prolixiorem tractationem continet, & plurima difficillimaque SS. Patrum teſtimonia ſubjecta habet, quibus Eutychiana hæreſis jam pridem in Eccleſia damnata oſtenditur. His tamen non obſtantibus, Willelmus Bavariæ Dux Concilii Protector, rurſus quatuor viris utrimque adſcitis, de re pacificè tranſigenda tractavit; ex quorum conſilio Synodus decrevit inſignem Legationem cum Oratoribus Boëmorum Pragam mittere, ubi ad diem Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ anno 1433 incidebat in ſeptimam diem Junii, populus conventurus eſſet. Neque enim con-

conditiones concordiæ oblatas accipere voluerant Boëmi, ſed abire feſtinabant. Miſſi itaque fuére Philibertus Conſtantienſis in Normannia Antiſtes, Petrus Auguſtenſis Epiſcopus, Joannes Polemarius Archidiaconus Barcinonenſis, de quo ſuprà, Fridericus Parſperber Præpoſitus Ratiſponenſis, Ægidius Carlerius Decanus Cameracenſis, de quo etiam ſuprà, Alexander Sparvo Juriſconſultus Anglus, Thomas Haſelbachius Theologus Viennenſis, Henricus Tocgius Canonicus Magdeburgenſis, Theologus, Martinus Bernerius Decanus Turonenſis, & Joannes Gelbuſius Mulbtunenſis Monachus, qui omnes juſſu Concilii cum Oratoribus Boëmorum Pragam ſunt profecti die decimo quarto menſis Aprilis. Quid actum ab iis fuerit, dicetur ſuo loco, alia enim priùs narranda veniunt.

XLI. *In Seſſione IX Sigiſmundus recipitur in protectionem Concilii.*

Inter hæc cùm accepiſſent Baſileenſes Literam, ſeu Diploma Sigiſmundi Regis datum Senis die vigeſima ſecunda Novembris anni 1432, quod lectum fuiſſe, ſuperiùs diximus, in Congregatione Generali habita die decima nona menſis Januarii anni 1433, Die Jovis vigeſima ſecunda ejuſdem menſis Nonam Seſſionem celebrarunt, & in ea Sigiſmundum ob ſtudium continuum in defenſione & promotione Concilii, ab eo tam apud Eugenium Pontificem, quàm ceteros ubique Principes exhibitum, ſub ſpecialis protectionis Concilii munimine ſuſceperunt; & quoſcumque proceſſus contra eum factos, etiam privationem regnorum aut dignitatem forſan continentes; vel cenſuras atque alia quæcumque adversùs eum per Eugenium Pontificem aut ejus nomine facta vel prolata fuiſſent, aut impoſterum fieri vel proferri poſſent, irrita & nullius roboris eſſe decreverunt, eidemque ſicuti priùs omnes obedire juſſerunt. Idque ipſum declaraverunt in favorem Willelmi Bavariæ Ducis Protectoris Concilii, & aliorum quotumcumque Concilio adhærentium.

XLII. *In Seſſione X Eugenii PP. contumacia accuſatur.*

Non multò poſt, die ſcilicet Jovis decima nona Februarii, Baſileenſes Decimam Seſſionem celebratunt, in qua rurſùm Eugenii contumaciâ per Promotores Concilii accuſatâ, Julianus Cardinalis Cæſarinus Concilii Præſidens, dixit Synodum deputare Judices Concilii ad videndum & examinandum proceſſum factum contra eundem Eugenium Papam, ut referant in Congregatione Generali: quâ factâ relatione Concilium deliberavit ſuper declaratione contumaciæ & aliis in hujuſmodi cauſa peragendis, ac in Seſſione ſuper hoc decernenda Promotoribus reſponderet. Huic porrò decimæ Seſſioni præſentes fuerunt quadraginta ſex Prælati in mitris eorum planis; de quorum numero tres Presbyteri & duo Diaconi Cardinales in utriuſque lateribus collocati extiterunt: adfuit etiam Willelmus Bavariæ Dux Concilii Protector.

XLIII. *Sigiſmundus Rex ſcribit ad Baſileenſes de concordia à ſe inita cum Eugenio PP.*

Dum hæc Baſileæ agerentur, Sigiſmundus animum intendens ad id cujus cauſa Italiam potiſſimùm petierat, de corona Imperiali recipienda Eugenium Pontificem diligentiùs ſollicitans, his randem conditionibus res conſtituta eſt inter eundem Pontificem, & Sigiſmundi Nuncios Matikonem Comitem Recomenſem, & Gaſparem Slick Vicecancellarium ſuum, die ſeptima Aprilis, ut Rex Viterbium, vel in Urbem concederet ad Pontificem; præſtaretque ei vel ipſius Legato ad hoc Inſtituto omnia Juramenta, aliaque cuncta, quæ tam de conſuetudine, quàm de jure facere teneretur juxta formam Clementinæ, accederetque ſolùm cum comitatu ſuo & familia, nec ullum duceret ſcienter hoſtem aut inimicum Eccleſiæ, aut ipſius Pontificis, vel populi Romani rebellem; ſi verò inadvertenter aliquis ejuſmodi inter eos reperiretur, illum ad indicationem Pontificis remitteret. De qua concordia confeſtim decimo quinto ejuſdem menſis Aprilis ſcripſit Sigiſmundus Senis exiſtens ad Patres Baſileenſes, à quibus inceſſanter ſolicitabatur ad reditum; ſignificavitque fuiſſe quidem ſe eo ſemper animo, ut ad ipſos per quæcumque pericula accederet tuitionis eorum cauſâ: verùm cùm jam Pontifex perſuaſione tam ſui ipſius Regis, quàm Electorum Imperii, aliorumque inſignium virorum Concilium approbaſset; haud viſum fuiſſe Italia ante ſuſceptam Imperii coronam abire: Conventurum igitur ſe propediem Pontificem Viterbium, ac menſe Junii coronam Imperii Romæ de manu ejus accepturum. Nec quicquam de ipſo Patres ex hujuſmodi concordia ſiniſtri ſuſpicarentur; quoniam etſi promiſiſſet Pontifici, quantum in Deo poſſet, opitulari, nunquam tamen aliquid præſtaturus eſſet in detrimentum Concilii, ſed ſemper illud promoturus in rebus, quarum cauſâ congregatum fuit. Extat Sigiſmundi Epiſtola Tomo XII Concil. col. 961.

XLIV. *Roma ab Eugenio Imperii coronam recipit.*

Ut porrò jam diu expectatam Sigiſmundi coronationem expediamus hic uno tenore, Eugenius Pontifex ei Urbi appropinquanti obviam deſtinavit aliquos Cardinales ac plures Prælatos & Proceres Romanorum, qui magno honore eum deduxerunt, Clero populoque ingenti pompa & plauſu comitantibus. Ipſeque Pontifex ad gradus Baſilicæ Vaticanæ cum magno apparatu eum excepit ad pedis & oris oſculum, ut narrat S. Antoninus lit. 22, cap. 10, § 1, ipſo die Aſcenſionis Dominicæ, quæ concurrebat cum die vigeſima prima Maji; & die trigeſima prima ejuſdem menſis in feſto Pentecoſtes ſolemniſſimis cære-

moniis coronatum, Imperatorem Auguſtumque appellavit: præſtito priùs ab eo conſueto juramento de fidei Catholicæ & Romanæ Eccleſiæ, aliorumque, ac jurium omnium, privilegiorumque earundem defenſione & conſervatione. Quod juramentum refertur integrum à Raynaldo num. 14. Eâ pompâ peractâ, ut refert Paulus Benedictus MS. in archivio Vaticano, Sigiſmundus aurea redimitus corona ad gradus Baſilicæ S. Petri cum Eugenio venit; cùmque præmiſſis aliquibus verborum officiis Pontifex equum conſcendiſſet, Imperator ſtratoris obſequia illa præſtitit, ut ſcribunt Leonardus Aretinus in Hiſtoria Rer. Italic. & Blondus Decad. 3, lib. 5, tribuſque progreſſus paſſibus in equum ſuum inſiliit, petiitque Pontificis lævam. Ubi Pontifex & Imperator ad concham areæ Caſtri S. Angeli pervenére, mutuum ſibi dixére Vale, ac Pontifex in palatium Vaticanum retroceſſit: Imperator ad Ællum pontem progreſſus plures auratos equites creavit, indeque ad Baſilicam Lateraneſem perrexit.

XLV. *In Germaniam redit.*

Auguſtalibus apicibus inſignitus Sigimundus libertatem Eccleſiaſticam confirmavit memorabili diplomate, quod extare MS. in Bibliotheca Vallicellana aſſerit Raynaldus num. 15, ubi illud refert, excepta die, qua datum eſt; illam enim ſuo more ſuppreſſit. Eo diplomate confirmavit quæ Fridericus II ante ſuam defectionem, & Carolus IV Imperatores pro libertate Eccleſiaſtica ſanxerant: tum Judices ſæculares trahentes ad ſe cauſas Eccleſiaſticas coercuit, atque ampliſſimas immunitates Clero dedit, quæ ibidem legi poſſunt. Poſtea moratus aliquandiu pacificè Romæ, cum bona venia Eugenii Pontificis abiens per Picenum & Flaminiam, Ferrariam atque Mantuam pervenit; ubi Joannem Franciſcum Gonzagam Mantuæ regulum Marchionali dignitate auxit, ac per ſingulas civitates pluribus contulit Militiam, Doctoratum, & varias dignitates. Demum trans Alpes abivit, & Baſileam pervenit menſe Octobri, ut poſtea dicetur.

XLVI. *Petitiones Eugenii PP. à Patribus Baſileenſibus.*

Quod porrò dictum eſt à Sigiſmundo in literis, de quibus ſuprà, ad Baſileenſes datis die decimo quinto Aprilis, Eugenium nempè confirmaſſe, id explicandum eſt. Eugenius literis datis anno 1432, XVIII Kal. Januarii, quæ extant apud Raynaldum eodem anno num. 19, Legatos miſerat Joannem de Mella Decretorum Doctorem, Chriſtophorum Cervienſem, & duos Abbates, qui menſe Martio anni 1433 in magno Patrum conſeſſu Legationem ſuam exponentes dixerunt, potuiſſe quidem Pontificem de plenitudine poteſtatis legitimè Concilium diſſolvere & transferre, neque propterea ſanctionib' Conſtantienſis contravenire: placere tamen ei pacis & concordiæ cauſa aliquid etiam de ſuo jure cedere, quantum cum Deo & honore Sedis Apoſtolicæ liceret: ac proinde orare ut translationem Concilii ad civitatem Bononienſem æquo animo Patres ferrent, quam ipſe tantùm pro utilitate Reipublicæ, & ad nullius injuriam feciſſet: Polliceri decreta omnia contra Patres per eum promulgata quamprimùm abrogare, ſi & ipſi ſua in Pontificem ac ſuos edita revocarent: Si Boëmi Bononiam petere recuſarent, concedere ut Baſileæ Patres intra præſcribendum tempus cum eis agerent, & reconciliationem aliorum Principum procurarent, dummodò elapſo termino Bononiam ſe conferrent. Quæ civitas ſi non placeret, aliam eligerent intra Italiam: Si verò nihil æquum horum videretur, placeret ut duodecim Prælati è numero Baſileenſium eligerentur, neutri parti ſuſpecti, qui unà cum Oratoribus Principum de his cognoſcerent: & ſi judicarent Concilium intra Germaniam omninò eſſe oportere, placere ut locus alius extra Baſileam eligeretur. Ita Legati Eugenii; quibus crudè reſponſum eſt à Baſileenſibus, Concilium legitimè inchoatum extitiſſe, nec à Romano Pontifice ſine ipſius Concilii conſenſu diſſolvi potuiſſe; nec ipſos cum honore Dei & Eccleſiæ prædictis illicitis & abſurdis petitionibus ullatenus annuere poſſe. Hæc ita geſta eſſe breviter narrant Baſileenſes in reſponſione Synodali decimo ſexto Kalend. Julii facta aliis Legatis Eugenii, quæ extat Tomo XII Concil. col. *699*.

XLVII. *Eugenius PP. confirmat Concilium Baſil.*

Ex eadem reſponſione Synodali conſtat, tunc Baſileenſes ignoraſſe Eugenium ad preces Sigiſmundi Romanorum Regis ac Principum Electorum diplomate dato decimo ſexto Kalendas Martii, biduo ante finem ſexaginta dierum ei à Synodo Seſſione VIII præfinitorum, Concilium inſtauraſſe & approbaſſe. Extat illud Diploma in Actis Navarricis, in appendice Actorum Binii, & apud Raynaldum anno 1433, num. 5. In eo Eugenius poſt narratas cauſas congregationis Concilii, ac diſſolutionis per ipſum Pontificem decretæ, ſignificat non eſſe reprehenſibile, ſi ſecundùm varietatem temporum ſtatuta quandoque varientur humana: ideoque cùm jam audiſſet, plures earum cauſarum, quæ diſſolutionem ſuaſerant, ceſſare, ſiquidem bella Ducum Auſtriæ & Burgundiæ ſublata fuiſſent, numerus Prælatorum auctus eſſet, & Boëmi ſuos Oratores Baſileam miſiſſent: propterea annuendo ſupplicationibus Regis Romanorum & Principum Electorum Imperii, ſtatuere ſe & mandare Concilium Baſileæ celebrari; ad quod propediem miſſurus ipſe eſſet ſuos Legatos; & interim

qui

qui ibi congregati eſſent, intenderent ſaluti Boemorum & concordiæ Principum. Præterea Eugenius Diplomate dato Kalendis Martii ejuſdem anni 1433, quod extat etiam apud Raynaldum num. 8, quatuor Concilii Præſides nominavit, Jordanum nempe Sabinenſem & Petrum Albanenſem, Epiſcopos, ac Nicolaum tit. S. Crucis in Jeruſalem, & Angelottum tit. S. Marci Presbyteros Cardinales, qui Concilium auctoritate ſua regerent.

XLVIII. *Baſileenſes nec confirmationem, nec Legatos ab Eugenio miſſos admittunt.*

Verùm hæc omnia rejecêre Baſileenſes; ex eadem enim Reſponſione Synodali conſtat eos objeciſſe, Eugenium ipſorum monitis morem non geſſiſſe: Non agnoſcere jam dudum cœptum Baſileæ Concilium, ſed tantummodò per Legatos celebrandum decreviſſe: Contraxiſſe etiam illius auctoritatem ad duo tantùm, nempè ad hæreticos ad fidem reducendos, & conciliandam inter Principes pacem; reſtituendæ autem Eccleſiaſticæ diſciplinæ caput prætermitti, neque confirmari quæ jam geſta eſſent. Poteſtatem etiam datam Præſidibus Cardinalibus exagitarunt, ex qua inferretur, quòd ſi Concilium quippiam ſtatueret, quod à Cardinalibus ipſis reſpueretur, pro infecto eſſet; contenderunt inſuper non tantùm Præſides, ſed ipſum etiam Pontificem Concilio obnoxium eſſe, adeo ut ſi Concilio non pareret, in eum animadverti poſſet. Quare ajunt: *Si poſt hujuſmodi contradictionem inter Concilium, & Papam ortam, Concilium quaſi victum cederet: & ipſum, & alios Romanos Pontifices in poſſeſſione diſſolvendi Concilia poneret, quæ tandem ſpes erit, quòd præfatus Dominus Eugenius decreta hujus ſacri Concilii ſervet, & ſervari faciat, ſi ipſum Concilium ſpernat recognoſcere? quibus etiam remediis uti poterimus, ut ſtatutis hic promulgandis non contraveniat, ſi ipſum Concilium, per quod ſtatuta fiunt, irritari patiamur. Mori malumus, quàm tanto errori per ignaviam cedere.* Pontificios itaque Nuncios recipere penitus detrectarunt Baſileenſes, quòd eos pro novo celebrando Concilio, non pro illo, quod hactenus celebratum fuerat, confirmando, miſſos eſſe argumentarentur; imo decretum Eugenii de Concilio multis modis captioſum & ſubdolum eſſe arguerunt, atque ad deſtructionem Concilii, magis quàm ad confirmationem compoſitum.

XLIX. *Decreta in Seſſione XI.*

Die itaque Lunæ vigeſima ſeptima Aprilis celebrarunt Seſſionem undecimam, in eaque confirmarunt quæ in Synodo Conſtantienſi de celebratione Synodorum ſtatuta fuerant, ac quædam eorum in ſuum ſenſum explicarunt; decernentes teneri omninò Pontificem per ſe vel per Legatos ad Concilium accedere, perinde ac ceteros, quibus de jure competit; ſub pœnis ſuſpenſionis à Papatu, & aliis beneficiis ac dignitatibus, ipſo facto incurrendis, niſi infra quatuor menſes reſipuerint: Nec poſſe Concilium à Pontifice mutari aut diſſolvi abſque conſenſu duarum partium Concilii: ac deinceps ſtatuerunt hæc decreta impoſterum jurari debere per futuros Pontifices. Denique caſſarunt & annullarunt omnem inhibitionem factam vel fiendam ab Eugenio Papa, Curialibus Romanæ Eccleſiæ ne ad Concilium accederent.

L. *In Seſſione XII Eugenio PP. ſuſpenſio intentatur.*

Aliquanto poſt tempore, die ſcilicet Lunæ decima tertia Julii Baſileenſes in ſuis cœptis perſeverantes duodecimam Seſſionem celebrarunt, in qua poſt narrata quæ hactenus geſta fuerant, & dilationes Eugenio Pontifici indultas ad revocandam diſſolutionem Concilii per ipſum decretam, acriùs in eum invecti ſunt, intuitu tamen Sigiſmundi Imperatoris per ſuas literas inſtantis, adhuc ſexaginta dies conceſſerunt; intra quos niſi omninò revocaret, ſuſpenſus ipſo facto eſſet ab omni adminiſtratione Papatûs in ſpiritualibus & temporalibus; præter illa quæ contra Cardinales & Prælatos, qui ei adhererent, aut ad Concilium venire detrectarent, ſtatuerunt; Decretumque aliud condiderunt de legitimis electionibus, & confirmationibus Epiſcoporum ac Prælatorum abſque ullis reſervationibus, & juxta Eccleſiaſticas ſanctiones circa ætatem, doctrinam, mores; ac ne Pontifex, aliive quicquam omninò pro confirmationibus exigerent aut reciperent; ſic nimirum Annatas à Pontificibus exigi ſolitas prohibentes, quorum nec non Cardinalium neceſſitatibus ſe aliunde proviſuros pollicebantur.

LI. *Hæc omnia Eugenius PP. irritat.*

Eugenius Pontifex non ſolùm repulsâ miſſis à ſe Præſidentibus datâ à Baſileenſibus, ſive etiam fortè ex Decreto Seſſionis XII commotus, ſentiens rem ad ſchiſma & ad hæreſim tendere, publica declaratione quarto Kalendas Auguſti facta, quæ extat in Seſſione XVI Concil. Baſileenſis col. 529, quæ incipit *Inſcrutabilis*. Omnes illas citationes, proceſſus, & decreta, quæ contra ipſum aut Sedem Apoſtolicam vel Cardinales, alioſque quoſcumque ipſi adhærentes, ac cetera quæcumque Baſileenſes attentare præſumpſiſſent, aut impoſterum præſumerent, exceptis iis, quæ ipſe eis tractare permiſiſſet, irrita & inania eſſe ſtatuit. Extat pariter hæc Eugenii declaratio, ſeu Bulla apud Raynaldum anno 1433 numer. 20.

LII. *Duæ Eugenii Conſtitutiones pro Concilio.*

Triduo tamen poſt, nempe Kalendis Auguſti, intellectis cauſis repulſæ Præſidentium ab ipſo miſſorum, de qua ſuprà, ad tollendam omnem ſchiſmatis occaſionem, & ad inſtantiam Sigiſmundi, de conſilio trium Cardinalium, ſcilicet Antonii tituli S. Marcelli, Jordani Epiſcopi Sabinenſis,

&

& Lucidi S. Mariæ in Coſmedin Diaconi Card. declaravit velle ſe Concilium Baſileenſe à tempore ſuæ inchoationis continuatum fuiſſe, proſecutionemque ſemper habuiſse, habereque debere ad hæreſes, bella, & motum deformitates extirpandas, perinde ac ſi nulla commutatio, translatio, ac diſſolutio facta fuiſſet, quas omninò revocabat; illudque pro viribus promovere & omni favore proſequi intendebat; cum hoc tamen ut Præſidentes ipſius admitterentur cum effectu, ac omnia & ſingula contra perſonam, auctoritatem, ac libertatem ipſius Eugenii, ac Sedis Apoſtolicæ, Cardinalium, aliorumque quorumcumque ipſi adhærentium in Concilio geſta, priùs omninò tollerentur. Extat hæc Eugenii conſtitutio Tomo XII Concil. col. 945. Ibidem col. ſequenti extant aliæ literæ ejuſdem Pontificis datæ Idibus menſis Auguſti, quibus mandat Bartholomæo Archiepiſcopo Spalatenſi, Chriſtophoro Epiſcopo Cervienſi, & Nicolao S. Mariæ de Moniatis Monaſterii Abbati diœceſis Montis Regalis petendi à Concilio prædictam geſtorum Synodi revocationem, & facultatem eis concedit cuncta pariter, quæ per ipſum ſeu auctoritate ejus contra dictum Concilium, aut ei adhærentes, facta aut decreta fuerant, revocandi atque irrita declarandi.

LIII. *Rejiciuntur, & Eugenius caſſat quæ in Seſſione XII ſtatuta fuerant.*

Verùm neque his placati ſunt Baſileenſes; cùm enim in priori Epiſtola ſeu Conſtitutione ſcripſiſſet Eugenius: *Volumus & contentamur præfatum generale Baſileenſe Concilium à tempore inchoationis ſuæ continuatum fuiſſe*, &c. ea verba cavillati ſunt, petieruntque ut Pontifex diceret non modò tolerare ſe Concilium propagatum fuiſſe, ſed etiam decerneret ritè propagatum; & loco illorum verborum, *Volumus & contentamur*, in literis poneret, *decernimus & declaramus*. Id conſtat ex aliis literis ab Eugenio ad Franciſcum Foſcarinum Venetiarum Ducem ſcriptis apud Raynaldum num. 19, in quibus ait mirari ſe Imperatorem velle, ut illa duo verba mutarentur, cùm poſita fuiſsent ipſo *non ſolùm ſciente & conſentiente*, *ſed* etiam *approbante* coram Cardinalibus, & Andrea Donato Venetorum Oratore; imò inquit, *aſſerunt nos plus feciſſe, quàm deberemus, & ultra quàm teneremur, & quod Baſileenſes ultro acceptare debebant: quod ſi recuſarent, mirabilia adverſus illos pollicitus eſt ſe eſſe facturum*. Ex quo, ut id obiter notem, deducitur Sigiſmundum Imperatorem adhuc Romæ fuiſſe Kalendis Auguſti, quo die data eſt illa Conſtitutio. Cùm itaque Eugenius animadverteret his non ſatisfieri Baſileenſibus, contendentibus nihil eorum quæ feciſſent revocari poſſe aut debere, ſed Pontificem eis purè & ſimpliciter adhærere tanquam Synodo inferiorem, Conſtitutione publicâ Idibus Septembris publicatâ, imprimis decretum in Seſſione XII tertio Idus Julii contra ipſum Pontificem, Cardinales, ceteroſque confectum, de plenitudine poteſtatis nullum & inane pronunciavit. Extat hæc Conſtitutio in Seſſione XVI Concilii Baſileenſis col. 531, incipitque, *In arcano noſtræ mentis*.

LIV. *Aliæ literæ contra Concilium Eugenio ſuppoſitæ.*

Non multò poſt publicatæ ſunt prolixiores Eugenii Papæ nomine literæ pro ipſius defenſione ad univerſos Chriſti fideles, datæ, ut ſupponitur, in iis Idibus etiam Septembris, quibus earum ſcriptor cuncta ſpeciatim enarrans quæ ab initio in hac cauſa geſta fuerant; ac rationes explicans, ob quas Eugenius Concilii celebrationem revocaſſet, & Bononiam transferri mandaſſet, objectioneſque Baſileenſium ac criminationes diluens, confutanſque, ipſorumque contra Sedis Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ ritus facta recenſens, proteſtatus eſt nefas fore talia approbare, nec unquam ab Eugenio factum iri. Deinde explicans quod à Baſileenſibus objiciebatur, ipſum cùm Synodum Baſileæ fieri conſenſiſſet, injunxiſſe pariter agenda cum Concilii conſilio per Præſidentes à ſe miſſos perfici; ait Concilium debere ſequi Præſidentes, non è contrà; ita ut ſi Papa, vel ejus Legatus, & Concilium in aliquibus diſponendis diſſentirent, Papæ, vel ejus Legati, non Concilii voluntas ſequenda foret, cùm Papa ſuper omnia Concilia poteſtatem haberet: niſi fortè quæ ſtatuenda forent, Catholicam fidem reſpicerent, vel ſi non fierent, ſtatum univerſalis Eccleſiæ principaliter perturbarent, quia tunc Concilii ſententia eſſet potiùs attendenda. Falli igitur in eo plurimùm Baſileenſes, quòd in ſingulis ſe Pontifice ſuperiores reputarent: id enim aſſerere hæreticum eſſe ac profanum. Denique hortabatur Principes & omnes fideles orthodoxos, Baſileæ congregatos adhortari, ut deſiſtentes ab inceptis, vellent ſuos ipſius Præſidentes admittere, ut canonicam Synodum facientes poſſent bona illa, propter quæ ſacrum Concilium erat inſtitutum, debitæ executioni demandare. Quòd ſi ſecùs facerent, & Dei Eccleſiam ſcindere pergerent, ut hactenus conati eſſent, tunc ipſi Principes eorum improbis conatibus pro viribus reſiſterent, ne ſchiſma in Eccleſia oriretur. Hoc enim ad Principes pertinere ſæculares, ut eorum temporibus pacatam vellent matrem Eccleſiam, unde eſſent ſpiritualiter nati; nec permitterent ſine auctoritate Pontificis Conciliabula fieri, exemplo poſteritati pernicioſiſſimo. Hæc ſumma illarum literarum, quæ extant Seſſione XVI Concilii Baſileenſis col. 532, incipiuntque his verbis:

Deus

Deus novit, &c. Eas tamen poſtea ſuas eſſe, aut de ſcitu ſuo emanaſſe negavit Eugenius, ut inferiùs dicetur.

LV. *In Seſſione XIII datur Eugenio alia prorogatio.*

Cùm ad aures Baſileenſibus perveniſſet Eugenium Conſtitutione ſua data quarto Kalendas Auguſti caſſaſſe & irritaſſe omnes citationes, proceſſus & decreta, quæ contra ipſum aut Sedem Apoſtolicam, vel Cardinales, alioſque quoſcumque ipſi adhærentes à Baſileenſibus in Seſſione XII facta fuerant, die Veneris undecima Septemb. Seſſionem XIII celebrarunt, cui interfuerunt ſeptem Cardinales, in qua accuſatâ à Promororibus Concilii Eugenii contumaciâ, quòd ad diem non ſatisfeciſſet, omninò ad ejus condemnationem procedere decreverant. Sed Willelmus Bavariæ Dux Protector Synodi, tam ſuo, quàm Imperatoris nomine, necnon major civium pars, aliique inſtiterunt pro ulteriori dilatione triginta dierum, cum promiſſione de nulla unquam ampliùs petenda. Quo eodem tempore accedentes Archiepiſcopus Spalatenſis, & Epiſcopus Cervienſis, quos mox diximus ad Concilium miſſos literis Idibus Auguſti datis, conteſtati ſunt terminum ſexaginta dierum nondum elapſum eſſe. Quos Julianus Cardinalis Præſes Concilii malè de iis, quæ agerentur, inſtructos eſſe reſpondens, petenſque ab iiſdem num adhæſionem Eugenii celebrationi Concilii ferrent; tacentibus illis & dimiſſis, publicari nihilominus permiſit petitam prorogationem triginta dierum iiſdem conditionibus. Factumque eſt inſuper decretum, quo omnia contra Patres vel quoſcumque alios in Concilio præſentes facta aut decreta eſſent, irrita declarata ſunt, & læſi in integrum reſtituti. Hæc conſtant ex Actis editis. Extat inſuper Tomo XII Concil. col. 834 Epiſtola Synodi ad Electores Imperii; qua reſpondens petitionibus eorum, ut in proceſſu adversùs Eugenium ſuperſederetur, graviter in eum Patres invecti, certiores eos reddidére de prædicta triginta dierum prorogatione.

LVI. *In Seſſione XIV datur alia trium menſium prorogatio.*

Diebus illis triginta elapſis, Baſileenſes putantes illas ultimas literas Idibus Septembris datas, ſicut & duas priores datas IV Kalendas Auguſti, & Kalendis Auguſti verè ab Eugenio eſſe emanaras, die Dominica undecima Octobris, qua incidebat terminus triginta dierum ultimò Eugenio præfixorum, convenientes in Templum, ut narrant Acta Patriciana, ſententiam in eum uti contumacem ferre decreverant. Cùm repentè nunciato Sigiſmundum Imperatorem adveniſſe & properare in Templum, effundentes ſe Patres obviam ei, magna lætitia eum ad publicum conſeſſum deduxerunt. Dilatumque eſt negotium ob adventum ejus uſque ad diem octavum. Et cùm dies Eugenio dicta ſæpius deinceps prorogata eſſet, tandem ſeptimo Idus Novembris die Sabbati celebrata eſt Seſſio decima quarta, cui interfuit Sigiſmundus Imperiali paludamento, corona, ſceptro, aureo pomo, nudoque enſe, atque aliis Imperii inſignibus ornatus, in eaque adnitente illo ſancitum eſt, terminum Eugenio ſæpiùs prorogatum, ad nonageſimum rursùm diem differri: ita ut intra id temporis adhærere deberet Concilio, & omnia quæ contra illud & ei adhærentes feciſſet aut decreviſſet, ac ſpeciatim ternas literas de quibus mox egimus, revocare; & quæ in eo geſta fuiſſent confirmare, ſecundùm formulas ei præſcriptas, quæ habentur in Actis editis col. 523, eaque ratione futurum promiſerunt Patres, ut omnes ſe ad ejus pedes ſubmitterent, & uti unicum legitimumque Chriſti Vicarium venerarentur.

LVII. *In Seſſione XV Synodi Provinc. & Diœceſanæ præſcribuntur.*

Interea dum expectarentur Oratores ad Eugenium à Sigiſmundo & aliis Principibus miſſi, die Jovis vigeſima ſexta Novembris habita eſt Seſſio decima quinta, in qua multa ſalutaria ſtatuta ſunt circa Synodos provinciales ſingulis trienniis, & diœceſanas minimùm ſemel in anno, biduo vel triduo duraturas celebrandas, ac de modo celebrationis, & rebus in iis agendis, morumque cenſura tam Eccleſiaſticorum, ipſorumque Antiſtitum, quam regularium utriuſque ſexûs, Epiſcopo diœceſano ſubjectorum. Juſſit denique Synodus omnibus Prælatis Religionum & Ordinum quorumcumque, ad quos celebrare capitula pertinebat, ut ea ſtatutis temporibus celebrari curarent, ita ut ad veram ſingularum Religionum reformationem intenderent ſecundùm canonicas ſanctiones, & religionum conſtitutiones, ut regularis obſervantia vigeret, declarans ſe non intendere juribus quorumcumque quomodolibet derogare.

LVIII. *Oratores à Principibus ad Eugenium mittuntur.*

Ad prædicta Seſſionis XIV ab Eugenio impetranda, pro pace univerſalis Eccleſiæ Sigiſmundus Imperator, Carolus Francorum Rex, & Philippus Burgundiæ Dux Oratores miſerunt, quorum mentio eſt apud Blondum Decad. 5 lib. 3, ubi & extat oratio Legatorum Imperatoris, Regis Francorum, & Ducis Burgundiæ omnium nomine facta à Baptiſta Cigalo uno ex Legatis Imperatoris. Horum etiam eſt mentio in Regiſtro Brevium apud Raynaldum anno 1434 num. 1, ſicuti & in reſcripto Pontificis ad Amedeum Sabaudiæ Ducem, quod extat in Commentario pro excuſatione Pontificatus Felicis Sabaudi conſcripti ſub titulo Amedei Pacifici; ipſe enim etiam Amedeus Oratores ſuos cum aliis ad Eugenium ire juſſerat, niſi interclusis itineribus impediti fuiſſent. Eo reſponſo ſignificat Pontifex ſe jam ante adventum dictorum Oratorum ſuper materia illa conclu-

ſiſſe

ſiſſe; cùm veniſſet ad ipſum cum literis Imperatoris Orator Venetorum, quem remiſerat cum bullis opportunis. Id conſtat ex Epiſtola ipſius Eugenii ad Sigiſmundum Imperatorem data pridie Idus Januarii anni 1434, apud Raynaldum num. 3, in qua ait, *dm antea* ad ſe veniſse Andream Oratorem Venetorum, quem cùm audiſset & intellexiſſet Imperatorem etiam conſuiere ut decretum Baſileenſium acceptaret, illud admiſiſse, *prout tunc etiam*, inquit, *ſcripſimus eidem ſerenitati* tuæ. Id etiam ſignificavit Pontiſex Carolo Francorum Regi, imò & Uladislao Regi Poloniæ literis datis *Romæ prid. Id. Januarii anno III*, quæ extant apud eundem Raynaldum num. 4, quibus eum hortatur ut Epiſcopos regni ſui ad Concilium mitteret ad defendendum honorem ſuum & dignitatem Romanæ Eccleſiæ, ac auctoritatem Sedis Apoſtolicæ. Uladislaus autem Sbigneum Cracovienſem Baſileam miſit, ut ſcribit Chromerus lib. 2 Rer. Polon.

LIX. *Ante eorum adventum Eugenius adhæret Concilio.*

Eugenius porrò Bulla data decimo octavo Kalendas Januarii, ſeu die decima quinta menſis Decembris anni 1433, quæ extat in Seſſione XVI Concilii col. 528 & ſeq. profeſſus eſt Concilium Baſileæ eſſe & hactenus legitimè fuiſse, atque omnia contra illud ejuſque ſectatores à ſe decreta pariter revocare, ac planè Concilio adhærere, eodemque die alia Bulla, quæ extat etiam Tomo XII Concil. col. 947, quatuor Præſidentes Concilii nominavit, Jordanum ſcilicet Urſinum Epiſcopum Sabinenſem, Petrum Epiſcopum Albanenſem [quem dicunt eſſe Petrum de Fuxo, quod ſi verum ſit, apparet eum dictum eſse talem poſt menſem Septembrem anni 1432, ut ſuperiùs diximus] Nicolaum Albergatum tit. S. Crucis, & Angelotum Fuſcum tit. S. Marci Presbyteros Cardinales. Et quoniam hi gravibus aliis negotiis adhuc detenti necdum poterant Baſileam ſe conferre; ne propterea Concilii proſecutio interrumperetur, & ne de aliqua tergiverſatione aut dilatione aliqua poſset à Baſileenſibus calumniari, dictis Præſidentibus interim ſubrogavit, & Baſileam miſit, cum pari poteſtate Joannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum Epiſcopum Paduanum, & Ludovicum Abbatem Sanctæ Juſtinæ literis datis decimo ſeptimo Kalendas Januarii, quæ extant ibidem col. 949, ſicuti & aliæ ad Julianum Cæſarinum, qui hactenus Concilio præfuerat, quibus poſtridie exaratis, Præſidentem cum iiſdem aliis Legatis & eorum ſubſtitutis de novo conſtituit, ne contemptum ſe quereretur.

LX. *Omnia contra illud ſcripta revocat.*

Eàdem Bullâ datâ, ut diximus decimo octavo Kalendas Januarii, quæ incipit, *Dudum*, Eugenius abrogavit literas datas IV Kalendas Auguſti, quæ incipiunt, *Inſcrutabilis*, item datas Idibus Septembris, quæ incipiunt, *In arcano*; poſteriores verò datas, ut ſupponebatur, etiam Idibus Septembris, quæ incipiunt, *Deus novit*, negavit eſſe ſuas; quia tamen earum revocatio petita fuerat, eas revocavit ad cautelam: *Tertias*, inquit, *quarum tenor de verbo ad verbum inferius deſcribitur, quæ dicuntur incipere*, Deus novit, *cùm à nobis aut de ſcitu noſtro nunquam emanarint, licèt ſuperfluum videatur quod non extat revocare, tamen quia petitum eſt, & ad cautelam, ſi ullo unquam tempore apparerent, & alias quaſcumque, & quidquid per nos aut noſtro nomine in præjudicium aut derogationem prædicti ſacri Concilii Baſileenſis, ſeu contra ejus auctoritatem factum & attentatum ſeu aſſertum eſt, caſſamus, revocamus, & irritamus*. Revocavit inſuper omnes proceſſus quarumcumque cenſurarum, privationum, & ſuſpenſionum factos contra ſuppoſita Concilii, eique adhærentes, nec non omnia geſta & facta in præjudicium eorumdem, *eis non legitimè citatis, nec legitimè defenſis*, de quibuscumque dignitatibus, beneficiis, commendis, & officiis, etiamſi Cardinalatus, Patriarchatus &c. exiſterent, ſpecialiter contra Cardinales de Cypro, Sancti Sixti, & Firmanum; tandemque ait: *Utrum autem fuerit legitima citatio & defenſio ſtabitur judicio ipſius Sacri Concilii. Nos autem deinceps à novitatibus & gravaminibus ſeu præjudiciis inferendis ipſi ſacro Concilio, vel ſuppoſitis ejus, & adhærentibus eidem realiter & cum effectu deſiſtemus*. Quomodo verò hæc lecta ſint in Synodo anno 1434 dicetur poſtea, priùs enim ut geſta anni 1433 abſolvamus, tractandum eſt de Legatis miſſis à Concilio Pragam cum Oratoribus Boemorum.

LXI. *Legati Concilii Pragam pergunt.*

Cùm Oratores illi ſuperiùs nominati die decima quarta Aprilis Baſileâ cum Oratoribus Boemorum profecti eſsent, magno ubique honore ſunt excepti, & Pragam pervenerunt; ubi ad condictum diem Sanctiſſimæ Trinitatis convenit ingens multitudo Boemorum ex Clericis, Magnatibus, & Plebejis, quos Oratores Synodi adhortati ſunt, ſicut in Concilio factum fuerat, ut primùm Eccleſiaſticam unitatem amplecterentur; inde enim factum iri, ut quæ dubia eſſent meliùs diſcuti poſsent. Sed Boemi contenderunt ante omnia tradendam eſſe declarationem quatuor articulorum ab iis propoſitorum, quos pro Evangelicis veritatibus habebant: promiſeruntque ſe poſt illam, concordiam amplexuros. Tandem poſt multos hinc inde tractatus habitos ſuper his, orationes dictas, diſputationes factas, quas deſcribit Cochlæus lib. 7, & breviter narrantur in compendioſa Narratione rerum cum Boemis ge-

Digitized by Google

geſtarum, quæ extat Tomo XII Concil. Cùm cernerent Oratores rem aliter agi non poſse, petierunt articulos illos eâ ſibi formâ dari, quâ vellent mittendos ad Synodum.

LXII. *Articuli quatuor ipſi à Boemis dati.*

Articuli illi oblati ex parte regni Boemiæ, & Moraviæ menſe Auguſti, ſeu ut in titulo eorum legitur Tomo XII Concil. col. 801 *anno Dom.* 1433 *in feſto Sancti Tiburtii poſt Laurentii*, in hac forma Oratoribus dati ſunt, ut mitterent eos ad Concilium. *Primò, ut communio Diviniſſimæ Euchariſtiæ utilis & ſalubris ſub utraque ſpecie, ſcilicet panis & vini, univerſis Chriſti fidelibus in regno Boemiæ, Marchionatu Moraviæ, ac locis eis in hac parte adhærentibus conſtitutis, per Sacerdotes liberè miniſtretur. Secundò, ut omnia peccata mortalia & præſertim publica, per eos, quorum intereſt, rationabiliter, & ſecundum legem Dei cohibeantur, corripiantur, & eliminentur. Tertiò, ut verbum Dei à Sacerdotibus Domini, & Levitis liberè ac fideliter prædicetur. Quartò, quòd non licet Clero tempore legis gratiæ ſuper bonis temporalibus ſæculariter dominari.*

LXIII. *Simul & conditiones unionis faciendæ.*

His quatuor articulis addiderunt Boëmi conditiones unionis: Ut fierent unum, quomodo omnes Chriſtiani fideles uniti ſecundùm legem Dei obligantur: Obedituros ſe quibuſcumque ſibi legitimè Præfectis, in omnibus, quæ ſecundùm legem Dei mandarent: ſi verò Concilium, aut Papa, aut Prælati, quod à Domino prohibitum eſt juberent, vel quod in canone Bibliæ ſcriptum eſt præterirent, minimè obedituros: Unione facta prohiberetur per Concilium cunctis Prælatis, ac Principibus ampliùs ipſos Boëmos propter aliquem dictorum articulorum hæreſis infamare, aut armis impetere. Quibus articulis & Unionis conditionibus acceptis, Oratores Concilii ſimul cum Boëmorum Legatis Baſileam petierunt..

LXIV. *Explicatio articulorum facta per Synodum.*

Revertentes poſtea Baſilea Pragam Oratores Concilii cum Legatis Boëmorum declarationem trium articulorum à Patribus Concilii diligentiſſimè examinatam, & ſemota omni ambiguitate ſecundùm veritatem Evangelicæ doctrinæ conceptam, in publico regni Conventu promulgandam retulerunt: cum hoc ut ſi illam, pacemque Eccleſiaſticam reciperent, inveniri poſſet ratio, quâ de articulo communionis ſub utraque ſpecie res per concordiam transigeretur. Propoſitæ ſunt autem trium ceterorum declarationes hac formâ; ut demptis à primo verbis, *per eos quorum intereſt*, tanquam nimis generalibus, diceretur corrigenda fore peccata, *Secundùm legem Dei & SS. Patrum inſtituta*. Secundus ſic conciperetur, ut fieret *ab idoneis & per ſuperiores ad quos pertinet approbatis & miſſis, liberè, non tamen paſſim, ſed ordinatè & fideliter; ſalva auctoritate Pontificis, qui eſt præordinator in cunctis, juxta SS. Patrum inſtituta.* Tertius, quòd *Eccleſiaſtici Viri bona Eccleſiæ, quorum ſunt adminiſtratores, fideliter adminiſtrarēt juxta SS. PP. ſalubria inſtituta: ipſaque bona Eccleſiæ ab aliis quàm ab his, quib' adminiſtratio canonicè eſt cōmiſſa, uſurpari ſine ſacrilegii reatu non poſſent.*

LXV. *Communio ſub utraque ſpecie Boëmis conceſſa à Synodo.*

Cùm autem recuſarent Boëmi ſuper his dare reſponſum, niſi priùs de articulo communionis, quid offerretur, audirent; facta eſt etiam ita illius explicatio; ut quoniam Generalis conſuetudo Eccleſiæ communicandi ſub una tantùm ſpecie, multis de cauſis rationabiliter introducta, non poſſet reprobari, aut ſine Eccleſiæ auctoritate pro libito immutari; poſſet autem ſuadentib' rationabilibus cauſis communio ſub utraque ſpecie ab eadem Eccleſia concedi: ſi id omninò Boëmi contenderent, ſacrum Concilium Sacerdotibus eorum facultatem conceſſurum fore, ſub utraque ſpecie populum communicandi, eos videlicet, qui in annis diſcretionis conſtituti eſſent, atque id reverenter poſtularent: hoc ſemper obſervato, quòd Sacerdotes ſic communicantibus ſemper dicerent, *debere eos firmiter credere, quòd non ſub ſpecie panis caro tantùm, nec ſub ſpecie vini ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie eſt integer totus Chriſtus.*

LXVI. *Concordia initur & Compactata ab Huſſitis recipiuntur.*

His demum modis ac conditionibus, poſt multos tractatus & diſputationes ultrò citròque habitas, remiſſoſque ad hoc Pragam quatuor ex Oratoribus Concilii, inita eſt concordia: promiſeruntque Boëmi pacem & unitatem Eccleſiaſticam ſuſcipere. Facto inde inſtrumento, quod vulgò COMPACTATA vocarunt, non quidem ultima die Novembris anni 1433, ut ſcribit Spondanus eo anno num. 17; tot enim tractatus & diſputationes, tot itus & reditus ad Concilium intra tam paucum tempus fieri potuiſſe, nemo ſibi perſuadere poterit; ſed anno ſequenti 1434, aut forsàn tardiùs; nam in Narratione compendioſa rerum cum Boëmis geſtarum toties laudata legitur, poſt illam concordiam, *conventum eſſe, cum à Legatis ſacri Concilii, tum ab Oratoribus Boemorum, ut quæ reliqua erant componerentur: primùm Ratiſponæ, deinde apud Brunnam diœceſis Olmucenſis, item apud Albam regalem in Hungaria coram Sigiſmundo Cæſare. Verùm nullibi*, ut ibidem additur, *res tota confici potuit, nunc enim erat conſulenda Synodus, nunc alia ſunt exorta impedimenta.* Verum quidem eſt in eadem Narratione Compendioſa legi concordiam initam eſſe *anno 1438 circa feſtum Martini*; ſed certum eſt ibi errorem cubare, Sigiſmundus enim obiit menſe Decembri anni 1437, & tamen ibi ſupponitur præſens; legendum eſt itaque, ut ego qui-

dem exiſtimo, anno 1434, vel 1435. Ibidem enim, ſicuti & apud Spondanum, poſtea habetur: *Poſtremò apud Iglaviam oppidum Moraviæ, Concordia inſtrumentis ac ſigillis roborata eſt, Compactata vocant, 5 die menſis Julii, Cæſare præſente*, anno 1436, ut conſtat ex Epiſtola Oratorum Concilii, ſcripta iiſdem die & anno ad ipſum Concilium, quæ extat Tomo XII Concil. col. 978. Compactata itaq; facta quidem vel anno 1434, vel 1435, ſed ſigillis publicis roborata non ſunt, communique omnium Huſſitarum conſenſu recepta ante diem quintam Julii anni 1436, ut rectè ſcripſit Spondanus eo anno num. 7. Nunquam tamen hæc Compactata ex integro ſervata eſſe à Boemis Huſſitis, ſed ſæpè aut contempta aut inverſa, ut mos eſt hæreticorum, variis locis Cochlæus in Hiſt. Huſſitarum oſtendit & queritur. Quæ omnia ante Seſſiones Concilii narrare hîc uno tenore viſum eſt ad majorem claritatem.

LXVII. *In Seſſione XVI Eugenii PP. literæ approbantur.* Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quarto Joannes Tarentinus Archiepiſcopus, & Chriſtophorus Epiſcopus Cervienſis Româ Baſileam adventarunt, afferentes Eugenii Papæ literas, XVIII Kalendas Januarii anni præcedentis datas, quibus Pontifex confirmabat Concilium Baſileenſe, quibus acceptis celebrata eſt Seſsio decima ſexta ejuſdem Concilii die Veneris quinta Februarii, in qua pronunciatum eſt, Eugenium Concilio, quod eum in Seſsione decima quarta in jus vocaverat, feciſſe ſatis his verbis: *Sancta Synodus decrevit & declarat, præfatum Dominum Eugenium per prædictas literas ſatisfeciſſe plenariè monitioni, citationi & requiſitioni hujus ſacri Concilii, prout in decreto in XIV Seſſione promulgato, & in ſchedula in eodem decreto inſerta, continetur; ipſaſque literas approbat, acceptat & admittit.* Nihilominus Joannes poſtea Cardinalis de Turrecremata, qui Concilio adſuit, lib. 2 cap. 100 de Eccleſia docet, iis literis Eugenium non approbaſſe quidquid per Concilium decretum eſſet, aut inſtitutum; nec ſe obligaſſe ad comprobanda illa quæ ipſi præter auctoritatem Conciliis licitam condere vellent: nec denique revocando diſſolutionem Concilii à ſe priùs factam, negaſſe haud ſe potuiſſe revocare; ſed quod ex revocatione dicerentur oriri multa ſcandala, agnoviſſe illam ſe feciſſe non ex veris cauſis, licèt veris tunc æſtimatis. Quod attinet ad Legatos ab Eugenio miſſos pro Præſidentia Concilii, ii circa finem tantùm menſis Aprilis Concilio incorporati ſunt, ut poſtea videbitur in Seſſione decima ſeptima.

LXVIII. *Eugenius implorat patrocinium Sigiſmundi contra Ducem Mediol.* Licèt enim conciliata Eugenio Synodus videretur, Philippus tamen Dux Mediolanenſis fingens ſe à Concilio adversùs Pontificem creatum in Italia Legatum, per Franciſcum Sfortiam Picenum & per Fortebraccium, Duces ſuos, Romanum agrum vexavit; quos Philippi dolos impetuſque Sigiſmundus Imperator diſcuſſit, ut illius Oratorem Eugenio expoſuiſſe refert Blondus Secretarius Pontificis, & conſiliorum ærumnarumque particeps Decad. 3, lib. 5. Quare Eugenius de ſuſcepto dignitatis Sedis Apoſtolicæ patrocinio Sigiſmundo gratias egit, rogavitque, ut Ducem Mediolani, intentatis Imperialibus minis, à vexanda, ſimulato Concilii nomine, ditione Eccleſiaſtica revocaret, ac Patres Baſileenſes adduceret, ut eum talia moliri in Concilii dedecus facinora vetarent. Literas Eugenii ad Sigiſmundum hac de cauſa datas *Romæ XVIII Kal. Februarii anno III*, ideoque menſe Januario anni 1434, refert Raynaldus eodem anno num. 7. In iis ait Eugenius ſe ad ipſum mittere copiam literarum Ducis Mediolanenſis, *in quibus continentur etiam literæ, quas à Concilio ſe habere prætendit, licèt eas nullo modo* credat *de conſenſu & voluntate Concilii proceſſiſſe, ſed nonnullorum potiùs particulari affectione.* Addit, utile ſibi videri, ut ipſe Sigiſmundus, & Concilium mandent Duci Mediolanenſi ſub gravibus cenſuris & pœnis, ut a præmiſſis deſiſtat, & reſtitui faciat ablata.

In his rerum anguſtiis Eugenius prædictum Franciſcum Sfortiam Cotignolæ Comitem ad ſe præmiorum lenociniis allicere ſtuduit, uſuſque eſt ejuſdem Blondi operâ, ut ipſemet loco laudato refert; conventumque eſt, ut Sfortia Picenum, quod fraude & injuria invaſerat, moderaretur beneficio Eugenii, qui Marchionis nomine hiſce literis eum cohoneſtavit: *Te, quoad vitam duxeris in humanis, Marchionem præfatæ provinciæ Marchiæ Anconitanæ cum honoribus & oneribus conſuetis, ac regimine & poteſtate Marchionibus, qui hactenus pro tempore in ipſa fuerunt, conceſſis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium, venerabilium fratrum noſtrorum Jordani Epiſcopi Sabinenſis, Antonii tit. S. Marcelli, Franciſci tit. S. Clementis, Angelotti tit. S. Marci Presbyterorum, Lucidi S. Mariæ in Coſmedin, Ardecini SS. Coſmæ & Damiani Diaconorum S. R. E. Cardinalium conſilio & conſenſu facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, &c. Dat. Romæ apud S. Griſogonum anno* 1434, *VIII Kal. Aprilis, Pontificatûs noſtri anno IV.* Extant apud Raynaldum laudatum num. 8, ubi addit extare in Regeſto Eugenii alias pactiones cum Sfortia confectas, quibus omnium noxarum & rapinarum, quas in Piceno ediderat, noxâ ſolutus, & liber renunciatus eſt. LXIX. *Sfortiam creat Marchionem.*

Niſus eſt etiam Pontifex ad ſe reducere Nicolaum Fortebraccium, ut colligit LXX. *Romani in Eugenium PP. rebellant.*

Ray-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

Raynaldus ex datis die XIX Februarii ad Ducem copiarum Eccleſiaſticarum literis, quibus inducias cum Nicolao Fortebraccio, atque Antonio Principe Salernitano, & Laurentio Columnenſibus, ſe pepigiſſe ſignificat. Verùm ei poſtea illuſit Nicolaus, qui ſubſidiariis copiis acceptis Viterbium profectus, Romanos adeo crebris populationibus turbavit, ut illi ſeditione conflata ad Capitolium concurrerint, ac libertatis nomine ſibi lenocinati, reipublicæ formam mutandam die XXIX Maji conclamarint, queſtique belli incommoda, apud Eugenium poſtularint Romanæ rei gubernacula, arceſque molis Hadriani, & Oſtienſem ſibi tradi. Prætetea Franciſcum Condulmerium Cardinalem Pontificis ex fratre nepotem ſibi obſidem dari popoſcerunt, repulſamque paſſi è Pontificis latere vi divulſum in cuſtodiam tradidêre: tum ædes Pontificias ingenti ſatellitio ſepſêre. Diſſimulavit tamen injuriam Pontifex, ac Romanis reſpondit, ſe Urbis regendæ moleſtia liberatum, rebus tantùm Eccleſiaſticis poſt hæc opçtam daturum.

LXXI. *Eugenius eorum inſidias et vim fuga vix evadit.*

Hoc facinus Romani alio graviori cumularunt, ac Pontificem, ipſamque Romam Philippo Duci Mediolanenſi dedere ſunt meditati, atque ideo in ædes SS. Apoſtolorum, quas Martinus deceſſor incoluerat, vallo cinctas deducere, ut in honeſta & tuta cuſtodia detineretur, quouſque à Baſileenſi Concilio, & à Duce ipſo Mediolanenſi, quid de eo fieri deberet, imperia acciperentur. His cognitis Pontifex, clàm ne deprehenderetur, in habitu Monachali ad Tiberim cum paucis ivit, & in parata ſibi navicula deſcendit per fluvium Oſtiam: cujus fugam perpendentes Romani, inſecuti illum ſunt magno numero per amnis ripas, nonnulli etiam cimbis, contumeliis & ſagittis impetere non ceſſantes: donec forti defenſione paucorum qui in ſcapha Pontificia erant, capitali periculo per medios hoſtes ereptus eſt; ac primò Piſas, inde Florentiam delatus, omni honoris genere exceptus ibi fuit in Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. Romani interim bona ejus diripuerunt, caſtrum tamen S. Angeli bene munitum in Pontificis obſequio permanſit, illudque Romani licèt diù oppugnatum obtinere minimè valuerunt. Imò cùm paulò poſt proditionis ſpe introducti fuiſſent in illud octo ex primoribus civibus, captivique detenti, eorum commutatione liberatus eſt Cardinalis Condulmerius Romanæ Eccleſiæ Camerarius, & concordia die 28 Octobris cum Romanis facta, delictorum venia ipſis à Pontifice conceſſâ. Hæc omnia pluribus narrantur à Blondo Decad. 3 lib. 5 & 6, ac à S. Antonino tit. 22 cap. 10 § 2.

LXXII. *Eugenii Legati incorporantur Concilio Baſil.*

Inter hæc Patres Concilii Baſileenſis, qui in Seſſione XVI, ut jam dictum, literas Eugenii pro continuatione Synodi approbarant die quinta menſis Februarii; die Sabbati vigeſimo quarto Aprilis in Congregatione Generali Nationum, ejuſdem Eugenii Legatos, videlicet Nicolaum Albergatum Cardinalem S. Crucis, Joannem Archiepiſcopum Tarentinum, Petrum Epiſcopum Paduanum, & Ludovicum Abbatem ſanctæ Juſtinæ incorporarunt Concilio nominibus privatis; decretumque juraturos illos in ſua incorporatione fideliter agere pro honore Concilii, ejuſque decreta defendere, ac ſpeciatim illud Concilii Conſtantienſis, de ſubjectione Pontificum Romanorum poteſtati coactivæ Conciliorum Generalium, in iis quæ pertinetent ad fidem, & extirpationem ſchiſmatum, & ad generalem reformationem Eccleſiæ in capite & in membris. Itemque juraturos dare ſalubre conſilium ſecundùm Deum & conſcientias: nec revelare vota ſingulorum, unde veriſimiliter poſſet oriri aliquod odium vel ſcandalum: nec denique recedere à loco Concilii abſque licentia. Porrò Legatos ſe ſe propriis nominibus, non Pontificis Eugenii, aut Sedis Apoſtolicæ obligaſſe, expreſſè declarant Acta, in quibus legitur col. 539, *Legati Sanctiſſimi Domini noſtri incorporati ſunt Concilio nominibus privatis*, &c. Et paulò poſt: *In eorum incorporatione jurabunt nominibus propriis fideliter laborare pro ſtatu & honore hujus ſacri Concilii*, &c.

LXXIII. *Admittuntur in Præſides Concilii Seſſione XVII.*

Sic adveniente die Lunæ ſequenti vigeſima ſexta Aprilis celebrata eſt Seſſio XVII, cui interfuiſſe Imperatorem Sigiſmundum cum inſignibus dignitatis, unà cum centum Prælatis mitratis Acta declarant. In ea admiſſi fuere prædicti quatuor Legati in Concilio Preſidentes unà cum ipſo Juliano Cardinale antiquo Præſidente, ſed abſque ulla juriſdictione coactiva; & ſalvis modis procedendi in Concilio catenùs obſervatis; & quòd omnia Acta expedirentur ſub bulla Concilii: *Dilectos Eccleſiæ filios*, inquiunt Acta, *Nicolaum tit. S. Crucis in Jeruſalem Presbyterum, Julianum ſancti Angeli Diaconum, S. Rom. Eccleſiæ Cardinales, & venerabiles Joannem Archiepiſcopum Tarentinum*, &c. *tantùm admittit in Præſidentes in hoc ſacro Concilio, nomine, vice, & loco Sanctiſſimi Domini Eugenii Papæ quarti cum infraſcriptis conditionibus & clauſulis, pleniſſimum robur & effectum pro omnia habituris, videlicet ſine ulla juriſdictione coactiva, ſalvo etiam modo procedendi in hoc ſacro Concilio hactenus obſervato*, &c.

LXXIV. *Seſſio XVIII.*

Celebrata eſt poſtea decima octava Seſſio die Sabbati vigeſima ſexta Junii, in eaque repetitum eſt denuò à Patribus decretum Concilii Conſtantienſis de Conci-

liorum ſupra Pontifices auctoritate. In Congregatione extra Seſſionem habita decimo ſexto Kalendas Julii conſtitutio Caroli IV Imperatoris contra violatores immunitatum Eccleſiæ aucta & amplificata promulgata fuerat, ut videre eſt Tomo XII Concil. col. 838. Quinto item Nonas Julii Eugenii Conſtitutio de veneratione corporis Chriſti & indulgentiis ejus feſtivitati conceſſis, auctoritate pariter Synodali publicata eſt, ac ubique ſervari juſſa; extat etiam hoc decretum eodem Tomo Concil. col. 844. Spondanus anno 1434 num. 2 exiſtimat Joannem Patriarcham Antiochenum obtuliſſe Synodo in hac Seſſione XVIII tractatum à ſe compoſitum, quo probare conatus eſt Concilium eſſe ſupra Papam, ac propterea non poſſe illud diſſolvi ab Eugenio abſque ejuſdem conſenſu, ſed ipſum ei obedire teneri. Extat pariter ille tractatus ibidem col. 911.

LXXV. *Sigiſmundi Imp. querimonia adverſus Synodum.*

Huic Seſſioni non interfuit Sigiſmundus Imperator; receſſerat enim à Concilio aliqualiter ei iratus. In Actis enim Navarricis apud eundem Spondanum num. XI deſcribitur Legatio à Concilio ad conventum, quem Imperator menſe Auguſto Ratiſponæ habebat pro cauſa Boëmorum, in quo conventu Imperator queſtus eſt Legatis de Synodo, à qua ſe contemptum in pluribus dicebat: Putà, quòd cùm ipſe in Italia eſſet, Synodus ad Ducem Mediolanenſem ſcripſiſſet pro recuperatione patrimonii Eccleſiæ, & non ad ipſum Imperatorem; cùm tamen Imperatores & non Duces Mediolanenſes dotaſſent Eccleſiam, ac ſuæ reſtituiſſent libertati: Quòd cùm eſſet Baſileæ, decreviſſet Synodus mittere Cardinales ad Papam, & Cardinalem Cyprium in Galliam, nulla harum rerum cum Imperatore communicata: Et quòd cauſas, quæ non eſſent de foro Synodi, tractare præſumeret in præjudicium Imperii: ac propterea ipſum Imperatorem, cùm non poſſet talia pati, receſſiſſe à Concilio: Si verò Concilium vellet diligenter attendere reformationi, ac rebus quarum causâ congregatum erat, etiamſi ipſe eſſet in Paradiſo, venturum nihilominus libentiſſimo animo ad Concilium ut iis cooperaretur. Extant pariter Tomo XII Concil. col. 968 duæ ejuſdem Imperatoris Epiſtolæ ante Conventum Ratiſponenſem die 28 Julii Ulmæ datæ ad Synodum, quibus graviter expoſtulat, de cauſa inter Duces Saxoniæ de illo Ducatu eique annexis officiis & juribus vertente, quæ ad forum Imperiale pertineret, ab altero illorum ad Synodum delatâ: contra quam, niſi eam Synodus à ſe penitus abdicaret, & ad cognitionem Imperatoris remitteret, proteſtationem publicam fecit.

LXXVI. *Benevolæ Eugenii ad Synodum literæ.*

Eugenius interea Pontifex, quem die 23 Junii Florentiam applicuiſſe diximus, eodem die ſcripſit ad Synodum; & ne quis exiſtimaret mentem ejus cum aliquo nubilo rerum præteritarum exiſtere, rurſum quæ prius indulſiſſet confirmans, propoſitum ſibi ait, ipſos amare ut filios, obſervare ut fratres, & in benedictionibus dulcedinis unâ illis præcipuâ charitate conſtringi: confidens etiam de ipſis, quòd pro Sedis Apoſtolicæ reverentia fideles ac devotos animos erga ſe gererent; hoc vel ex eo ſperans quòd Præſidentes ſuos benignè ſuſcepiſſent: Hinc enim tam ſe ipſum quàm Sedem Apoſtolicam conſolatum iri in graviſſimis illis anguſtiis & afflictionibus, quas diebus elapſis Romæ paſſus esſet, quarum causâ coactus fuiſset Urbem deſerere. Ita Eugenius in ſuis literis quæ leguntur Tomo XII Concil. col. 950.

LXXVII. *Legatio Synodi in Italiam ad conciliandum Eugenium.*

Synodus his acceptis Eugenii literis ſtatim Oratores Romam miſiſse, & duos Cardinales ad Eugenium, nempe Nicolaum Albergatum tit. S. Crucis, & Joannem Cervantem tit. S. Petri ad Vincula ad componendas pro viribus nomine Concilii bellorum diſsenſiones, & reducendas ad obſequium Eugenii PP. & Eccleſiæ Rom. provincias & civitates, quæ ab eis deſecerãt, traditur in Vita Nicolai Albergati c. 14, & in Joanne Baptiſta Zenone cap. 17, & Sigonius de Epiſcopis Bononienſibus idem habet. Deſtinati autem fuerunt Legati ad Eugenium duo illi Cardinales menſe Auguſto, ut in eadem Vita legitur. Cùm enim Nicolai Albergati probitatis ingens eſset per Italiam nominis fama, ideo ad id præſtandum à Concilio miſsus eſt, atque eò maximè quòd cùm Philippus Mediolanenſis Dux jactanter mentiretur favere ſibi per literas Baſileenſes adversùs Eugenium, hi contrarium verbo & opere cunctis maniſeſtare voluerunt. Non deſunt tamen qui putent, amandaſse Synodum hoc prætextu Nicolaum Albergatum primum Concilii Præſidem, quòd eum valde ſibi in iis, quæ Sedis Apoſtolicæ auctoritatem tangerent, adverſari experirentur. Ut ut ſit, Blondus laudatus ſcribit, redeuntibus Florentiam Nicolao Albergato, & Joanne Cervante Cardinalibus, Eugenium *de rebus Eccleſiæ meliores ſpes* concepiſse. Quod attinet ad Oratores Romam à Synodo miſsos id eruitur ex Paulo Lælio Petronio MS. in archivo Vaticano, qui apud Raynaldum num. XI ait ante pacem conſtitutam, pactis inter Pontificem & Romanos induciis, Baſileenſis Synodi Oratores poſtea in reditu à Bartholomæo Gualdo Romanorum ſtipendiario, violato gentium jure, captos eſſe: quocirca ex arce Hadriana mox in Urbem bellicas bombardas directas diſploſaſque fuiſse, ideoque Romanos tot malis attritos ad Pontificem confugiſse, ipſique

Urbem

Urbem reſtituendam cenſuiſſe, tandemque pacem die 28 Octobris initam.

LXXVIII. *Græci à Synodo invitati Legatos ad eam mittunt.* Joannes Palæologus Græcorum Imperator, & Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus Baſileenſium Legationibus provocati tres inſignes viros, ſcilicet Demetrium Palæologum Protoveſtiarium, ipſum Imperatorem conſanguinitate attingentem, Iſidorum Abbatem monaſterii ſancti Demetrii & Joannem Dyſipatum Imperatoris familiarem, ad Synodum deſtinarant; qui tam ipſorum ſpeciatim, quàm totius Eccleſiæ Orientalis ad unionem cum Latinis deſiderium exponerent, illamque maximè urgerent. Extant Tomo XII Concil. col. 983 Joannis Imperatoris literæ ad Synodum ſcriptæ die decimo quinto Octobris anni 1433, quibus reſpondens illis, quas per Antonium Epiſcopum Sudenſem, & Alphonſum de Criſpis Theologum, Provincialem Eremitarum ſancti Auguſtini provinciæ Lombardiæ, Synodi Oratores acceperat, Concilium Oecumenicum utriuſque Eccleſiæ ſecundùm antiquum ordinem & conſuetudinem celebrari ſummopere ſe deſiderare declarabat. Eodem die 15 Octobris ſcripſit etiam eodem ſenſu ad Synodum Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus literas, quæ extant in Seſſione XIX Concilii.

LXXIX. *Conventa inter eos & delegatos Concilii.* Cum his legatis Græcorum habiti ſunt diverſi tractatus à Præſidentibus & aliis ad hoc à Concilio delegatis, & primò quidem diſputatum eſt de loco Concilii: ac petentibus Græcis pro majori ipſorum commodo celebrari Conſtantinopoli, Baſileenſibus autem Baſileæ, ubi jam inchoatum erat, demum ne propter locum tantum bonum negligeretur, convenerunt Græci celebratum iri in Occidente, ac loca nominat, Calabria, Ancona, vel alia terra maritima, Bononiam, Mediolanum, vel alia civitas in Italia: extra Italiam verò Buda in Hungaria, Vienna in Auſtria, & ad ultimum Sabaudia: Ita tamen ut ſi perſuaderi Imperatori poſset conſiſteretur Baſileæ, alioquin tenerentur Baſileenſes, poſt unum menſem ab adventu Græcorum ad eum locum accedere, quem Græci elegiſſent: acceſſurum ad illum ipſummet Imperatorem, unà cum Patriarcha Conſtantinopolitano & ceteris tribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque Eccleſiaſticis, qui commodè venire poſsent, & ex populis, cum plena poteſtate: Miſſuros Baſileenſes octo millia ducatorum pro facienda Conſtantinopoli congregatione Prælatorum Orientalium: præſtaturam Eccleſiam Occidentalem ſumptus neceſsarios deducendo Imperatori, Patriarchis ac Prælatis cum ſuis uſque ad numerum ſeptingentarum perſonarum; alendiſque eiſdem in Concilio, & uſque ad reditum in urbem Conſtantinopolim; itemq; decem millia ducatorum, & aliquod hominum & naviũ præſidium ad cuſtodiam ejuſdem urbis à Turcarũ invaſione in abſentia Imperatoris: Item Imperatori, & Eccleſiæ Græcorum exhibitum iri eoſdem honores, quos habebat ante ſchiſma, ſalvis tamen privilegiis & juribus Summi Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ, atque Imperatoris Romanorum. Denique conventum eſt, ut prædictis omnibus concluſis & concordatis firmiter roboratis, Summus Pontifex expreſsum præberet aſsenſum per ſuas patentes Bullas.

Hæc, ſic inter Oratores Græcorum & Delegatos Concilii conſtituta, approbavit & confirmavit Synodus in Seſſione decima nona habita die Martis ſeptima Septembris; atque ut pariter confirmarentur ab Eugenio Pontifice rogandum eum decrevit. Quamvis autem in Actis editis nulla ſit mentio confirmationis Eugenii, Acta tamen Patriciana addunt Eugenium rei novitate non parum commotum: licèt priorem ſententiam de mittendis Conſtantinopolim Legatis, qui & ibi Concilium Oecumenicum pro unione celebrarent, commodiorem & utiliorem putaret, ne tamen Baſileenſes perturbaret, rem confirmaſse. Eſtque etiam ea de re teſtimonium Nunciorum Synodi Baſileenſis Conſtantinopolim poſtea miſsorum in Oratione ad Imperatorem habita: ubi dicitur, Simonem Freiron Canonicum Aurelianenſem, miſsum ad hoc fuiſse à Synodo ad Pontificem, & conſenſum ejus ac Cardinalium, qui cum ipſo erant, retuliſse. LXXX. *A' Synodo & ab Eugenio confirmata in Seſſione XIX.*

In eadem Seſſione XIX decretum eſt, ut ad Judæorum, & Infidelium procurandam converſionem, compellerentur omnino ad verbi Dei prædicationem audiendam; obſervareturque Conſtitutio Concilii Viennenſis de docendis, diſcendiſque linguis Hebraica, Arabica, Græca & Chaldæa. Renovata ſunt inſuper anteroria omnia decreta de vitanda eorum communicatione in fide, moribus, victu, habitatione, converſatione, ac commercio, nec non de veſtitûs diſtinctione, quò facilè à ceteris dignoſci poſsent. Judæis ad fidem converſis indultum eſt bona ex uſuris antea acquiſita, ſi incertum eſset quibus deberetur reſtitutio, ſibi retinere; graviſque hortatio facta antiquis Chriſtianis, ſubvenire pauperibus, qui converterentur. Prohibitum tandem iiſdem mortuos Judaico more ſepelire, aut alios antiquos ſectæ ſuæ ritus quoquo modo ſervare. LXXXI. *Decreta in eadem Seſſione de Judæis.*

Antequam ad geſta anni 1435 procedamus, ſunt alia, quæ acciderunt non ſolùm inter Reges, ſed & inter alios Principes de prærogativa ſeſſionis commemoranda ex Spondano ad annum 1433. Amedeus Sabaudiæ Dux Oratores ad Synodum mi- LXXXII. *Dux Burgundiæ contendit de loci prioritate cum Duce Sabaudiæ.*

miſerat Epiſcopum Bellicenſem & alios, qui locum in Synodo honorificum pro Domini ſui dignitate obtinuerant. Sed advenientes poſtea Oratores Ducis Burgundiæ, quorum præcipuus extitit Joannes Epiſcopus Nivernenſis, poſtularunt Sabaudis præire; cùm tamen hi cedere verecundarentur, poſt aliquam de his controverſiam, ita demum res compoſita fuit, ut dextrum Burgundiæ Oratores locum poſt Patriarcham Alexandrinum, ſiniſtrum Sabaudi poſt Antiochenum obtinerent, addita declaratione, hunc quàm proximum à Burgundis eſſe honoratiorem. Extat enim in Commentario ſub titulo *Amedei pacifici* de ſchiſmate inter Eugenium Pontificem & eundem Amedeum poſtea Felicem V dictum edito, inſtrumentum ea de re factum anno 1433 die ſeptima Auguſti coram Juliano Cardinale Præſidente Concilii, aliiſque ſex Cardinalibus Antonio Oſtienſi & Branda Portuenſi Epiſcopis, Joanne tit. S. Laurentii in Lucina, & Joanne tit. S. Petri ad Vincula Presbyteris, Alfonſo S. Euſtachii, & Dominico S. Mariæ in Via lata Diaconis; nec non Joanne Alexandrino & Joanne Antiocheno Patriarchis, Amedeo Lugdunenſi, Hugone Rotomagenſi, pluribuſque Archiepiſcopis, Epiſcopis, &c. in Congregatione Generali, quo inſtrumento Epiſcopus Bellicenſis & alii ejus collegæ Oratores Ducis Sabaudiæ acquieverunt acceptare locum ipſis à Synodo aſſignatum ad ſiniſtram partem immediatè poſt Patriarcham Antiochenum; niſi de novo venirent aliqui Regum, vel Ducum Oratores, qui jure ſuo præcedere deberent: conteſtatione tamen priùs facta, quòd poſſent quoties opportunum foret probare Comites Sabaudiæ trecentis ante annis, quam Sabaudia erigeretur in Ducatum (fuit enim Amedeus, primus Sabaudiæ Dux nuncupatus, ante eum alii Comites tantùm) fuiſſe & inſigniri ac nuncupari conſueviſſe Duces Chablaſii & Auguſtæ, ac propterea debere præcedere creatione poſteriores. Itemque quòd ſi Dux eorum Dominus hæc rata non haberet, poſſent repetere priorem locum. Ceterum minimè hæc grata habuiſſe Amedeum, inſinuat ipſe in quadam Epiſtola ad Synodum alia de cauſa ſcripta, quæ extat Tomo XII Concil. col. 989, dum obiter queritur prægravatum ſe fuiſſe in ſedibus Oratorum ſuorum, qui tamen haud propterea altiorem obtinuiſſe reperiuntur. Porrò quod dicitur Brandam Epiſcopum Portuenſem huic inſtrumento fuiſſe præſentem, mihi valdè dubium eſt; cùm enim, ut dictum eſt ſuperiùs, Branda ſeu Bardinalis Placentinus interfuerit Seſſioni VI Concilii menſe Septembri anni milleſimi quadringenteſimi trigeſimi ſecundi, non video ipſum anno 1433 menſe Auguſto jam fuiſſe dictum Epiſcopum Portuenſem ab Eugenio, cùm tunc adhæreret Concilio contra ipſum Eugenium.

LXXXIII. *Item cum Imperii Electoribus.*

Non ſolùm cum Duce Sabaudiæ, ſed etiam cum Electoribus Imperii de prioritate ſeſſionis contendiſſe, inſinuat Imperator in literis anno 1434 die 19 Julii datis ad Synodum, quæ extant eodem Conciliorum Tomo col. 962, quibus Patribus gratulatur de ſolertia, qua controverſiam Seſſionis inter Archiprincipes ſacri Romani Imperii Electores, & Ducem Burgundiæ per certam proviſionem compoſuiſſent. Qualis autem ea fuerit, non exprimit: niſi quòd ait ſpem ſe concipere fore illam honori Imperio & Electoribus. Sed quidquid ſit de illius compoſitione diſcordiæ in Hiſtoria Genealogica Regum Franciæ Sammarth. lib. 12 cap. 3 traditur prærogativam ſedis & ordinis poſt Reges in hoc Concilio fuiſſe adjudicatam Burgundiæ Duci.

LXXXIV. *Item cum Duce Britanniæ.*

Quod attinet ad Britanniæ Ducem, Hiſtoria Britannica fatetur in controverſia mota inter Oratores illius Ducis & Burgundi, ſententiâ Synodi dictum eſſe, ut abſque utriuſque jurium præjudicio, ſederet Orator Burgundi in parte dextrâ, Britonis verò à ſiniſtra, factumque eſſe de his inſtrumentum die quinta Julii anni 1434; ſed poſteà operâ Philippi Archiepiſcopi Turonenſis, qui Concilio intererat, ſecundum Britonem judicatum fuiſſe. Certè Paris de Graſſis ſeu de Craſſis, qui ſub Julio II commentarium ſcripſit de ceremoniis, ordinem Regum & Principum Chriſtianorum apud Romanum Pontificem ante poſteras hæreſes ortas enumerans, Ducem Britanniæ ponit ante Ducem Burgundiæ, & utrumque ante omnes Electores Imperii ſæculares, excepto Rege Boemiæ, ut in ejus Pontificatu videbitur.

LXXXV. *Amedeus Sabaudiæ primus Dux fit Eremita.*

Denique antequam ad annum 1435 progrediamur, obſervandum eſt Amedeum Sabaudiæ Ducem primum, qui non multò poſt à Baſileenſi Synodo electus eſt Antipapa, eodem anno 1434 commiſſâ Statuum ſuorum adminiſtratione duobus, quos habebat, filiis Ludovico & Philippo vanam & fluxam hujus ſæculi vitam abdicare decreviſſe. Succeſſerat Amedeus anno 1384 Amedeo patri Sabaudiæ Comiti *Viridi* dicto, quem militaris ſodalitii, ſive *Ordinis Annunciationis* Angelicæ eſſe volunt. Affinitate magnis Chriſtianis Regibus junctus erat, totque præclaris rebus geſtis ita illuſtris, ut plurium magnorum Principum in rebus arduis arbiter ac conſultor eſſet; ad eumque quaſi ad alterum Salomonem Itali, Gallique recurrerent. Cùm tamen talis tantuſque eſſet Princeps cum ſex aliis Proceribus grandævis cælibibuſque, ſenex ipſe cælebſque, penula talari è panno rudio-

diori cinericii coloris, pallioque humeros tegente, cingulo lato, & baculo retorto, toto denique habitu eremitico, promiſsâque barbâ & capillis intonſis & impexis, in locum Ripaliæ ad ripam Lemani lacus è regione Lauſannæ, prope oppidum Tononii, nemoribus, vinetis, pratis & aquis amœniſſimum, ubi Eccleſiam ac Monaſterium, ſibique & ſodalibus magnificas manſiones, & amplum vivarium continendis innocuis feris conſtruxerat, die ſeptima Novembris ſeceſſit: id tantùm nobilitatis ſignum retinens, quòd tam ſe, quàm ſodales crucem auream in pectore geſtare voluit: erecto inde novo militari Ordine *Sancti Mauritii* Martyris Sabaudiæ Patroni, qui non procul ab eo loco cum legione Thebæa pro Chriſti nomine Martyrium pertulit; cujus Ordinis originem qui antiquiorem referunt, errare certum eſt, inquit Spondanus anno 1434 num. 14; ſicuti & qui Amedeum monaſticam vitam coluiſse ſcripsêre, cùm ſæcularem cum habitu Eremitico retinuerit. Hunc porrò Mauricianorum Equitum Ordinem conſtituit ſub certis regulis, quas deſcripſit unà cum iſta Ordinis inſtitutione Auctor Amedei Pacifici, ſeu Auctor Commentarii pro excuſatione Pontificatûs Felicis Sabaudi conſcripti. Hanc Amedei vitæ mutationem quidam malevoli cauſati ſunt, eum amplexum eſse, tùm ſpe Summi Pontificatûs, quem ei obventurum fatidici prædixerant; tùm ut liberiùs deliciis ac voluptatibus indulgeret, exquiſitam & opiparam vitam ſeorsùm agendo; unde & dictum Francorum ortum volunt, *Facere ripaltam*, hoc eſt indulgere ventri & lauritiæ. Sed ea omnia refellit laudatus Auctor Amedei Pacifici.

LXXXVI. *Decreta in Seſſione XX contra concubinarios, & alia.*

Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo quinto, die Sabbati undecimo Kalendas Februarii, Baſileenſes Patres Seſſionem vigeſimam celebrarunt, in qua ſequentia decreta promulgarunt. Clerici publici concubinarii à perceptione fructuum beneficiorum ſuorum trium menſium ſpatio, & ſi concubinam ſtatuto tempore non dimitterent, omnibus beneficiis privati ipſo facto, & ad alia inhabiles declarati ſunt. Illi autem publici concubinarii definiti, non ſolùm qui per ſententiam aut confesſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam notorii eſsent; verùm etiam qui mulieres de incontinentia ſuſpectas & infamatas moniti non dimitterent. Subque maledictione æterna prohibitum eſt, ne tales, ſicut nonnullis locis fieri conſueverat, pecuniariâ mulctâ in ſuis turpitudinibus ſordeſcere permitterentur. Vetiti pariter eorum filii apud patres habitare. Laici inſuper à concubinatu abſtinere ſeriò moniti ſunt, & conjugalem fidem ſervare; qui verò ſoluti eſſent & caſtimoniam ſervare nequirent, uxores ducerent. Deinde decretum, eos tantùm excommunicatos vitandos, qui vel nominatim denunciati eſſent, vel adeò manifeſtè in aliquam excommunicationem incidiſſent, ut nulla poſſet tergiverſatione celari, vel excuſari. Denique decretum eſt, interdicta non eſſe leviter imponenda: nec ſuper eodem gravamine ſecundò appellandum; quòdque ante diffinitivam frivolè vel injuſtè appellans, ultra condemnationem expenſarum, in quindecim florenis auri de camera parti appellatæ per appellationis judicem condemnetur.

LXXXVII. *Synodus mandat Cardinali Arelat. perquirere ſcripta de Conceptione B. Virginis.*

Antequam celebraretur Seſſio vigeſima prima, Synodus in Congregatione Generali decimo Kalendas Junii Ludovico Cardinali Arelatenſi in Concilio exiſtenti mandatum dedit, quod extare in Actis Navarricis ſcribit Spondanus num. 12: quo poſt narratas diſputationes, quæ factæ fuiſſent apud delegatos Concilii pro rebus fidei tractandis, de Conceptione Beatiſſimæ Virginis; utrum ejus anima in inſtanti ſuæ infuſionis in corpore, præſervata fuerit à peccato originali, an non; ei injunxit ut diligenter procuraret, per omnes bibliothecas ac ſingula archiva Univerſitatum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regumque, ac Principum, perquiri quoſcumque libros, ſcripta, acta, deliberationes, deciſiones, concluſiones publicas vel privatas quaslibet in Generalibus ſtudiis & alibi de hac materia factas, aut quæ ad eam quomodolibet ſpectarent; eaſque extrahi & ad Synodum deferri, ut iis adjuta poſſet hanc quæſtionem decidere & definire. Id verò Ludovicum Cardinalem diligenter præſtitiſse, intelligitur ex decreto facto poſt quadriennium in Seſſione XXXVI, ubi de illo dicetur.

LXXXVIII. *Decreta quædam Seſſionis XXI.*

Die Jovis nona Junii habita eſt Seſſio vigeſima prima, in qua ſtatutum eſt, ne tam in Curia Romana quàm alibi, pro, ſeu in confirmatione electionum, admisſionum, &c. proviſione, collatione, inſtitutione, inveſtitura &c. de quibuſcumque Eccleſiis, Monaſteriis, dignitatibus, beneficiis, officiiſque Eccleſiaſticis; nec non Ordinibus ſacris, & benedictione ac pallio, impoſterum aliquid ante, vel poſt exigeretur ratione literarum, ſigilli, annatarum, ſervitiorum, primorum fructuum, &c. prætextu cujuſvis conſuetudinis, privilegii aut ſtatuti &c. ſolvendo ſolùm ſcriptoribus, abbreviatoribus & regiſtratoribus literarum competenti ſalario pro labore: qui contrà faceret pœnam ſimoniæ incurreret: & ſi Romanus Pontifex, qui præ ceteris univerſalium Conciliorum canones exequi & cuſtodire tenebatur, adversùs hanc ſanctionem aliquid committeret, deferretur

Con-

Concilio ; ceteri verò pro modo culpæ per ſuos ſuperiores punirentur. Decretum eſt inſuper triennalem beneficii poſſeſsorem non eſse ampliùs turbandum, excepto hoſtilitatis caſu, vel alio legitimo impedimento partis adverſæ. Addita ſunt decreta de modeſtia & gravitare in celebrando & recitando officio divino tam in Miſsa, quàm Horis Canonicis; deque veſtitu decenti, modo & tempore ac pœnis abſentium, diſcurrentium, negligentium; & ne actus Capitulares citra neceſſitatem tempore Miſsæ Majoris celebrarentur.

LXXXIX. *In eadem Seſſione prohibetur feſtum Fatuorum.*

Denique in hac eadem Seſſione XXXI factum eſt decretum de ſpectaculis in Eccleſia non faciendis, hac occaſione. In quibuſdam Eccleſiis turpis quidam & paganicus ritus frequentabatur, quo certis anni celebritatibus nonnulli cum mitra, baculo, ac veſtibus Pontificalibus more Epiſcoporum benedicebant, alii ut Reges & Duces induti; quod feſtum Fatuorum, vel Innocentium ſeu puerorum in quibuſdam regionibus nuncupabatur: alii larvales & theatrales jocos, alii choreas & tripudia marium ac mulierum facientes, homines ad ſpectacula & cachinnationes movebant; alii comeſſationes & convivia ibidem præparabant; quæ omnia Synodus deteſtans ſub cenſuris & aliis juris remediis prohibuit. Nefarius ille ritus de Paganorum conſuetudine obſervatus in Kalendis Januariis à pluribus ſæculis in Galliis maximè vigebat; nam Guſsumvilla in fine Notarum ad Epiſtolas 126 & 127 Petri Bleſenſis pag. 778 refert literas Odonis de Soliaco Epiſcopi Pariſienſis pro abolendo feſto Fatuorum, & reſtituenda ſolemnitate Circumciſionis Domini, in quibus Odo ſcribit, ſibi id mandatum fuiſse à Petro S. R. E. tit. S. Mariæ in Via lata Cardinali, *cùm in partibus Gallicanis Legationis officio fungeretur*; quam Legationem Rigordus refert ad finem anni 1198, ſeu ad initium anni 1199, quia annum incipit à Paſchate. Feſtum itaque illud, in quo plerumque enormitates abominabiles & opera flagitioſa committi contingebat, abolitum eſt ab Odone *anno Incarnati Verbi milleſimo centeſimo nonageſimo octavo*, ut inquit ibidem Odo, cui & Canonicis ſuis mandatum Petri Capuani Amalphitani Cardinalis creati à Cœleſtino III, & Legati Innocentii III inſcriptum eſt, ille autem annus ab eo dicitur 1198, quia eodem quo Rigordus die annum exorditur.

XC. *Nefarius ille ritus diu in Gallia viguit.*

Nec tamen abominabilis ille ritus à Pragmatica etiam Sanctione, ut mox dicetur, vetitus, poſt decretum Synodi Baſileenſis in Gallia ceſſavit. Idem enim Guſſumvilla ibidem exhibet Epiſtolam à Facultate Theologica Studii Pariſienſis ad Prælatos & Capitula Eccleſiarum regni Franciæ datam *anno Domini milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto die XII menſis Martii*, ideoque anno 1445, propter rationem mox dictam, in qua decernit non licere Epiſcopis vel Archiepiſcopis fatuorum deriſoriè & cum ludibrio electorum uti inſigniis Pontificum, ſc. mitrâ & baculo paſtorali, nec *ante ſe facere portare crucem cum baculo*: nec inſuper *facere divinum officium in Eccleſia cum ſupradictis inſigniis, nec dare benedictiones legentibus lectiones Matutinales, nec etiam benedicere populum*; nec etiam à fortiori ratione licitum eſse *facere unum Papam Fatuorum, qui ſimiliter cum inſigniis Papalibus faciat divinum ſervitium, aut benedicat populum*. Extat Tumo 1 Theſauri novi Anecdotorum col. 1804 Epiſtola Caroli VII Francorum Regis data Nancæi in Lotharingia *die decima ſeptima Aprilis anni 1445 poſt Paſcha, anno regni ſui XXIII*, ſcripta ad inſtantiam Epiſcopi Trecenſis, qua Rex mandar Ballivo & Præpoſito Trecenſibus, ut executioni mandari curent decretum Concilii Baſileenſis, acceptatum à Conventu Bituricenſi, in quo Pragmatica Sanctio anno 1438 edita eſt; quia Trecenſes licèt ab eo tempore abſtinuiſſent ab eo nefando feſto in diebus tamen Innocentium, & Circumciſionis proximè præteritis, illud iterum celebrarant ſub prætextu quòd Pragmatica Sanctio ad inſtantiam Epiſcopi Brixienſis Nuncii Apoſtolici abrogata eſset. Quare Rex illud omninò prohibet, & mandar, ut Epiſtola Univerſitatis Pariſienſis ea occaſione ſcripta effectum ſuum ſortiatur. Sed his non obſtantibus mos ille perdurabat in civitate Remenſi anno milleſimo quingenteſimo nono, ut videre eſt apud Marlotum in Metropoli Remenſi lib. 4 pag. 769. Legendum pariter Gloſſarium Ducangii tam in voce *Cervulus*, quàm in voce *Kalendæ*, ubi complura Veterum loca hunc morem declarantia exhibet.

XCI. *Annatæ in Congregatione Generali abrogantur.*

Poſt celebrationem dictæ Seſſionis decreta ſunt quædam in Congregationibus Generalibus menſibus Auguſti & Septembris, de prærogativis Graduatorum incorporatorum Concilio, in electionibus & aſſecutionibus beneficiorum Eccleſiaſticorum; de Collectoribus fructuum ac proventuum Cameræ Apoſtolicæ, qui ad Concilium accedere juſſi ſunt, rationem de receptis & expoſitis reddituri; & contra appellationes cauſarum per Synodum judicatarum. Quæ omnia facta ſunt in præjudicium auctoritatis Eugenii Papæ & Sedis Apoſtolicæ, nemine ferè reclamante; ſed quod ſpectabat ad annatas, diu & acriter de iis diſputatum eſse in Congregationibus tradunt Acta Patriciana; tandemque pro earum abrogatione inter omnia quatuor collegia conclu-

Digitized by Google

cluſum eſſe; ſed Atchiepiſcopum Tarentinum & Epiſcopum Paduanum, Eugenii Papæ Legatos protestatos eſſe, iniquum eſſe inaudito Pontifice tantum detrimenti Eccleſiæ Romanæ inferri: Hoc enim modo dignitatem Pontificiam ſine viribus tuituram; Non tanti eſſe Eccleſiæ Romanæ patrimonium, ut à tyrannis Pontifices ſuis ſumptibus defendi valerent, aut ut tot aliis Eccleſiæ neceſſitatibus, Legationibus, ſubventionibus ſufficere poſſet. At nihilominus Patres aſſerentes ſe neceſſitati Romanæ Eccl. opportunè conſulturos, decretum de Annatarum abrogatione ſanxiſſe & publicaſſe.

XCII. *Synodus Oratores ad Eugenium PP. mittit.*

Miſit illicò Synodus Joannem de Bacheiſtein Decretorum Doctorem, & Matthæum Meſnaige Baccalaureum in Theologia ad Eugenium Papam, rogatum ut tum alia decreta Synodi, tum quæ de Electionibus, Cauſarum evocationibus, & Annatis condidiſsent, confirmaret. Joannes de Bacheiſtein Florentiæ orationem habuit ad Pontificem, quæ extat Tomo XII Concil. col. 859, qua magna libertate ei inſinuavit, niſi petitionibus Synodi acquieſceret, daturam eam operam efficacem, per quam decreta ſua ab omnibus, etiam quâcumque præfulgerent dignitate, inviolabiliter ſervarentur. Ac ſpeciatim quod de Annatis decretum fuiſset, ait legi Divinæ, & Canonibus Sanctorum Patrum conſonum eſſe, eòque jam omnino aboleri debere, quòd introductæ fuiſsent occaſione expeditionum Terræ Sanctæ, quæ jam ceſſaſſent; aliaque ingentia mala & ſcandala ex earum exactione oriri conſueviſsent. Earum verò loco Synodum per alios honeſtiores modos Pontifici, & Cardinalibus proviſuram, dummodò ei placeret decreta Synodi ſervari, & aliis ſervanda proponere, prout in Bulla ſuæ adhæſionis promiſerat. Brevis reſponſio Eugenii Papæ ad prædicta propoſita per Oratores Synodi extat ibidem poſt Orationem Joannis de Bacheiſtein.

XCIII. *Eugenius ſuos ad Synodum dirigit.*

Statim etiam ad Synodum Oratores deſtinavit Ambroſium Priorem Generalem Camaldulenſium, Virum Græcè Latinèque doctiſſimum, & Antonium de Sancto Vito Cameræ Apoſtolicæ Auditorem, reſponſuros petitionibus Synodi. Antonius nomine Ambroſii pro parte Eugenii Papæ die ſeptima Octobris in Congregatione Generali reſpondit ad petitiones Oratorum Concilii, ejuſque reſponſio extat ibidem col. 865 legenda; ſed quoad decretum Annatarum breviter reſpondit, neminem ſatis admirari, quòd in re tam grandi, irrequiſitis & inſciis Pontifice, & Cardinalium Collegio tam citò & inſperatè concluſum fuerit: quod ſi unquam faciendum fuit, hoc præcipuè tempore omittendum videbatur, quo Romana Eccleſia & multæ aliæ innumerabilia damna ſunt paſſæ: Si qui in his prætendebantur abuſus, his providendum fuiſſe ſine privatione ſubſtantiæ, aut ſaltem proviſionem debitam ſimul faciendam, ut ſic juſtitia & pax obviarentur ſibi. *Unde*, dicebat Orator, *interim vivent, qui hactenus inde vitæ ſuſtentationem ducebant? Unde Eccleſiarum ſuarum onera ſupportabunt, cùm præter Romanam Eccleſiam multi Prælati ſint, qui ex poſſeſſionibus aut decimis parùm vel nihil recipiant? Unde Sedes Apoſtolica impenſas faciet, providendo neceſſitatibus & utilitati Univerſalis Eccleſiæ pro his quæ pertinent ad pacem & extirpationem hæreſum & errorum, & ad alia concernentia bonum publicum totius populi Chriſtiani? Jure igitur, Reverendiſſimi Patres, manutenenda erant iſta, donec aliter fieret ſufficiens proviſio: de qua proviſione ſufficienti facienda per ſacrum hoc Concilium Sanctiſſimus Dominus noſter vult eſſe bene contentus, juxta deſiderium hujus ſacri Concilii, proviſio quòd taliter fiat, quòd ſtabilis & firma permaneat.* Ita Orator nomine Eugenii Papæ. Sed præter hanc brevem reſponſionem conſtat dictos Oratores alias Orationes habuiſse, & inter alia petiiſse à Synodo ut decretum Annatarum ſuſpenderetur, aut debita Sedi Apoſtolicæ fieret proviſio, & inſuper ſuſtinuiſse Annatas jure divino, naturali & humano tolerari poſſe. Quod conſtat ex reſponſo Juliani Cæſarini Cardinalis Concilii Præſidis ſuper acceptatione decretorum Concilii per Papam facienda, antequam ei à Concilio fieret proviſio, quod extat Tomo XII Concil. col. 704.

Julianus itaque Cardinalis ex Congregatione Generali habita tertio Nonas Novembris ad Nunciorum Eugenii rationes reſpondens, & reſumens præcipua Orationum illorum capita, quibus Patres hortati ad pacem & unitatem cum Pontifice ſervandam, ejus ſanctum propoſitum ad res, quarum causâ Concilium celebrabatur, laudaverant; Sedem Romanam opibus abundare debere, ut oppreſsos relevet, & indigentibus ſubveniat, explicaverant; Annatas jure divino, naturali, & humano tolerari poſse, ideoque aut ſuſpendi debere quòd eas Synodus ſublatas volebat, aut proviſionem Sedi Apoſtolicæ ſufficientem fieri poſtulaverant: Primò & ipſe optimam Synodi mentem ad unitatem colendam explicavit: ut autem utrimque ſervaretur, neceſſarium eſſe ut Pontifex, quæ ad juſtitiam ſpectarent, primò ipſe præmitteret, hoc eſt Eccleſiæ Univerſali jus ſuum tribueret, Concilii Univerſalis, quod illam repræſentabat, decreta diligenter, & per alios ſuo exemplo & juſſu ſervari faciendo, ſanctorum anteceſſorum ſuorum imitatione, Damaſi, Gelaſii & Gregorii: Con-

XCIV. *Julianus Præſes Concilii ad Oratores Eugenii reſpondet de Annatis.*

cilii ſtatuta in nullo derogare ejus poteſtati, quin pro tempore, loco, cauſiſque & perſonis, utilitate vel neceſſitate ſuadente, moderari, diſpenſareque poſſet, atque uti ſummi Principis epieicheiâ, quæ ab eo auferri nequiret: Si verò in aliquo lædcretur à Concilio ejus auctoritas, paratum illud eſſe, quidquid illud eſſet, ad juſtitiæ rectitudinem, & regulæ normam redigere: In prohibendis Annatis nihil Synodum feciſſe, quàm quod Divinæ Scripturæ, Sacrorum Conciliorum, Romanorum Pontificum, probatorumque Doctorum Codices ſtatuiſſent, ne videlicet pro rebus ſpiritualibus & Eccleſiaſticis quid antè vel poſt ab invitis exigatur: quod in Annatis multo abuſu & ſcandalo fieri compertiſſimum eſſet: Nec tamen prohiberi decreto Synodi, quin pro vitæ ſuſtentatione, aliiſque Eccleſiæ neceſſitatibus, Summus Pontifex, aliarumque Eccleſiarum Epiſcopi charitativum ſubſidium indicere, decimam ſeu aliam quotam imponere, fructuſque aliquorum beneficiorum ad tempus reſervare, vel alias ſubventionum ſpecies petere poſſent: Denique proviſuram competenter Synodum Sedi Apoſtolicæ, dummodò obſervantiæ Decretorum Synodalium rationem habeter: Quod verò objectum fuerat de ſubventionibus ab antiquis Pontificibus, pluribus ſanctis Epiſcopis de ſedibus ſuis pulſis, aliiſque indigentibus facta; haud de Annatis illas proceſſiſſe, cùm necdum hæc vocabula in Eccleſia Dei audirentur: neque etiam alii Sancti Epiſcopi præclara ſua pietatis & charitatis opera de emolumentis ſigillorum explere conſueviſſent.

XCV. *Quæ fuerit ea in re Baſileenſium ingenio.* Hæc & alia pluribus Julianus, quæ ſemina fuêre novorum inter Pontificem & Synodum diſſidiorum; queſti ſunt enim Pontificii Baſileenſes hoc tempore hæc de Annatis conſtituiſſe, non pietatis aut juſtitiæ zelo, ſed ſola mente Pontificem ad ea, quæ vellent, cogendi; cùm id maximè urgendum tunc ſuſcepiſſent, cùm viderent Eugenium Româ exactum, patrimonio omni Eccleſiæ ubique ab hoſtibus ſpoliatum, tantùmque non oſtiatim mendicantem; & non alia conditione ſubventuros ſe ei pollicebantur, quàm ſi priùs decreta Synodi approbaſſet, & ſe ei ſubmiſiſſet. Quid „ verò non boaſſent, inquit Spondanus an„ no 1435 num. 14, ſi in ſui tali neceſſi„ tate ſubſidium aliquod novum Eccleſiis „ impoſuiſſet, ut ſæpè ab aliis factum eſt „ abſque tot tumultuoſis calamitatibus: ſa„ nè, ſi verum loqui liceat, quis convenientior „ unquam modus excogitari potuit, quo „ regna & provinciæ, ipſæque Eccleſiæ mi„ nus gravenrur, & aptiùs communi o„ mnium Chriſtianorum patri pro debito ſub„ veniatur, quàm per Annatas, ſive pri„ motum fructuum ſolutionem „. Annatas porrò in uſus ac neceſſitates Summi Chriſtianorum Pontificis & ſupremæ poteſtatis agnitionem inſtitutas volunt qui eas tuentur, imitatione inſtitutionis Veteris Teſtamenti, quâ primitiæ & decimæ fructuum, agnoſcendo Dei conditoris in omnes res humanas dominio atque arbitrio, ſacro Ordini debebantur, & decima illius decimæ Summo Sacerdoti. De earum inſtitutione vide dicta in Bonifacio IX num. 42. In eas tamen vehementer & coploſè invehitur Clemangius in Tractatu de Annatis non ſolvendis nomine Nationis Gallicæ: pro iis verò propria Commentaria ediderunt Antonius Galleſius, & Fernandus Cordubenſis, quæcumque iis opponuntur diluentes & explicantes.

XCVI. *Græci conſentiunt Synodum fieri in Italia ad unionem cum Latinis.* Quod Græcos attinet; poſt pacta quæ diximus anno 1434 ab eorum Oratoribus in Concilio tractata; Eugenius Pontifex ad unionem accelerandam Chriſtophorum Garatonum Secretarium ſuum Conſtantinopolim miſit, iſque, contra quod Baſileæ conventum fuerat, eos in antiqua ſua propoſitione celebrandæ Conſtantinopoli Synodi, cui Legatus Pontificius interceſſet, obfirmatos reperit, quod in pravum ſenſum Baſileenſes interpretantes, quaſi Græci ſententiam mutaſſent ſuaſione ipſiuſmet Pontificis, ægrè ferentis tantam ſibi ipſos auctoritatem arrogare, Eugenius Baſileam miſit dictum Chriſtophorum Garatonum Conſtantinopoli reducem, qui Patres Synodi de omnibus informaret. Literæ Eugenii ad Synodum ea de cauſa extant Tomo XII Concil. col. 949 datæ *Florentiæ anno 1434 decimo Kalendas Martis Pontificatûs anno quarto*, qui annus eſt 1435, quo Eugenius Florentiæ verſabatur, & annum quartum Pontificatûs decimo Kalendas Martii adhuc numerabat; ſed ipſum vocat 1434, quia annum ibi incipit à die 25 Martii. Baſileenſes tamen exiſtimantes Græcos ſponte ſententiam non mutaſſe, rurſum alios Nuncios Conſtantinopolim miſerunt, Joannem ſcilicet de Raguſio Ordinis Prædicatorum, Henricum Menget Canonicum Conſtantienſem, & Simonem Freiton Canonicum Aurelianenſem, qui Græcis perſuaderent pacta Baſileenſia adimplere, his præcipuè rationibus, quòd perfecta unio, ipſis etiam Græcis fatentibus, fieri non poſſet abſque Concilio Oecumenico ex utraque Eccleſia Occidentali & Orientali; Conſtantinopolitanum autem Oecumenicum futurum non eſſet ex parte Eccleſiæ Occidentalis, etiamſi intereſſet Legatus Sedis Apoſtolicæ, ſed tantùm particulare ſeu regionale; ac proinde nullum inde fructum ſecuturum: Baſileam autem opportuniſſimam eſſe ad Concilium Generale celebrandum, quòd regio eſſet pacifica & fertilis, civitaſque libera & amœna. Quibus ab Im-

pe-

Digitized by Google

peratore & Patriarcha auditis, concluſum eſt Synodum fieri in Occidente, ad quam iidem Imperator & Patriarcha cum aliis Prælatis ac Proceribus, populorumque electis accedere deberent. Ita tamen ut ad vitandas itinerum, aliarumque rerum incommoditates, ac præcipuè Patriarchæ ſenis & infirmi, nec non ipſius Pontificis Romani, qui neceſſariò adeſſe deberet, eligeretur una ex civitatibus maritimis Italiæ; ex qua item poſſet faciliùs ſuccurri emergentibus neceſſitatibus civitatis Conſtantinopolitanæ. Remiſſuſque eſt ad hæc Synodo denuncianda prædictus Henricus Menger unus ex Nunciis die vigeſimo ſexto Novembris, duobus aliis interim Conſtantinopoli remanentibus ad providendum expenſis itineris Græcorum juxta pacta Baſileæ tranſacta, quæ confirmata ſunt. Hæc conſtant ex Seſſione XXIV Concilii Baſileenſis, & ex Actis ſuper his ſcriptis & confectis, quæ habentur Tomo XII Concil. à col. 851 ad 860. Ideò porrò Eugenius Græcorum voluntati ſe accomodarat, ut Concilium celebraretur Conſtantinopoli, eique nomine Occidentalis Eccleſiæ Apoſtolicæ Sedis Legatus præeſſet, quia inde cenſebat frequentiores fore Græcorum conventus, atque ideo ab ipſis conjunctionem cum Eccleſia Latina feliciùs conſtabilitum iri, quàm ſi pauci, ut olim in Concilio Lugdunenſi acciderat, in Occidentem commearent, quorum geſta alii poſtea facilè reſcinderent.

XCVII. *In Seſſione XXII liber Auguſtini de Roma damnatur.* Seſſio vigeſima ſecunda celebrata eſt Baſileæ die Sabbati decima quinta Octobris, in eaque promulgata eſt condemnatio cujuſdam libelli Auguſtini de Romà Archiepiſcopi Nazareni Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, de Chriſto & Eccleſia conſcripti, ob plures erroneas & ſcandalo plenas propoſitiones in eo contentas, quæ referuntur in Seſſione. Parcitum autem eſt Auctori, quòd omnia ſcripta ſua Eccleſiæ decernenti ſubmiſiſset: & quamvis in jus vocatus non comparuiſset, ſed cauſas tamen abſentiæ legitimas allegaſset. Hujus Archiepiſcopi elucubrationes recenſentur à Trithemio, & Bellarmino; quæ etiam cuſæ extant, nonnullæque inter libros prohibitos relatæ donec corrigantur. Pamphilus in Chronico Ord. Eremitarum S. Auguſtini, tradit eum ex Priore Generali factum primò Epiſcopum Nazianzenum (legendum Nazarenum) deinde Ceſenenſem, & anno 1443, ex hac vita deceſſiſse multis illuſtribus & glorioſis ſuæ ſanctitatis indiciis.

XCVIII. *Eugenius poſt mortem Joannæ II Siciliæ Reginæ Legatum Neapolim mittit.* Antequam ad ulteriora progrediamur, redeundum eſt ad initium anni 1435, quo cùm obiiſset die ſecunda menſis Februarii in ipſa Purificatione Beatiſſimæ Virginis Joanna hujus nominis II Siciliæ citra Pharum ſeu Apuliæ Regina, nullis relictis liberis, & Renatum Ducem Andegavenſem, Ludovici, quem priùs adoptaverat, fratrem hæredem teſtamento reliquiſset, conſtitutis interim ſexdecim Proceribus, qui uſque ad ejus adventum regnum adminiſtrarent, Eugenius Pontifex confeſtim miſit Neapolim Joannem Vitelleſcum Epiſcopum Recanetenſem, quem Patriarcham Alexandrinum creaverat, virum rei militaris peritiſſimum, qui Proceres populumque moneret ab aliquo recipiendo Rege abſtinere, quàm cui ipſe ut feudi Dominus conceſſiſset, eique Siciliam adminiſtrandam tradidit cum plena poteſtate Legati literis datis *Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1434, qui nobis eſt 1435, *nono Kal. Martii, Pontificatus anno IV* apud Raynaldum num. XII. Verùm paucis hæc approbantibus reſponſum eſt à Neapolitanis nolle ſe alium Regem quàm Renatum, ideoque miſerunt aliquot Proceres, qui eum evocarent; ſed cùm Renatus tunc apud Philippum Burgundiæ Ducem captivus detineretur, & quidam alii evocaſsent Alfonſum Aragoniæ Regem è Siciliæ Inſula ubi agebat, in omnem occaſionem intentus regni occupandi, affuit Alfonſus cum valida claſse, fratribus ſuis Joanne Navarræ, Henrico & Petro ſtipatus, & Caietam obſidione cinxit. Quod cùm fieri aſsentiente Eugenio ſuſpicati eſsent Carolus Francorum Rex & Renatus valdè conqueſti ſunt; ſed Eugenius literis datis *Florentiæ V Idus Junii anno V* Pontificatûs vulgavit Alfonſum ſe invito regnum aggreſsum eſse, populoſque illos ei parere vetuit: *Oratores*, inquit in iis literis apud eundem Raynaldum num. 13, *chariſſimorum in Chriſto filiorum noſtrorum Caroli Francorum & Renati Regum illuſtrium, quorum prædeceſſorum brachio & potentia regnum à manibus tyrannorum, retroactis temporibus ereptum, priſtinæ obedientiæ reſtitutum extitit, hujuſmodi regni invaſionem non ſine noſtro aſſenſu & voluntate proceſſiſſe ſuſpicantes, deſuper nobis querelam expoſuerunt; Nos igitur .... ut hujuſmodi de nobis opinio, quæ veritate caret, ex animis hominum deponatur, tenore præſentium declaramus nunquam fuiſſe, nec eſſe noſtræ voluntatis aut intentionis, ut dictus Rex Aragonum ad præfatum Siciliæ regnum accederet* &c. Vetat poſtea Proceres illi adhæreſcere, jubet Decretoriam expectare ſententiam; eos *qui dictum Regem Renatum in Regem aſſumpſerunt ab omni novitate & offenſa ſuperſedeant* quouſque aliud à ſe mandatum acceperint, & præſtita ab ipſis olim Alfonſo ſacramenta reſcindit, tandemque Epiſtolam ſic terminat: *Per præfatam autem nominationem Renati Regis non intendimus cuique jus de novo in dicto regno conferre, aut habenti jus auferre.* Ex quibus

conſtat Eugenium in Renati partes inclinaſse, unde pro ejus liberatione ad Philippum Burgundiæ Ducem literas dedit Florentiæ Kalendis Julii, aliaſque poſtea anno 1436, datas Bononiæ, quas utraſque refert Raynaldus; in his autem ultimis ait Eugenius ex detentione *Renati Regis Siciliæ illuſtris* plura damna inſurgere Eccleſiæ, *regno verò Siciliæ mala quodammodo infinita*. Interea eodem anno 1435 Iſabella Regina Renati uxor magni animi raræque prudentiæ fœmina, cui Sigiſmundus Imperator in Concilio Baſileenſi Ducatum Lotharingiæ adjudicaverat, Neapolim cum duobus ejus filiis parvulis Ludovico & Joanne deducta eſt à Proceribus Neapolitanis quinto Kalendas Novembris, ubi ſummo honore uti Regina excepta eſt, & quidem jure merito, nam præterquam quòd Ludovicus III Renati frater à Joanna prima Regina adoptatus fuerat in filium & hæredem, ejuſque adoptio à Concilio Piſano, à Joanne XXIII, & à Concilio Conſtantienſi, ut ſcribit S. Antoninus tit. 22, cap. 6, § 3, & 4, confirmata, ita etiam Renatus à Joanna hujus nominis II Regina hæres inſtitutus erat teſtamento, quod licèt quidam Auctores adulationis vitio commentitium eſse comminiſcantur; illud tamen plures & indubiæ notæ planè ſincerum & legitimum agnovêre. Cui juri acceſſit omnium maximum, nempe conſenſus Eugenii Papæ, utpote feudi Domini. Alfonſus quidem obtendebat Joannæ, & Martini Pontificis de ejus adoptione confirmationem; ſed adoptio illa, ut alibi diximus, juſtiſſimis de cauſis revocata fuerat; & quam allegabat Martini Pontificis confirmationem, nec poterat ipſe proferre, nec in archivis Eccleſiæ Romanæ reperiebatur, nec nullus produci ejus teſtis poterat; & ſi quid denique juris ad regnum ſe habere exiſtimaret, Eugenius Pontifex hortabatur, ut depoſitis armis illud apud Sedem Apoſtolicam proſequeretur.

XCIX. *Conſtitutiones de electione Summi Pontificis in Seſſione XXIII.*

Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſexto die Sabbati vigeſima quinta Martii celebrata eſt Seſſio vigeſima tertia, in qua Baſileenſes innovarunt Conſtitutionem de incluſione Cardinalium in Conclavi à Gregorio X in Concilio Lugdunenſi II promulgatam, quæ ſucceſſu temporum mitigata, & ab Hadriano V & Joanne XXI ſuſpenſa & abrogata fuerat, ſed poſtea à Cœleſtino V renovata fuit, & à Bonifacio VIII Cœleſtini V ſucceſſore confirmata. Hæ ſunt igitur ſanctiones de Romani Pontificis electione in Concilio Baſileenſi factæ, nimirùm: ut decima poſt obitum die, Conclave cum Spiritûs Sancti invocatione Cardinales ingrediantur, duos dumtaxat famulos, quos Conclaviſtas vocant, ſecum aſſumant: Ceremoniarum causâ Clerici duo, quorum unus ſit Notarius, accedant; Camerarius reliquos excludat: omnia victualia præter medica à cubiculis amoveantur: Cibaria ſingulis diebus perquirantur: nullæ Epiſtolæ admittantur: Cardinales digniorem ſe electurum ante ſcrutinium jurent: ante ſex completa ſcrutinia nullus fiat acceſſus: Electus in Papam teneatur conſentire, profeſſionem fidei emittere, formamque adjecerunt conſensûs ab electo Pontifice præſtandi. Item ſtatutum eſt quòd ſingulis annis, die quo anniverſarium electionis vel coronationis ſuæ celebratur, intra Miſſarum ſolemnia primus Cardinalis, qui ibidem affuerit, publicè coram Summo Pontifice hanc profeſſionem legat: *Memineris quòd Beatus Petrus aliique ſibi ſuccedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant, niſi honorem Dei, propagationem fidei, publicum Eccleſiæ bonum, ſalutemque & utilitatem filiorum ſuorum: & tandem imitantes Magiſtrum & Dominum, animas ſuas pro ſibi commendatis ovibus exponere non dubitarunt. Noli tibi aut tuis theſaurizare in terris, ubi tinea & ærugo demolitur, ubi fures & latrones effodiunt, ſed theſauriza tibi in cœlis. Non ſis acceptor perſonarum, nec ſanguinis, aut patriæ, aut nationis. Omnes filii Dei ſunt, & tuæ curæ ac cuſtodiæ pariter commiſſi*, &c. Extat Tomo XII Concil. col. 559.

C. *In eadem Seſſione ſtant nonnulla decreta.*

Addidêre & plura de modo, quo ſe gerere debet Pontifex, tam in negotiis publicis, quàm in Curiæ Romanæ reformatione, ac patrimonii Eccleſiaſtici adminiſtratione: Item ne conſanguineum vel affinem uſque ad tertium gradum incluſivè, Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium, Vicarium & Gubernatorem alicujus provinciæ, civitatis, oppidi, caſtri, aut loci Romanæ Eccleſiæ conſtituat. Juxta Nicolai Papæ IV Conſtitutionem ſtatuerunt, ut ad S. R. E. Cardinales omnium fructuum, redituum, proventuum de quibuſcumque terris & locis Romanæ Eccleſiæ ſubjectis provenientium medietas pertineret, graviaque omnia negotia de conſilio Cardinalium tractarentur. Numerus porrò Cardinalium ad viginti quatuor redactus, qui de omnibus Chriſtianitatis regionibus aſſumerentur, viri in ſcientia, moribuſque ac rerum experientiâ excellentes, Magiſtri, Doctores, ſeu Licentiati, non nepotes ex fratre vel ſorore Romani Pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis: In favorem Græcorum prædicto numero viginti quatuor, duo alii è Græcis, in quibus vitæ ſanctitas, vel eximiæ virtutes refulgerent (cùm ſcilicet Romanæ Eccleſiæ uniti eſſent) inſignes aliqui viri adjici poſſent. Denique decreta de electionum libertate & reſervationum Eccleſiarum & beneficiorum abolitione, his quæ

in

in corpore juris continentur & quas in terris Romanæ Eccleſiæ, ratione directi, ſeu utilis dominii, mediatè vel immediatè ſubjectis fieri contingeret, dumtaxat exceptis, confirmata ſunt.

CI. *De actis quibuſdam cum Græcis, & de Indulgentiis plenariis in Seſſione XXIV.*

Habita eſt Seſſio XXIV die Sabbati 24 Maji, in qua confirmatæ ſunt promiſſiones ab Oratoribus Synodi factæ Imperatori Græcorum & Patriarchæ Conſtantinopolitano, de quibus ſuprà num. LXXVIII. Cùmque per auream Bullam Imperator Græcorum, & per plumbeam Patriarcha Conſtantinopolitanus ſe ad aliquem locorum acceſſuros promiſiſſent, publicatus eſt ſalvus-conductus Synodi pro iiſdem, aliiſque Græcis ad Concilium Generale acceſſuris Indulgentias plenarias remiſſionis omnium peccatorum ſemel in vita & ſemel in mortis articulo, quales Eccleſia concedere conſuevit euntibus Romam tempore Jubilæi, aut Cruceſignatis ad recuperationem Terræ Sanctæ, primum omnium Conciliorum, Baſileenſe conceſſit, in favorem omnium utriuſque ſexûs, qui ad ſanctum opus unionis Græcorum tantum contribuerent, quantum quiſque hebdomadis unius decurſu, pro ſua familiæque ſuæ refectione expenderet: aliis tamen prætereà injunctis quibuſdam pietatis operibus, ut videre eſt in Bulla Indulgentiarum remiſſionis omnium peccatorum, in favorem ſubſidii pro reductione Græcorum procurandi, quæ extat Tomo XII Concil. col. 573, & ſeqq.

CII. *Queritur de Baſileenſibus Eugenius IV.*

Cùm autem poſt prædicta Cardinales S. Crucis, & S. Petri ad Vincula ad Synodum miſſi fuiſſent ab Eugenio, qui minimè ferenda eſſe demonſtrarent quæ Synodus de Electionibus, Confirmationibus, Annatis, & Indulgentiis ſtatuiſſet; Eugenius ad Reges & Principes decrevit internuncios, ut temerè geſta à Baſileenſibus in oculis omnium gentium conſtituerent. Extat ſatis prolixa de his tractatio in Actis Navarricis, & in Appendice Concilii Baſileenſis Editionis Binianæ Tomo IV pag. 116. In hoc libello continentur ferè omnia quæ in Concilio Baſileenſi, ex quo inchoatum eſt, uſque ad annum 1436, attentata ſunt contra Eugenium & contra decreta Sanctorum Parrum & laudabiles conſuetudines aliorum Conciliorum. Habent inſuper Acta Patriciana, obtuliſſe prædictos Cardinales Baſileenſibus, ſi convenire cum Eugenio vellent de loco Concilii, daturum ipſum pro conductu Græcorum ſexaginta aureorum millia; quantam ſummam Indulgentiæ ab iis promulgatæ nunquam conficerent.

CIII. *Seminarium Clericorum Florentiæ inſtituit.*

Hoc eodem anno Eugenius Papa recuperatâ Bononiâ, eò ſe contulit proviſurus inde faciliùs Eccleſiæ neceſſitatibus. Cultum divinum ampliavit Florentiæ inſtituendo ſcholam Clericorum, qui quotidie intereſſent Miſſæ decantandæ & Horis diurnis, Completorio dempto, ſub magiſtro, qui in Grammaticalibus, & cantu eos inſtrueret; certâ proviſione pro mercede ſui laboris ſtatutâ; loco eis propè Eccleſiam deputato: erantque aſſumendi ex legittimis natalibus à decimo anno uſque ad decimum quintum, & uſque ad Sacerdotium retinendi erant ab Antiſtite civitatis, quibus etiam certa proviſio ſingulis decreta fuit, novem videlicet florenorum annuatim. Vacante tunc ſede Archiepiſcopali Florentina per annum & ultra, ex reditibus Archiepiſcoparus Eugenius tantam pecuniæ ſummâ illis aſſignavit, vel credito emit, ut poſſet ſingulis Clericis provideri; ſed poſtea propter bella quæ ſupervenerunt, exhauſto ærario, per multos annos ipſis Clericis nihil collatum eſt. Ita S. Antoninus (illius Eccleſiæ paulò poſt, ſcilicet ante mortem Eugenii, Archiepiſcopus) tit. 22, cap. 10, § 6.

CIV. *In Seſſione XXV deliberatur de loco celebrandi Concilii cum Græcis.*

Anno ſequenti, nimirùm milleſimo quadringenteſimo trigeſimo ſeptimo celebrata eſt Seſſio vigeſima quinta die Martis Nonis Maji, & ſtatutum quòd apud Imperatorem Græcorum, Patriarcham Conſtantinopolitanum, & alios Græcos diligens & debita fieret inſtantia, ut civitatem Baſileenſem acceptarent pro œcumenico Concilio ibidem celebrando; quam ſi eos omninò recuſare contingeret, ex tunc civitas Avenionenſis locus eſſet ipſius Oecumenici Concilii, alioquin in Sabaudia celebraretur, ad quod tùm ceteri omnes, tùm ipſe Pontifex accedere haberet; quidquid ſecùs ſtatueretur, irritum ac nullum declaraverunt. Inſuper pro ſumptibus alendorum Græcorum, ſingulis Eccleſiaſticis exemptis & non exemptis, cujuſcumque ſtatus vel conditionis, etiam ſi Cardinalatûs vel Pontificali præfulgerent dignitate, decimam de omnibus Eccleſiaſticis beneficiis impoſuerunt. Quatuor electis Epiſcopis, ſcilicet Joanne Lubicenſi, Ludovico Viſenſi, Delphino Parmenſi, & Ludovico Lauſanenſi, qui ad conducendum Græcos ad locum Oecumenici Concilii curam haberent. Deinde verò pro cautione civitatis Avenionenſis, quæ ſummam ſeptuaginta millium florenorum auri ad id opus obtulerat, aſſignarunt quidquid ex Indulgentiis ac decimis proveniret, uſque ad ſummam prædictam integraliter perſolutam.

CV. *Gravis ea de re contentio inter Patres.*

Uno eodemque die Nonarum Maji duo contraria decreta edita ſunt circa locum futuri Concilii pro Græcorum unione procuranda; unum à Sedis Apoſtolicæ Legatis, Concilii Præſidibus & pleriſque Præſulibus illis adhærentibus, quodque extat, curâ Horatii Juſtiniani, Tomo XIII Concil. col. 831. Pars reliqua Synodi alterum edidit decretum, quod Actis, inſertum

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

tum eſt; de quibus decretis agens Auguſtinus Patricius ait: Magnâ inter Patres ortâ diſſenſione, nominaſſe majorem eorum partem pro loco futuri Concilii Baſileam, Avenionem, & Sabaudiam, Præſidentibus fruſtrà reclamantibus, itemque Græcis conquerentibus nimis durè ſecum agi: tandemque Patres his legibus in concordiam veniſſe: ut ſi Avenionenſes intra dies triginta promiſſam pecuniam non ſolviſſent, & intra alios duodecim dies ſe id integrè perfeciſſe non docuiſſent, Concilium poſſet & teneretur procedere ad electionem alterius loci: Elapſis autem triginta & duodecim diebus, cùm Præſidentes convocaſſent Patres ad loci electionem, feceſſiſſe magnam partem, quæ Pontifici erat infenſa, & Concilium in Italia nullo pacto volebat: Verùm hanc factionem ferè ex vili plebe conſtitiſſe, quamvis ducem haberet Cardinalem Arelatenſem & quoſdam alios Prælatos: In altera extitiſſe Cardinales Julianum (olim S. Angeli, jam S. Sabinæ mutato titulo dictum) & Joannem S. Petri ad Vincula, ac pleroſque alios digniores Antiſtites, qui tamen numero longè ſuperabantur: Præſidentes & Legatos, primò in deputationibus, tùm in Generali Congregatione concluſiſſe Florentiam & Utinum, ſeu quemcumque alium locum tutum, Summo Pontifici & Græcis accommodum eſſe eligendum pro Concilio, illum videlicet, qui citiùs expediret pecunias, triremes, & alia neceſſaria ad traducendos Græcos: Contra verò parte adverſa decernente, admittenda eſſe poſtulata Avenionenſium, ut firma electio illius civitatis fieret; & decimas ſtatuerunt, quarum pecuniæ, ſimul cum iis quæ ex Indulgentiis provenirent, ſibi ratione mutui obligarentur.

CVI. *Oratores Græci petunt ut deſignetur locus pro celebratione Concilii.*

Oratores Græci, ſcilicet Joannes Biſſipatus, Magnus Adriacus, & Emmanuel Tragagnoti, Bononiam acceſſi, ubi Eugenius erat, proteſtarunt contra nominationem civitatis Avenionenſis, & requiſiverunt ut nominatio facta de Florentia vel Utino, aut de alio loco, prout in decreto pleniùs continetur, acceptaretur. Cùm itaque Avenionenſes requiſita non adimpleſſent, juxta ordinationem præfatam, Eugenius Papa de conſilio & aſſenſu Cardinalium & plurimorum Prælatorum, petitionibus Oratorum annuit, atque electionem Florentiæ & Utini, aut alterius loci, acceptavit & confirmavit, literis *datis Bononiæ anno Incarnation. Dom.* 1437 *III Kal. Julii, Pontificatûs anno VII*. Extant apud Raynaldum eodem anno num. 8. Poſteà Sigiſmundum Imperatorem, Carolum Francorum Regem, Renatum Siciliæ, Henricum Angliæ, Eduardum Luſitaniæ Reges oravit, ut ea probarent, quibus Græcorum cum Latinis conjunctionem perfici poſſe cenſerent.

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

CVII. *Græci Venetias accedunt.*

Confirmato ab Eugenio decreto de celebranda Florentiæ vel Utini Synodo, miſſi ſunt Nuncii Dinienſis, & Portugalenſis Epiſcopi, qui unà cum Chriſtophoro Epiſcopo Coronenſi Conſtantinopolim appulerunt die quinta Septembris, & Imperatori ac Patriarchæ perſuaſerunt in Italiam navigare, advenerunt inſuper, eodem Pontificis nomine, cum aliis triremibus Marcus Archiepiſcopus Tarantaſienſis, ac Nicolaus de Cuza Præpoſitus Monaſterii Wotobergenſis. Dum autem Græci ad navigationem ſe præpararent, appulerunt pariter Conſtantinopolim triremes Avenionenſes, præfectis Viſenſi & Lauſanenſi Epiſcopis, qui expoſtularunt ut Græci Baſileam, vel in Sabaudiam, aut Avenionem ſe conferrent; quorum adventus eò viſus eſt Græcis ineptior, quò apertè per Legatos Baſileæ proteſtati fuerant, ſe Avenionem nullo modo venturos; attamen Imperator & Patriarcha multis verbis hortati ſunt Avenionenſes, ut depoſitis diſſidiis ſimul Venetias vellent petere, ubi de loco Concilii commodius diſceptaretur: At illi indignati, inquit Auguſtinus Patricius, minarum pleni, ſolutis ancoris, Peram petierunt, & poſt quindecim dies IV Nonas Novembris in patriam reverſi ſunt. Græci verò cum Imperatore & Patriarcha ad VII Kal. Decembris cum novem triremibus iter ingreſſi, Venetias appulerunt ad principium Februarii ſequentis, die ſcilicet octavo; Duce, Venetorumque civibus, in navi, quam Bucentaurum nominant, obviam euntibus.

CVIII. *Acta Seſſionis XXVI contra Eugenium PP.*

Cùm audiſſent igitur Baſileenſes, Eugenium confirmaſſe decretum de nominatione futuri Concilii facta de Florentia, vel Utino, plura adversùs dignitatem Sedis Apoſtolicæ moliti ſunt, & Eugenium in jus vocaverunt in Seſſione vigeſima ſexta die Mercurii ultima Julii, quamquam Acta Patriciana illa aſſignent Seſſioni vigeſimæ ſeptimæ. Diem ſe ipſi dicere Synodus ait, *poteſtate quam ſuper cunctos fideles, cujuſcumque auctoritatis, etiamſi Papalis exiſtant, à Chriſto accepit, juxta declarationem in Concilio Conſtantienſi habitam, & in hoc dudum renovatam.* Hoc decretum editum eſt proteſtantibus Joanne & Juliano Sedis Apoſtolicæ Legatis, qui validiſſimis rationibus demonſtrarunt, id bono publico, paci Eccleſiæ, ſacriſque Canonibus ita adverſari, ut ipſi abhorrerent illic adeſſe; ſed auditi non ſunt, & cùm inſtanter orarent, ut à re tam monſtruoſa deſiſterent, quòd monitorium illud pro viribus expugnarunt, plurimaque mala & ſcandala futura memorantes, tantis tamen ac juſtis poſtulationibus furor ille

non

non ceſſit, ita; quòd dilatio ad tertiam diem denegata eſt, & præter ordinem, eâdem die generalis Congregatio & publica Seſſio repentè ac præcipiranter celebrata eſt.

CIX. *Seſſio XXVII, in qua promotio Joannis Vitelleſchi ab Eugenio facta abrogatur, unà & nominatio Florentiæ, & Utini.* Seſſio vigeſima ſeprima habita eſt die Jovis vigeſima ſexta Septembris, in qua Baſileenſes nullam declaraverunt promotionem Joannis Vitellii, ſeu Vitelleſchi, ad Cardinalatum, utpotè contra decreta Concilii ab Eugenio factam. Prædictus autem Joannes a Martino V Protonotarius creatus fuerat, poſta ab Eugenio IV Epiſcopus primò Maceratenſis, & Recanatenſis, electus, deinde Patriarcha Aquilejenſis, poſtea Alexandrinus, & Archiepiſcopus Florentinus, ac exercitus Romani Pontificis Præfectus, demum Presbyter Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina anno 1437, die nona Auguſti renunciatus eſt. Joannem hunc Cardinalem creatum III Nonas Decembris anni 1437, ſcribit Odoricus Raynaldus eodem anno num. 17. Sed in hoc deceprus eſt vir eruditus; nam die vigeſima ſexta Septembris in Seſſione 27, ſupponitur, præfatum Joannem ab Eugenio aſſumptum fuiſſe in Cardinalem: *Adverſus autem præmiſſorum decretorum mentem & tenorem, nuper, non ſine gravi dolore, comperimus Venerabilem Joannem Patriarcham Alexandrinum, in Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem (licèt de facto & nulliter) per Dominum Eugenium Papam fuiſſe aſſumptum, cum nec Summus Pontifex abſens à loco hujus ſacri Concilii ipſum in Cardinalem creare debuerat*, &c. Vide Tom. XII Concil. Labbei col. 586. Inſuper Baſileenſes declaraverunt omnes literas continentes nominationem quorumcumque aliorum locorum pro Concilio celebrando, præter loca Baſileæ, Avenionis, & Sabaudiæ, fuiſſe falsò bullatas, nec literis talibus ullam fidem eſſe adhibendam, quacumque auctoritate *etiamſi Papali tranſumtæ*: Sub pœna excommunicationis & ptivationis cujuſcumque dignitatis decreverunt civitatem Avenionenſem ac Comitatum Venaiſſinum non poſſe quocumque prætextu alienari, decreto eodem die dato, nempè VI Kal. Octobris; quod quidem timebant Eugenium præſtiturum, ſicut rumor erat, eò quia Petrus Epiſcopus Albanenſis, Cardinalis de Fuxo vulgariter nuncupatus, qui ad ipſius civitatis Avenionenſis gubernationem deputatus fuerat, Baſileenſibus devotus erat; vel & præſertim, quia dictus Cardinalis unà cum Avenionenſibus pro expeditione ſubſidiorum, ad proſequendam unionem Græcorum, multum laboraverat.

CX. *Eugenius PP contumax declaratur in Seſſ. XXVIII.* Elapſo termino ſexaginta dierum, habita eſt Seſſio vigeſima octava, die Martis prima Octobris, Præſidente Georgio Epiſcopo Viſenſi, adſtantibus aliis Prælatis & pluribus Eccleſiaſticis divini & humani Juris Magiſtris, & in ea Eugenius decreto contumax declaratus, quòd in termino ei præfixo, nec per ſe, nec per Procuratores non comparuiſſet: *Hæc S. Synodus Baſilienſis* (verba ſunt decreti) *ad hujuſmodi actum legitimè congregata, audita petitione Promotorum & Procuratoris Fiſcalis, & ex eorum relatione & productione inſtrumentorum, viſa ejuſd. D. Eugenii PP. contumacia in parendo citatorio ejuſdem ſacri Cōcilii, recepta etiam ſuper hoc ad majorem cautelam per deputatos ejuſdem Synodi informatione tam de prædictis, quàm de notitia ejuſd. citatorii in Rom. Curia, decernit dictum Dominum Eugenium legitimè citatum, ſufficienterque expectatum, fuiſſe & eſſe contumacem, & ejus abſentia non obſtante, contra eundem Dominum Eugenium Papam ad ulteriora fore procedendum, prout ſacro Concilio videbitur*; &c.

CXI. *Huic declarationi Principes Chriſtiani minimè favent.* Regis Hiſpaniæ Legati, ut obſervant Acta Patriciana, audito hocce decreto ſeceſsère, eique ſe Regis ſui Prælatorum ac Principum ſuæ narionis nomine, minimè conſentire conteſtati ſunt. Obſtupuit pariter Sigiſmundus Romanorum Imperator, præcipiteſque animos ab Apoſtolica Sede rebellantium vehementer exhorruit, & Petrum Auguſtenſem Epiſcopum Oratorem ad Concilium Baſileenſe deſtinavit, ad hoc ut Baſileenſes ſe abſtinerent à novitatibus & ſcandalis. Nec minor fuit ſtupor Regis Anglorum, nempe Henrici VI, qui, teſte eodem Patritio, acerbiſſimis literis Patres increpavit, quòd auderent Romanum Pontificem judicare, aſſerens Antichriſti tempora eos introducere, & exhortans, ut à proceſſibus ceſſarent. Et in literarum ſuperſcriptione, Baſileenſem Congregationem, non autem Concilium appellavit.

CXII. *Eugenius PP. Concilium Baſil. transfert Ferrariam.* Hæc dum Baſileæ agerentur, Eugenius Pontifex ad propulſanda pericula Eccleſiæ, & Baſileenſium imminentia ſcandala, coactus fuit Concilium Baſileâ transferre Ferrariam literis *dat. Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1437, *Kal. Octobris*, non verò decimoquarto Kal. Octobris, ut vult Spondanus eodem anno num. 7, legitur enim *Kal. Octobris* in Actis Florentinæ Synodi Collectionis Horatii Juſtiniani 1. Igitur Kalendis ipſis Octobris, quâ die Seſſio XXVIII Baſileæ habita fuerat, Eugenius de conſilio & aſſenſu octo Cardinalium, qui ſecum erant, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, ceterorumque Prælatorum in Curia exiſtentium, translarionem Concilii Baſileenſis Ferrariam decrevit, locum Græcis gratum, in decreto conventionis comprehenſum, & ceteris omnibus commodum, ad quem Baſileenſe Concilium translatum eſſe declaravit, pro omnibus cauſis, pro quibus fuerat Baſileæ congregatum. Cauſam tamen

Boë-

Boëmorum quoad articulũ communionis ſub utraque ſpecie in civitate Baſileenſi infra triginta dies continuari poſſe permiſit. Hanc autem tranſlationem etiam ante Græcorum adventum vim habituram decrevit, niſi Baſileenſes in obſtinato ſuo propoſito adversùs ipsum Eugenium perſeverarent.

CXIII. *In Seſsione XXIX Baſileenſes contra aſſurunt.*

Die Sabbati decima ſecunda Octobris habita eſt Seſſio vigeſima nona, in qua tantùm abeſt ut reſipuerint Baſileenſes, quinimmò Diploma Eugenii de transferendo Ferrariam Concilio reſcindere tentarunt, ſingulaſque criminationes, objectiones & rationes ejus confurare conati ſunt, ut videre eſt in Epiſtola Synodali relata Tomo XII Concil. col. 716 & ſeq. & data XIV Kal. Novembris anno 1437, ex qua pauca, cùm ſit prolixiſſima, hic enarrare ſufficiet; *Dominus Eugenius*, inquiunt, *ſchiſma ſe abhorrere oſtendit, & ſub timore ſchiſmatis in hoc animos hominum perducere, ut adverſus hanc ſanctam Synodum liberè agere poſſit quæcumque volet, & diviſionem quam ab exordio inchoavit, ita conducere, ut confundatur Synodalis auctoritas, & libitum ſuæ prævaleat voluntatis, atque ſub velamine comminati ſchiſmatis ipſe corrigi non valeat...... Nam quidquid Summi Pontifices vellent in futurum pro libito agere, hoc poſſent, omni ſublato timore, confidentes ob metum ſchiſmatis nunquam eorum correctionem per Concilia Generalia tentari poſſe. Inſuper dum ſchiſma diſſuadet, ipſe actu ſchiſma pernicioſiſſimum duorum Conciliorum, quale nunquam auditum eſt, erigit, evocando aliud Concilium in civitatem Ferrarienſem contra decreta Concilii Conſtantienſis & iſtius*, &c. Poſito autem quòd ſi in civitate Ferrarienſi aut alibi Eugenius Concilium erigere incœperit, præcipiunt ſub pœnis excommunicationis & privationis omnium beneficiorum univerſis, qui Synodis Generalibus de jure vel conſuetudine intereſse tenentur, ut ad Concilium Baſileenſe ſe transferant.

CXIV. *Sigiſmundus Imp. petit ab Eugenio PP. ut censuris ſolvatur.*

Inter hæc diſſidia, cùm ſe ſuſpicaretur cenſuris irretitus Sigiſmundus Imperator ob frequentia Oratorum Venetorum cum Baſileenſibus colloquia, cum quibus Oratoribus ipſe Imperator ſæpiſſimè collocutus eſſet, ab Eugenio veniam ritu Eccleſiaſtico petiit, ut refert Raynaldus ad annum 1437 num. 20. Cui Pontifex hæc reſpondit, Bullar. lib. 12 pag. 23. *Sinceræ devotionis affectus, quem ad nos & Romanam geris Eccleſiam non indignè promeretur, ut tuis petitionibus, illis præſertim, quæ mentis & conſcientiæ tuæ pacem concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper ex tui parte petitio continebat, quòd tu, cum Oratoribus dilectorum filiorum nobilium virorum domini Venetorum, ad præſentiam tuam tranſmiſſorum, pro eorum arduis nonnullis negotiis peragendis, varios ſermones & tractatus habendo multifariam communicaſti, quos diverſis cenſuris auctoritate tunc Baſileenſis Concilii in eoſdem latis dubitas innodatos fuiſſe, ac propterea te ex participatione & communicatione hujuſmodi cum eiſdem in cenſuras aliquas forſan incurriſſe, & ea propter à nobis poſtulare feciſtì tibi ſuper iis de opportuno à nobis remedio provideri. Circa quod Serenitati tuæ taliter reſpondemus, quòd etſi dictæ ſententiæ à pleriſque nullæ eſſe dicantur, noſque ipſos Venetos ex certis rationabilibus cauſis abſolverimus ad cautelam; Serenitatem tamen tuam, ſi quid maculæ, ex participatione cum præfatis Venetis quovis modo contraxiſſe ſuſpicaris, ab omni tali macula & labe ad cautelam abſolvimus & penitus liberamus*, &c. *Dat. Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1437, *XII Kal. Januarii, anno VII* Pontificatûs Eugenii. Ex his patet quanta fuerit obſervantia Sigiſmundi in Sedem Apoſtolicam.

CXV. *Sigiſmundus Imp. obiens, eique ſuccedit Albertus.*

Porrò ſub fine anni 1437, non die Dominica, & octava Decembris in feſto Conceptionis Beatiſſimæ Virginis, ut ſcribit Spondanus eo anno num. 10, ſed, ut arbitror, ſub fine menſis Decembris, Sigiſmundum Imperatorem deceſſiſse tradunt varii Scriptores, nempè Æneas Silvius Hiſt. Boëm. cap. 53, Cochlæus lib. 8, & alii. Quo verò morbo Thuroſius Chron. Hungar. in Sigiſm. cap. 24 ait, illum obiiſſe ex paralyſi anno ætatis ſeptuageſimo, Regni Hungarici quinquageſimo primo, Romanorum vigeſimo ſeptimo, Boëmici decimo ſeptimo, Imperii quinto. Ejus virtutes in unum colligens Bonfinius cap. 3, atque oratoriè amplificans, egregiè deſcripſit, nec non corporis habitum, quem talem fuiſse concludit, ut nihil amplius ei ad decorum Auguſtæ Majeſtatis adjicere natura potuiſſet. Alias laudes crebris adulteriis obſcuravit Sigiſmundus, qui Imperatricem in eodem flagitio deprehendit; ſed adulter ignovit adulteræ, quòd crimen pœnitentiâ delevit. Albertus ipſius gener Dux Auſtriæ ei ſucceſſit die vigeſima Martii anni ſequentis, non modò propinquitatis jure, quo filiæ marito debebatur ſucceſſio, verùm ex antiquo fœdere, quod inter Boëmiæ Reges, Principeſque Auſtriæ de alterna in iis Principatibus ſucceſſione, deficiente prole maſculina, intercedebat. Vir armorum gloria inſignis, præter varia præclara facinora, Huſſitas Romanæ Eccleſiæ hoſtes in bello ſuperavit, & funditùs ſi longiori vitâ functus fuiſset; non enim plenè biennio imperium tenuit, ut ſuo loco videbitur.

CXVI. *Declaratio in Seſſione XXX de modo Communionis Euchariſtiæ.*

Seſſio trigeſima celebrata eſt die Lunæ vigeſima tertia Decembris, & actum eſt

de

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

dė modo communionis Euchariſtiæ Boemorum, & declatum fideles Laicos, ſive Clericos communicantes & non conficientes, non adſtringi ex præcepto Domini ad ſuſcipiendum ſub utraque ſpecie ſacrum Euchariſtiæ ſacramentum, ſed quod Eccleſiæ eſt ordinare, quomodo ipſis non conficientibus miniſtretur, prout reverentia ipſius Sacramenti & ſalus fidelium viderit expedire. Sive autem ſub una ſpecie, ſive ſub duplici quis communicet, ſecundùm ordinationem ſeu obſervantiam Eccleſiæ proficere dignè communicantibus ad ſalutem: nec ullatenus ambigendum eſſe, quòd non ſub ſpecie panis, caro tantùm, nec ſub ſpecie vini, ſanguis tantùm, ſed ſub qualibet ſpecie ſit integèr totus Chriſtus. Conſuetudinem quoque communicandi Laicum ſub una ſpecie, ab Eccleſia & Sanctis Patribus rationabiliter introductam, & à Doctoribus divinæ Legis jam à longævo tempore commendatam, pro lege habendam eſſe; nec alicui licitum eſſe eam reprobare, aut ſine auctoritate Eccleſiæ ipſam immutare. Ceterùm Communio ſub utraque ſpecie, quam ſine Eugenii Pontificis aſſenſu permiſerant, nihil profuit pro revocandis ab hæreſi Boëmis, qui pactis contemptis antiquos etiam Catholicos Boëmos ad uſum Calicis cogere niſi ſunt, atque etiam parvulis temerè Euchariſtiam porrexerunt. Vide quæ diximus num. *66* bujuſce Pontificatùs.

Concilium Ferrarienſe, ſeu Florentinum, Generale XVII.

CXVII. *Ferrariæ aperta eſt Synodus.*

ANNO milleſimo quadringenteſimo trigeſimo octavo, indictione prima, die Mercurii, menſis Januarii octava ', Præſide Nicolao Albergato tit. S. Crucis in Jeruſalem Presbytero Cardinale ', aperta eſt Synodus Ferrariæ, & prima Seſſio celebrata in Eccleſia majori Ferrarienſi; præmiſſis ſolemnibus pompis & ſupplicationibus conſuetis, declaratum eſt Synodum à civitate Baſileenſi ad Ferrarienſem eſſe translatam, ob eadem motiva propter quæ Baſileenſis inſtituta fuerat, nec non ad unionem Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ. Die verò ſequenti, ſcilicet die Jovis nona Januarii, Nicolaus Albergatus convocatis Præſulibus, plures articulos propoſuit poſtera die publicandos, qua die, nempe decima Januarii, Ludovicus Epiſcopus Forolivienſis Ordinis Minorum juſſu Synodi legit decretum, quo declaratur translationem Ferrariæ factam eſſe legitimam ad tollendum impedimentum unionis Occidentalis & Orientalis Eccleſiæ, & ad evitandam ſciſſuram in Eccleſia jam imminentem. Inſuper eùm notoria neceſſitas ſupradictarum cauſarum, Eugenium ad translationem ipſam impuliſſet, declaratum eſt ei non obſtare decreta octavæ & undecimæ, vel cujuſcumque alterius Seſſionis Baſileenſis, quòdque Congregatio Baſileæ & omnis alia, quæ ibi vel alibi ſub nomine Generalis Concilii forſitan conveniret, illegitima cenſeri deberet (exceptis quæ Boëmos tangerent). Interfuere huic Seſſioni quinque Archiepiſcopi, decem & octo Epiſcopi, quatuor alii deſignati, tùm plures religioſorum Ordinum Prælati.

CXVIII. *Eugenii PP. adventum Ferrariæ.*

Poſt hæc, die Veneris vigeſima quarta prædicti menſis Januarii, Eugenius in multitudine copioſa ſolemniter aſſociatus, Monaſterium S. Antonii extra muros applicuit, & Ferrariam intravit die Sabbati vigeſima ſeptima ejuſdem menſis, à Clero civitatis proceſſionaliter receptus. Die autem Sabbati octava Februarii congregationem omnium Cardinalium, Antiſtitum & Doctorum habuit, in qua modeſtè queſtus de Baſileenſibus, expoſuit quomodo Legatos Pontificios inhumanè affeciſſent, dignitati detraxiſſent Apoſtolicæ, ac tandem conjunctionem impedirent Orientalium: hortatus ut optima ad compeſcendos ſeditioſos conferrent conſilia, ſingulari animi demiſſione addidit, ut ſi ipſe vel familiares aliqua geſſiſſent, quæ dignâ putarentur cenſurâ, ea ſe emendatum iri. Porrò die decima Februarii in alia Congregatione Generali actum eſt de ordine conſedendi, de publicis actis conficiendis, ac de iis qui Concilio aggregandi forent. Modus autem conſedendi ita decretus eſt, ut Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi & Epiſcopi ſederent ſecundùm dignitates ſuas, & tempora Ordinationum ſuarum, quatuor Patriarchalibus ſedibus tantummodò exceptis, quæ juxta juris diſpoſitiones ſuum haberent locum: Abbates Generales, qui ſub ſe haberent alios Abbates, ſederent immediatè poſt Epiſcopos, & Electos confirmatos, ſecundùm tempus ſuæ benedictionis vel promotionis; alii verò Abbates poſt Generales, juxta tempus pariter ſuæ benedictionis vel ordinationis: Ceteri tandem juxta uſum & conſuetudinem ſervatam in aliis Conciliis.

CXIX. *In Seſſione II Baſileenſes contumaces excommunicantur, & acta eorum abrogantur.*

Ferrariæ celebrata eſt ſecunda Seſſio die decima quinta Februarii Præſide Eugenio Pontifice, ac præſentibus ſeptuaginta duobus Epiſcopis; matura deliberatione præhabita, approbante Concilio, decretum eſt omnes & ſingulos ſub prætenſi Concilii nomine, contra translationem & declarationem Ferrariæ factam, Baſileæ convenientes, ac tam ſcandaloſa & nefaria præſumentes, etiam ſi Cardinalatu, Patriarchali, Epiſcopali, Abbatiali, aut alia quavis dignitate Eccleſiaſtica vel ſæculari

' *Pagi Tom. II Par. II.*

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

præfulgerent, pœnas excommunicationis, privationis dignitatum, beneficiorum, & inhabilitationis ad futura, in literis tranſlationis contentas, incidiſſe, niſi infra triginta dies, à die publicationis hujus decreti, à prædicta civitate recederent. Sub iiſdem pœnis ac cenſuris Synodus præcepit Gubernatoribus, Magiſtris & Conſulibus civitatem Baſileenſem regentibus, cæteriſque Officialibus, quatenus infra prædictum triginta dierum terminum, prædictos non recedentes à civitate præfata expellerent, denegarentque cuncta ad victum neceſſaria. Verumtamen quia redeuntibus gremium ſuum nunquam claudit Eccleſia, recedentibus à Baſilea, & huic decreto obedientibus, ſupradictæ pœnæ remittuntur & plenariè relaxantur. In Actis Florentinæ Synodi Horatii Juſtiniani part. 1 Tomo XIII Concil. col. 896, & ſeq. extat decretum *Dat. Ferrariæ in Generali Seſſione Synodali*, *anno ab Incarnatione Domini N. J. C.* 1437, *XV Kal. Martii*, qui nobis eſt 1438.

CXX. *Adventus Græcorum Ferrariam.*

Die vigeſima octava menſis Februarii Joannes Imperator Græcorum cum fratre ſuo Demetrio, Clerus univerſus cum ſuo comitatu versùs Ferrariam navigarunt (Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano adhuc Venetiis permanente). Exceptus eſt Imperator quarta die menſis Martii feria tertia, occurrentibus ei obviam Cardinalibus omnibus, qui tunc Ferrariæ erant, extra civitatem, Marchione Eſtenſi illius urbis Domino, aliiſque numero ferè ducentorum Optimatibus, magno ſcilicet honore & pompa ſub pallio aureo ductus eſt ad palatium Apoſtolicum. Ut verò cognovit Eugenius Imperatorem portæ eſſe vicinum, ſurgens deambulabat; quo factum eſt ut Imperator ſtantem Pontificem reperiret. Volens ergo genu flectere, non permiſit Papa, ſed amplexu eum excepit; cùmque porrexiſſet manum, quam deoſculatus eſt Imperator, ad ſiniſtram ſuam conſedere fecit: habitoque cum eo ſecreto colloquio, Pontifex in ſuo palatio remanſit, Imperator verò, comitante equitatu cum tubis, in aliud palatium magnificè ornatum, ob idque *Paradiſum* cognominatum, pro ſui reſidentia diſpoſitum, deductus eſt. Die autem octava ejuſdem menſis Patriarcha in navi ſpecioſiſſima atque inaurata in portum Ferrariæ appulit; quæſivit per Nuncium ab Eugenio, quo ritu ingredi deberet in urbem, & quomodo ipſum Papa exciperet; volebat enim ut Cardinales ei occurrerent. Dum ergo de hoc quæreretur, noctem illam in illo aureo navigio pernoctatus eſt, & mane duo advenêre Cardinales Diaconi, ſcilicet Proſper de Columna tit. S. Georgii ad Velum aureum, & Firmanus tit. S. Mariæ in Via Lata, viginti quinque Epiſcopi, & urbis Marchio cum frequentia nobilium civitatis, cum quibus Ferrariam ingreſſus eſt Patriarcha, continuòque in palatium Eugenii aſcendit, cujus genam oſculatus eſt, & in camera ſecreti cubiculi manſit, *ut arbitror*, inquit Andreas de S. Cruce, *prænarratæ difficultatis reſpectu*; poſteà ad palatium ſibi pro habitatione aſſignatum aſſociarunt omnes, qui ſecum ex navi venerant, Cardinalibus demptis. Diebus aliquot lapſis, Imperator à Pontifice flagitabat, ut juxta conventa, non ſolùm Epiſcopi, verùm etiam Reges ac Principes per ſe aut per Legatos celebrandæ Synodo intereſſent; quod, quamvis difficile propter diſcordias & mutua inter illos bella, urgente magis Imperatore, Eugenius ſpatium quatuor menſium quæſivit, quò id exequi conaretur; & continuò literas & Legatos quoquoverſum ad eos invitandos miſit.

CXXI. *Varia decreta Baſileenſium in Seſſione XXXI contra Eugenium, & Curiam Romanam.*

Inter ea Baſileenſes à propoſito minimè diſtracti, audientes Ferrarienſe Concilium in dies augeri, trigeſimam primam Seſſionem habuerunt die vigeſima quarta Januarii, & in ea tria promulgarunt decreta, quorum primum agit de cauſis litigantium ad Romanam Curiam deferri ſolitis, & ſtatutum, ut qui itinere quatuor dierum Romà diſtant, agitent illas eodem loco, ubi exortæ ſunt; neque licere cuiquam appellare, niſi ad judicem immediatè ſuperiorem, neque etiam ad Pontificem, niſi ſit immediatus ſuperior; & tunc Pontifex cauſam ipſam per reſcriptum ad provinciam ipſam uſque ad finem litis remittat, niſi fortè propter defectum juſtitiæ aut juſtum metum aliter facere cogatur; ab hoc decreto exemerunt Cardinales, Officialeſque omnes Romanæ Curiæ. Voluerunt pariter, appellationes legitimas hoc tempore contingentes ad Concilium eſſe advocatas, non autem apud Eugenium, aut Synodum Ferrarienſem. Secundum de collationibus beneficiorum, ne deinceps Romanus Pontifex gratias expectativas, ſive nominationes ad beneficia concederet; Reſervationes particulares beneficiorum, tam per Summum Pontificem, quàm per Legatos ejus factæ, annullentur; beneficia non niſi doctis & literatis conferantur, eo ordine & modo, quo in decreto præſcribitur. Poſt hæc Eugenius velut contumax ab omni adminiſtratione Pontificatûs in ſpiritualibus & temporalibus ſuſpenditur, eamdemque adminiſtrationem ad Concilium devolutam eſſe decernitur: In virtute ſanctæ obedientiæ Reges ac Principes monentur: Eccleſiaſticis ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis mandatur, ut ipſi Eugenio non obediant, ſed omnes infra quadraginta dies ad Synodum veniant. Vide

SÆC. XV. EUGENIUS IV. de illa tria Decreta in Tomo XII Concil. col. 601 & ſeqq. Habent præterea Acta Patriciana, Julianum Cardinalem Concilii Baſileenſis Præſidem, qui tanto olim animo pro eo ſteterat, ubi vidit rem in apertum ſchiſma proruere, ac Baſileenſes in propoſito deponendi Pontificem obſtinatos permanere, Baſileâ diſceſſiſſe V Idus Januarii, ceteriſque Cardinalibus pariter abeuntibus, ſolum relictum eſse Ludovicum Cardinalem Arelatenſem, quem qui perſtiterant Patres, Præſidem cum plena poteſtate crearunt.

CXXII. *Caſſant electionem loci Ferrariæ in Seſſione XXXII & omnia quæ in eo fiunt.* Die vigeſima quarta Martii decretum ediderunt Baſileenſes, præfato decreto vigeſimæ nonæ Seſſionis conforme, quo geſta omnia & Seſſiones in Ferrarienſi Conventiculo, ut ajebant, irrita eſſe & nulla, neminemque illis obedire oportere declararunt. Pœnas & cenſuras promulgarunt adversùs illos, qui ad Concilium Ferrarienſe accederent, nec non contra omnes Eugenio ab adminiſtratione Papali ſuſpenſo, & Concilio Ferrarienſi adhærentes, quos ad judicium vocant intra triginta dies reſponſuros. Declarant deinde moleſtantes vexanteſque quoquomodo Baſileenſe Concilium, pœnas & cenſuras incurriſse in prima Seſſione contentas. Præmiſerant per Eugenium impeditum fuiſse, quominùs Baſileenſes in tempore Conſtantinopolim petere potuerint, ejuſque operâ Græcos ſeductos, ad locum Concilii nominatum non veniſse, ut eos ad locum ſibi placitum traheret. Harum omnium factionum præcipui auctores erant Ludovicus Alemannus, ſeu Alemandus Cardinalis Archiepiſcopus Arelatenſis, & alius Ludovicus Protonotarius Romanus, Alfonſi Aragoniæ Regis Orator, vir, ab Ænea Silvio lib. 1 de geſtis Concil. Baſil. de prodigioſa memoria & ſumma Juris peritia, quem anno ætatis trigeſimo peſtilentiâ vitam finiiſse, ait, nemine tantæ doctrinæ hærede relicto.

CXXIII. *Ordo Seſſionis Latinorum, & Græcorum in Ferrar. Synodo.* Dum autem Baſileenſes omnem movebant lapidem, ut & Eugenium & Concilium Ferrarienſe deprimerent; Latini & Græci Ferrariæ conſtituti Regum & Principum expectantes Oratores, quos Joannes Imperator Græcorum, ut diximus n. CXX accerſiri petierat, convenerunt, ut in Eccleſia majori Ferrarienſi, quæ S. Georgio dicata eſt, promulgaretur Oecumenicum Concilium legitimè congregatum. Verùm circa ordinem ſedendi aliqua controverſia orta eſt die nona Aprilis, quæ concurrebat cum feria quarta majoris hebdomadæ; poſtulabat enim Eugenius, ut ad unum latus Eccleſiæ ſui omnes conſiderent, ad alterum verò Imperator Græcorum & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum ſuis omnibus; ipſe verò in medio atque ad caput ante Altare: id potiùs Imperatoris eſſe, quàm Papæ ajebat Imperator. Demùm SÆC. XV. EUGENIUS IV. ex forma Synodorum antiquarum ita res tranſacta eſt, ut Papæ & Latinis ea pars templi daretur, quæ læva eſset ingredienti; altera verò Imperatori & ſuis: atque ita ſedes in hunc modum collocatæ ſunt, Pontificis quidem ad partem illi aſſignatam, ad latus ſcilicet Aquilonare, diſtans à ſacro Altari paſſus ferè quatuor: infra illam uno ferè paſſu ſedes Imperatoris Latini, quæ ſemper vacua fuit ob ejus abſentiam: Propè hanc ſedêre Cardinales, qui recenſentur numero octo à variis Scriptoribus, ſed meliùs novem ab Andrea de S. Cruce, qui præſens erat, nempè Cardinalis de Urſinis Epiſcopus Sabinenſis Jordanus nomine, Antonius Epiſcopus Oſtienſis, Branda ſeu Berranda Portuenſis, Petrus tit. S. Marcelli, Nicolaus tit. S. Crucis, Franciſcus Papæ nepos tit. S. Clementis, Angelottus tit. S. Marci Presbyteri Cardinales; Proſper Columna tit. S. Georgii ad Velum aureum, & Dominicus Firmanus tit. S. Mariæ in Via Lata, Diaconi Cardinales. Jordanus Sabinenſis præcedebat Antonium Oſtienſem; antiquior enim Epiſcopus Cardinalis, ſive is ſit Sabinenſis, ſive Albanenſis, ſive Oſtienſis, ſive alius ex ſex Epiſcopis Cardinalibus præſentibus in Curia, Decanatûs dignitatem obtinet; quod Paulus IV in ſua Conſtitutione, *Cùm Venerabiles*, voluit habere locum in Epiſcopis Cardinalibus præſentibus in Curia, vel ex publica cauſa abſentibus, & extra Curiam per Romanum Pontificem deſtinatis, ut obſervat Horatius Juſtinianus. Sequebantur Archiepiſcopi & Epiſcopi Latini ad centum circiter & quinquaginta, præter Abbates, ceteramque turbam Eccleſiaſticorum. Ad latus Auſtrale erat Sedes Imperatoris Græcorum, paulòque inferiùs Patriarchæ Conſtantinopolitani & Vicariorum Patriarcharum, totiuſque Eccleſiæ Orientalis ſedes ordine diſpoſitæ ſunt; ſedit etiam frater Imperatoris Græcorum Demetrius Deſpotus Moreæ, à dextris quidem illius, illo autem inferior quatuor ferè palmos. Ceterùm in medio templi ante Altare, inter ſacra capita Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, erecto ſolio, cereis accenſis, collocarunt Sanctorum Evangeliorum librum. His ita ſe habentibus, prædicta die nona Aprilis, omnibus ſacris veſtibus indutis, poſt hymnos & preces cantatas, Diaconus quidam Patriarchæ Referendarius, recitavit conſenſum utriuſque Eccleſiæ de celebranda Synodo in urbe Ferrariæ, & ſpatium conceſſum quatuor menſium ſub pœna excommunicationis, omnibus, qui tam Baſileæ, quàm alibi exiſterent. Poſteà tandem Epiſcopus Portugalenſis decretum Eugenii Papæ publicavit, quo omni meliori modo & forma de-

declaratur, ſacram Oecumenicam Synodum eſſe in urbe Ferraria, extat Tomo XIII Concil. col. 22.

CXXIV. *Diſputatio de Purgatorio, & Sanctorum beatitudine.*

Elapſis diebus Paſchalibus, Latini efflagitant (ne tempus fruſtrà contereretur) ut crebrò fierent conventus ad examinanda dogmata inter ipſos & Græcos controverſa; præcipua autem erant, De proceſſione Spiritus Sancti, De Purgatorio, ac De Primatu Romanæ Eccleſiæ. Demùm Græci, Baſileenſes fruſtrà expectantes, acquieverunt ut quæſtiones de Purgatorio, aliæque eccleſiaſticæ agitarentur. Hæc potius indictio, quàm Seſſio exiſtimata fuit, unde Romana, & Biniana Acta primam Seſſionem octavo menſis Octobris aſſignant, quo cœptum eſt diſputare de Proceſſione Spiritus Sancti, quod præcipuum caput erat diſcriminis utriuſque Eccleſiæ. Itaque ad prædictas diſputationes delecti ſunt utrimque duodecim, totidem enim enumerat Scriptor Græcus Actorum Concilii, ut videre eſt Tomo XIII Concil. col. 26, à Latinis quidem Cardinales duo, Metropolitæ duo, Epiſcopi duo, Sacerdotes Monachi duo, Abbates duo, & Notarii duo. A' Græcis verò, de Primariis Metropolitis duo, de mediis duo, de poſtremis duo, Hegumeni duo, Crucesignati duo, & Notarii duo; qui bis per hebdomadam ad S. Franciſci templum de Purgatorio & Sanctorum beatitudine diſputabant. Latini quidem aſſerebant Sanctorum animas perfectam in Cœlis jam adeptas eſse gloriam, quâ poſt reſurrectionem cum corporibus perpetuò lætabuntur; quæ verò peccatis venialibus ſunt infectæ, purgari per verum ignem, adjuvante Eccleſiâ per Sacerdotum preces; & peccatores ſine pœnitentia decedentes perpetuò in Inferno cruciari. Ex altera verò parte Græci, animas Sanctorum jam quidem frui beatitudine aſſerebant, ſed imperfectâ; perfectâ verò in reſurrectione corporum. Erant nihilominus inter Græcos, qui ſentirent Sanctorum animas in loco ſeparato verſari uſque ad reſumptionem corporum, ibique lætari mente volventes abſolutam beatitudinem: Purgatorii pœnas non ignem, ſed locum tenebroſum ac mœroris, & animas purgari non igne, ſed precibus & ſacrificiis Sacerdotum, ac eleemoſynis fidelium. Porrò non alium ignem, quàm æternum, damnatorum poſt reſurrectionem corporum agnoſcebant. Tandem in hoc ſolùm convenerunt, nempè Sanctos conſecutos, & non conſecutos eſse beatitudinem, hoc eſt, animas quidem ut animas ad perfectam perveniſse beatitudinem, in reſurrectionem tamen perfectiorem eſse conſecuturas cum propriis corporibus. Quod attinet ad quæſtionem de Purgatorio, indeciſam reliquerunt alio tempore tractandam. Hæc geſta fuêre menſibus Junii & Julii.

CXXV. *Germanorum Principum neutralitas in cauſa Eugenii, & Baſil.*

Quinto decimo Kal. Aprilis, ſeu die decima octava Martii hujus anni 1438, juxta Acta Patritiana, Electores Imperii Francofordiæ congregati, varia in dies edicta Eugenii & Baſileenſium videntes & audientes, declararunt ſe omnia decreta alterius partis, contra alteram non ſuſcipere, veneratique & Eugenium Pontificem & Concilium Baſileenſe, nec non velle uſque ad ſextum menſem deliberare cujus parti eſset adhærendum; Prælatos autem, populos ſibi commiſsos jure ordinario gubernaturos. Hoc fuit principium *Neutralitatis Germanicæ*, quæ prætextu concordiæ per ſex menſes inſtituta, octo annos perduravit, ab Eugenio & Baſileenſibus jure meritò reprobata; de qua plura inferiùs.

CXXVI. *In Conventu Bituricenſi Pragmatica Sanctio condita.*

Nunc ad famoſam Pragmaticam Sanctionem accedamus. Nuncii Eugenii rogaverant Carolum VII Francorum Regem, ut ad Concilium œcumenicum proximè cum Græcis celebrandum, mittere vellet Legatos ſuos, qui Baſileæ erant, & reprobaret ſuſpenſionem Eugenii per Baſileenſes factam; ſed Rex magis conſulens utilitati ſuæ & Regni prohibuit omnibus Prælatis ſuis ne Baſileâ diſcederent, nève Ferrariam ſe conſerrent. Quare Pragmaticam Sanctionem in generali Eccleſiæ Gallicanæ Conventu die ſeptima menſis Julii anni 1438 edidit, quæ anno ſubſequenti promulgata fuit in Senatu Pariſienſi die decima tertia Julii, quâ approbata ſunt decreta Concilii Baſileenſis, quaſi fuiſsent opportuna remedia pro reformatione ſtatus Eccleſiaſtici tùm in capite, tùm in membris; è quibus decretis nonnulla prout concepta erant, cetera cum additis modificationibus, juxta publicam utilitatem & mores Eccleſiæ Gallicanæ ſuſcepta fuerunt. Extant illius Sanctionis capita apud Gagulnum lib. 10, quæ Hiſtoriæ ſuæ Franciæ inſeruit, nempè decreta de auctoritate & poteſtate Conciliorum Generalium, temporibuſque & modis eorum convocationis: De validitate Concilii Baſileenſis: De electionum conſervatione, reſervationum atque expectativarum abrogatione: De collationibus per Ordinarios faciendis: De cauſarum evocationibus ad Romanam Curiam reſtringendis: De frivolis appellationibus: De pacificis poſſeſsoribus: De numero & qualitate Cardinalium: De Annatarum, aliarumque exactionum aut munerum pro confirmatione electionum aut beneficiorum abolitione: De tecta ac decenti Miſsarum celebratione, & officii Divini tam in Choro, quàm extra recitatione: De ſpectaculorum intra Eccleſias deteſtatione: De Clericorum concubinariorum pœnis: De ex-

excommunicatis vitandis, aut non vitandis: De Interdictorum moderatione: De abrogatione Clementinæ, deque probationibus, quæ erui poſſunt ex his, quæ in Papæ literis, Bulliſque enuntiantur. Sed poſtea illa Pragmatica Sanctio ab Eugenio, ſubſecutiſque Pontificibus abrogata fuit, conſentientibus Regibus; præſertim ſub Ludovico XI, Pio II ſuadente, & ſub Franciſco I & Leone X Pragmaticæ Sanctioni ſubrogatum eſt Concordatum, ut dicetur ſuo loco.

CXXVII. *Germani Nurimbergæ Conventum faciunt.*

Spondanus ad annum 1438 num. 26 ſcribit Germanos conveniſſe Nurimbergæ, tùm ut Alberto Romanorum Regi electo & coronato, homagia præſtarent, aliaſque res Imperii tractarent; tùm etiam, ut de illa quæ inter Eugenium Papam & Baſileenſes vigebat diſcordia agerent: Conventum autem illum habitum ad finem hujus anni dicit. Verùm fallitur Vir eruditus; quomodo enim ſub fine anni 1438 Conventus iſte Nurimbergæ haberi potuit! nam Acta Patriciana, quæ citat Spondanus, nos edocent Principes Germanos, ut dicetur num. ſequenti, in eodem Conventu reſpondiſſe Oratoribus Baſileenſibus, se miſſuros Baſileam Nuncios ſuos, qui eorum ſententias Patribus aperirent, eoſdemque Nuncios III Nonas Septembris hujus anni 1438 Baſileam adveniſſe. Quare eùm, referente Auguſtino Patritio, Principes Germani cum Legatis Baſileenſium diſputaverint per duos menſes circa media pacis componendæ; veriſimile eſt Conventum illum Nurimbergenſem celebratum fuiſſe circiter menſe Julii hujus anni 1438.

CXXVIII. *In eo de rebus Synodices componendis tractant.*

In eo itaque Conventu adfuerunt Legati Eugenii, Nicolaus ſcilicet Albergatus Cardinalis tit. S. Crucis, Joannes Archiepiſcopus Tarentinus, Joannes de Turrecremata Ordinis Prædicatorum, & Nicolaus de Cuſa; Oratores etiam Baſileenſes, quorum princeps erat Patriarcha Aquilejenſis. Cùm autem ad concordiæ tractatus deventum eſſet, viſum eſt Principibus Germaniæ optimum fore, ſi præter Baſileam & Ferrariam, tertius celebrandi Concilii eligeretur locus, in quo Baſileenſes, & Ferrarienſes unà cum Græcis & Eugenio convenirent, facerentque Generale Concilium. Verùm poſt multas allegationes, Oratores Baſileenſes reſponderunt, ſe ſuper ea re poteſtatem non habere, petieruntque reſponſum à Principibus ſuper pridem poſtulatis, nempè ut decreta Concilii ſuſciperent, & curarent ut Baſileæ congregati ſalvi eſſent: Quibus per Cæſarem & Principes reſponſum eſt, ſe miſſuros quàm citiùs Baſileam Nuncios, qui eorum ſententiam Patribus aperirent, qui quidem Nuncii Baſileam, eùm perveniſſent III Nonas Septembris, ſeu die tertia ejuſdem menſis, retulerunt Patribus Baſileenſibus, Cæſarem quidem velle omnes ibi congregatos ſalvos eſſe; ſed Principes & Prælatos ſententiam neutralitatis approbaſſe, & ſuſcipere ac venerari ſimul & ſacrum Concilium, & Eugenium Summum Pontificem, nullumque aliud eſſe remedium tantis malis, quàm electio tertii loci pro celebratione Generalis Concilii. Ad petitionem Germanorum acceſſerunt Oratores Regum Francorum, Hiſpaniæ, Hungariæ, Aragoniæ, Navarræ, Portugalliæ, & Ducis Mediolanenſis, omneſque declaraverunt ſe in ſententiam Cæſaris ire. Diù itaque, multumque inter Patres & Legatos Germanorum diſputatum eſt, ſæpèque hinc inde pacis conditiones præſcriptæ, tamen omnes conditiones, quas præſcribebant Legati Principum, Patres Baſileenſes ſuſcipere noluerunt, mox multa illis addentes & mox dementes, ut omnem Pontificis poteſtatem enervatent. Tandem promiſerunt ſe miſſuros ad novam Diætam Legatos cum plena poteſtate, facturoſque omnia quæ utilia fidei Catholicæ putarent. Ita Acta Patriciana.

CXXIX. *Seſſio I uſque ad tertiam Græcorum ſimul & Latinorum.*

Elapſis quatuor menſibus, intra quod tempus peſtis invaſerat Ferrariam, nemine ex Baſileenſibus nec aliundè comparente, afferente Pontifice, ubi ipſe eſſet cum Imperatore & Patriarcha Conſtantinopolitano, Cardinalibus & Patriarchis, ibi eſſe univerſalem Chriſtianorum Synodum, aperta eſt unanimi conſenſu prima Seſſio, & habita die Mercurii octava menſis Octobris in templo palatii Papæ, eò quòd podagrâ laborabat; & ne pars major Latinorum prævaleret, ſtatutum eſt, ut non ſuffragiis res ageretur, ſed quiſque ſuam ſententiam ſimpliciter proferret. Itaque aggreſſa eſt diſputatio circa hæc duo quæſita: an ſcilicet fas eſſet addere quicquam Symbolo, & utrum additio *Filioque* pia eſſet; pro quarum quæſtionum enodatione ſex ex Latinis & totidem ex Græcis electi ſunt ad diſputandum: Ex parte Græcorum numerabantur Marcus Metropolita Epheſius, Iſidorus Ruſſiæ, Beſſario Nicææ Archiepiſcopi, Theodorus Xanthopulus Magnus Vaſorum Cuſtos, Michael Balſamon Magnus Bibliothecarius, & Georgius Gemiſtus; Ex parte verò Latinorum, Nicolaus Albergatus tit. S. Crucis, & Julianus Cæſarinus tit. S. Sabinæ Presbyteri Cardinales, Andreas Rhodius ſeu Coloſſenſis Archiepiſcopus, Joannes Epiſcopus Forolivienſis, & duo Sacerdotes Monachi Theologiæ Magiſtri. Ita namque recenſentur in Actis Græcis; cùm tamen Andreas de S. Cruce Patricius Romanus & Apoſtolici Conſiſtorii Advocatus, quique Concilio Florentino interfuit, in ſuis Diſputationibus unicum ponat Cardinalem, nempè Julianum, ac ceteros Latinos diſtinctiùs exprimat,

mat; prædictos ſcilicet Rhodium & Forolivienſem, Joannem de Monte Nigro Ordinis Prædicatorum, Petrum Perquerii Ordinis Minorum, & Joannem de S. Thoma Ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

CXXX. *In duplicem errorem lapſus Scriptor Græcus.*

Hinc naſcitur non parva difficultas, quam attigit Spondanus ad annum 1438, num. 29, quamve inſolutam reliquit. Etenim ſi æqua fides adhibenda eſt ambobus Actorum Concilii Scriptoribus, ſequitur quòd ſeptem diſputatores ex parte Latinorum recenſendi erunt; quippe cùm Scriptor Græcus, ut mox dicebamus, in numero diſputantium recenset Nicolaum Albergatum, & ſilentio præterit Petrum Perquerii; Andreas verò de S. Cruce in eodem numero recenſet Petrum Perquerii, & nihil dicit de Nicolao Albergaro. Natalis Alexander Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV, Diſſert. 10, Art. 2, num. 11, amborum Scriptorum ſecutus Hiſtoriam, hac difficultate preſſus ſeptem diſputatores ex parte Latinorum recenſuit, nempè Cardinalem Albergatum, Petrum Perquerii, & alios quinque ſuperiùs nominatos, licèt non ignoraret, Vir ſanè Eruditus, ſex tantùm hinc inde fuiſſe electos. Error itaque eſt in Scriptore Græco, qui in numero diſputantium recenſet Cardinalem Albergatum, à quo tamen expungendus eſt; quia Nurimbergæ Legatum Eugenii agebat, ut diximus num. CXXVIII, dum Ferrariæ eligebantur hinc inde diſputatores. Porrò Scriptor Græcus in alterum errorem lapſus, & poſt eum Natalis Alexander laudatus, Epiſcopum Foroliviensem, non Ludovicum, ſed Joannem nominat; non adverterat certè hic Scriptor hunc Joannem, de quo loquitur, translatum fuiſſe à Foroliviensi Epiſcopatu ad Anconitanum die ſexta Martii anni 1437, & conſequenter antè celebrationem primæ Seſſionis Concilii; & Ludovicum ſimiliter translatum de Epiſcopatu Sanguinenſi ad Forolivienſem die decima quarta Junii ejusdem anni. Et hæc causa erroris, quam refert Horatius Juſtinianus in Notis ad ſecundam Collationem Actorum in Concil. Florentino.

CXXXI. *Græci exordiuntur diſputationem.*

Omnibus igitur conſedentibus, conceſſum eſt Græcis exordium diſputationis more ſcilicet dialectico, ut ſermonis prolixitas vitaretur. Surgens itaque Beſſarion Nicænus accepta facultate dicendi ab Imperatore & Patriarcha luculentiſſimam habuit Orationem, quæ extat Græcè & Latinè Tomo XIII Concil. col. 35, in qua invocavit Sanctiſſimam Trinitatem ad unionem & conſummationem tanti operis, Eugenium, Imperatorem, Patriarcham, univerſamque Synodum laudibus ornavit de zelo omnium ad pacem Eccleſiæ conficiendam. Hæc in prima Seſſione. In ſecunda verò habita die Sabbati undecima ejusdem menſis, nihil aliud actum eſt, quàm quòd Andreas Coloſſenſis ſive Rhodius ex parte Latinorum, imitatus planè Beſſarionem, eleganti oratione Synodum encomiis celebravit.

CXXXII. *In Seſſione III uſque ad XII agitur de additione Filioque.*

Celebrata eſt ſeſſio tertia die Martis, decima quarta Octobris, aliæque Seſſiones uſque ad duodecimam eodem menſe, & per totum menſem Novembris habitæ ſunt. Prætermiſſis verborum acrimoniis & contentionibus, præludiiſque diſputationum habitis inter Marcum Epheſium & Andream Coloſſenſem, loquentibus etiam ceteris electis ex utraque parte, Synodorum Generalium decreta lecta ſunt, & Primò Nicænum Symbolum lectum eſt, Conciliique Epheſini decretum, quo prohibetur Epiſcopis, Clericis & Laicis *alteram fidem* componere aut proferre: Deinde definitio quartæ Synodi Chalchedonenſis: Acclamatio Joannis Patriarchæ Conſtantinopolitani ex Actis quintæ Synodi, Collat. 6: Symbolum Conſtantinopolitanum: Epiſtola Vigilii Papæ ad Eutychium Patriarcham Conſtantinopolitanum: Decretum ſextæ Synodi: Duæ Epiſtolæ Agathunis Papæ ad Imperatores Romanorum: Tandem definitio ſeptimæ Synodi Oecumenicæ. Ex his Marcus Epheſius colligebat additionẽ ad Symbolum fieri non potuiſſe, & ſchiſma peperiſſe. Andreas verò Coloſſenſis multis oſtendebat acceſſionem illius vocis *Filioque* non propriè eſſe additionem, ſed tantùm expoſitionem & declarationem horum verborum, *qui ex Patre procedit*, & conſequenter additionem vetitam eſſe, non verò explicationem & declarationem fidei. Julianus Cæſarinus Cardinalis contra Marcum Epheſium ſic affatus eſt: *Additio non fuit cauſa ſchiſmatis, quia ante iſtud ſchiſma Eccleſia Romana cantabat Symbolum cum hoc verbo* Filioque. *Hoc habemus*, ajebat, *per Epiſtolas Hormiſdæ Papæ, quas ſcribit Imperatori Conſtantinopolitano, videlicet Juſtino Patri* [nimirùm adoptivo, Juſtinianus enim erat Juſtini ex ſorore nepos] *Juſtiniani Imperatoris, qui fuit tempore quinti Concilii*. Et paulò poſt: *Item Tharaſius addens, per Filium, in Concilio ſeptimo non generavit ſchiſma. Deinde doctrina Auguſtini & Ambroſii erat nota ante tempus tertii Concilii: Item doctrinam multorum Doctorum Græcorum erat nota Orientalibus, & tamen nullus fuit ſcandalizatus contra eos, unde non dicatur, quòd hoc verbum* Filioque *fuerit cauſa ſchiſmatis, nec propter hoc ſecuta eſt diviſio*, &c. Hæc Julianus & alia hujuſmodi plura, quibus dilucidè probavit, eam vocem *Filioque* à Sede Apoſtolica appoſitam fuiſſe, non adversùs verum Symboli ſenſum, ſed quia fidei orthodoxæ conſentiret. Græci autem concedebant expoſitionem verborum Symboli fieri quidem poſſe, minimè verò Symbolo-

Digitized by Google

bolo addi, juxta prohibitionem Epheſinæ Synodi; ſed ex Latinis Ludovicus Epiſcopus Foroliviensis Ordinis Minorum demonſtravit eam prohibitionem manifeſtè eſſe de additionibus, quæ fierent ad everſionem fidei, non autem de additione neceſſaria, qualis erat iſta *Filioque*, neceſſariò addita ad vitandam hæreſim, quod graviſſimis ſententiis probavit, præſertim ex geſtorum in Concilio Epheſino narratione. *His expoſitis*, ait Auctor tunc præſens, *unuſquiſque intuebatur alterum ex his; quæ facundiſſimè gravi ſermone à viro antiquo verbis convenientiſſimis lætiſſimè audierunt*. Et inferius; *tam latè, jucundèque, verbiſque convenientibus dicta fuerant, ut quiſque Patrem prædictum ſummè collaudaret*. His prolixè diſputatis, Julianus Cardinalis in Seſſione XII initirit, ut quæſtione omiſſa, utrum ſcilicet liceat quidquam Symbolo addere, accederetur ad diſputationem de Spiritus Sancti Proceſſione, eâ enim controverſiâ compoſitâ facile fore, ut de poteſtate addendi Symbolo convenirent.

CXXXIII. *In Seſſione XIII & XIV introducuntur Oratores Ducis Burgundiæ.*

Die Jovis vigeſima ſeptima Novembris habita eſt Seſſio decima tertia, in qua introducti fuêre Oratores Ducis Burgundiæ, videlicet juxta Acta Græca, Epiſcopi quatuor, unus Archidiaconus, duo nobiles Equites, & alii Monachi & Laici, qui Eugenium ſalutarunt, deoſculantes ejus dexteram & genam, præſente tùm Imperatore Græcorum, tùm omnibus Orientalis & Occidentalis Eccleſiæ Patribus, præter Patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ob ægritudinem in lecto detinebatur. Inſalutato Imperatore, literas ad Synodum reddiderunt; verùm Imperator rem indignè admodùm tulit, & declaravit quòd niſi iterum Synodus conveniret, & Oratores Ducis illi debitum honorem deferrent, non ampliùs conveniret, neque Synodus fieret. Octo dies elapſi ſunt in re componenda; die autem Jovis quarta Decembris in Seſſione decima quarta, cùm jam omnes conveniſſent, venerunt Oratores Ducis & reverentiam Imperatori præſtitêre, non ita tamen uti par erat; verùm Imperator forti animo id tulit, juſſitque diſputantes ſermonem aggredi. Surgens itaque Marcus Epheſius conqueſtus eſt de nimia dicendi Latinorum facundia, atque ideo reſponſiones reddendas nuda propemodùm affirmatione vel negatione petiit; Julianus autem Cardinalis cœpit uni verbo mille opponere, & ſermonem de dicendi ubertate & brevitate amplectenda adeo prolixum habuit, ut totum Seſſionis tempus conſumpſerit, inquit Scriptor Græcus; licèt in Collatione XII Andreæ de S. Cruce reſponſiones Juliani Cardinalis aptè & ad rem jaceant.

CXXXIV. *Scriptor Græcus Actorum Concil. Flor. hactenus incognitus.*

Quiſnam autem fuerit iſte Scriptor Græcus Actorum Concilii Ferrarienſis ſeu Florentini Græcè & Latinè editorum, hactenùs latet Eruditos; ſiquidem ex Græcis Exemplaribus unicum repertum eſt, quod lucem aſpexit ſine Scriptoris, ſeu Notarii nomine anno 1526, ſedente Clemente VII typis Romæ excuſum, à Bartholomæo Abramo Cretenſi latinè redditum, *Florentina Synodus Oecumenica octava* inſcriptum: verùm emendatus eſt mendoſus titulus in Verſione altera ejuſdem Græci Codicis à Joanne Matthæo Caryophilo Cretenſi, quæ in Conciliis Generalibus ſub Paulo V Romæ editis eſt impreſſa, pariterque in Conciliis Generalibus editionis Labbeanæ. Spondanus anno 1438, num. 8, Conſcriptorem Græcum autumat fuiſſe Matthæum Melenicenſem, eò quòd in Narratione diſceptationis inter ipſos Græcos agitatæ poſt Seſſionem XXV legatur: *In unam ivimus ſententiam Præſules numero decem, qui ſunt hi: Ruthenus, Nicænus, Lacedæmonius, Mitylenenſis, Rhodius, Nicomedienſis, Diſtrenſis, Gannenſis, Dramenſis, Melenicenſis*. Unde inferri poſſe videtur, inquit Spondanus laudatus, fuiſſe ipſum Melenicenſem eorumdem Actorum Conſcriptorem, qui ſe ſe ultimo loco numeraverit, quamvis in ſubſcriptionibus poſtponatur ei *Dramenſis*, qui hic præponitur. Sed ruit hæc conjectura, quia ſub fine Seſſionis ejuſdem XXV Tom. XIII Concil. col. 502 legitur: *Cùm ergo Vicarii*, nempè Patriarcharum, *huc veniſſent*, id eſt, in cellam Imperatoris Græcorum, *convenerunt cum Nicæno & Mitylenenſi octo etiam alii Metropolitæ, qui ex Præſulibus ſe adjunxerant: hi verò ſunt, Lacedæmonius, Rhodius, Nicomedienſis, Diſtrenſis, Gannenſis, Dramenſis, Melenicenſis*. Si ergo Scriptor Græcus Melenicenſis fuiſſet, non diceret, *convenerunt*, fed *convenimus*. Hinc non ſatis fidendum reor eruditi Allatii conjecturæ, Spondani ſimili, quando in ſuis Notis Criticis ſuper Hiſtoriam Concilii Florentini Græcè ſcripta per Sylveſtrum Sguropulum, quam in ſermonem Latinum tranſtulit Robertus Creigthon anno 1660, ſuſpicari videtur in Exercitatione V, quòd Scriptor Græcus ſit Manuel Chryſocuce Magnus Sacellarius, vel Theodorus Xanthopulus Magnus Scevophylax. Nam quidquid ſit de Theodoro Xanthopulo, certum eſt quòd Manuel Chryſocuce aberat à Concilio, eò vel maximè quia Beſſarioni ſcripto dederat in mandatis, ut ſuo nomine ſubſcriberet; & poſt Patrum ſubſcriptiones plura refert acta & agitata idem Scriptor Græcus, ut videre eſt Tomo XIII Concil. col. 522, & in Actis Andreæ de Sancta Cruce ibidem col. 1171.

Rur-

CXXXV. *Græci cogitant de receſſu in Seſſione XV.* Rursùm Patres Latini & Græci convenerunt die conſtituto, ſcilicet die Lunæ octava Decembris, & Imperator cohortatus eſt Marcum Epheſium ut loqueretur, qui deinceps aſſeruit non eſſe licitum Symbolo vel vocem, vel ſyllabam addere; Julianus Cardinalis non tacuit, & in medio afferens Epiſtolas, quas ſcripſit S. Athanaſius ad Papam Marcum, S. Silveſtri ſucceſſorem, & ad Liberium, Papæ Julii ſucceſſorem; ſimiliter & reſponſum Liberii S. Athanaſio datum: *Quòd nulli liceat aliam fidem proferre, quàm quæ fuerat in Concilio illo* (Nicæno ſcilicet) *prolata*; demonſtravit neceſſe eſſe intelligere per *aliam fidem*, *contrariam fidem*; ſed cùm deficeret tempus, Synodus dimiſſa eſt. Ex tunc Græci cœperunt tædio affici, & de receſſu cogitare, ſed Imperator voluit expectare rerum eventus cum animi æquitate, quod Latini enixè flagitabant: Dicebant enim contra Marcum Epheſium (qui illam vocem *Filioque* reponere ſeorſim in definitione petebat, non verò in Symbolo) quòd ſi illa vox *Filioque* comperta fuiſſet blaſphema, neque in Symbolo nec alibi reponeretur; ſi verò pia, ubique recipienda, & in Symbolo ſumuiè neceſſaria. Ad quæ inclinans Imperator, poſtulavit unde ordienda eſſet diſputatio, num Spiritus Sanctus procederet ex Patre & ex Filio. Annuère Græci hoc publicè quidem non examinandum eſſe, ſed privatim per aliquos ad ſermones nimios evitandos; & decretum fuit quòd eligerentur duodecim ex Latinis & totidem ex Græcis ad disquirendum, utrum Spiritus Sanctus procederet ex Patre & ex Filio. Inter hæc Eugenius cogitabat de Synodo transferenda Florentiam; graviſſima etenim cauſa inſtabar, ſiquidem ab autumno ad hanc diem uſque, peſte & improviſâ morte vexabantur Ferrarienſes. Translationem recuſabant Græci, sed Imperatoris auctoritate ſedati, tranſacta eâ lege res eſt, ut Pontifex in menſes octo ſubſidia Conſtantinopolim mitteret: commeatus Græcis ſuppeditaturus eſſet: Florentiam & non aliò pergerent: Synodus quatuor omninò menſium ſpatio terminaretur: tum denique ipſis recedendi poteſtas foret. Ut verò anno proximo promulgata ſit Concilii translatio mox videbitur.

CXXXVI. *Renatus Neapolim accedit, & Alfonſus Rex Aragoniæ eam obſidet.* Jam vidimus ſuperiùs Renatum Ducem Andegavenſem teſtamento conſtitutum fuiſſe hæredem à Joanna II Siciliæ Regina, conſtitutis interim ſexdecim Proceribus, qui uſque ad ejus adventum regnum adminiſtrarent. Demùm Renatus à Duce Burgundiæ, à quo detinebatur, dimiſſus eſt, & Neapolim cum triremibus Genuenſium advenit, ubi ſummo honore exceptus eſt, ſicut Iſabella Regina ipſius uxor excepta fuerat anno 1435 die vigeſima octava Octobris. Inde plura certamina inter eum & Alfonſum Regem Aragoniæ de jure regni contendentes invicem conſerta ſunt. Porrò hoc anno 1438 Alfonſus civitatem Neapolitanam obſidione cinxit, quæ in poteſtate Renati erat; ſed ſupervenientibus continuis imbribus, poſt triginta circiter obſidionis dies eam ſolvit. S. Antoninus cap. 11 Tit. 22 § 2 refert quod Petrum Alfonſi fratrem, Principem valde bellicoſum, circumeuntem mœnia civitatis, quæ ſunt juxta litus maris, lapis ex tormento emiſſus percutiens caput ejus & totum aſſumens in mare trajecit: nec unquam valuit reperiri; ſicque truncatum corpus in Eccleſia S. Petri Martyris ſepultum fuit. Vide quæ diximus anno 1435 num. XCVIII, ubi Renatum Ducem Andegavenſem illius regni hæredem declaravimus.

CXXXVII. *In Seſſione XVI Synodus transfertur Florentiam.* Anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, die decima Januarii habita eſt Seſſio decima ſexta ad publicandam Synodi translationem, quæ publicatio his verbis facta fuit, Latinè quidem ab Antonio Epiſcopo Portugalenſi, & Græcè à Mitylenenſi: *Eugenius, &c. ex hac & nonnullis aliis rationabilibus cauſis, conſentientibus Cariſſimo filio noſtro Joanne Palæologo Romæorum Imperatore, & venerabili fratre noſtro Joſepho Patriarcha Conſtantinopolitano, ſacro approbante Concilio, ipſam Oecumenicam ſeu Univerſalem Synodum ab hac civitate Ferrarienſi ad civitatem Florentinam, omnibus manifeſtè liberam, ſecuram, pacificam & quietam, aërisque ſalubritate lætantem, & ad quam inter Tyrrhenum Hadriaticumque mare optimè ſitam, ab Orientalibus & Occidentalibus commodè accedi poteſt, harum ſerie in nomine ſanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti, ex nunc transferimus, & translatum eſſe decernimus, cum his plenis ſecuritatibus & ſalvis conductibus, quos initio hujus ſacri Concilii præbuimus, &c. Dat. Ferrariæ in Seſſione publica in Eccleſia majori ſolemniter celebrata anno Incarnationis Dominicæ* 1438, (qui nobis eſt 1439.) *IV Idus Januarii, Pontificatûs noſtri anno VIII*. Die undecima ejuſdem menſis ab Eugenio Pontifice Græcis dati ſunt ſumptus ut Florentiam pergerent, ac Conſtantinopolim miſſa ſunt undeviginti aureorum millia ad urbem illam adversùs Turcas muniendam; pro quorum expenſis Eugenius acceperat à Florentinis quadraginta nummorum millia, mitrâ ſuâ in pignus oblatâ, imò alia quadraginta millia polliciti ſunt Florentini Eugenio dono date, ſi ad ſuam civitatem Synodum transferret. Quâ verò pompâ Eugenius iter paraverit, habueritque, deſcribit pluribus Actorum Concilii Græcus

Scri-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

Scriptor Tomo XIII Concil. col. 219. Verùm non obſervavit quod S. Antoninus refert tit. 22, cap. 11, loquendo de itinere Eugenii, nempè tentatas fuiſſe ei ab hoſtibus inſidias ad capiendum eum, quibus detectis declinavit à via recta, & alterâ inſuetâ aſſumptâ, periculum evaſit; à quibus autem hoſtibus S. Antoninus non dicit, ſed Spondanus exiſtimat harum inſidiarum auctorem fuiſſe vel Philippum Ducem Mediolanenſem, vel Alfonſum Regem Aragoniæ, quos adverſarios Eugenius patiebatur. Paulò ab adventu Eugenii, Imperator Græcorum, & Patriarcha Conſtantinopolitanus cum Doctoribus ſuis & Proceribus, diverſis diebus menſis Februarii Florentiam pervenerunt; cum magna ſolemnitate in urbem ingreſſi, honorabiliter in diverſis manſionibus collocati fuêre.

CXXXVIII. *In Seſſione XVII agitur de modo ineundæ concordiæ.*

Die Jovis ſexta Februarii in Seſſione decima ſeptima, quæ prima fuit Florentina, poſt diuturnum inter Imperatorem & Julianum Cardinalem colloquium, conventum eſt ut Græci inter ſe conferrent de modo conficiendæ concordiæ; ſed eo ab ipſis non invento, petierunt diſputationes privatas, delectis ad eas ſeptem ex ſuis, & totidem ex Latinis cum facultate tranſigendi de quæſtionibus propoſitis. Cùm hæc nuntiata fuiſſent Eugenio, viſum eſt illi non expedire anguſtam hanc petere viam, ſed ſatius fore rem publicè agi, ſicuti hactenùs Ferrariæ factum fuerat: *Quoniam*, ajebat, *diſputare vultis, nec ullum à vobis medium reperitur, ut promiſeratis: deligite perſonas, quod & nos faciemus: abeat verò dies Sabbati, & Feria ſecunda Generalis habeatur diſputatio, ut noſtra ſententia examinetur*. Itaque indicta eſt Seſſio XVIII ad diem Lunæ ſecundam menſis Martii.

CXXXIX. *In Seſſione XVIII uſque ad XXIII agitatur quæſtio de proceſſione Spiritus Sancti.*

Eruditè & acriter diſputatum eſt in Seſſionibus XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, & XXIII, habitis per totum menſem Martii inter Marcum Epheſium & Joannem de Montenigro Provincialem Lombardiæ Ordinis Prædicatorum, de proceſſione Spiritus Sancti à Patre & Filio. Ac primùm quidem de ſignificatione vocis *Proceſſio*; deindè de teſtimoniis SS. Baſilii & Epiphanii, illius quidem lib. III contra Eunomium, hujus verò in Ancorato; nec non de S. Athanaſii oratione IV contra Arianos. Hæc Patrum loca diligenter expenſa ſunt, & MSS. Codices à Joanne de Montenigro excuſſi, unus præſertim annorum pluſquàm ſexcentorum, ſcilicet multos ante annos quàm ſchiſma oriretur; erat eleganter deſcriptus in membranis, non verò in bambacinis foliis, nulla in eo raſura ſive depravatio, vel manus adjectio deprehendebatur, quemque Nicolaus de Cuſa Conſtantinopoli attulerat: Ex quo Marci Epheſii confutata calumnia eſt, S. Baſilium à Latinis interpolatum reſpondentis, ſicut & ipſum Symbolum, in quo legebatur *Spiritum Sanctum procedere à Patre & Filio*. Non ſilendum quod S. Antoninus refert tit. 22 cap. 11, qui præſens fuit illis Seſſionibus, & quod tacet Græcus Scriptor, nempè: *Inductæ ſunt auctoritates multorum Doctorum, & præſertim Baſilii, qui in libro ad Eunomium de Spiritu Sancto expreſsè aſſerit, Spiritum Sanctum procedere non ſolùm à Patre, ſed à Filio: & cum reſponſalis*, ſcilicet Marcus Epheſius, *jam non haberet quid diceret, ſubterfugium quæſivit, negans hoc Baſilium in eo libro ſcripſiſſe, ſed mendosè interpretatum, cùm in codicibus ſuis Græcè ſcriptis ſecum delatis hoc minimè reperiretur. Adducti ſunt plures codices Baſilii ad Eunomium Græcè exarati, quorum aliqui erant apud Græcos, alii penes Latinos noſtros Græci ſermonis peritos: & cùm in noſtris & aliquibus Græcorum de Conſtantinopoli adductis liquidò haberetur, Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, deprehenſa eſt malitia Græcorum, quòd ſcilicet corruperant ſcripta Baſilii, Filium ſubtrahendo in ipſa proceſſione. Et cùm Imperator Græcorum diceret, in partibus ſuis plurimos haberi tales libros Baſilii Græcè ſic continentes, & illis paucis tunc in medium adductis non ſtandum, reſpondit Dominus Cardinalis*, nempe Julianus diſputationi præpoſitus: *Domine Imperator, cùm decreveritis ad certamen venire, oportuit Magnificentiam veſtram arma veſtra vobiſcum adducere, non in certamine ipſa expectare. Sicque Græci confutati fuêre & devicti. Huic diſputationi præſens fui*. Hæc S. Antoninus. Scholaſticis etiam ratiociniis Joannes prædictus mirum in modum conſtrinxit Epheſium; exponens demum quomodo Pater & Filius unum ſint Spiritus Sancti principium, Græcis ſatisfecit.

CXL. *Pacis conciliandæ ſpes afulſit in Seſſ. XXIV & XXV.*

Poſtquam Imperator adiiſset Patriarcham ægrotantem, cum eo conſultaturus de iis, quæ agenda forent, convocatis omnibus Metropolitis, ipſis expoſuit quomodo non ipſe primus negotium unionis ſuſcepiſset, ſed patrem ſuum Manuelem Imperatorem, cùm eſset in Iſthmo, miſiſse Eudæmonem Joannem in Italiam, & hujuſmodi opus fuiſse aggreſsum de conſilio Enthimii tunc Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui cum ipſo erat; ſed tempus obſtitiſse, temque ad ipſos jam delatam eſſe, non ut Manuelis tempore, ſed multò præſtantius: Latinos enim triremes & ſumptus miſiſse, & cum multo ſtudio unionem quæſiviſse: propterea diſputationes & contentiones ceſsare debere, & reperire medium aliquod, illudque amplecti, eò ma-

SÆC. XV. EUGENIUS IV. ximè, quòd faterentur Larini unam cauſam Filii ac Spiritus, Parrem. Cœperunt Græci perquirere, & invenerunt Epiſtolam S. Maximi ad Marinum Presbyterum ſcriptam, in qua legebatur, eamdem cauſam Filii ac Spiritus Sancti eſſe Parrem. Latini autem petierunt fieri Seſſiones publicas; quare diebus 21 & 24 ejuſdem menſis Martii Seſſiones XXIV & XXV habitæ ſunt abſenribus Marco Epheſio & Antonio Heracleenſi, præceperat enim Imperarot ne convenirent, quòd nimis contentioſè rem agerent, ipſe verò viam unionis reperire volebat. Itaque Joannes de Montenigro magna eruditione, SS. Parrum tam Occidenralium quàm Orientalium teſtimonia Proceſſionem Spiritus Sancti ex Filio probantia expoſuir. Habiris deindè pluribus privatis colloquils tam Græcorum inter ſe, quàm Latinorum cum ipſis, factisque inſuper inter Eugenium, & Imperarorem interlocutionibus, pacis conciliandæ ſpes affulſit, eam ſuadentibus Beſſarione Nicæno, & Iſidoro Rutheno. Beſſarion orarionem dogmaricam habuir de unione, in decem capira diſtinctam elegantiſſimam, admodumque prolixam, quâ multis de neceſſaria SS. Patrum conſenſione & concordia in dogmatibus fidei, & de locorum pugnantium conciliatione præclarè dictis, concludit Spiritum Sanctum ex Filio procedere. Extat Tomo XII Concil. col. 391 & ſeqq.

CXLI. *Deliberatur de modo unionis.* Imperator Græcorum impenſis & periculis, quibus ſe ſuumque imperium pacis gratiâ ad Synodum accedens expoſuerat, commemoraris, Patres Concilii ſeriò admonuir, ur poſtpoſiris diſputarionibus, de modo ineundæ pacis & concordiæ, utrimque cogitaretur. Hinc de conſenſu Eugenii & Imperatoris electi fuère decem viri ex utraque parte de modo unionis deliberaruri. Latini declarationem in ſcriptis, Græcorum deputatis tradiderunt, quâ aſſerebant Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, ut ab unico principio, & anathema dicebant aſſerentibus *duo principia vel duas cauſas*. Declaratione ſimili Græci reſponderunt, quâ fatebantur: *fontem ac radicem Filii & Spiritus eſſe Patrem: floreſque ac divina germina Patris eſſe Filium & Spiritum juxta S. Cyrillum, primam Synodum, & Baſilium Magnum: Filium emittere, & ex ſe ſcaturientem effundere Spiritum, atque à Filio emitti, profluere, & effundi Spiritum Sanctum*. Hæc declaratio Latinis haud ſatis explicara viſa eſt, quòd hæc verba *ſcaturire*, *profluere*, *emitti*, *effundi* ambigua ſint. Habitis deinde pluribus congreſſibus & collocutionibus, cùm nec inter ſe Græci, nec cum Latinis in omnibus convenirent, Georgius Scholarius vir ſapientiſſimus & Senator ampliſſimus Imperatorem adiens, in frequenti Græcorum Præſulum conventu collocutus, maximum ad unionis concluſionem pondus adjecit, & ſe credere profeſſus eſt; *Spiritum Sanctum ex Patre & Filio, ſeu per Filium procedere: & Patrem ac Filium eſſe unicum Principium Spiritus Sancti: Anathemati ſubjiciens eos, qui duo ponunt principia, vel qui perſonalem Patris & Filii diſtinctionem illibatam non ſervant.*

CXLII. *Potior pars Græcorum adhæret Latinis.* Rursùm ſententiis Parrum tam Græcorum quàm Larinorum examinatis, tandem Sabbato poſt Pentecoſtes, die ſcilicet trigeſima Maji, convenerunt omnes Græci cum Imperatore in domo Patriarchæ, qui morbo adhuc detinebarur, & rogaris ſingulorum ſenrenriis, Patriarcha primus omnium locutus, profeſſus eſt: *Spiritum Sanctum procedere ex Patre per Filium æternaliter, & ſubſtantialiter, tanquam ab uno Principio & Cauſa, & ſanctos Occidentales ſuſcipere, aſſerentes Spiritum Sanctum eſſe ex Patre & Filio*. Dummodò id Orientalis Eccleſiæ Symbolo non adjiceretur, nec ejuſdem Eccleſiæ Ritus convellerentur, ſed illis ſalvis, unio fieret. Poſt eum Imperator ſententiam dixir in hunc modum: *Ego præſentem hanc ſanctam & Generalem Synodum nulla ex parte inferiorem exiſtimo omnibus antehac celebratis. Nam etſi illæ Patrum numero, qui convenerunt, huic ſuperiores fuerint, nec non virtute multum antecelluerint, Cyrillo ac Gregorio Theologo illuſtres redditæ, aliæque aliis Doctoribus: Nihilo tamen ſecius & hanc Sanctam eſſe arbitror & venerandam; neque minore hanc quàm illas obſervantiâ proſequor.... Quoniam igitur ſequi debeo ſententiam Synodi, majoriſque illius partis, nec non defendere quod fuerit ſancitum à pluribus, juxta morem in antiquis Conciliis ſervatum, pronuncio me hujus ſacræ Synodi, pluriumque ejus Patrum conſtantiſſimè ſequi ſententiam, velleque eam modis omnibus defendere in perpetuum, tùm ob prædictas cauſas, tùm quia cenſeo Sanctam Eccleſiam in ſacris dogmatibus nullo modo poſſe errare, communè ac Synodica conſideratione utentem. Unus quippe, vel duo, vel tres, aut plures ex hominibus, qui nunc degunt, privatam adhibentes conſiderationem, fieri poteſt ut errent: At univerſam Dei Eccleſiam, de qua Dominus dixit ad Petrum:* Tu es Perrus, & ſuper hanc perram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversùs eam: *Communiter errare, omninò eſt impoſſibile, alioquin & ſermo Salvatoris evanuit, & fides noſtra debili fundamento eſt nixa. Sed quoniam utrumque abſurdum eſt, idcircò & Eccleſiam Dei neceſſe eſt nullo poſſe capi errore: & nos eam, ejuſque ſententiam omninò ſequi: & ante omnes me, qui Dei beneficio Imperialem habitum gero, & tenere*

ac

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

ac defendere ipſam, hoc poſito, ut neque ſacro noſtro Symbolo quicquam addere Latini nos cogant, neque ex ritibus noſtræ Eccleſiæ aliquid immutetur. Poſt hæc Imperatoris verba Iſidorus Ruthenus Antiocheni Patriarchæ locum tenens, dicta Patrum Occidentalium ſuſcipienda dixit, *Spiritum Sanctum habere eſſe ex Filio, & Patrem & Filium unum eſſe principium Spiritus Sancti.* Beſſarion Nicænus idem ſentiens, concionem habuit & evidenter probavit, eſſe impoſſibile Chriſtiano ſalutem conſequi, ni fateatur *Spiritum Sanctum eſſe ex Patre & Filio.* Verùm Antonius Heracleenſis, Marcus Epheſius, Doſithæus Monembaſienſis & Sophronius Anchialenſis, reluctati ſunt ſententiæ hujus unionis; dicebant enim, ſe nullo modo adduci ut credant, *Filium eſſe cauſam Spiritus Sancti, neque Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio tanquam ab uno principio.* In ſententiam Imperatoris iviſſe varios Præſules, Gregorium magnum Protoſyncellum locum tenentem Patriarchæ Alexandrini, & ex Hegumenis Pachomium Hieromonachum, poſtea acceſſiſſe Cyzicenum, Trapezuntinum, Heracleenſem & Monembaſienſem, qui priùs maximè repugnaverant aſſerit Scriptor Græcus.

CXLIII. *Omnes demùm conſentiunt, excepto Epheſio.*

His itaque geſtis, die tertia Junii feria quarta convenerunt Græci cum Imperatore in Patriarchæ domum, & coacta totius Orientalis Eccleſiæ Synodo ſic locutus eſt Imperator: *Ego ex anteactis conventibus omnium veſtrum deprehendi ſententiam, quando & noſtram protuli poſt ſacrum Patriarcham. Jamque video à pluribus & potioribus haberi Latinos pro inculpatis, & ab omnibus pariter ſumi præpoſitionem* Per, *loco*, Ex. *Quoniam ergo plures convenitis, & omnes dicta Sanctorum Occidentalium ſuſcipitis aſſerentium, Spiritum Sanctum etiam ex Filio procedere; major etiam pars ſcripſit nudius tertius, & ſententiam ſuam dedit; dico rogandos eſſe & alios, & plurium ſententiam prævalere.* Rogatis ſingulorum ſententiis, cuncti, excepto Marcho Epheſio, conſenſére Spiritum Sanctum procedere ex Patre & Filio, ut ab uno Principio & una ſubſtantia, & procedere per Filium ut connaturalem & conſubſtantialem: procedere ex Patre & ex Filio, ut per unicam ſpirationem & productionem. Scripta fuére tria Exemplaria, quorum unum Papæ miſerunt, alterum Imperator accepit, tertium Patriarcha. Porrò iſta verba in illis tribus Exemplaribus jacebant: *Credimus Spiritum Sanctum eſſentialiter à Patre & Filio eſſe æternaliter & eſſentialiter.* Levi mota de præpoſitione *Per* contentione, ea ſopita eſt per clariorem declarationem à Græcis factam, quæ Papæ oblata die octava Junii ab eo approbata fuit magno omnium applauſu. Unione facta quoad præcipuum dogma, terminandæ relinquebantur quæſtiones de Purgatorio igne, de Principatu Romanæ Eccleſiæ, de Fermentato & Azymo, deque divino Sacrificio.

CXLIV. *Joſephi Patriarchæ obitus, & profeſſio fidei.*

Die nona Junii poſt ſolis occaſum Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus è vita migravit, ſed ante obitum cùm à cœna in ſuam ædiculam ſeceſſiſſet propria manu ſcripſit: *Joſeph miſeratione divina Archiepiſcopus Conſtantinopolis novæ Romæ, & Oecumenicus Patriarcha.* Non ex arrogantia, ſed ex ſimplici conſuetudine titulum hunc *Oecumenici* inanem, ab anteceſſoribus perperam uſurpatum, adjeciſſe videtur Joſeph, quem prudenter toleravit Eugenius, ne Græci inde offenſionis publicæ occaſionem ſibi dari putarent. Simili ratione ſæpè Romani Pontifices paſſi ſunt Patriarchas Armenorum, & Georgianorum *Catholicos* ſe appellaſſe, cujus vocis eadem atque *Oecumenici* ſignificatio eſt, ſed abuſivè ab iis ſumpta, ſcilicet ſicut orbis pro orbis parte accipi ſolet. Ceterùm quod ſequitur, Patriarchæ pietatis monumentum eſt: *Quoniam ad finem vitæ meæ perveni, ſoluturus jam commune debitum, Dei gratia ſcribo, & ſubſcribo ſententiam meam apertè univerſitati meorum filiorum. Omnia igitur quæ ſentit, & quæ dogmatizat Catholica & Apoſtolica Eccleſia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſenioris Romæ, ipſe quoque ſentio, & iis me acquieſcentem do & dico. Profiteor quoque Beatiſſimum Patrem Patrum & Maximum Pontificem, & Vicarium Domini noſtri Jeſu Chriſti antiquæ Romæ Papam ad certam omnium fidem, nec non Purgatorium animarum: In horum quippe fidem ſubſcriptum eſt die menſis Junii nono, milleſimo quadringenteſimo trigeſimo nono, Indictione ſecunda.* Ritu Græco cum ampla funeris pompa ſepultus eſt in templo Monaſterii Prædicatorum.

CLXV. *Aliæ quæſtiones, & contentiones inter Græcos, & Latinos.*

Nec tamen hic finis contentionum, agitandæ relinquebantur quæſtiones ante obitum Patriarchæ propoſitæ. Vocavit ergo poſtridiè Eugenius Rhutenum, Nicænum, & Mitylenenſem quibus dixit: multum ſibi mœrorem attuliſſe Patriarchæ mortem, maximè ob ſanctum unionis opus, quòd erga illud bene eſſet affectus, eos rogavit ut prius hoc òpus perficere properarent explanando quæſtiones jam agitatas. Quique juxta mentem Græcorum declaraverunt quoad materiam ſacrificii indifferens eſſe ut fieret in *Azimo* vel *Fermentato*, dummodò eſſet ex tritico, conſecratio fieret à Sacerdote, & in loco ſacro: De igne Purgatorio, Sanctorum animas perfectam in cœlis adeptas eſſe coronam, quatenus animæ ſunt; Peccatorum verò animas perfectè luere pœnas; & medias eſſe in loco tormentorum; ſed ſive

ignis ſit, ſive caligo ac turbo, ſive quid aliud, non contendebant: De Primatu Papæ dixerunt, ut quæcumque habebat ab initio & ante ſchiſma privilegia, rurſus hæc ipſa haberet; non ita tamen ut appellationes ad eum fierent ab aliis ſedibus Patriarchalibus, aut facultas ei eſſet celebrandi Synodos Oecumenicas abſque Imperatore & Patriarchis, quorum privilegia in omnibus ſalva eſſe petebant. De oratione à Græcis adhibita poſt Conſecrationem, fateri ſe dixerunt per hæc verba: *Hoc eſt enim corpus meum*, tranſubſtantiari ſacrum panem & fieri corpus Chriſti, ſed quemadmodum & Latini dicunt: *Jube hæc perferri per manus Sancti Angeli tui in ſublime Altare tuum*: ita quoque Græci orant, *ut Spiritus Sanctus deſcendat ſuper nos*, *& efficiat in nobis panem hunc pretioſum Corpus Chriſti*, &c. Ita quòd oratione illâ non conficiatur, quod confectum eſt, ſed ut conſequatur effectus ſacramenti, ſcilicet uniri cum Chriſto. His auditis, Eugenius non de omnibus conſentiebat, ſed quatuor poſtulabat. Primò, ut Summus Pontifex habeat ſua privilegia, & quòd licuerit ei ſuo jure, quippè ut Summo Pontifici, adjicere quod ſacro Symbolo addidit. Secundò, quòd tres ſint ordines defunctorum, unus Sanctorum, alter peccatorum, tertius mediorum Chriſtianorum, videlicet qui peccarunt, pœnitentiam egerunt & confeſſionem emiſerunt, nec opera ſatisfactionis peregerunt, pro quibus etiam orationes & eleemoſynæ offeruntur: Et primus quidem, nempe Sanctorum, Dei eſſentiam ſine ullo medio intueantur; Qui pariter poſt ſuſceptum baptiſma non ſunt in peccata lapſi, ſimiles eorum fiant: Qui verò peccaverunt & pœnitentiam non egerunt, pœnis æternis addicantur: Qui autem peccaverunt, & confeſſionem emiſerunt, poſitique ſunt in numero pœnitentium, in ignem abeant purgatorium, & purgari reponantur in eorum cœtu, qui ſine ullo medio Dei eſſentiam contuentur. Tertiò, quòd *Azymum* & *Fermentatum* indifferentia ſint, dummodò ſint ex tritico, & à Sacerdote, atque in loco Sacro. Quartò, ut de divina eſsentia & operatione quæreretur in Synodo. Suſceperunt Græci quod de igne Purgatorio declaratum fuerat, quòdque animæ videant eſſentiam Dei. Illud etiam de *Azymo* & *Fermentato* receperunt indifferenter; ſed dixerunt primum poſtulatum eſse iniquiſſimum: *Nam quomodo*, inquiebant, *nobis affirmare liceat, facultatem eſse Romanæ Eccleſiæ addendi, ſeu demendi, abſque ſuis fratribus Patriarchis? Quapropter etſi pium eſt, quod fuit additum; qui tamen hoc patrare auſus fuerit citra cognitionem Synodicam, culpa nequaquam vacabit*. Res uſque eò proceſſit, ut deſperatum propemodùm fuerit unionis negotium, donec paulatim in ſententiam Latinorum cum nonnullis temperamentis reducti ſunt Græci.

CXLVI. *Definitio fidei.*

Facta eſt tandem unio Eccleſiarum, cujus Tomus ſcriptus fuit in Diptychis, à parte quidem dextera Latinè, ut Latini ſubſcriberent & appenderent Bullam Papæ; ab altera verò parte, ut Græci ſubſcriberent & apponeretur Aurea Bulla Imperatoris. Die igitur Lunæ ſexta Julii Græci & Latini convenerunt in magnam Eccleſiam Sanctæ Mariæ Liberatæ, & Sacro ab Eugenio peracto poſt Litanias decantatas, recitata eſt Definitio Synodi, Latinè à Juliano Cardinali, Græcè verò à Beſſarione Archiepiſcopo Nicæno in hæc verba: *Eugenius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei ad perpetuam rei memoriam, conſentiente ad infra ſcripta Chariſſimo in Chriſto filio noſtro Joanne Palæologo Romæorum Imperatore illuſtri, & loca tenentibus Venerabilium fratrum noſtrorum Patriarcharum, & cæteris Orientalem Eccleſiam repræſentantibus. Lætentur cæli &c. In nomine igitur Sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, hoc ſacro Univerſali approbante Florentino Concilio diffinimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Chriſtianis credatur, & ſuſcipiatur, ſicque omnes profiteantur, quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter eſt, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habet ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno Principio, & unica Spiratione procedit; declarantes quòd id, quod Sancti Doctores & Patres dicunt, è Patre per Filium procedere Spiritum Sanctum, ad hanc intelligentiam tendit; ut per hoc ſignificetur, Filium quoque eſſe ſecundum Græcos quidem cauſam, ſecundùm Latinos verò Principium ſubſiſtentiæ Spiritus Sancti, ſicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris ſunt, Pater ipſe Unigenito Filio ſuo gignendi dedit, præter eſſe Patrem, hoc ipſum quòd Spiritus Sanctus procedit ex Filio, ipſe Filius à Patre æternaliter habet, à quo etiam æternaliter genitus eſt. Diffinimus inſuper, explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratiâ, & imminente tunc neceſſitate, licitè ac rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam. Item in Azymo, ſive fermentato pane triticeo, corpus Chriſti veraciter confici; Sacerdoteſque in altero ipſum Domini corpus conficere debere, unumquemq; ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ ſive Occidentalis, ſive Orientalis conſuetudinem. Item, ſi verè pœnitentes in Dei charitate deceſſerint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commiſſis ſatisfecerint & omiſſis, eorum animas pœnis purgatoriis poſt mortem purgari; & ut à pœnis hujuſmodi releventur, prodeſſe eis fidelium vivorum ſuf-*

fra-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

fragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, Orationes, & eleemoſynæ, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri conſueverunt, ſecundùm Eccleſiæ inſtituta: Illorumque animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omninò peccati maculam incurrerunt; illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam, vel in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, prout ſuperius dictum eſt, ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum trinum & unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius: Illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel ſolo originali decedunt, mox in infernum deſcendere, pœnis tamen diſparibus puniendas. Item, diffinimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere Primatum, & ipſum ſucceſſorem eſſe Beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam à Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe; quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur. Renovantes inſuper ordinem traditum in Canonibus cæterorum Venerabilium Patriarcharum; ut Patriarcha Conſtantinopolitanus ſecundus ſit poſt ſanctiſſ. Rom. Pontificem, tertius verò Alexandrinus, quartus autem Antiochenus, & quintus Jeroſolymitanus; ſalvis videlicet privilegiis omnibus, & juribus eorum. Datum Florentiæ in Seſſione publica Synodali, in Eccleſia Majori ſolemniter celebrata. Anno Incarnationis Dominicæ 1439 pridie Nonas Julii, Pontificatûs noſtri anno 9. In Græco autem additur annum mundi ſecundùm computum Græcorum, nempè 6947, & Indict. 2.

CXLVII. *Aliæ quæſtiones Græcis à Latinis propoſitæ*

Lectâ & omnium qui aderant ſubſcriptionibus munitâ definitione, conſalutatis quoque mutuis amplexibus, Latini à Græcis quæſivêre: Cur in apparatu Miſsæ particulas diſponunt & conjungunt divino ac Dominico pani? Cur inclinant capita, cùm de minori Altari in majus, nondum conſecrata deferuntur ſacra munera? Quam ob cauſam infundunt in ſacrum calicem ferventem aquam? Cur dicunt, quando nondum eſt Corpus Chriſti: *Unus autem militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit ſanguis & aqua?* Quare dicunt: *Et ecce ſtella venit, & ſtetit ſupra ubi erat puer?* Quare Epiſcopi non inungunt ſacro Chriſmate, ſed Sacerdotes, cùm hoc Pontificibus ſit datum? Quare mortuos ante ſepulturam inungunt oleo? Cur Sacerdotes & Epiſcopi Sacrum facturi, non priùs confeſſionem emittunt? Quare conjugia dirimunt, dicente Domino: *Quod Deus conjunxit homo non ſeparet?* Cur Florentiæ Patriarcham eligere nollent, ſed abire vellent ſine capite? Queſtus eſt etiam Eugenius de Marco Epheſio, qui ſe à Synodo ſegregarat, & neceſſe eſse ut rationem redderet. Ad hæc Græci reſponderunt, Matrimonium ab eis nonniſi juſtis de cauſis dirimi. In hoc autem controvertuntur Græci & Latini circa Matrimonium, quòd Græci putant in cauſa adulterii illud dirimi fas eſse, ac novum contrahere; Latini verò, quoad thorum quidem & cohabitationem ex ejuſmodi cauſa, nullo verò pacto quoad vinculum diſsolvi poſse. Porrò ad poſtulatum Eugenii, moris apud eos eſse dixerunt Conſtantinopoli eligi Patriarcham ab univerſa provincia, & in majoris Urbis Templo conſecrari. Quoad Epheſium, eum ſe dicturum cauſam. Ad cetera verò quæſita, quid reſponderint non legitur in Actis. Ita finem habuit totum negotium unionis, quæ malis artibus & impietate Marci Epheſii penè nata, extincta fuit; etenim mortuo paulò poſt ſuum Conſtantinopolim adventum Palæologo Imperatore, Græci ad vomitum redierunt.

CXLVIII. *Adventus Armenorum*

Alia celebris unio in eadem Synodo ſub hujus anni fine facta eſt, cui Jacobus à Primadiciis Ordinis Minorum laborioſam utilemque operam præſtitit, acceptis ab Eugenio anno 1437 ſecretis mandatis, ut Armenos ad Eccleſiæ Romanæ unionem hortaretur, & ad Ferrarienſem Synodum perduceret, quod quidem feliciter perfecit, ut conſtat ex mandato Oratorum Armeniæ ſcripto *die 25 Julii, anno Domini* 1438 apud Horatium Juſtinianum part. 3 Concilii Florentini, in quo legitur, Conſtantinum Patriarcham Armenorum legaſſe quatuor Doctores, viros præſtantes, videlicet: *Sarchim, Marcham, & Thomam, ac Joachimum Epiſcopum Peræ*, qui decretis Synodi ſuo nomine obedirent. Cum iis Oratoribus Armenis aderat prædictus Jacobus à Primadiciis, qui literas, quas ſecum detulerat Pauli Imperialis, pro Republica Genuenſi Conſulis, Regentis civitatis Caffæ & totius maris majoris Gazariæ Imperii, obtulit ad Eugenium, in quibus præter alia ipſum Jacobum his verbis commendat: *Hos enim conducit* (id eſt Armenorum Legatos) *Vicarius Fra. Jacobus, qui ſicut hujus tanti luminis, & reductionis fuit principalis coadjutor, opportunum fuit ut ſit & ipſe conductor: Nam corda ipſorum Armenorum ita in manibus habet, quòd nuſquam abſque ipſo accedere poſſent. Hic enim Vir devotus explicabit cætera latius Sanctitati tuæ*, &c. Hæc Epiſtola refertur Tomo XIII Concil. col. 1198. Admiſſis ergo Oratoribus, & lectis in Concilio Armenorum Patriarchæ, & Pauli literis electi fuêre Antonius Oſtienſis, Branda

da

da Portuenſis, & Nicolaus Albergatus Bononienſis Epiſcopi & Cardinales, aliique viti docti, qui cum Armenis convenitent, eoſque inſtruerent.

CXLIX. *Reges Æthiopiæ, olim Indiæ vocati.*

Veniſse quoque cum Armenis Oratores ex India teſtatur S. Anroninus tit. 22 cap. 11 § 1; ſed cùm de iſtis nulla in decreto Eugenii fiat mentio, de quibus tamen ſe ſe offerebat opportuniſſima occaſio loquendi, viſum eſt variis Scriptoribus teſtimonium S. Antonini dubiæ fidei eſse. Ego verò exiſtimo ex Lireris Alexandri Papæ III *Dat. Venetiæ in Rivo alto V Kal. Octobris anni* 1177, quas, refert Matthæus Paris anno 1181 per Indos, de quibus loquitur S. Antoninus, intelligendos eſſe Ærhiopes, ſic enim hæ Literæ inſcriptæ ſunt: *Alexander Papa Chariſſimo in Chriſto filio Presbytero Joanni, illuſtri & magnifico Indorum Regi*. Reges autem Æthiopiæ olim regnaſſe in India, eorumque tegna in Aſia ſita fuiſse, nemo eſt qui neſciat. Unde S. Antoninus verum dicit, cùm teſtatur Indos, hoc eſt Æthlopes, veniſse Florentiam; ſed fallitur cùm dicit, veniſse cum Armenis, cùm cerrum ſit ipſos veniſſe hoc anno 1439, illos verò anno 1441, ut dicetur infrà.

CL. *Decretum unionis Armenorum.*

In publica Seſſione die vigeſima ſecunda Novembtis, non verò die decima Decembtis, ut ſcribit Odoricus Raynaldus ad annum 1439 num. 13, per Epiſcopum Paduanum in Eccleſia majori promulgatum eſt decretum Eugenii pro Armenorum inſtructione editum, quod incipit: *Exultate Deo ſalutari noſtro*, &c. *dat. Florentiæ in publica Seſſione Synodali anno Incarnationis Dominicæ* 1439, *X Kal. Decembris, Pontificatûs anno IX*; cujus præcipua capita hîc referre juvat. Primò, Eugenius tradidit Armenis Symbolum Concilii Conſtantinopolitani, cum additione *Filioque* in Eccleſia decantandum: Secundò, definitionem Concilii Chalchedonenſis de duabus naturis in una Chriſti perſona: Tertiò, definirionem Concilii Generalis ſexti, de duabus voluntatibus, & totidem Chriſti operarionibus: Quartò, ur ſuſciperent non ſolùm tres Synodos Oecumenicas, Nicænam, Conſtantinopolitanam, & Epheſinam ptimam; ſed & omnes alias univerſales auctoritare Romani Ponrificis legitimè celebratas: Quinrò, omnium ſeptem Sacramentorum veritarem: Sextò, Symbolum S. Athanaſii: Septimò decretum unionis nuper cum Græcis conſummatæ: Poſtremò tandem, dies certos aſſignavit celebrandorum feſtorum, Annunciationis Beatiſſimæ Virginis, Nativitaris Beari Joannis Baptiſtæ, Nativitaris & Circumciſionis Domini, ac Purificarionis ejuſdem B. Virginis; quia illas feſtivirares Armenii aliis incertiſque diebus celebrabant. Quæ omnia Armenorum Oratores nomine ſuo, & ſui Patriarchæ, ac omnium Armenorum ſuſceperunt, necnon quidquid tenet & docet Sancta Sedes Apoſtolica & Romana Eccleſia. Pro majori ſuæ mentis expreſſione Summam ipſius decreti Armenico idiomate ab ipſis conceptam, Latino ſermone publicè ſcripram, legi fecerunt per Baſilium Ordinis Minorum communem ipſorum & Latinorum interpretem.

CLI. *Veritates fidei à Baſileenſibus formatæ in Seſſione XXXIII.*

Nunc ad Baſileenſia redeamus, videamusque quo pede, quove animo in Eugenium proceſſerint Patres. Jam apud illos inſtiterant mulri Principes ut à proceſſu contra Eugenium ceſſarent; jamque varii miſſi fuerant ipſorum Legati & Eugenii Nuncii ad conventum Moguntinum, ubi Principes Germani unà cum ipſis, de mediis componendæ pacis ſtarutum fuerat. Sed his omnibus ſpretis Parres Baſileenſes Seſſionem trigeſimã tertiam celebrarunt die decima ſexta Maji hujus anni 1439, & in ea tria fundamenta firmarunt, quæ *veritates fidei Catholicæ* appellarunt, deprompta, ut aiunt, a Conſtanrienſis, & Baſileenſis decretis. Hæc autem fundamenta ſic concepra erant: *Veritas de poteſtate Concilii Generalis, univerſalem Eccleſiam repræſentantis, ſupra Papam & quemlibet alterum, declarata per Conſtantienſe & Baſilenſe Generalia Concilia, eſt veritas fidei Catholicæ: Veritas hæc, quod Papa Concilium Generale univerſalem Eccleſiam repreſentans, actu legitimè congregatum, ſine ejus conſenſu nullatenus poteſt diſſolvere, aut ad aliud tempus prorogare, aut de loco ad locum transferre, eſt veritas fidei Catholicæ: Veritatibus duabus prædictis pertinaciter repugnans eſt cenſendus hæreticus*. Huic Seſſioni pauci inrerfuere Epiſcopi, ſed magno numero ſecundi ordinis Sacerdores & Doctores. Ut verò paucitatem Prælatorum, Cardinalis Arelatenſis aliqua arte ſuppleret, plurimas Sanctorum Reliquias tota urbe perquiri juſſit, ut per Sacerdotum manus in Seſſione porraræ, abſentium Epiſcoporum locum tenerent. Porrò dum Convenrus Moguntiæ ageretur, veriti Patres Baſileenſes, inquit Auguſtinus Patritius, ne criminationes Eugenio objectæ ſatis viderentur ad dejiciendum illum de Ponrificatu, concluſiones octo per Theologos qui aderant excuſſerunt, quibus contendebar Eugenium hæreticum, & in hæreſim relapſum eſſe; quas *veritates fidei Catholicæ* appellabant, videlicet: Primò, poteſtatem Generalis Concilii ſupra Romanum Pontificem: Secundò, Pontifici non licere diſſolvere Generale Concilium præter ejus conſenſum: Tertiò, has verirates qui negaret perrinaciter, hæreticum eſſe cenſendum: Quartò, diſſolutionem Concilii

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

cilii Baſileenſis per primò Eugenium factam eſſe contra primas veritates: Quintò Eugenium monitum à Concilio, errores ſuos primæ diſſolutionis revocaſſe: Sextò, ſecundam diſſolutionem ab eo factam, ſi contra ſe ſuoſque procederetur, manifeſtum eſſe errorem fidei: Septimò, eandem ſecundam diſſolutionem probare eum eſſe relapſum: Octavò tandem iteratam diſſolutionem, ejuſque pertinaciam, poſt accuſatam ejus contumaciam & erectionem alterius Concilii;, durante adhuc Baſileenſi, contra primas veritates eſſe. Has concluſiones multis argumentis munitas ad Legatos ſuos Moguntiam miſerunt. ita Patritius, nec non & Æneas Silvius de geſtis Concilii Baſil. lib. 1.

CLII. *Sententia depoſitionis in Eugenium Papam in Seſſione XXXIV.*

Factus eſt concurſus ad Baſileam die vigeſima quinta Junii, ubi celebratis ex more Sacris, vigore Conſtantienſis Concilii Seſſ. IV, & V, quo placitis Concilii refragantes & obedire nolentes ad condignas pœnas condemnantur, Seſſio trigeſima quarta habita eſt, in qua depoſitionis ſententia lata eſt, quæ tanquam contumacem, præceptis Eccleſiæ inobedientem, violatorem Canonum Synodalium, unitatis Eccleſiæ perturbatorem, Simoniacum, perjurum, incorrigibilem, ſchiſmaticum, à fide devium, jurium & bonorum Eccleſiæ perditorem, & à Pontificatu depoſitum Eugenium declarat, inhibenſque ei, ne deinceps talem ſe gerat; Chriſtianos omnes ab ejus fidelitate & obedientia abſolvit; omnibus ſub pœnis hæreſeos, & omnium beneficiorum dignitatumque privatione obedientiam vetetem interdicens. Octo vel novem tantùm Epiſcopos Eugenii depoſitioni interfuiſſe ac ſubſcripſiſſe ait Joannes de Turrecremata, quos & nominatim recenſet in reſponſione ad Baſileenſes p. 12, fol. 311, quam MS. extare in Bibliotheca S. Victoris Pariſienſis aſſerit Spondanus. Cauſas etiam referens „ cur Eugenio eſſent infenſi: Cardinalis, „ inquit, Arelatenſis antiquus Eugenii Summi Pontificis inimicus, quia ab eo non „ valuerat impetrare, ut avunculo ſuo ſuccederet in officio Cameræ Apoſtolicæ: „ Patriarcha quondam Aquilejenſis, Papæ capitalis inimicus, propter Patriarchatum occupatum à Venetis: Ludovicus de Palude Epiſcopus quondam „ Vencienſis, furioſus adverſarius Papæ, „ quia in Eccleſia Maſſilienſi non habuerat contra juſtitiam deſiderata ſuffragia: „ Gratianopolitanus Sabaudienſis, Arelatenſis conſanguineus: Baſileenſis, homo „ ſine litteris, timore (ut credebatur) „ ductus: Duo Religioſi à ſui Ordinis „ obedientia apoſtatæ, ſine Eccleſiis Cathedralibus Epiſcopi nominati: Raymundus Thaloni, ſine mitra, qui dicebat „ Epiſcopum ſe Tricarienſem, Papæ jamdudum infenſus, quòd ab ipſo ob ſua „ demerita privatus fuiſſet officio Auditoris Curiæ Avenionenſis. Cui concordans S. Antoninus tit. 22, cap. 10 § 4, teſtatur fuiſſe inter hos Baſileenſes, *aliquos privatos Epiſcopatu, & dignitatibus ſuis ab Eugenio propter ſcelera ſua.*

CLIII. *De ſtabilitate Concilii in Seſſione XXXV.*

Æneas Silvius, qui Concilio Baſileenſi interfuit, refert quòd, depoſito Eugenio, ipſa die vigeſima quinta Junii diſceptatum eſt inter Patres, an expediret illicò novum creare Pontificem, an in tempus differri; & quamvis ob graſſantem Baſileæ peſtem, multi accelerandam electionem exiſtimarent, viciſſe tamen ſententiam illorum, qui duobus menſibus juxta decretum Seſſionis VII expectandum eſſe cenſebant. Hinc die ſecunda Julii in Seſſione trigeſima quinta actum eſt de *Stabilitate* Concilii, & decretum, quòd non niſi potiſſimorum Patrum votis conſentientibus, Concilium diſſolvi poſſet; quòdque poſt ſexageſimum depoſitionis diem ad novi Pontificis electionem procedi deberet. Interim miſerunt Nuncios ad Principes ad promulgandam Eugenii depoſitionem; quibus Albertus Romanorum Rex aures dedit, qui tamen facili imperio ſeditioſorum Baſileenſium Conventiculum ſolvere potuiſſet. Tantum abeſt ut Carolus VII Francorum Rex Albertum ſit imitatus, quin potiùs graviter conquerebatur, quòd non modò non annuiſſent Patres Baſileenſes precibus & exhortationibus ut in judicio contra Eugenium ſuperſederetur, verùm etiam graviora commiſiſſent.

CLIV. *Peſtis Baſileæ graſſatur.*

Deſcribit poſt hæc Æneas Silvius lib. 1 de geſtis Baſil. depopulationem urbis Baſileenſis per ſæviſſimam peſtem, *Quæ, cadente ſine numero plebe, auſa eſt etiam aggredi Patres Conciliares.* Inter eos fuêre Ludovicus Protonotarius, de quo ſuprà, qui quamvis non approbaret Baſileenſium tyrannicam factionem, ut major Sacerdotum numerus cum paucis Epiſcopis ederent ſanctiones fidei, reluctante maxima Epiſcoporum parte, auctoritatem tamen Conciliabuli adversùs Pontificem ſcriptis propugnarat; is igitur inopina morte extinctus conceptas ex ſchiſmate ſpes amiſit. De Ludovici etiam, qui Aquilejenſis Patriarcharus titulos gerebat, infelici exitu hæc addit Æneas laudatus: *Nec quem optaverat diem electionis Papæ* (ſeu potiùs Antipapæ) *potuit cernere; in ea tamen partem conſolationis recepit, quoniam priùs depoſitum Gabrielem* (nimirùm Eugenium Pontificem) *vidit, quàm moreretur, lætuſque ut ante prædixit tale nuntium in orbem portavit alium.* Et Infrà: *Fuitque ejus obitus omnibus Patribus amariſſimus, jamque duas Con-*

cilii

tt i

cilii columnas proſtratas eſſe dicebant, Protonotarium & Patriarcham, quoniam jure alter, ſcilicet commentitio, facto alter veritatem Synodi defendiſſent. Subdit Æneas ibidem, magnas apud Cardinalem Arelatenſem habitas eſſe preces, ut vicinum aliquod in rus ſecederet; haud tamen illum preces, neque etiam domeſticorum funera flectere potuiſſe; volentem potiùs cum vitæ periculo ſalvare Concilium, quod ſciebat ſe recedente facilè ſolutum iri, quàm cum periculo Concilii ſalvare vitam.

CLV. *Decretum Eugenii PP. contra Baſileenſes.*

Cùm hæc Baſileæ agerentur, Eugenius in Seſſione publica, quæ dicenda eſt vigeſima ſeptima, Conſtitutionem quæ incipit, *Moyſes Vir Dei*, promulgavit ſacro approbante Concilio Florentino, *Dat. Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1439, *pridie Nonas Septembris, Pontificatûs anno IX*; qua veritates fidei à Baſileenſibus declaratas damnat, eaſque aſſerit præter mentem Conſtantienſis Synodi eſſe interpretatas; Decretum contra Baſileenſes Ferrariæ editum die 15 Februarii innovat; & declarat, omnes cujuſcumque ſint dignitatis, etiamſi Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, aut cujuſcumque ordinis inferioris, qui Baſileæ poſt revocatum Concilium remanſerunt, excommunicatos eſſe, & privatos omni dignitate, honore ac beneficio; eorumque omnia acta, geſta, ſtatuta, atque decreta, maximè in duabus ultimis Seſſionibus, caſſat & revocat. Contra quam Conſtitutionem actum eſt per Baſileenſes in Congregatione ſua generali Nonis Octobris habita, & confirmata in Seſſione XXXVIII die trigeſima Octobris hujus anni 1439.

CLVI. *In Seſſione XXXVI fit decretum de Immaculata Conceptione B. Virg.*

Jam ſuperius diximus, ſcilicet anno 1435 num. LXXXVII, Synodum Baſileenſem injunxiſſe Ludovico Cardinali Arelatenſi, ut diligenter procuraret per omnes Bibliothecas, ac ſingula Archiva Univerſitatum, Eccleſiarum, Monaſteriorum, Regumque ac Principum, perquiri quoſcumque libros, ſcripta, Acta ad materiam de Conceptione B. Virginis quomodolibet ſpectantia, eaque extrahi & ad Synodum deferri; quod diligenter præſtitit, ut patet ex decreto facto in Seſſione trigeſima ſexta, celebrata die decima ſeptima Septembris, quo declaratum fuit Glorioſam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante divini Numinis gratia ſingulari, nunquam actualiter ſubjacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe ab omni originali & actuali culpa, ſanctamque & Immaculatam, tanquam piam & conſonam cultui Eccleſiaſtico, fidei Catholicæ, rectæ rationi & Sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam & amplectendam: Nullique de cetero licitum eſſe in contrarium prædicare ſeu docere. Renovarunt intereà Inſtitutionem de celebranda ſancta ejus Conceptione, quæ tam per Romanam, quàm per alias Eccleſias VI Idus Decembris antiqua, & laudabili conſuetudine celebrabatur, præter Eccleſiam Græcam, quæ hanc ſolemnitatem aſſignaverat Nonis Decembris. De hujus Feſti antiquitate tam apud Græcos, quàm Latinos, vide Cardinalem Baronium *in* ſuis notis ad martirologium Romanum, ubi probat temporibus S. Bernardi circa annum Domini 1145, cœptum celebrari in Galliis in Eccleſia Lugdunenſi ex Epiſtola 174 ejuſdem S. Bernardi ad Canonicos Lugdunenſes.

CLVII. *Ordinationes pro electione futuri Pontificis in Seſſione XXXVII.*

Ut *liberè, ſincerè, & purè*, ajebant Baſileenſes, electioni futuri Pontificis per Concilium celebrandæ intendi poſſet, in Seſſione trigeſima ſeptima habita die vigeſima Octobris, ſtatuit Synodus, proteſtationes omnes, quæ ſinceritati electionis, ſive generali obedientiæ Summis Pontificibus debitæ quoquomodo obviare poſſent, conventiones, pactiones, promiſſiones, obligationes, juramenta per quemvis hominem facta cujuſcumque ordinis, ſtatus, aut dignitatis, nullas eſſe & irritas. Deinde, ne ſede vacante aliter quàm per Concilium Pontifex eligeretur, quòdque ante ſexageſimum diem vacantis Sedis ad electionem procedi non deberet conſtitutum eſt: Quod omnes Electores futuri Pontificis Euchariſtiam ſumerent, & ante ingreſſum conclavis juramentum, juxta decretum Seſſionis XXIII, emitterent: Ut electus præſentatâ ei electione intra diem in præſentia Notarii & decem teſtium acceptare teneretur; ſin minùs electio irrita eſſet, & alius eligeretur iiſdem modis & formis: Tandem ut in loco Concilii coronaretur & conſecraretur electus, & ſe Catholicum ſemper fore, Concilia Generalia obſervaturum, ac ſpeciatim pro viribus laboraturum pro executione decretorum Conſtantienſis & Baſileenſis, Conciliumque inchoatum continuaturum promitteret.

CLVIII. *Item nominatio Electorum futuri Pontificis.*

Præterea ſtatutum eſt in eadem Seſſione, quòd unà cum Ludovico Cardinali Arelatenſi & aliis Cardinalibus, ſi qui ante conſummatam electionem advenirent & electioni intereſſe vellent, alii triginta duo tam de Prælatis, quàm de ceteris Eccleſiaſticis viris aſſumerentur, qui pro hac vice Romanum Pontificem eligere haberent, Ita ut ille ab Univerſali Eccleſia Summus Pontifex haberetur, quem duæ partes ſuffragantium eligerent, quæ in decreto latius continentur. Inter triginta duos elegerunt Thomam Abbatem de Drondaina Ordinis Ciſtercienſis Diœceſis Candidæ Ca-

ſæ

ſæ, Joannem de Segobia Archidiaconum de Villaviſoza in Eccleſia Onetenſi, Thomam de Courcellis Canonicum Ambianenſem, in Sacra Theologia Magiſtros; qui prædicti quartum ſibi aſciverunt, ſcilicet Chriſtianum de Gretz Regino Præpoſitum Eccleſiæ S. Petri in Bruna Olomucenſis diœceſis; hi verò quatuor elegerunt infra ſcriptos uſque ad complementum numeri triginta duorum, ipſis in eodem numero comprehenſis, nempe Joannem Archiepiſcopum Tarentaſienſem, Ottonem Dertuſenſem, Georgium Viſenſem, Franciſcum Gebennenſem, Ludovicum Nicienſem, Bernardum Aquenſem, Guillelmum Vercellenſem, Georgium Auguſtenſem, Joannem Eporedienſem, Fridericum Baſileenſem, Ludovicum Taurinenſem, Epiſcopos: Aleramum Sancti Benigni Fructuarienſis Ordinis S. Benedicti, Jacobum de Seguſio ejuſdem Ordinis, Conradum de Lucella Ciſtercienſis Ordinis, Raimundum Conchenſem Ordinis S. Benedicti, Petrum S. Cucuſatis ejuſdem Ordinis, Thomam de Dondraina Ordinis Ciſtercienſis, Antonium Arularum Ordinis S. Benedicti, Monaſteriorum Abbates: Joannem de Segobia, Chriſtianum de Gretz Regino, Nicolaum Thibout, Thomam de Courcellis, Joannem de Valle, in Theologia Magiſtros: Guillelmum Hugonem Archidiaconum Metenſem, Joannem de Monte Canuto, Derzelaum Archidiaconum Cracovienſem, Bernardum de Boſco, Bartholomæum de Provanis, Joannem Wyler Decanum Eccleſiæ Baſileenſis, Raimundum Albioli, Henricum de Judæis, Legum Doctores: Jacobum de Saltzburga Licentiatum in Jure Canonico. Notandum eſt Bernardum Epiſcopum Aquenſem ſe excuſaſſe ab ingreſſu conclavis & officio Electoris; & Ludovicum Epiſcopum Maſſilienſem ejus loco ſubſtitutum fuiſſe. Quoad nomina perſonarum, quæ in aliis officiis neceſſariis pro Conclavi deputatæ fuêre, vide Acta Concilii Baſil. Tomo XII col. 636.

CLIX. *In Seſſione XXXVIII damnatur decretum Eugenii PP. Moyſes vir Dei, & alia ſtatuuntur ad electionem.*

Celebrata eſt Seſſio trigeſima octava die trigeſima Octobris, in qua Baſileenſes damnarunt decretum Eugenii, quod incipit: *Moyſes Vir Dei*, promulgatum Florentiæ die quarta Septembris hujus anni 1439. Ejus doctrinam ut hæreticam evitari juſſerunt, ac omnibus ſub graviſſimis cenſuris & pœnis mandarunt, ne quis *illi Libello*, ut ajebant, ullo modo pareret. Prætereà ſtatuerunt collegia Eccleſiarum, ſive Monaſteriorum, cùm de electione Prælatorum ſuorum eſt agendum, non obligari ad vocandum abſentes coelectores, ſi ultra duorum dierum itinere abſentes fuerint, niſi aliud alibi peculiari ſtatuto & conſuetudine receptum fuerit, propter diſpendia & quamplurima diſcrimina, quæ eiſdem Eccleſiis & Monaſteriis ſæpenumerò evenire poſſent, juxta formam decreti *de Electoribus Paſtorum Eccleſiæ* dudum in Synodo editi. Ad futuram novi Pontificis electionem, juxta decretum ſuperioris Seſſionis, confirmatæ ſunt triginta duæ diverſarum Nationum perſonæ, quæ unà cum Notariis aliiſque miniſtris ad electionem legitimè proſequendam neceſſariis, proxima Seſſione, conclave ingrederentur.

CLX. *Amadeus Dux Sabaudiæ Pſeudo-Pontifex renuntiatur, & in Seſſione XXXIX confirmatur.*

Eadem die, ſcilicet trigeſima Octobris, intraverunt omnes Electores cum Ludovico Cardinali Arelatenſi in Conclave in medio urbis paratum, in iis Baſileæ ædibus, in quibus deputatio pro communibus haberi conſueverat: hic Cardinalis Arelatenſis multis verbis hortatus eſt collegas ſuos, ut in Pontificem eligerent Virum genere, & divitiis potentem, qui neceſſitati Eccleſiæ providere poſſet: Scrutinium fecêre more conſueto, conſcribebantur enim in ſchedulis nomina eligentis, & electorum: Per ſex dies ad ineunda ſuffragia convenêre, & cùm in unum duæ partes non conveniſſent, ſeptima tandem die, quæ concurrebat cum die quinta Novembris, facto quinto ſcrutinio, compertum eſt Amedeum Sabaudiæ ducem viginti ſex ſuffragiis ad Pontificatum vocari, ut refert Æneas Silvius in fine ſui Operis de Geſtis Concil. Baſileenſis, non verò viginti duobus, ut vult Auguſtinus Patritius: Rejectis ut nullius momenti nonnullorum objectionibus, quæ ejus electionem diſſuadere videbantur, quòd adhuc Laicus eſſet, quòd conjugatus fuiſſet, quòd liberos haberet, & quòd Doctor non eſſet: in Seſſione trigeſima nona die decima ſeptima Novembris, ſolemni ritu ejus electio confirmata fuit, & in univerſum orbem promulgata. Deinde Legatos viginti quinque delegerunt die tertia Decembris, quorum princeps erat Cardinalis Arelatenſis, ut Acta Parritiana habent, qui cum Nunciis civitatis Baſileenſis & nobilibus compluribus, Amedeum petierunt in Ripallia, ubi in nemore Monaſterium conſtruxerat, ibique cum decem aliis nobilibus viris habitum geſtabat eremiticum, & vocabatur Militum S. Mauritii Decanus. Sed de his ſuperiùs.

CLXI. *Alberti Cæſaris obitus.*

Inter hæc, tertia die antequam Baſileenſes conclave ad electionem novi Pontificis faciendam ingrederentur, nempe die vigeſima ſeptima Octobris, Albertus Imperator è vita deceſſit. Dum enim revertebatur ex ſuſcepto cum Turcis, ſed non feliciter geſto bello, cùm ad Dravum flumen eſſet progreſſus, ut Sindtonianæ arcis obſidionem ſolveret, priùs arce potiti ſunt hoſtes, antequàm omnes Alberti copiæ acceſſiſſent, & poſteà Viennam Strigonio proficiſcens, dyſenteriæ morbo conſumptus eſt.

eſt. Æneas Silvius in Hiſt. Europ. cap. 1, Alberti virtutes his verbis perſtringit: *Religioſus Princeps, & qui liberalitate ſimul juſtitiaque præſtaret. Fuit quoque in bellis audax, & manu promptus. Moravos & Boëmos armis ſubegit. Polonos latè vagantes intra regnum ſuum coercuit, magna de ſe Chriſtianæ Reipublicæ promittere videbatur, nec minora populi de ſua virtute conceperant, pulcherrimæ ſpei ſatisfieri brevitas non ſinit, repentè occidit, qui brevi ad ſummum potentiæ creverat, neque enim biennio toto imperavit.* Moriens duas filias reliquit & conjugem prægnantem, quæ filium peperit Ladislaum, qui ei ſucceſſit poſt multa diſſidia, in Hungaricum & Boemicum regna.

CLXII. *Eugenius IV. ſeptemdecim Cardinales creat.*

Statim ac Eugenius audivit intruſionem Amedei ſub nomine Felicis V, Romanæ Eccleſiæ, ſuiſque rebus conſulturus, die Sabbati decima octava Decembris in Concilio Generali Florentiæ decem & ſeptem creavit Cardinales ex omnibus ferè nationibus, viros doctrinâ inſignes; hi autem fuêre: *Reginaldus de Carnoto* natione Gallus, qui ab Adminiſtratore Aurelianenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus Rhemenſis renunciatus fuerat, quo in munere Regem Francorum Carolum VII Rhemis inunxit ſeptima die Julii anno 1409. Quare Cancellarius ab ipſo Carolo nominatus eſt: *Joannes de Pontibus* Neapolitanus, Vir diligentiâ & auctoritate præſtans, qui Legatus fuerat ad regnum Neapolitanum pro pace inter Alfonſum Regem Aragoniæ & Ducem Andegavenſem concilianda: *Joannes Kemp*, Anglus, Archiepiſcopus Eboracenſis, poſteaque Cantuarienſis: *Nicolaus de Acciapacio* Italus, ex Tropienſi Epiſcopo Surrentinus primò, mox Capuanus Præſul: *Ludovicus de Lucemburgo* Gallus, Archiepiſcopus Rotomagenſis, qui Cancellarii munere functus eſt ſub Henrico V Angliæ Rege, vano titulo ſe Regem Francorum nuncupante: *Iſidorus* Theſſalonicenſis, Monachus S. Baſilii & Archiepiſcopus Ruthenorum; unà cum *Beſſarione* Trapezuntino, Monacho S. Baſilii & Archiepiſcopo Nicæno, qui, ut jam vidimus, interfuêre Concilio Florentino & unionis præcipui fuêre promotores: *Georgius Fliſcus* Genuenſis, qui Marianenſem primò in Corſica Epiſcopatum, deinde Januenſem obtinuerat: *Geraldus* Mediolanenſis, qui Laudenſi Eccleſiæ à Martino V ſuffectus, poſtea ab Eugenio ad Comenſem translatus eſt: *Sbigneus* Polonus, ;Epiſcopus Cracovienſis; ſed de ipſo ex Actis Patricianis notandum, quòd cùm miſiſſent Baſileenſes Legatos in Poloniam, ut Regem & Provinciam ad ſe traherent, Sbigneus, qui magna auctoritate & gratia valebat, in eos inclinare viſus eſt; ita tamen aſtutè & prudenter ſe geſſit, ut aſſumptus ab Eugenio ad Cardinalatûs dignitatem non conſenſerit, & Felici V Antipapæ apertè non adhæſerit. Hinc licèt Ciaconius aſſerat Sbigneum acceptaſſe Cardinalatum ſibi ab Eugenio oblatum, ac Legationis munus geſſiſſe ad Regem Polonorum, ut ipſum in obedientia Eugenii contineret adversùs Felicem V; attamen ex Actis Concilii & variis Scriptoribus conſtat Sbigneum renunciatum fuiſſe Cardinalem à Felice V anno 1440, cui per Nuncium gratias egit Baſileæ die ultima Octobris anno 1441. Sed redeamus ad ceteros Cardinales ab Eugenio in hac promotione creatos: aſſumptus eſt *Antonius Martins de Clavibus* Luſitanus, Epiſcopus Portugalenſis: *Petrus Schoumbergus* Germanus, Epiſcopus Auguſtanus, eloquentiâ ac prudentiâ excellens: *Joannes Juvenis* Picardus, Morinenſis Epiſcopus: *Dionyſius Dezeech* Hungarus Archiepiſcopus Strigonienſis: *Guillelmus de Stoutavilla* Normannus, Archiepiſcopus Rotomagenſis: *Joannes de Turrecremata* Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, ſacri Palatii Magiſter, Vir eminentis eruditionis: Tandem *Albertus de Albertis* Florentinus, Epiſcopus Camerinenſis. Vide Auguſtinum Oldoinum in ſuis additionibus ad Ciaconium.

CLXIII. *Fridericus III eligitur in Regem Romanorum.*

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, Alberto defuncto, Fridericus III Dux Auſtriæ, Romanorum Rex die trigeſima Martii Francofordiæ electus eſt.; natus in Germania anno 1415 die vigeſima prima Septembris, ſapientiâ, pietate, ceteriſque virtutum omnium partibus erat præditus. Onuphrius Panvinius lib. 3 de Principibus Romanis pag. 232, Fridericum III Kal. Januarii electum, & VIII Idus Januarii ab Archiepiſcopo Colonienſe coronatum ſcribit; quod falſum videtur, ut annotavit Spondanus anno 1440 num. 2. Quomodo enim, inquit, potuit Fridericus eligi Kalendis Januarii, cùm per Bullam auream Caroli IV, quam electores ad amuſſim obſervabant, ſtatueretur, ut à die intimationis per Archiepiſcopum Moguntinum faciendæ infra tres menſes, Electores Francofordiæ convenirent; ab obitu autem Alberti ad prædictas Kalendas Januarias nonniſi duos menſes & quatuor dies intercurrerint? Denique Trithemius, in medio Quadrageſimæ Electores conveniſſe ad electionem aſſerit. Incidit autem media Quadrageſima eo anno, quo Paſcha contigit 27 Martii, fuitque biſſextilis, in V Nonas Martii. Igitur cum Wadingo & Nauclero, exiſtimo ponendam eſſe electionem Friderici III in Romanorum Regem III Kal. Aprilis anno 1440.

CLXIV. *Amedeus Dux Sabaudiæ electioni conſentit.*

Deputatis à Baſileenſibus variis Legatis, ut electionem præfatam præſentarent, & conſenſum electi expoſcerent juxta formam

mam

mam in decreto Seſſionis XXXVII ſtatutam; acquievit Amedeus metuens, ut dicebat, ne ſic ad univerſalis Eccleſiæ & Reipublicæ miniſterium neceſſitate cogente vocatus, ipſius contradictionis reluctatio divinam contra ſe indignationem provocaret. Per Cardinalem Arelatenſem, quo vocari vellet nomine (prout moris eſt) interrogatus, Felicis V nomen duxit ſibi eligendum; & chlamyde caputioque, quibus tunc utebatur, depoſitis, profeſſionem juxta formam Seſſionis XXXVII emiſit, & propriâ manu ſubſcripſit; quâ peractâ ornamentis Papalibus eum induerunt, & ad Eccleſiam monaſterii S. Mauritii in prædicta ſolitudine conſtitutam ſolitis ſolemnitatibus proceſſerunt. Inſuper in Seſſione quadrageſima die vigeſima ſexta Februarii Baſileæ habita, Felicem V pro vero Pontifice agnoſcendum, eidem ſoli ſub cenſuris ſuſpenſionis, privationis & excommunicationis obediendum eſſe decretum eſt; annullatis iis omnibus, quæ Eugenius contra dixiſſet vel edidiſſet.

CLXV. *Pſeudo-Cardinales creat.*

Intereà Baſileenſes, ut Felix, quem ſibi præfecerant Pontificem, auguſtiori cultu Baſileam veniret coronationis inſignia recepturus, illi permiſêre, præter decreta Seſſionis XXIV, aliquos famâ præclaros Cardinales aſſumere & publicare. Quinque igitur fecit & nominavit menſe Aprili, ſcilicet Ludovicum de Varambone Epiſcopum Lauſanenſem; Bartholomæum, in Vicecomitum familiam adſcitum, ideoque de Vicecomitibus cognominatum, Novarienſem Epiſcopum; Waldramum de Morſa Germanum, electum Epiſcopum Trajectenſem; Alfonſum Carillium ſeu de Carillo Hiſpanum, Protonotarium Apoſtolicum, qui duo poſtremi dignitatem Cardinalatûs recuſarunt. Tandem Sbigneus Epiſcopus Cracovienſis, de quo anno ſuperiori, Pſeudo-Cardinalibus adſcriptus eſt antequam Felix Baſileam ingrederetur.

CLXVI. *Cum ſuis damnatur.*

Eugenius Pontifex, ut habent Acta Patriciana, Florentiæ in Seſſione vigeſima octava die vigeſima tertia Martii habitâ, judiciali ordine per debita intervalla priùs ſervato, Amedeum Antipapam ut hæreticum & ſchiſmaticum declaravit; electores, fautores, ſequaceſque ſuos omnes monuit, niſi infra quadraginta dies reſipiſcerent, & ad gratiam Apoſtolicæ Sedis rebellione dimiſſa ſupplices confugerent, incurſuros pœnas contra hæreticos, ſchiſmaticos, ac reos in crimine læſæ majeſtatis, à jure promulgatas; & abſq;alio judicio elapſo termino mox in pœnas omnes incidiſſe: Pollicetur tamen ſupplicibus intra tempus veniam & gratiam ſe daturum. Narrat id ipſum, qui tunc Florentiæ erat S. Antoninus, ejus poſteà Eccleſiæ Archiepiſcopus, *ſervata omnia judicia*, ait: *Ne videretur Eugenius livore vindictæ, non zelo juſtitiæ procedere.* De qua ſententia in Florentino Concilio à ſe latâ memorat ipſemet Eugenius in Literis pridie Nonas Julii, ſeu die ſexta Julii ejuſdem anni Florentiæ exaratis, quibus Jacobo Epiſcopo S. Andreæ præcepit, ut eam promulget, atque ab aliis promulgandam curet.

CLVII. *Ludovicus Cardinalis Arelatenſis deponitur.*

Eminebat in audacia inter Baſileenſes Ludovicus Archiepiſcopus Arelatenſis tit. S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, præcipuus auctor ſchiſmatis, qui contempſerat omnia Pontificia decreta, quem propterea Eugenius Cardinalatûs honore, & quibuſvis aliis dignitatibus privatum eſſe declaravit. Extat ſententia depoſitionis apud Raynaldum anno 1440 num. 3, data *Florentiæ anno Incarnationis Dominicæ* 1440, *V Kal. Junii, Pontificatûs an.* X. Hinc Eccleſiæ Arelatenſis adminiſtratio Rogerio Præpoſito Aquenſi demandata eſt. Pari pœnâ affecti ſunt Joannes Cenomanenſis, & Ludovicus Viſenſis Epiſcopi, qui plura adversùs Pontificiam dignitatem moliti erant.

CLXVIII. *Baſileenſes acta Eugenii PP. damnant in Seſſione XLI, & Felicem V coronant.*

Hæc ut Baſileæ nuntiata fuêre, die vigeſima tertia Julii in Seſſione quadrageſima prima Baſileenſes irrita & inania declararunt; ſententiam depoſitionis Amedei ſcandaloſam, injurioſam, ſchiſmaticam & à fide deviam aſſerentes; Præcipiunt univerſis Chriſti fidelibus cujuſcumque ſtatus, ordinis, vel dignitatis fuerint ſub omnibus cenſuris & pœnis, ne præfatam ſententiam, quam *Scripturam & libellum Gabrielis*, nempe Eugenii, vocant, acceptent aut defendant, nec quovis pacto vel illius prætextu dignitates, beneficia, perſonas, res & bona Felicis V Electorum occupare vel impetrare, aut quidquid in eorum præjudicium facere præſumant. Poſtridie verò, ſcilicet die vigeſima quarta ejuſdem menſis Julii, magnâ Procerum & populorum frequentiâ Felicem V publicè coronarunt inſigni pompâ; & quoniam Cardinales numero paucos habebat, inquit Auguſtinus Patritius, nec tantæ celebritati poterant ſufficere, aſciti ſunt octo Epiſcopi, qui Cardinalium munera implerent. Cujus ſolemnitatis inſignem apparatum Æneas Silvius, qui aderat, egregiè deſcripſit lib. 7.

CLXIX. *De proviſione Felicis V in Seſſione XLII.*

Præterea attendentes, quòd ſpiritualia ſine temporalibus diù ſubſiſtere nequeunt, in Seſſione quadrageſima ſecunda die quarta Auguſti habitâ, qui Annatas in Eugenio damnarant, in ſubventionem ſui Pontificis uſque ad quinquennium quintum denarium, & deindè ad aliud quinquennium ex tunc proximè ſubſecuturum decimum denarium veri valoris annui ſecundùm communem æſtimationem quorumcumque fructuum, reddituum & proventuum omnium

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

& ſingulorum beneficiorum cum Cura & ſine Cura, ſæcularium & Regularium, Collectoribus Felicis V realiter & cum effectu quolibet anno perſolvendum ſtatuerunt, ſub pœna ſuſpenſionis & interdicti, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis & Conſtitutionibus; Collectoribus mandantes, ne quidquam ultra ſtatutas quintas vel decimas exigant, vel pro ſuo labore petant. Attamen in gratiam Germanicæ Nationis indulsêre, ut beneficia, quorum proventus quinque marcas argenti annuatim neceſſariis oneribus deductis non excederent, à prædicta lege exciperentur.

CLXX. *Carolus VII in obedientia Eugenii PP. perſeverat.*

Interim convocaverat Carolus VII Francorum Rex Prælatos ac Proceres ſuos Bituris, ubi advenerant Felicis V & Synodi Baſileenſis Oratores, nec non Legati Eugenii, quorum princeps erat Joannes Cardinalis de Turrecremata Ordinis Prædicatorum. Habitis inter ipſos variis diſputationibus & altercationibus, adveniens demùm Rex cum aliorum Prælatorum & Procerum multitudine, ut narrat Auguſtinus Patritius, poſt auditos utriuſque partis Oratores, re cum ſuis maturè discuſsâ, tandem die ſecunda Septembris in magna Prælatorum ac Principum corona, Legatis Baſileenſium in hanc formam respondit per organum Martini Gouge Claramontenſis Epiſcopi: Gallorum Regem,
,, qui ſemper favisſet dignitati Concilio-
,, rum Generalium, & Baſileenſis imprimis,
,, tulisſe mœſtiſſimo animo ſeditiones &
,, diſcordias inter Patres & Pontificem
,, exortas, monuisſe togasſeque ſummâ di-
,, ligentiâ Patres literis & Nunciis, ut à
,, judicio contra Eugenium ſuperſederent:
,, illos verò ſpretis Regis precibus, non
,, modò non ſuperſedisſe, ſed illum deje-
,, cisſe Pontificatu, & alium ſubrogasſe:
,, Regiam Majeſtatem in hac re nihil ſta-
,, tuere voluisſe ſine conſilio Prælatorum
,, & Procerum regni: Et propterea Con-
,, ventum Bituris indixiſſe. Nunc verò ex
,, conſilio Conventus *ſtatuisſe Regem perſe-*
verare in obedientia Eugenii Pontificis, nec
alium recognoſcere Romanum Pontificem quàm
Eugenium: Cui ſupplicabit ut intra annum
,, Generale Concilium in Galliis celebret
,, ad ſciſſionem Eccleſiæ tollendam. Ro-
,, gare autem Legatos, ut dicant Regio
,, nomine Patribus, qui Baſileæ esſent, &
,, Domino Sabaudiæ (ſic enim Felicem
,, appellabat) ut dimiſſis cenſuris & com-
,, minationibus, ad ea quæ pacis esſent,
,, intenderent, neque ullo modo regni ſui
,, Clericos judiciis infeſtarent. Dominum
,, Sabaudiæ ſanguine Regi eſſe conjunctum:
,, non placere Regi, ut à quopiam injuriæ
,, ei inferrentur: ſed in hac re, quoniam
,, ad fidem pertinet, nihil præter juſtitiam
,, Regem audere: ſperare tamen conſan-
,, guineum ſuum ſolitâ ſuâ prudentiâ tem
,, hanc tractaturum. Non ideò tamen Carolus VII approbare voluit Concilium Ferrarienſe, nec Pragmaticam Sanctionem abrogare; nam Nicolaus Clemangius de Oratorum Papæ & Antipapæ in Gallica aula geſtis refert, Legatos Eugenii à Rege Chriſtianiſſimo inter cetera quatuor petiisſe: Primò, ut Rex reprobaret Concilium Baſileenſe a tempore translationis in Ferrariam, & approbaret Concilium Ferrarienſe, & in eo acta. Secundò, ut nullo modo depoſitioni Eugenii conſentiret, imò reprobaret electionem per Baſileenſe Concilium factam de Duce Sabaudiæ. Tertiò, quòd in civitatem Moguntinam (in qua urbe indicti erant Germanorum cœtus) nullo modo inconſulto Papa Ambaſſiatores mitteret. Quartò, ut Pragmaticam Sanctionem vellet tolli, vel ſaltem ſuſpendi. Die nona Septembris reſponſum fuit ad primum, Francorum Regem tenuisſe Concilium Baſileenſe pro legitimo Concilio, ad ipſum ſuos Ambaſſiatores miſisſe, quòd multa bona pro fide & moribus conſtituerat, quæ Rex approbabat, nec unquam Congregatum Ferrarienſe pro Concilio habuisſe. Quoad depoſitionem Eugenii & electionem Felicis, nunquam eas approbaſſe, imò tenuiſſe Eugenium IV pro Papa & adhuc tenere; velleque ut ipſi in ſuo regno obediretur, niſi aliud in Concilio Generali, intra annum in aliquo loco Galliarum celebrando, quod à Pontifice indici rogabat, decerneretur. Quòd de mittendo Moguntiam, opportuno tempore deliberaret. Tandem Pragmaticam Sanctionem inviolabiliter obſervari vellet: & ſi quæ duriora viderentur, in illo Generali Concilio temperari posſent.

CLXXI. *Geſta in his Ceterorum Principum & Academiarum.*

Emicuit Henrici Anglorum Regis in tuenda Sede Apoſtolica virtus; nam profesſus eſt, non alium Chriſti in terris vices quàm Eugenium gerere; cujus conſtantiam & religionem commendavit Eugenius literis datis Florentiæ anno 1440. Laudat pariter Salamanticenſem Academiam ob reverentiam illi præſtitam literis eodem anno datis, quæ extant apud Raynaldum num. 6 & 7. Non Galli modò, Angli & Hiſpani ſprevêre Antipapam, verùm etiam ejus expectationem fefellit ipſius gener Dux Mediolanenſis, ut refert Franciſcus Philelphus lib. 4 Ep. 20 in literis ad Florentinos datis *XVI Kal. Julii, anno à Natali Chriſtiano* 1440. *Eo*, inquit, *conſilio atque mente rem tantam admiſiſſe* (nimirùm Amedeum) *fatentur omnes, quod minimè futurum dubitaſſet, ut ſe Gener hic quàm cupidiſſimè ſequeretur. Id quod etiam alios Chriſtiani nominis Principes continuò facturos ſentiebat. Sed Philippus Maria nulla neceſſitudine, nullis precibus, nulla ingentiſ-*

ſi-

ſimorum munerum ac præmiorum ſpe induci potuit, ut amantiſſimo & bene merenti ſocero in hanc diem obſequeretur; intelligit eum primam neceſſitudinem eſſe cum Deo, nec plus cuiquam debere, quàm Deo, nec ulla eſſe munera aut præmia cum virtute Deoque comparanda. Attamen Acta Patriciana referunt, Alfonſum Regem Aragoniæ miſiſſe ad Concilium Baſileenſe literas adhæſionis: nec non Eliſabetham Reginam Hungariæ obedientiam præſtitiſse Felici: Eique pariter faviſse Albertum Bajoariæ, qui electus in Regem Boëmiæ regnum recuſaverat; & alterum Albertum Auſtriæ Friderici III germanum. Addit Auguſtinus Patritius per idem tempus Pariſienſem Scholam, & plurima Germaniæ Gymnaſia, putà Viennenſe, Erfordienſe, Colonienſe, nec non Cracovienſe Poloniæ, ſuis ſcriptis declaraſse, *ſupremam eſſe poteſtatem apud Concilium Baſileenſe, cui etiam Papa obedire tenetur.* Denique Æneas Silvius aſſerit in Tractatu de ritu, ſitu, & moribus Germaniæ, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, Hungariam & Angliam Eugenium IV ſecutas: Sabaudiam, Suitenſes, Baſileenſes, Argentinenſes, ac ex Saxonia Caminenſes, Felici obediſse: Regem Aragonum & Siciliæ Alfonſum, Polonos & Britones, nec Eugenio, nec Felici, ſed Concilio Baſileenſi adhæſiſſe: Germaniam neutralitatem quandam induiſſe, ſuamque nationem Acephalam reddidiſse.

CLXII. *Felix V quatuordecim Pſeudo Cardinales creat.* Die duodecima Octobris hujus anni 1440 Felix octo Pſeudo-Cardinales Baſileæ nominavit, ſcilicet Alexandrum Zamovit Polonum, qui juſſu Felicis in Polonia Legationis munere functus fuerat; Othonem, ſeu Odonem Hiſpanum, Dertuſenſem Epiſcopum, unum ex octo Hiſpanis, qui interfuerunt electioni Felicis, quique anno 1445 per Bernardum Fraire ejus procuratorem coram Eugenio Romæ dignitatem Cardinalatûs depoſuit; Georgium Hiſpanum, Epiſcopum Vicenſem, qui pariter ſuffragium tulit pro Felice; Franciſcum Gebennenſem Epiſcopum Gallum, unum ex Electoribus Nationis Gallicæ; Bernardum Epiſcopum Aquenſem Gallum, Felicis Electorem deſignatum, ſed adeſse noluit electioni, ut ſuperiùs diximus; Joannem Epiſcopum Argentinum Germanum; Joannem Grunwaldet dictum, qui Epiſcopatu Friſingenſi à Martino V privatus fuerat; Joannem Segobienſem, qui in Conventu Moguntino, ut ſuo loco dicetur, Legationis munere functus eſt. Hi ſunt octo Pſeudo-Cardinales à Felice V creati die duodecima Octobris, qui omnes præter Georgium Epiſcopum Vicenſem (qui ab Eugenio die vigeſima ſecunda Septembris anni 1445 non modò Cardinalatûs, ſed etiam Epiſcopatûs dignitate privatus fuit) purpuram abdicarunt, præſertim ſub Nicolao V Eugenii ſucceſsore. Præterea die duodecima Novembris ejuſdem anni, ſex alios Pſeudo-Cardinales abſentes creavit, quique fuerunt, Amedeus de Thalaru Gallus, Archiepiſcopus Lugdunenſis, qui jam à Clemente VII Pſeudo-Pontifice Cardinalis creatus fuerat; Dionyſius de Molendino, ſeu du Moulin Gallus, primò Archiepiſcopus Toloſanus, & poſtea Pariſienſis; Philippus de Coerquis Gallus, Turonenſis Archiepiſcopus, & Caroli VII Francorum Regis multoties Oratoris munere functus; Nicolaus de Tudiſco Siculus, Archiepiſcopus Panormitanus; Gerardus Mariettus Gallus, Caſtrenſis Epiſcopus; Tandem Joannes de Maleſtrot Gallus, Nannetenſis Epiſcopus. Vide Ciaconium anno 1440 in Notis Auguſtini Oldoini.

CLXIII. *De dignitate Cardinalatus, & Archiepiſcopatus lis mota.* Hoc eodem anno Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis, Joanni Kemp Archiepiſcopo Eboracenſi inter Presbyteros Cardinales ab Eugenio renunciato ſub finè anni ſuperioris, ut dictum eſt num. CLXII, de honorificentiori ſeſſione litem movit, facta ad Sedem Apoſtolicam provocatione. Occaſione cujus ſilentio non prætereundam judicavi Epiſtolam inſignis eruditionis Eugenii IV, Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi, de qua jam locuti ſumus in vita Martini V num. LXIV, quâ mirari ſe rem novam & inſolitam ab eo attentari ſcribit, qui jam per quatuordecim & ampliùs annos cum Henrico Epiſcopo Wintonienſi Cardinale tit. S. Euſebii, in ſedendo & ferendis votis ſine ulla diſceptatione vixiſſet. Henricus enim Archiepiſcopus Cantuarienſis honorificentiorem locum ceſſerat Henrico Wintonienſi, Presbytero Cardinale creato, cui ante Cardinalatum, quamvis Regio genere nato, præferri conſueverat. De Cardinalatu ab ipſa ejus origine tractare incipiens Eugenius ait: *Etſi hujus dignitatis nomen, quod modò in uſu eſt, ab initio primitivæ Eccleſiæ non ita expreſſum fuerit, officium tamen ipſum à B. Petro, ejuſque ſucceſſoribus inſtitutum evidenter invenitur: Imò, ut inquit Innocentius III, ex veteri Teſtamento traxiſse originem, cum Deuter. 17 in ambiguitate judicii jubetur accedi ad Sacerdotes & judicem qui eſset illo tempore: Ex eo verò quòd Stephanus Papa in Concilio dixit, oportuiſſe ut Sacroſancta Romana Eccleſia, juxta quod à B. Petro & ejus ſucceſſoribus inſtitutum fuit, ritè ordinaretur, & in Apoſtolatus culmine unus de Cardinalibus Presbyteris aut Diaconis conſecraretur, intelligi dari, hos qui inter Cardinales locantur, tempore B. Petri extitiſſe. Silveſtrum quoque in Concilio Nicæno eos, ſuos coadjutores nuncupaſſe, reliquoſve Pontifices partem ſui corporis appellare: Unde intelligitur, poſt caput Eccleſiæ, quod eſt*

SÆC. XV. EUGENIUS IV. *eſt Papa, contigua ſui corporis membra præ cæteris Eccleſiæ membris ac partibus debere honorari; ſicuti etiam à ſacris Canonibus majoribus privilegiis decorantur, quàm vel Epiſcopi vel ipſi Patriarchæ*. Et infrà. *Quòd autem ea dignitas tanto honore præfulgeat, haud cuiquam moleſtum eſſe debere, quoniam ut Sancti atteſtantur Patres, omnes Patriarchales, Archiepiſcopales, Epiſcopales, aliaſque dignitates, Romana fundavit Eccleſia: Sicutque licuit uni Eccleſiæ amplam, alii ampliorem, & alii ampliſſimam, prout expedire judicavit, tradere poteſtatem; ita & Cardinalium cœtum ad cœleſtis Hierarchiæ ſimilitudinem condere potuiſſe. Hocque jus ab immemorabili tempore apud univerſum Chriſtianum orbem, atque etiam in Generalibus Conciliis uſu & conſuetudine abſque omni controverſia receptum eſſe, ut non poſſit amplius de eo dubitari. Nemini non patere Cardinalatûs dignitatem Archiepiſcopali eſſe majorem, quia cùm iſta privatæ unius patriæ præſit utilitati, illa publicæ totius populi Chriſtiani; iſta unam dumtaxat regit Eccleſiam, illa cum Sede Apoſtolicâ univerſas*. Alia plura in eandem ſententiam Eugenius ſcripſit eâdem Epiſtolâ, quæ extat apud Raynaldum anno 1439 num. 40, in qua eſt error in anno; ponitur enim ſcripta *anno Pontificatûs octavo*, & data fuit anno 1440, quo anno currebat Eugenii decimus, vel ſaltem anno 1439, Eugenii nonus, nam Joannes Kemp indubitanter creatus fuit Cardinalis die Sabbati 18 Decemb. anno 1439, ut jam vidimus, qui erat Pontificatus Eug. nonus.

CLXXIV. *Alfonſi Regis Aragoniæ artes.* Alfonſi Regis Aragoniæ artibus, quibus uſus eſt ad conſecutionem regni Neapolitani, à Surita Rerum Aragonicarum Scriptore lib. 15 narratis, claudendus mihi videtur hic annus. Hic cùm vi apertâ iſtud regnum invadere ſibi perdifficile intelligeret, obnitente præſertim Renato Duce Andegavenſi, qui Neapolim ipſam cum magna parte regni poſſidebat, tetendit inſidias Eugenio ac Felici, ſperans ſe ab uno vel altero recepturum auxilium, quo ſummoperè egebat, ad invadendum Neapolitanum regnum. Quare Archiepiſcopum Panormitanum ad Felicem miſit, qui Regia obſequia illi præſtanda ut Summo Pontifici polliceretur, tabulas de ipſius adoptione ſcriptas confirmaretur, Regnumque Neapolitanum in ipſum, ac poſteros conferret, ac centum aureorum millia pro integra ejus occupatione contribueret. Sed Felix promiſſiones ejus ac verba parvi pendens, nullâ in re ejus petitionibus ſatisfecit: Tum Regem Navarræ, atque Henricum Militiæ S. Jacobi Principem fratres ſuos, ſororemque Mariam Reginam Caſtellæ ſolicitavit, ut miſſis Oratoribus edicerent Eugenio, ni ſtudere Renato Andegavenſi adversùs ipſum Alfonſum aſſiſteret, fraternas ſe partes adversùs eum ſecuturos: Quibus reſcripſit Pontifex, Alfonſum vi & armis Neapolitanum regnum iniquè ſibi ſubjicere affectaſſe. Hanc Eugenii Epiſtolam refert Raynaldus ad annum 1440, num. 13, quam dicit extare in Cod. MS. Alexandri VII pag. 194. SÆC. XV. EUGENIUS IV.

CLXXV. *Acceſſus Legati Jacobitarum ad Synodum Florentinam, ejusque oratio.* Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo Albertus Sartianenſis Ordinis Minorum pridie Kal. Septemb. appulit Florentiæ, ducto ſecum Andreâ Abbate inſignis Monaſt. S. Antonii in Ægypto, totius Jacobinorum, ſeu Jacobitarum gentis, & Joannis eorum Patriarchæ Legati. Abſolutâ enim Græcorum & Armenorum unione, Eugenius ſub fine anni 1439 miſerat prædictum Albertum in partes Orientales Indiæ, Æthiopiæ, & Jeruſalem Commiſſarium, ut hos quoque Græcorum, & Armenorum exemplo ad obedientiam & Synodi celebrationem adduceret. *Hi igitur Ægyptum incolentes*, inquit Spondanus anno 1441, num. 1, *cùm unà cum Græcis, Armenis, aliiſque populis ab Eccleſia Romana ſchiſmate aut errore divulſis, ab Eugenio Pontifice per literas & Oratores ad Synodum & unionem invitati fuiſſent, tardiùs paulò cæteris* (nempè Græcis & Armenis) *ob diverſas difficultates Florentiam pervenere*, &c. At non mirum ſi Jacobitæ tardiùs pervenerint, quippe cum unio Græcorum & Armenorum facta fuerat, antequam Eugenius invitaſſet Jacobitas ad unionem. Itaque die Jovis ultima Auguſti præfatus Andreas Abbas, præſidente Eugenio, in idiomate Syrorum religioſam & reverentem habuit Orationem, in qua ſupremam Romani Pontificis poteſtatem agnovit: Deinde unionem poſtulavit & exhibuit ſuæ Legationis inſtrumentum, quod incipit ut ſequitur. *Joannes humilis ſervus ſervorum Chriſti, Miniſter Sedis S. Marci, magnæ ſcilicet Alexandriæ & totius Ægypti, Libyæ, Æthiopiæ, Pentapoleos Occidentalis, Africæ, totiuſque prædicationis Apoſtoli Marci, humilis dico in ſuis peccatis, petita prius venia & abſolutione ab ipſo Domino, uſque ad terræ pavimentum coram te juſtiſſime ac Sanctiſſime Pater, inclinat perfectio Sacerdotii, Paſtor optime, honeſtatis ac Sanctitatis princeps, piiſſime ductor eorum, qui in via hujus peregrinationis incedunt, qui ſtudio ac ſanctitate ceteris viam ſalutis oſtendis, Domine Eugeni Papa magnæ urbis Romæ, omnium Eccleſiarum Chriſtianarum Apoſtolice Paſtor, principum Chriſti Sedium nutrix, venerande, Patrum ac Sacerdotum Princeps, & medice languentium animarum*, &c. Extat Tomo XIII Concil. col. 1201, *Datum Chayren duodecima Septembris anno 6940, ſecundum*

Græ-

Digitized by Google

Græcos, *ſecundùm verò Jacobitas* 1157, *à tempore Martyrum: à computatione Incarnat. Dom.* 1440. Peculiaris hæc eſt, & antiqua totius Ægypti Chronologia, ut à Sanctis Martyribus numerent annos; etenim horreſcentes recenſere nomen Diocletiani Imperatoris, in annorum numeratione, quam ille ab exordio ſui Imperii faciendam præſcripſerat, ipſi ab ejuſdem Imperii anno primo, itidem numerum deducentes, loco nominis perſecutoris Eccleſiæ Diocletiani, Sanctos Martyres poſuerunt. Mirum ſanè quòd Spondanus loco laudato ſcripſerit, decretum unionis Jacobitarum confectum fuiſſe anno 1441. Proculdubio non obſervavit, quod ſæpè ſæpiùs obſervat, annum 1441 *Incarnationis Dominicæ pridie Nonas Februarii*, quo tempore datum & confectum fuit decretum unionis Jacobitarum, nobis eſſe annum 1442. Ceterùm Eugenium orthodoxæ fidei formulam Jacobitis tradidiſſe, proximo anno viſuri ſumus.

CLXXVI. *Item acceſſit Legat. Regis Æthiopiæ.* Idem Albertus Sartianenſis, non ſolùm Andream Abbatem S. Antonii in Ægypto Jacobitarum Legatum, ſed & etiam hoc eodem anno ſecum adduxit Petrum Diaconum, qui unà cum Andrea prædicto munus Oratoris obibat Conſtantini Zaræ Jacob Imperatoris Æthiopum, vulgò dicti Presbyteri Joannis, ſicut conſtat ex Eugenii Epiſtola data *Florentiæ IV Nonas Octobris anni* 1441, *Pontif. XI*, in qua commendat Canonicis & Capitulo Baſilicæ Principis Apoſtolorum *dilectos filios Andream Abbatem S. Antonii de Ægypto, & Petrum Diaconum Oratores magni Principis Conſtantini Imperatoris Æthiopum*, qui ad Urbem ſe conferebant, viſuros ſanctam Dei & Salvatoris imaginem, ſive, ut dicunt, Sanctam Veronicam. Præterea Eugenius aliâ Epiſtolâ eâdem die pro Angeli Mauroceni militis Scienſis commeatu ſcriptâ, teſtatur eundem Angelum Oratores prædicti Conſtantini Imperatoris Æthiopum adduxiſſe. Extant Tomo XIII Concil. col. 1217. Ceterùm Conſtantinus Imperator Æthiopiæ vocatur *Zara Jacob*, quod cognomen ſignificat filium ſeu ſemen Jacob; præfati enim Reges ex Jacob per Salomonem & Reginam Saba gloriantur originem ducere. Quoad etymologiam vocis *Presbyteri Joannis*, vide jam dicta in Vita Alexandri III num. XCVIII, ubi ex Annotatore Baronii colligitur Reges illos olim Sacerdotes fuiſſe, ſed Neſtorianos.

CLXXVII. *Decretum Baſileenſium de feſto Viſitationis B. Virginis in Seſſione XLIII.* Dum hæc agerent Patriarchæ Orientis pro unione eorum cum Eccleſia Romana, Baſileenſes in Seſſione quadrageſima tertia Kalendis Julii celebrata, ſtatuerunt ad pacem & unionem fidelium interceſſione B. Virginis obtinendam, quòd per ſingulas Chriſtianorum Eccleſias, quolibet anno VI Nonas Julii, ſeu die ſecunda Julii feſtum Viſitationis Glorioſæ Virginis celebraretur: qui verò Matutinis, Proceſſionibus, Concioni, Miſſæ, Officio, Primis aut ſecundis Veſperis interfuerint, pro unoquoque officiorum prædictorum centum dierum Indulgentiis donantur. Hanc feſtivitatem inſtitutam & ab Eccleſiâ receptam, ſuo loco diximus, anno ſcilicet 1389, tempore Urbani VI, qui hoc feſtum inſtituerat; & licèt ſuperveniente morte literas Apoſtolicas de eo feſto non edidiſſet, attamen Bonifacius IX ejus ſucceſſor Romæ quinto Idus Novembris anni primi ejus Pontificatûs, Urbani VI Sanctioni auctoritatem adjecit, Conſtitutione quam refert Raynaldus num. 3, in qua ait: Urbanum *ſexto Idus Aprilis Pontificatûs ſui anno undecimo* ſtatuiſſe, ut præfatum feſtum Viſitationis ſexto Nonas Julii ſub duplici officio ſolemniter celebraretur. Quo autem ordine ad hujuſmodi inſtitutionem Baſileenſes proceſſerint, narrant Acta Patritiana, nimirum cùm per longum tempus de illa inter ipſos diſceptatum fuiſſet, eò quòd declaratio à Bonifacio IX facta ſchiſmatis tempore, non fuiſſet ſuſcepta a Sectatoribus alterius obedientiæ; tandem de inſtitutione hujus Feſti decretum condiderunt; ſed cùm videretur pleriſque illud promulgandum eſſe *Felicis nomine, ſacro approbante Concilio*, quod obſervatum dicerent in antiquis Conciliis, vel ſaltem addendum *Papa Felice præſidente*, ut Senis fuerat factum in ultimo Concilio de Præſidentibus Martini Pontificis; aliis verò decretum ſub neutra formula promulgandum minimè placeret, annuente Felice, utraque dimiſſa eſt, & decretum publicatum nomine Synodi.

CLXXVIII. *Geſta Legatorum Eugenii & Baſileenſium in Conventu Moguntino.* De his quæ geſta ſunt in Conventu Moguntino audiamus Acta Patritiana, quæ referunt, quòd dum Joannes Segobienſis, Cardinalis Sancti Calixti appellatus, aliorum Legatorum Baſileenſium & Principum adventum Moguntiæ expectaret, per plures dies expoſtulavit, ut Concilii nomine audiretur; cui Principum nomine reſponſum: Principes nullo pacto diſceſſuros ab unione quam juraverant: audituros illum ut Concilii Oratorem, ſi Crucem & Cardinalis habitum domi relinqueret, quoniam pro Cardinali aut Legato eum non haberent: Idem ſe facturos, ſi quis Cardinalium ab Eugenio creatorum poſt ſuſpenſionem adveniret. Paulò poſt Cardinalis Arelatenſis ut Legatus de Latere, unà cum Joanne Grunwalder, quem appellabant S. Martini Cardinalem, Moguntiam venit. Ingens per multos dies contentio habita eſt, ex eo quòd Principes Electores Joannem Lyſuram ad Cardinalem Arelatenſem miſerant, aſſerentes

ſe

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

ſe eum honoraturos ut verum Cardinalem, ſi Legationis Inſignia poneret, atque audituros eum æquo animo & alios, ſcilicet Joannem Segobienſem, & Joannem Grünwalder, ſi ille crucem, alii habitum Cardinalis domi, dimitterent. Baſileenſes autem nullo modo cedere volebant, & Principes ſe aliò translaturos Conventum aſſerebant, niſi acquieſcerent. Tandem cives & Magiſtratus Moguntini Baſileenſibus ſignificarunt, quòd niſi voluntati Principum acquieſcerent, & infra octo dies ab eorum urbe non diſcederent, ſe fidem publicam revocaturos. His auditis Baſileenſes Legati, ne cauſam ſuam indefenſam dimitterent, cedere ſtatuerunt; igitur die vigeſima quarta Martii Cardinalis Arelatenſis cruce domi relictâ, ad locum Congregationis venit, ubi multa primùm ipſe, & plura Thomas de Corcellis ejus collega dixit de ſuprema poteſtate Conciliorum, de recto Concilii judicio contra Eugenium, & de legitima & neceſſaria electione Felicis: Poſtridie Eugenii Legati auditi ſunt, & Joannes Carvaïal Apologiam his verbis ſumens: *Ejice ancillam & filium ejus, quia non erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ*, &c. Multa & miranda dixit contra adverſarios, cujus orationem ſuſcipiens Nicolaus de Cuſa ejus collega, non minora eſt proſecutus, adverſariorum dicta proſternendo, ſuaque confirmando, & demùm atteſtando Amedeum, Papatum, quem ſub ovina pelle occupaverat, atque ab electoribus emerat, Venetis promiſiſſe duodecim millia equitum, ſi dimiſſo Eugenio ſecum ſentirent: Item depoſitionem Eugenii ab Epiſcopis tantùm ſeptem factam fuiſſe, licèt juxta Canones ſimplicis Epiſcopi depoſitio non niſi à duodecim ad minùs Epiſcopis ritè canonicèque fieri poſſit. Addunt Acta Patritiana auditos fuiſſe Eugenianos non ſine magno Principum applauſu, quòd viſi eſſent optimè adverſariorum objecta repuliſſe: Reſpondiſſe tamen rursùm Baſileenſes per organum Joannis Segobienſis, qui ibi longum tractatum habuit in duodecim partes diviſum, quo infinitis argumentationibus, rationibus, & Scripturæ, Patrumque teſtimoniis confirmare niſus eſt quæ priùs fuerant dicta, & veritates à Concilio approbatas defendere; Contra hæc ſequenti die Engenianos auditos fuiſſe, qui dicta Baſileenſium & inique geſta damnarunt & irriſioni expoſuerunt; Baſileenſes ſubinde audiri petentes, non fuiſſe ampliùs admiſſos; Principeſque unà cum Legatis Cæſaris, & Francorum Regis in hanc ſententiam conveniſſe: *Pro pace Eccleſiæ congregandum eſſe Generale Concilium alio loco extra Baſileam & Florentiam: Si contendentes, vel alter eorum locum eligere noluerint, Cæſarem nominatum iri loca ſex in Germania & totidem in Gallia: Conciliumque omninò inchoandum Kal. Auguſti anni proximi* 1442. Hic finis fuit (pergunt Acta) Moguntinæ diætæ, quæ more Germanico Francofordienſem diætam peperit. Quid autem fuerit Francofordiæ, proximo anno viſuri ſumus.

CLXXIX. *Decretum pro Jacobitis.*

Hunc annum milleſim. quadringenteſ. quadrag. ſecundum auſpicabimur à concordia & unione Jacobitarum Orientalium, ad quam admitti petierant anno ſuperiori, ut oſtenſum eſt Literis Joannis Patriarchæ Jacobitarum jam citatis. Electi fuerant aliqui præcipui Viri Concilii, à quibus habiti ſunt cum Andrea Abbate Patriarchæ Legato congreſſus varii, in quibus tùm Jacobitarum errores detecti ſunt, tùm expoſita illis contraria fidei myſteria, quæ Eugenius in publica Seſſione pridie Nonas Februarii, ſeu die quarta Februarii anni 1441, qui nobis eſt 1442, promulgari fecit, Decreto a ſe ipſo & à duodecim Cardinalibus ſubſcripto, in quo continetur: De Sanctiſſima Trinitate & erroribus veterum hæreticorum circa illam: De rerum creatione & Veteris ac Novi Teſtamenti libris, uno eodemque Deo auctore conſcriptis, & Manichæorum contraria ſentientium reprobatione: De divinitate & humanitate Chriſti, ac paſſione ejuſdem & humani generis redemptione, cum hæreſum contrariarum condemnatione: De uſu Legalium, quandiuque duraverit: De ciborum delectu: De receptione Sanctarum Synodorum Oecumenicarum Nicænæ, Conſtantinopolitanarum, Epheſinæ, & Chalchedonenſis, cum rejectione hæreſum in iis damnatarum, nec non aliarum item Oecumenicarum Synodorum, ac ſpeciatim Florentinæ: De verbis, quibus conſecratio Euchariſtiæ conficitur, & qualitate panis ad id adhibendi: Denique de multiplicitate nuptiarum ſucceſſivè, dummodò nullum ſit impedimentum Canonicum. Quæ omnia à Legato Jacobitarum humiliter acceptata fuêre, eique tradita ad ſuum Patriarcham & Jacobitas deferenda. Porrò Auguſtinus Patritius teſtatur in Summario Concilii Baſileenſis, Bullam Jacobitarum manu Eugenii & Cardinalium ſubſcriptam, propriis oculis vidiſſe, unà cum aliis Actis ejuſdem Concilii, quæ in arce S. Angeli aſſervantur. Oſtendit pariter Horatius Juſtinianus in ſua editione Concilii Florentini, hanc Bullam ſeu decretum pro Jacobitis, cum inſertione decretorum pro Græcis & Armenis tranſumptam fuiſſe ex MSS. Codicibus Vaticanis, Bullario Romano, & ex Originali Bulla aſſervata in conventu Fratrum Ordinis Minorum Feſulano prope Florentiam.

CLXXX. *Eugen. PP. Synodum Florentinam Romam transfert.*

Eodem anno Eugenium Concilium Florentinum Romam tranſtuliſſe, habemus ab Augu-

Auguſtino Patritio, qui in ſuo Compendio Actorum Concilii Baſileenſis & Florentini ait: *Florentiæ inter hæc Eugenius decimam ſeſſionem celebrat* (quæ ordine jam ſervato, trigeſima dicenda venit.) *VI Kalendas Majs anni ſalutis 1442, in qua aſſerens Zare Jacob magni Regis Æthiopiæ, quem Presbyterum Joannem vocant, Legatum ad Concilium Oecumenicum orthodoxæ fides ſuſcipiendæ gratia properare, Concilium ipſum, ut majorem auctoritatem etiam ex loco ſusciperet, Romam approbante ipſo Concilio transtulit proſequendum in Baſilica Lateranenſi propria, & prima ſede Summi Pontificis XV die poſt ejus ad Urbem reditum. Huic translationi addit & plures cauſas, loci reverentiam & commoditatem, rerum omnium copiam, tum occaſione componendarum provinciarum Eccleſiæ, & pacis ac quietis Italiæ, ceterarumque regionum procurandæ.* Id autem cum effectu præſtitiſse Eugenium, apparet ex publicis Seſſionibus Romæ in Laterano habitis, editiſque de fide Conſtitutionibus pro Syris, Æthiopibus, Chaldæis, & Maronitis, quas infrà ſubjiciemus. Porrò licèt Auguſtinus Patritius referat Eugenium aſseruiſse Legatos magni Regis Æthiopiæ ad Concilium Oecumenicum properare, non tamen deſtruitur id quod diximus anno ſuperiori de acceſsu Legatorum Regis Æthiopiæ, ſed infertur Eugenium alios Legatos ejuſdem Regis expectaſse; poſtquam enim Græcos, Armenos, ac Jacobitas ad concordiam ſuſcepiſset, miſiſse quoque ad Regem Æthiopum quatuor Legatos, intelligitur ex Epiſtola poſt hæc ſcripta à Davide Æthiopum Imperatore ad Clementem VII anno 1524, quam refert Damianus à Goez in Tractatu de moribus Æthiopum ex Verſione Jovii, in qua habetur: *Eugenium Pontificem tranſmiſiſſe Legatos, videlicet Theodorum, Petrum, Didymum & Georgium ad Regem Æthiopiæ cum plena inſtructione rerum in Synodo geſtarum.* Eugenius enim ſibi propoſuerat adventum Legatorum Æthiopum, tanquam rem cujus occaſione commodius & plauſibilius Concilium Romam transferret, cùm nihilominus haud tam citò eò acceſserit.

CLXXXI *Decreta pro tuitione Baſileenſium in Seſſione XLIV.* Nunc ad Baſileenſes revertamur, qui prædicabant Eugenium Romam tranſtuliſse Concilium, ne compelleretur ad aliud Concilium in Germania pro voluntate Principum celebrandum; tùm ut oſtenderet ſe ſummum habere imperium ſupra Concilium, quod de loco ad locum pro ſuo arbitrio transferret, ut fecerat ex Baſilea Ferrariam, ex Ferraria Florentiam, & inde demum Romam. Sed quia Conventus Francofordienſis celebrabatur, Felix V ſtatuit, ut dum Conventus ille ſederet, nihil Baſileæ de gravioribus cauſis ageretur, ne aliquo modo Principum animi poſsent irritari. Hinc die nona Auguſti Seſſio quadrageſima quarta habita eſt, quâ in integrum reſtituuntur illi, qui Concilio Baſileenſi interfuerant, eaque de cauſa ſuis beneficiis ab Eugenio ſpoliati fuerant.

CLXXXII. *Geſta in Conventu Francofordienſi.* Aderant Francofordiæ (ut narrant Acta Patritiana) Legati Concilii Baſileenſis, ſcilicet Cardinalis Arelatenſis, Nicolaus Archiepiſcopus Panormitanus, & Joannes Segobienſis: Eugenii pariter Legati Joannes Carvajal, Nicolaus de Cuſa & Jacobus Ferrarienſis. Baſileenſes Cæſarem adierunt, redditiſque Literis Concilii & Felicis, orarunt ut juſtitiam libertatemq; Eccleſiæ, cujus erat protector, tueri vellet; quibus Fridericus reſpondit, ſe nihil magis cupere quàm Eccleſiæ pacem dare, & propterea Conventum Principum indixiſse: Verùm oportere eos paucis diebus præſtolari, quoad ex Aquiſgrano, quò ſuſcipiendæ primæ coronæ gratiâ iturus erat, reverteretur: Interim poſse Baſileenſes & Legatos Eugenii jura ſua exponere his, quos ipſe ſuo & Principum nomine ad hoc opus conſtituerat, ne in ſuo reditu collitigantes oporteret audire. Auditi ſunt Baſileenſes per tres dies, qui probare conati ſunt Romanum Pontificem Concilio obedire oportere, neque ab Eugenio potuiſse diſsolvi: Eugenium legitimè à Concilio Baſileenſi fuiſse privatum Pontificali dignitate, & Felicem canonicè illi ſubrogatum. Deindè admiſſi ſunt Legati Eugenii, qui per tres dies oſtenderunt Eugenium ritè & neceſsariò Concilium tranſtuliſse: Judicium contra Eugenium injuſtum fuiſse, criminationes omnes falſas, electum Baſileenſem, electoreſque inhabiles. Dum hæ fiebant altercationes, Fridericus coronabatur Aquiſgrani à Theodorico Archiepiſcopo Colonienſi, die ſcilicet decima ſeptima Junii; unde ex jam dictis refellitur Onuphrius Panvinius, qui eodem menſe, quo Cæſar electus fuerat, etiam coronatum ſcribit. Rediens inde Fridericus initio menſis Auguſti Francofordiam, auditis quæ ibi interim fieri contigiſset, ſtatuit de conſilio Principum, aliud Concilium indubitatum eſse celebrandum, mittendos Nuncios Baſileam & Florentiam, & interim Germanos in ſua ſuſpenſione manſuros; deditque ſuis Nunciis in mandatis, ut cùm ad Eugenium pervenerint, eum venerentur ut Romanum Pontificem, excuſentque Cæſarem & Principes, cur tamdiu in Neutralitate perſeverarent: Petant celebrari intra Germaniam aliud Generale Conciliũ ad pacem conciliandam tanquam unicum remedium: Felici autem non exhibeant reverentiam ut Pontifici, ſed per Internuncios cum eo agant. CLXXXIII. *Baſileenſes translationem Concilii concedunt Friderico.*

Pergunt Acta, Fridericum decimo octa-

octavo Kal. Octobris, ſeu die decima quarta Septembris Baſileam appropinquantem, cùm à Patribus ei occurrentibus rogaretur urbem intrare, omninò recuſaſſe, niſi priùs conſentirent celebrationi alterius Concilii; cùmque ſuper hac petitione diu multumque diſceptatum fuiſſet inter Patres, tandem in ſua Congregatione habita die ſexta Octobris translationem Concilii conceſſerunt Friderico, ſicque reſponſum eſt Cæſaris Legatis: *Quamvis Synodus Baſileæ legitimè congregata, nullibi majori commoditate ſecuritateque eſſe poſſit, ſitque Patribus valdè periculoſum locum mutare, tamen pacis deſiderio parata eſt ſe ipſam transferre ad locum ejuſdem nationis, rebus gerendis accommodum ac Regiæ Majeſtati gratum, ſi ſecuritates opportunæ ordinentur*, &c. Habetur inter Epiſtolas Synodales Tom. XII Concil. col. 787, & ſeq. His peractis Fridericus die undecima Novembris Baſileam ſolemni pompâ ingreſſus eſt, ibique per tres dies commoratus ſub crepuſculo diei ante receſſum cum paucis Felicis domum nudo capite adiit, & in Camera, quam *Pappagalli* vocant, ſubſtitit: Illuc, è cubiculo egreſſus Felix cum novem ſuis Cardinalibus, præcedente Cruce, advenit, quem Fridericus modeſtâ reverentiâ excepit, & per Epiſcopum Chiemenſem ſe excuſavit, quòd non exhiberet ei reverentiam Romano Pontifici debitam, ut paci aptior foret: Hortatuſque eſt Felicem & ſuos, ut ad pacem Eccleſiæ dandam omnino ſe diſponerent, quam ipſe totis viribus proſequeretur: Chiemenſis Epiſcopus, ne illum Pontificalibus titulis unquam appellaret, *Clementem benignitatem tuam* dicebat, non *Sanctitatem*, aut *Beatitudinem*. Felix verò Pontificalibus verbis uſus benignè Cæſari reſpondit, egitque gratias pro viſitatione. Multis prætereà hinc inde dictis, Fridericus ſequenti die Baſileâ diſceſſit; paucisque poſt diebus, Felix valetudinis gratiâ (ut dicebat) Lauſannam petiit, pollicitus tranſactâ hieme ad Concilium ſe rediturum.

CLXXXIV. *Eugenii PP. reſponſio ad Conventum Francofurd.*

Eugenius autem Legatis ad ſe è Conventu Francofordienſi miſſis poſt multas conſultationes, reſpondit: Mirari ſe Cæſarem & Principes petere Generale Concilium indubitatum celebrari, cùm ipſe ſacram Oecumenicam Synodum auctoritate Apoſtolica, & omnium Patriarcharum Orbis Chriſtiani inſtitutam celebraret, mirabilium rerum effectricem; quam ſi in dubium revocare vellent, profectò fidem Catholicam oppugnarent, & Dei ordinationi reſiſterent: Optare ſi qui tali errore tenerentur, ut ratione inſtruerentur, rejectiſque ſtultis ac perfidis Baſileenſium dogmatibus, doctrinam Apoſtolicæ Sedis ſuſciperent: Poſſe igitur in ea Synodo, magno Prælatorum numero congregata, rectè conſuli & dubia aperiri, ſi quà eſſent: Tamen ut Cæſari & Principibus morem gereret, quàm primùm Romam pervenerit, ubi apud Lateranum Generale Concilium tranſtulerat, convocaturum Prælatos majori numero, & tractaturum cum eis, an expediret aliud Concilium celebrari, & qui admittendi, quive repellendi eſſent in eo Concilio: Miſſurum ſe tamen ſuos Legatos, qui de iis cum Cæſare & Principibus agerent, quamquàm non videret, quid cum eis rectè agi poſſet, niſi Neutralitatem deponerent, & reverterentur ad priſtinam Apoſtolicæ Sedis reverentiam, quâ unâ re pacem Eccleſiæ daturi forent; quod ſi facerent, concurrentibus aliis Regibus & Principibus qui ſolidi remanſerant, libenter ſe aliud Concilium celebraturum. Ita Auguſtinus Patritius in ſuo Compendio Concilii Baſileenſis & Florentini.

CLXXXV. *Alfonſus Rex Aragoniæ Neapolim occupat.*

Hoc anno graviſſima in Neapolitano regno bella Alfonſus Rex Aragoniæ geſſit, cùmque Neapolim obſideret, tandem jure armorum (omni enim alio erat deſtitutus, ut jam diximus) fruſtrà obnitente ei Renato Duce Andegavenſi legitimo hærede, die ſecunda Julii poſtquàm hoſtes per cloacam ſubterraneam ingreſſi fuiſſent, eam obtinuit. Redactam in ſuam poteſtatem urbem edicto diripi vetuit, ut eâ clementiæ ſpecie civium animos ſibi conciliaret. Renatus autem fugam cepit, qui Florentiam adveniens, ubi erat Eugenius, ibique honorificè tractatus, cùm multa recuperandis amiſſis, aut retinendis quæ adhuc ejus nomine tenebantur, fruſtrà tentaſſet, ad propria eſt reverſus, ſcilicet in Galliam; totoque regno Apuliæ Alfonſus potitus eſt.

CLXXXVI. *Ejus concordia cum Eugenio PP.*

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo tertio ſeptima die menſis Martii Florentiâ exiens Eugenius Romam petiturus, poſt tres dies Senas ingreſſus eſt, ibique ſex menſes commoratus, didicit fœdus initum cum Alfonſo pridie Idus Junii, ſeu die duodecima Junii per Ludovicum Patriarcham Aquilejenſem, quem cum ſuis Literis ad hoc Terracinam miſerat. Hujus autem fœderis, hæ conditiones erant: Ut Alfonſus Eugenium verum Pontificem agnoſceret, ſubditoſque populos in ejus obſequio contineret, libertatem Eccleſiaſticam non infringeret, labefactamque in priſtinum ſtatum revocaret, oppida Eccleſiæ Romanæ quæ occupaverat reſtitueret: ſex triremes inſtrueret, eaſque Pontificii Legati claſſi ad bellum ſacrum Turcis inferendum jungeret: Prætereà ad Picenum è Franciſci Sfortiæ tyrannide vindicandum, quatuor equitum millia & pedites mille ſubſidio mitteret Pontificio exercitui. Vi-

cis-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

ciſſim verò Eugenii nomine à Legato promiſſum eſt Alfonſo adoptionem, qua Joanna hujus nominis II Siciliæ Regina ipſum in filii locum cooptarat, corroboratam iri: Ut regnum Neapolitanum Alfonſo cederet iiſdem juribus & formis, quibus per Romanos Pontifices aliàs concedi conſuetum erat, & cum clauſula (quamvis regnum armis & vi in ſuam poteſtatem redegiſſet). Firmavit hæc pacta conventa die ſexta Julii Eugenius Apoſtolico Diplomate dum Senis verſabatur, in quo diſertè exprimitur: Quòd ſi Alfonſus nullam poſt ſe relinqueret prolem legitimam, regnum ad Eccleſiam rediturum; ſed Alfonſi rogatu, Eugenius aliam pudendam conditionem adhibuit, ut ſcilicet Ferdinandus filius illegitimus Alfonſi ſucceſſor eſſet in regno unà cum ipſius progenie; attamen voluit Eugenius ut Bulla legitimationis Ferdinandi non publicaretur, quamdiu ipſe viveret; *Quaſi ſcilicet*, inquit Spondanus anno 1443 num. 3, *tolerabilius eſſet famæ maculam æternum poſt mortem pati, quando nulla ſupereſt emendationis via, quàm pauco tempore in vita, dum adhuc facultas eſt res in integrum reſtituendi*. Hæ ſunt injuſtæ conditiones pacis, invitè ac coactè, magis quàm ſponte ab Eugenio confirmatæ; quomodo enim Eugenius poterat privare legitimum hæredem Ducem Andegavenſem ſuo jure, confirmando adoptionem Alfonſi à Joanna II factam? quæ adoptio, ut diximus num. XCVIII, juſtiſſimis de cauſis revocata fuerat. Ut autem cognovit Alfonſus Eugenium omnia confirmaſſe, Literis ſuis XII Kal. Julii per omnes regnorum ſuorum provincias promulgavit, ſe poſt longam conſultationem, cùm in rebus Eccleſiæ dubius admodùm fuiſſet, revelante divinâ gratiâ, cognoviſſe Eugenium eſſe Summum & verum Romanum Pontificem, cui vellet ab omnibus obediri, & Baſileenſium acta irrita eſſe. Quare Panormitanus, Dertuſenſis, & Vicenſis Felicis Cardinales, Alfonſi ſubditi, quique in ejus regnis poſſidebant beneficia, dum Regis voluntatem cognoverunt, pridie Nonas Auguſti è Baſilea diſceſſerunt; quos ſecuti ſunt reliqui ferè omnes alii Alfonſi ſubditi, qui Baſileæ erant.

CLXXXVII *In Seſſione XLV, & ultima alia loca nominantur pro futuro Concilio.*

Tandem Seſſionem quadrageſimam quintam & ultimam celebrarunt Baſileenſes, die decima *ſexta* menſis Maji hujus anni 1443, non autem anni præteriti, ut in Actis Concilii Baſileenſis Tomo XII col. 658, & in Notis Binii legitur; quia cùm Seſſio XLIV habita ſit die nona Auguſti anni 1442, ut diximus, non potuit celebrari Seſſio XLV die decima ſexta Maji ejuſdem anni 1442, alioquin inverteretur & tempus & ordo Seſſionum; eſt ergo corrigendus error in anno. In hac ultima Seſſione ex decretis Concilii Conſtantienſis & ipſius Baſileenſis ſtatutum eſt aliud Concilium Generale celebratum iri poſt triennium in civitate Lugdunenſi; atque ideo omnibus Cardinalibus, Patriarchis, Prælatis, aliiſque intereſſe debentibus præcipitur, ut ſtatuto tempore ad locum nominatum accedant: Felici conceſſum eſt ut ſtatutum terminum abbreviare poſſet: Haud tamen prætereà diſſolutum cenſeri debere Baſileenſe, ſed potiùs illud velle continuare & proſequi, præſertim ſi civitas Baſileenſis ſecuritatem hactenus Concilio conceſſam ſervaverit illæſam: Quòd ſi verò impedimentum aliquod incideret, pro continuatione Concilii nominarunt civitatem Lauſanenſem ejuſdem provinciæ Biſuntinæ. Hic terminum & finem ponimus Concilio Baſileenſi; quamvis enim Baſileæ & poſtea Lauſannæ ſubſtiterit uſque ad annum 1448, quo anno prævia obſidione urbis diſſolutum & diſſipatum fuiſſe, atque ex glorioſo principio humilem finem conſecutum fuiſſe ſcribit Paulus Langius in Chronico Citizenſi. Idem indicatur in Bulla Nicolai V data *Spoleti anno Incarnationis Dominicæ* 1449, *XIV Kal. Junii*, *Pontificatûs noſtri anno tertio*, quæ reperitur Tomo XII Concil. poſt Seſſionem XLV col. 663. Nihil tamen aliud memorabile actum invenitur, quàm quòd interceſſione Friderici Imperatoris, Felix V Antipapa creatus, ad pacem Eccleſiæ conciliandam, ad Acta Concilii Baſileenſis improbanda, Pſeudo-Pontificatum reſignaverit; atque ideo quæ de beneficiis in Concilio Baſileenſi conſtituta fuerant, pacis & unitatis gratiâ Nicolaus V approbavit, ſeque benignum & clementem erga Amedeum Sabaudiæ præbuit, ut ſuo loco dicetur.

CLXXXVIII *Eugenius Pp. Romam pergit.*

Romani experti quòd nulla eſſet Roma, ſine Romani Pontificis Curiæ reſidentia, miſerant Legatos, qui reditum perſuaderent Eugenio, veniamque peterent de geſtis contra eum. Demùm Eugenius egreſſus eſt Senis die decima quarta Septembris, & die vigeſima octava ejuſdem menſis Romani populi concurſu & acclamatione Romam intravit. Sequenti verò die ad Sanctum Petrum iturus, Pontificio habitu per Urbem incedens, cùm tumultuantem populum intelligeret ob duplicatum tributum & vectigale novum vino impoſitum, exactionem illam ut minùs liberalem ſuſtulit. Quo facto, ſtatim ſucclamatum ab omnibus, inquit Platina: *Vivat Eugenius*, cùm antea clamaſſent: *Moriantur nova vectigalia, eorumque inventores*. Poſt dies verò decem & novem ad Lateranum proficiſcens, Concilium Generale eo loci ſe habiturum denunciavit, miſſis ad Principes Literis & Nunciis, quibus ea de re certiores fierent. Hac enim ratione infirmari ac

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

tolli omninò Concilium Baſileenſe volebat, pergit Platina in Vita Eugenii. Animum deinde applicuit ad Picenum è manibus Franciſci Sfortiæ vindicandum per Alfonſum Aragoniæ Regem, & Picininum copiarum Philippi Mediolanenſis Ducem.

CLXXXIX. *Julianus Cardinalis contra Turcas miſſus.*

Hic cùm optimam manum daret Eugenius, Turcarum Imperator Amurathes cum centum millibus pugnatorum intraverat Hungariam, ſed ob ſterilem annum commeatûs penuriâ compulſus receſſit. Adversùs eum Eugenius miſerat Julianum Cardinalem tit. S. Angeli, qui Hungarorum extulit animos, & arma ſumere perſuaſit; quibus adjuncta eſt ingens voluntariorum multitudo, qui piæ Crucis militiæ nomen dederant: ſic compoſitus exercitus Chriſtianorum uſque ad Sophiam profectus eſt; cùmque Wladislaus Poloniæ Rex, qui Hungariam occupabat, intellexiſſet prope adeſſe Turcas ad Moravam fluvium, præmiſſus ab eo Joannes Huniades Vaivoda cum decem millibus equitum, adeò feliciter rem geſſit, ut Turcæ ſuperati terga dederint. Porrò Hungari, qui huic bello interfuére, cupiditate gloriæ res ſuas amplіantes (inquit Æneas Silvius de Europ. cap. 5) ac de magnis majora tradentes, Friderico Imperatori ſcripsêre ſuperatos bello Turcas, triginta millium cæſa, capraque multa plura. At Cardinalis Julianus ſex millia dumtaxar hoſtium in eo prælio cecidiſse ſuis literis affirmavit, ſigna militaria novem capta; Joannem Huniadem non Ducis tantùm, ſed militis quoque ſingulari virtute uſum; eique fides habita eſt.

CXC. *Decernitur bellum in Turcas præter fœdus oblatum.*

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quarto plerique Principes congratulantes Wladislao Regi, & ad proſequendum bellum adeò feliciter inchoatum cohortantes, Eugenius cum Venetis, Genuenſibus, & Philippo Duce Burgundiæ, claſsem ad prohibendum Turcis ex Aſia tranſitum ei obtulerunt. Et revera inſtructa fuerat in Italia claſſis ſeptuaginta triremium, cui Franciſcus Condulmerius, Eugenii ex fratre nepos, Cardinalis Camerarius & Vicecancellarius, præficiendus erat, ut conſtat ex literis Eugenii datis *Romæ apud S. Petrum anno* 1444, *Non. Septemb. Pontificatûs noſtri anno XIV*, apud Raynaldum anno 1444 num. 3. Verùm conſternatus ac metu perculſus Amurathes, ad diſſipandos militares Chriſtianorum apparatus, pacem petiit. Hungari qui ſuas vires non ignorabant, nec tam potentiæ ſuæ, quàm caſui victoriam imputabant, conditiones pacis oblatas gratas habentes, fœdus inierunt. Moleſta ea res fuit Juliano Cardinali, cui proſequenda victoria videbatur; Eugenio quoque nihil moleſtius nunciari poruit; quare Juliano ſcripſit nullum valere fœdus, quod ſe inconſulto initum fuerat. Itaque Julianus apud ſuſpenſos Hungarorum animos, magno eloquentiæ vigore conſiderare juſſit, in quas miſerias præceps conſilium ipſos conjeciſset, à jusjurando Turcis præſtito auctoritate Pontificis, cujus Legatione fungebatur, liberavit; maximè quia aderant cauſæ repudiandæ concordiæ, quoniam Turcæ ad conſtitutam diem neque captivos omnes ſolverant, nec oppida ex fœdere promiſsa reddiderant; neque ante id tempus barbari promiſsam fidem ſervaſsent. His aliiſque propoſitis flexit Regis animum Julianus Cardinalis, impulitque, ut novo ſacramento ſe cum Proceribus ad redintegrandum bellum Turcicum obſtringeret. Itaque confectum eſt decretum de abrogatione fœderis, quod miſsum fuit ad Imperatorem Conſtantinopolitanum, & Franciſcum Cardinalem Eugenii nepotem & claſſis Præfectum, ne cœpta desererent.

CXCI. *Chriſtiani vincuntur in prælio Varnenſi.*

Varii Scriptores eleganter & variè conſcripſerunt de *prælio Varnenſi*, quod factum eſt die decima Novembris hujus anni 1444 in Vigilia S. Martini; ſed antiquior & auctoritate major abſque dubio eſt Æneas Silvius ea tempeſtate Friderici III à ſecretis, qui conſequenter quæ acta fuerunt apprimè ſcire potuit. Is igitur de hoc bello agens hæc refert: Præter Philippum Burgundiæ Ducem, neminem Chriſtianæ religionis zelus commovit, & ſolus claſſem inſtruxit, quæ uſque in Helleſpontum profecta Turcis ex Aſia tranſitum in Europam prohibere conata eſt. Franciſcus Cardinalis Eugenii nepos cum pluribus triremibus eò miſſus, Claſſi præfuit: Wladislaus, accerſitis è Polonia ac Boëmia, cæteriſque vicinis regionibus auxiliis, coactis ex Hungaria copiis, Turcarum agros invadere ſtatuit: Joanni Huniadi caſtrorum curâ commiſſâ: Juliano Cardinale milites Cruce ſignatos non paucos ſecum ducente: Tranſito Danubio ubi in Myſiam ventum eſt, Amurathes hoſtium cognito adventu, cùm non ſatis confideret Græcis ac Turcis in Europa manentibus, exercitum ex Aſianis militibus comparavit: anxio animo de trajiciendo freto, quod à claſse Apoſtolica obtinebatur, quidam Genuenſes ſuis navibus copias tranſportarunt, aureo nummo vectoribus Genuenſibus per capita tradito. Chriſtiani locum attigerant, cui *Varna* nomen eſt: Cedendum Wladislao, Cardinalique Juliano viſum eſt (pergit Æneas) & ne circumveniri poſsent, munitum montanumque locum petendum; ſed reſiſtente Huniade vicit ejus ſententia, ut expectarentur hoſtes. Cùm verò poſtera die hoſtium exercitum contemplatus eſſet, territus idem Huniades, de fuga Regem admonuit; Rex verò pernicioſam magis fugam, quàm pugnam dixit, præliumque ex-

pe-

Digitized by Google

pectavit. Dato belli ſigno quindecim nillia equitum, facto globo in Chriſtianos impetum fecerunt: irum eſt ferocibus utrinque in pugnam animis; pugnatum eſt pluribus hotis, nunc Chriſtianis, tunc Turcis propinquiore victoriâ ſe ſe præbente: Verùm Huniades, ut primùm cedere Chriſtiana ſigna conſpexit, cum decem millibus Hungaris ac Walachis ex acie ſe ſubtraxit, atque inſalutato Rege, nutante adhuc victoriâ fugam arripuit: Wladislaus ſuæ ſorti dimiſſus, dum fortiter pugnaret, equo dejectus obtruncatus fuit; Poloni ad unum omnes cæſi; Julianus Cardinalis dum fugeret, amiſſo prælio, cùm jam hoſtes evaſiſſet, Hungarorum manus evadere non potuit, dum potum equo daret apud ſtagnum fotte repertum, à latrunculis quibuſdam notus, arbitrantibus pecuniam apud eum eſſe, dejectus equo necatus fuit. Franciſco Cardinali Eugenii nepoti hujus culpa cladis magna in parte imputata fuit, qui neque fretum, utî par fuerat, cuſtodiſſet, neque tranſvectos hoſtes à Genuenſibus maturè Chriſtianis Ducibus nunciaſſet. Ita Æneas Silvius in ſua Europ. cap. 5.

CXCII. *Creatio novorum Cardinalium à Felice V.*

Acta Patriciana referunt Felicem, cùm Baſileâ diſceſſit, quatuor ſuos Cardinales duxiſſe, quorum duo mortui erant, tertiuſque apud Fridericum Imperatorem diverterat; cùmque inſtaret Felix apud Patres ut decretum de creatione Cardinalium pro ea vice relaxarent, permitterentque, ut quinque Cardinales deligeret, ne ſolus omninò videretur, utque Sacra publicè poſſet celebrare: Actam rem eſſe, inquit Auguſtinus Patritius, magnâ Patrum contentione, ac tandem poſt multos dies relaxatum eſſe decretum; & Felicem quinque creaſſe, ſed duos tantùm publicaſse, nempè Joannem Arſium ſeu de Artus Gallum, Archiepiſcopum Tarantaſienſem, & Ludovicum Luſitanum Viſenſem Epiſcopum. Hanc publicationem Spondanus n. 7 ponit anno 1443. menſis Aprilis, quam excerpſit ex Auguſtino Patritio, qui tamen hanc publicationem dicit fuiſse factam anno 1444 ejuſdem menſis Aprilis. Auguſtinus Oldoinus in ſuis additionibus ad Ciaconium, juxta Acta Concilii Baſileenſis, factam fuiſſe die ſexta Aprilis anni 1444 affirmat; ſed quo tempore nominati infra ſcripti incertum, ſcilicet Vincentius Cotus Dembenius Polonus, Gneſnenſis Archiepiſcopus: Willelmus Hugonis de Stagno Gallus, Archiepiſcopus Metenſis; Bartholomæus Vitelleſchus Italus, qui nepos Joannis Vitelleſchi Cardinalis fuerat; Thomas de Corcellis Gallus, Canonicus Pariſienſis; tandem Joannes de Raguſio Ordinis Prædicatorum alumnus, de quo non meminit Ciaconius; quem tamen cooptatum fuiſse inter Pſeudo-Cardinales ex MS. Æneæ Silvii de Concil. Baſil. Auguſtinus Oldoinus asſerit.

CXCIII. *Eugenius PP. Alfonſum Borgiam Cardinalem creat.*

Hoc anno 1444 die Sabbati undecima Maji Eugenius Presbyterum Cardinalem tit. SS. quatuor Coronatorum renunciavit Alfonſum Borgiam Hiſpanum, qui ſub Martino V Archiepiſcopatum Valentinum conſequutus fuerat, ſcientiâ Juris eminentiſſimus & multarum rerum experientiâ præditus. Poſt mortem Nicolai V ſuam aſſumptionem in Pontificatum prædixerat, veraxque fuit ejus vaticinium, quod à Beato Vincentio Ferrerio ſe habuiſſe narrabat. Demùm ad Summum Pontificatum evectus, Calliſti III nomen aſſumpſit. Fallitur Ciaconius cùm ponit ſuam promotionem ad Cardinalatum die duodecima Julii anni 1444, nam, ut notat Auguſtinus Oldoinus, die duodecima Julii ejuſdem anni in Urbem ingreſſus eſt, qui jam Cardinalis renunciatus fuerat.

CXIV. *Item Auream Roſam miſit Henrico VI Anglorum Regi.*

Nicolaus Harpsfeldius in Hiſtoria Anglorum Sæculo XV cap. 4 tradit Eugenium Auream Roſam, a ſe Dominicâ *Lætare* quartâ Quadrageſimæ de more ſolemnibus precibus conſecratam, Henrico VI Anglorum Regi miſiſſe, & juxta antiqua Romanorum Pontificum ſcita, non alio die quàm Dominica *Lætare* admitti ſolitos Romanorum Reges in Auguſtos, nec niſi poſt Roſam auream illis eâ die à Pontifice traditam, Imperii inſignia & Diadema capere. Sed hanc obſervationem rejicit Patruus meus P. 1 hujus Tomi n. XXX pag. 175 ex Theophilo Raynaudo fatente, contrarium ab eo quod refert Harpſeldius, haberi in Ceremoniali Romano lib. 5 cap. 1, in quo legi aſſerit hæc verba: *Pontifex deſcendit ad gradus Baſilicæ cum Imperatore ſub eodem baldachino. Si eſt Dominica* Lætare Jeruſalem, *Pontifex ſiniſtrâ portat Roſam auream; dextrâ benedicit aſſiſtentibus, hinc inde elevantibus fimbrias Diaconibus. Hanc autem Roſam Pontifex antequam ad Eccleſiam deſcendat, in camera Papagalli benedicit cum balſamo & muſco, quod ſingulis annis fit in tali die. Si verò eſſet alius dies*, &c. Conſtat ergo ex Ipſo Ceremoniali Romano inaugurationem Regis Romanorum in Auguſtum, non alligatam fuiſſe Dominicæ quartæ Quadrageſimæ, ſeu *Lætare*. Quoad ritum benedictionis ipſius Roſæ variis conjecturis Patruus meus loco laudato, inductum fuiſſe poſt annum 1400 exiſtimat; quippe cum in Scriptoribus decimi quarti Sæculi nullum benedictionis aureæ Roſæ appareat veſtigium. Porrò nullum Auctorem reperi antiquiorem Paride Craſſo Sacratum Ceremoniarum Præfecto, Auctore Ordinis Romani, quem publicavit Edmundus Martene in Tractatu de antiqua Eccleſiæ diſciplina, qui loquitur de benedictione Ro-

ſæ,

SÆC. XV. EUGENIUS IV. ſæ, hic enim pag. 603 ait: *In quarta Dominica de Roſa, ſive* Lætare, *Miſſam in capella celebrat .... priuſquam Pontifex ad capellam procedat benedicit Roſam, & conſultat cum Cardinalibus ſuper donatione ejus. Et illam propriâ manu geſtat paratus cum pluviali ...... In fine donatur Roſa, & ſi præſens eſt ille Dominus, cui donatur Roſa, portat illam ante Papam, & aſſociatur ſive à Cardinalibus, ſive à familiaribus eorum juxta ſtatûs ſui qualitatem uſque ad ædes habitationis ſuæ.* Paris autem Craſſus illum Ordinem compoſuit tempore Julii II, ut patet ex iis, quæ habet pag. 612. *Sanctiſſimus in Christo Pater & Dominus noſter D. Julius divinâ providentiâ Papa II, dat & concedit omnibus hic præſentibus plenariam indulgentiam in forma Eccleſiæ conſuetam. Rogate Deum pro felici ſtatu ſuæ Sanctitatis & ſanctæ Matris Eccleſiæ.*

CXCV. *Conſtitutionem fidei Syris tradit.* Romam acceſſiſſe Abdalam Archiepiſcopum Edeſſæ, Ignatii Patriarchæ Syrorum, totiuſque nationis nomine Legatum, conſtat ex decreto in Eccleſia Lateranenſi dato *pridie Kalendas Octobris anno Incarnationis Dominicæ* 1444, *Pontificatûs anno decimo quarto*, quod Horatius Juſtinianus in Actis Andreæ de S. Cruce ex Codice Vaticano evulgavit; in quo quidem Eugenius Deo gratias agens, quod poſt unionem Græcorum & reductionem Armenorum & Jacobitarum, qui variis opinionibus involuti, omni tandem diſſenſione relictâ, in unam rectam veritatis ſemitam convenerant: aliæ quoque nationes inter Tigrim & Euphratem Meſopotamiam habitantes, quæ de proceſſione Spiritus Sancti & aliis quibuſdam articulis non rectè ſentientes, miſiſſent prædictum Abdalam, Ignatii Patriarchæ Syrorum, atque totius nationis ſuæ Legatum ad Concilium Lateranenſe, ut eiſdem traderetur ea fidei regula, quam Sacroſancta Romana profitetur Eccleſia. Poſtea ſubdit Pontifex, ſe nonnullos Cardinales & Doctores Concilii delegiſſe, qui cum prædicto Archiepiſcopo de difficultatibus, dubiis, & erroribus illius nationis conferrent: Inventumque eum fuiſſe de fide & moribus rectè ſentientem, tribus dumtaxat exceptis articulis, de Proceſſione ſcilicet Spiritus Sancti, De duabus in Chriſto naturis, ac totidem in illo voluntatibus & operationibus; de quibus cùm plenè inſtructus fuiſſet, profeſſus eſt omnem fidem omnemque doctrinam ſuſcepturum nomine præfati Patriarchæ, totiuſque nationis & ſuo, quæ eidem Sacro approbante Concilio traderetur. Hinc de iiſdem articulis fidei formulam Abdalæ Archiepiſcopo tradidit Eugenius, in Seſſione quæ trigeſima prima dicenda venit, declarantem: *Spiritum Sanctum ex Patre & Filio æternaliter eſſe, & eſſentiam ſuam, ſuumque eſſe ſubſiſtens habere ex Patre ſimul & Filio, & ex utroque æternaliter, tanquam ab uno principio & unicâ ſpiratione procedere: Dominum Jeſum Chriſtum perfectum eſſe in Deitate, & perfectum in humanitate; atque in duabus naturis inconfusè, incommutabiliter, indivisè, inſeparabiliter agnoſcendum, non in duas perſonas diviſum, ſed unum & eundem Dei & hominis filium: In eodem Domino Jeſu Chriſto vero Deo & vero homine, duas eſſe naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfusè; duas etiam naturales voluntates, unam divinam, alteram humanam, non contrarias, ſed humanam ſubjectam divinæ.* Hæc eſt ſumma Decreti, quæ extat Tomo XIII Concil. col. 1222 & ſeq. SÆC. XV. EUGENIUS IV.

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto in Generali Congregatione apud S. Petrum habitâ VII Nonas Auguſti Conſtitutionem edidit Eugenius pro Chaldæis & Maronitis, qui tam Neſtorii, quàm Macarii ſectatores erant; Chaldæi enim Chriſtum purum hominem eſſe, & Beatiſſimam Virginem, non Dei ſed Chriſti genitricem, ſicut Neſtorius, aſſeverabant: Maronitæ impietatem Macarii Antiocheni ſequentes, quamquam Chriſtum verum Deum & hominem eſſe profiterentur, divinam tamen ſolùm in eo voluntatem & operationem eſſe aſſerebant. Miſerat Eugenius poſt unionem Græcorum, Armenorum, Jacobitarum, & Meſopotamiæ populorum reductionem, anno ſcilicet ſuperiori, Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem ad partes Orientis & Cypri inſulam, ut Græcos, Armenos, & Jacobitas ibidem degentes prædicationibus ſuis, & decretorum pro eorum unione editorum expoſitionibus, in ſuſcepta fide, confirmaret; & quos ex aliis ſectis à vera doctrina alienos, tam Neſtorii, quàm Macarii Sectatores inveniret, ad fidei veritatem reducere conaretur; quod diligentiſs. proſecutus fuerat, ut conſtat ex prædicta Conſtitutione, quæ extat Tom. XIII Concil. col. 1225, & ſeq. in qua legitur, Andream Archiepiſcopum Coloſſenſem ad veritatem fidei orthodoxæ perduxiſſe Timotheum Archiepiſcopum Tharſenſem Metropolitam Chaldæorum Cypri Neſtorianum, & Eliam Epiſcopum Maronitarum Macarianum cum univerſo eorum Clero & populo Inſulæ Cypri; Timotheum ipſum, & Iſaac prædicti Eliæ Nuncium Romam acceſſiſſe, & ſolemnem profeſſionem emiſiſſe. Profeſſio fidei ab utroque emiſſa extat loco citato. CXCVI. *Item Chaldæis & Maronitis.*

Dum tot remotæ gentes obſequentes ſe Eugenio præbebant, Felix V Antipapa Avenionem & Comitatum Venaiſſinum in ſuam poteſtatem redigere moliens, Ducem Hugolinum Alamannum cum copiis adver- CXCVII. *Triſtando ſcribit de copiis contra Avenionem miſſis.*

sus

ſuis civitatem Avenionenſem miſerat, quem cives Comitatus Venaiſſini propulſarunt, ut conſtat ex Literis Eugenii Triſtando deſignato Epiſcopo Conſoranno ſeu Conſeranenſi ſcriptis, *dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis* 1444, *V Kal. Februarii, Pontificatûs noſtri anno XIV*, qui annus nobis eſt 1445. *Cùm dudum nonnulli iniquitatis filii quodam Hugolino Alamanni Duce per inſultus & proditionem, facto tumultu, manu armata civitatem noſtram Avinionenſem & Comitatum Venayſini adverſus nos & Romanam Eccleſiam inſurgentes cum ſuis fautoribus, complicibus, & ſequacibus, ac cum vexillis perditionis alumni Amedei olim Ducis Sabaudiæ, qui ſe Felicem V auſu ſacrilego nominare præſumit, conati fuerint occupare, Nos volentes, prout ſuadet juſtitia, ut illi, qui talia auſi ſunt attentare, animadverſione debita puniantur, tibi* [ſcilicet Triſtando] *contra omnes & ſingulas perſonas, civitates & Comitatus prædictorum, qui dicto inſultui & tumultui contra nos & dictam Eccleſiam interfuerunt, aut dederunt ad ea publicè vel occultè auxilium, conſilium, vel favorem, vel ſcienter non revelaverunt, cujuſcumque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint, nec non contra omnes ſchiſmaticos tam Laicos, quàm Clericos adhærentes præfato Amedeo, aut ejus & Baſileenſium fautores & ſequaces ubilibet conſtitutos auctoritate noſtra procedendi, ac ipſos & ipſorum quemlibet per arreſtationem bonorum & perſonarum captionem & coercionem, ac officiorum, beneficiorum, & dignitatum ſuorum quorumlibet privationem, & ab eiſdem amotionem, nec non bonorum temporalium confiſcationem, tam civiliter & criminaliter puniendi, ordinandi, & mulctandi, prout delictorum qualitas exegerit & juſtitia ſuadebit..... Inſuper quoque illis qui ad ſanam mentem redierint, à quibuſcumque proceſſibus, ſententiis, per te aut quomodolibet illatis & inflictis abſolvendi, & in priſtinum ſtatum reſtituendi & reponendi...... eadem auctoritate concedimus tenore præſentium facultatem.*

CXCVIII. *Æneæ Silvii Legatio ad Eugenium PP.*

Hoc anno 1445 Fridericum III Æneam Silvium ad Eugenium miſiſſe pro novo in Germania Concilio celebrando, habemus ex ipſomet Ænea in ſuo Commentario lib. 1, quique poſt brevem orationem habitam coram Eugenio, veniâque de iis, quæ in eum Baſileæ vel alibi dixerat egeratve, impetratâ, cauſam ſuæ Legationis expoſuit, de novo ſcilicet Concilio in Germania cogendo. At Eugenius poſtulatis non eſt aſſenſus, quòd diceret illud Concilium non pacem Eccleſiæ illaturum, ſed nova diſſidia pariturum. Porrò pollicitus eſt Eugenius miſſurum ſe Legationem ad Fridericum; quo accepto reſponſo Æneas in Germaniam rediit.

CXCIX. *S. Bernardini ad Canonizationem ſuſcipit.*

Mortuus erat Aquilæ anno ſuperiori S. Bernardinus Senenſis die vigeſima Maji in Vigilia Pentecoſtes, ut refert Wadingus anno 1444, num. 2, ætatis ſuæ anno ſexageſimo quarto. Tot & tanta erant ipſius poſt mortem patrata miracula, ut Alfonſus Aragoniæ Rex, urbeſque Senenſis & Aquilana miſſis Oratoribus hoc anno 1445, in publico Conſiſtorio illius Canonizationem ab Eugenio Pontifice poſtularint. Eugenius pro tanti negotii maturâ diſquiſitione tribus Cardinalibus, nempè Nicolao tit. S. Marcelli, & Guillelmo tit. S. Martini in Montibus, Presbyteris, & Alberto tit. S. Euſtachii Diacono, Cardinalibus, commiſit, ut re exactè diſcuſsâ referrent in publico Conſiſtorio, quod de Viri ſanctitate & miraculis reperirent, ut conſtat ex Literis Eugenii datis Romæ anno 1445, die decima ſeptima Maji. Excuſſa fuiſſe quam diligentiſſimè Pontificio juſſu omnia miracula, quæ de B. Bernardino referebantur, narrat hiſce verbis ejus Vitæ Auctor apud Surium: *Eugenius PP. licèt crebrò rogatus, ac ſtudioſior veritatis propalandæ, quàm Regibus, Principibus & populo placendi, diu multumque de hac re deliberavit cum ſuis, & jam quidem recitatis coram illo & aliis amplius centum miraculis certorum hominum teſtimonio confirmatis, totus propenſus erat cum Cardinalibus ad præſtandum id quod petebatur; ſed morte illum è medio auferente, res ad exitum perduci non potuit.* Res verò ad exitum perducta eſt à Nicolao V Eugenii IV ſucceſſore, IX Kal. Junii, quâ die concurrebat feſtum Pentecoſtes, anno 1450.

CC. *Conventus Germanicus, & ſecunda Æneæ Silvii Legatio.*

Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſexto Electores Imperii apud Francofordiam convenerant ob depoſitionem ab Eugenio factam Theodorici de Moerſem Colonienſis, & Jacobi Sirik Trevirenſis Archiepiſcoporum, & præfectionem Adolphi Clivenſis Eccleſiæ Colonienſi, nec non Joannis tunc Cameracenſis Epiſcopi Eccleſiæ Trevirenſi, ut videre eſt in literis Eugenii *dat. quinto Idus Februarii anni* 1445, qui nobis eſt 1446, apud Raynaldum eodem anno num. 1. His valdè commoti ceteri Imperii Electores Principes, ut refert Gobelinus ex Commentariis Æneæ Silvii lib. 1, Francofordiam ad agitanda arcana conſilia convenêre, demumque inter ſe pacti ſunt, niſi latam in Archiepiſcopos ſententiam reſcinderet Eugenius, nationis Germanicæ tolleret onera, auctoritatemque Conciliorum, ut in Conſtantienſi expoſita fuerat, profiteretur, ſe ejus depoſitionem Baſileæ factam amplexuros: Tum Oratores ad Fridericum Romanorum Regem miſerunt, qui hæc illi, ſexque aliis Conſiliariis, qui arcanis Regiis conſiliis ad-

hiberi

Digitized by Google

hiberi ſoliti erant, patefacerent, eoſque hortarentur ut fœderi ſe jungerent, & Romam Oratores mitterent. Reſpondit Fridericus Legationem quidē ad Pontificem ſe decreturum, oraturumque ut eorum deſideriis ſe accommodaret; ſed fœdus damnavit indignum & impium, inquiens, niſi eorum poſtulata de reſtituendis Archiepiſcopis priſtinæ dignitati admitterentur, à vero Chriſti Vicario deſicere. Ut igitur diſcordiam componeret Fridericus, Æneam Silvium proficiſci juſſit; de qua ſecunda Æneæ ad Eugenium Legatione hæc ſcribit Joannes Gobelinus laudatus: *Miſit Æneam ad Eugenium* [nimirùm Fridericus] *ut ſuaderet ei, ne Principes Electores contemneret, maximè verò ut depoſitis Archiepiſcopis priſtinam redderet dignitatem, ſic enim futuram, ut Germani omnes depoſita neutralitate, ad ejus gremium redirent, quòd ſi durior in ſententia perſeveraret, timendum eſſe, ne ſcandalum perpetuæ diviſionis oriretur; quidquid autem Electores inter ſe concluſerant, injuratus Cæſar aperuit Æneæ, atque ut Papæ referret imperavit.* Eugenius his auditis, facturum omnia promiſit quæ Fridericus ſuaſit; atque inde Thomam Sarzanenſem Epiſcopum Bononienſem ad Philippum Burgundiæ Ducem direxit, ut conſenſum Archiepiſcoporum reſtitutioni præberet (eò quòd Adolphus Clivenſis erat nepos Ducis Burgundiæ, & Joannes Cameracenſis ejus frater naturalis): Cùm autem Dux Burgundiæ conſenſum præbuiſſet; in alio Conventu Francofordienſi ad finem menſis Auguſti hujus anni indicto, cui Legati Pontificis prædictus Thomas & Joannes de Carvajal interfuerunt, quibus etiam adjuncti reperiuntur in Apoſtolicis literis XI Kal. Auguſti ejuſdem anni exaratis, Epiſcopus Leodienſis, & Nicolaus è Cuſa, rebus graviſſimè agitatis; demùm arte Æneæ conſcripta eſt fœderis formula, quam ſi Eugenius admitteret, Neutralitas Germaniæ ceſſaret, & obedientia Eugenio reſtitueretur. Sed de his plura ſub initio anni ſequentis.

CCI. *Baſileenſes alterius celebrationi Concilii conſentiunt.*

Adhuc hærebant Baſileenſes in illo diſſidii & contentionis Conventiculo, jam penè ab omnibus derelicto. Decretum ediderant ut aliud Concilium celebraretur, quod refert Cochlæus Hiſt. Huſſit. lib. 9, *Cùm chariſſimus Eccleſiæ filius Fridericus Rex Romanorum illuſtris, nec non Venerabiles Patres & dilecti Eccleſiæ filii Nobiles Viri Sacri Romani Imperii Principes Electores per multa retrò acta tempora labores indefeſſos, & operas ſolicitas impenderint, quibus pax & tranquillitas in Eccleſia Dei floreſceret, & Sacrorum Generalium Conciliorum illibata lateret auctoritas, nec ulla videatur aptior & toti populo Chriſtiano via gratior, quàm ut ad aliud Generale Concilium deveniatur, in quo cauſa ſchiſmatis, omniumque aliarum differentiarum & diſcordiarum, quæ in Eccleſia Dei ortæ ſunt, quantum fieri poteſt, examinetur & expediatur;* & infrà, *ex nunc pollicemur & bona fide promittimus, nos Generale Concilium indicturos, noſque hanc Sacroſanctam Baſileenſem Synodum tranſlaturos in locum, quem præfatus Sereniſſimus Rex & prædicti Principes Electores, ſeu eorum Oratores & Nuncii in conventione ſua in oppido Francofordienſi tertio Kal. Septembris proximo venturi duxerint nominandum & deputandum, initiandum etiam in die, quem ſimiliter duxerint nominandum, ac deinde celebrandum & continuandum*, &c. At Baſileenſes pactionem admittere detrectarunt, dum audierunt Principes Electores ſtatuiſſe in eodem Conventu, quòd *ſi foret Concilium celebrandum, id factum iri menſe Majo anni proximi in una civitate Germaniæ ex ſex ab ipſis proponendis, quam Eugenius Pontifex eligere vellet.*

CCII. *Varia Eugenii PP. Conſtitutiones de Regularibus.*

Præter alia quæ circa varios Ordines Religioſorum aliis temporibus conſtituit Eugenius, hoc anno ſua Conſtitutione 26, quæ extat Bullar. Tomo. 1, confirmavit reformationem Monachorum Græcorum Ordinis Sancti Baſilii Regnorum Siciliæ in Capitulo eorum Romæ ipſius juſſu congregato; qui etiam jam antea Congregationem Fratrum Sancti Hieronymi de Feſulis confirmaverat; nec non Fratres S. Ambroſii ſub una Congregatione, cujus caput eſſet Monaſterium S. Ambroſii ad Nemus civitatis Mediolanenſis, redegerat, ut conſtat ex Conſtitutionibus 21, & 22, ibidem. Anno autem proximo, ſcilicet 1447, multà declaravit de electione Abbatiſſarum, de viſitatione Sororum tertii Ordinis, ac de clauſtrali diſciplina, omniaque Clariſſarum Regulæ præcepta, quæ à quibuſdam cenſebantur obligare ſub peccato mortali, ad quatuor tantùm hujus obligationis reduxit, quæ concernunt principalia vota, obedientiæ, paupertatis, caſtitatis, & clauſuræ. Vide Conſtitutionem 28 Bullar. Tomo 1, Eugenii IV, *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnat. Dom.* 1447, *Nonis Feb. Pontificatus anno* 16. In Originali Conſtitutione legendum, ni fallor, *anno Incarnat. Dom.* 1446. Quia juxta ſtylum Curiæ Romanæ annus 1446 menſis Februarii, nobis eſt 1447.

CCIII. *Cardinales creat.*

Sub fine hujus anni 1446 die decima ſexta Decembris Eugenius inter Presbyteros Cardinales adſcripſit Thomam Sarzanenſem, Epiſcopum Bononienſem, qui poſt mortem Eugenii ſub Nicolai V nomine Summum Pontificatum obtinuit; & Joannem de Carvajal Hiſpanum, Epiſcopum Placentinum; qui duo interfuerunt Conventui Francofordiæ habito die trigeſima menſis Aug. hujus anni, quoſq; ob rem feliciter geſtam Cardinalitiâ purpurâ ornatos ab Eu-

SÆC. XV. EUGENIUS IV.

Eugenio recenſet Æneas Silvius in ſuo Comment. lib. I. *Dum*, inquit, *Romam pergunt, ut qui res bene feliciterque geſſiſſent, ad Cardinalatûs eminentiam provecti ſunt.* Eugenius ad portam Flaminiam galeros obviam miſit, ut Urbem inſigniores ingrederentur, ſcribit Platina in Nicolai V Vita; ſed quis non videt eum longiorem paulò annum feciſſe, quando pergit loco laudato: *Uno itaque eodemque anno Thomas Sarzanus & Epiſcopatum Bononienſem, & Cardinalis dignitatem & Pontificatum adeptus eſt.* Nam prædictus Thomas Epiſcopatum Bononienſem obtinuit die vigeſima ſeptima menſis Novembris anni 1445, ut conſtat ex literis Eugenii, quas Sigonius de Epiſcopis Bonon. lib. 4 recitat; inter Presbyteros Cardinales tit. S. Suſannæ renunciatus eſt die decima ſexta Decembris anni 1446, ut ſuperiùs dixi; & Pontifex creatus eſt die quinta menſis Martii anni 1447. Sive ergo ſecundùm ſtylum Curiæ Romanæ, quæ annum incipit à feſto Annunciationis Deiparæ; ſive ſecundùm communem computationem, quæ annum incipit à feſto Circumciſionis D. N. J. C. annos enumeraverit Platina, attamen deceptus eſt. Porrò Eugenium eàdem die in Cardinalium collegium pariter cooptaſſe Henricum de Alloſio Italum, Archiepiſcopum Mediolanenſem, cum Presbyterali titulo S. Clementis, ſcribit Ciaconius in Vita Eugenii IV; additque Joannem Siculum Meſſanenſem Monachum Congregationis S. Juſtinæ Patavii, & Abbatem S. Pauli extra muros Urbis Presbyterum Cardinalem tit. S. Sabinæ ab Eugenio in ſexta ac poſtrema Cardinalium creatione renunciatum.

CCIV. *Tertia Æneæ Silvii Legatio.* Eodem tempore miſſi fuerunt Oratores ex Conventu Francofordienſi ad Eugenium, quorum princeps Æneas Silvius eloquentiæ laude florentiſſimus, quique orationem habuit de rebus, propter quas veniſſent, quam recitat Cochlæus Hiſt. Huſſit. lib. 9, ad cujus finem legitur: *Afferunt pacem Germaniæ Principes, ſed pacem etiam expetunt; cupiunt etenim aliqua, quæ niſi obtineant nec curari vulnera poſſunt, nec pax nationis haberi; & quatuor principalia ſunt. Primum eſt, ut Generale Concilium in tempore locoque deſignando convocetur. Alterum eſt, ut profeſſio poteſtatis, auctoritatis & præeminentiæ Generalium Conciliorum Catholicam militantem Eccleſiam repræſentantium per tuos Oratores facta tuis literis approbetur. Tertium eſt, ut Nationi Germanicæ ſuper gravaminibus opportunè provideatur. Quarto & ultimo loco petimus, ut quæ in judicium* (legendum præjudicium) *duorum Principum Electorum vel ſuarum Eccleſiarum acta ſunt, ex tua Sanctitatis clementia revocentur, & in priſtinum ſtatum redigantur*, &c. Quæ reſponderit ad hæc Pontifex Cochlæus jam laudatus non affert; ſed cum aliquo modo aſſenſiſſe his quatuor petitis colligitur ex Apoſtolicis Literis apud Odoricum Raynaldum anno 1447 num. 4 & ſeq. nimirum ſe convocaturum in Germania Concilium, ſi Reges ceteri conſentirent: auctoriſatem Conciliorum, quæ vera & canonica ſint, nunquam in dubium revocatam: Nationis onera levatum iri: In Archiepiſcopos, ſi eos pœniteret præteriti ſchiſmatis, clementia ſe uſurum. Atque ita Germanorum animos Eugenius lenivit.

CCV. *Obedientia ei redditur à Germanis.* Anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Germani obedientiam præſtarunt Eugenio, ut refert Gobelinus in Comment. Pii II lib. 2, ſeu potiùs ipſemet Æneas Silvius, qui ait, ipſius orationem tùm à Papa, tum à Cardinalibus mirum in modum laudatam fuiſſe: Eugenium verò eàdem ipsâ die correptum ægritudine in lectum ſe dediſſe, Cardinalibuſque rem tractandam commiſiſſe: Cùm autem omnia quæ petita fuiſſent Eugenius approbaſſet, atque literas ſuper his decreviſſet, omnes Legatos, ſcilicet Cæſaris & Principum, ejus cubiculum intromiſſos, ſine mora jacenti Pontifici obedientiam præſtitiſſe: Illum confeſtim Bullas Apoſtolicas in manus Æneæ dediſſe, quæ extant apud Odoricum Raynaldum ad annum 1447 num. 4 & ſeq. in quibus multa indulget Germanis Eugenius: Editaque propterea maxima lætitiæ ſigna, ob conciliatam, nimirum Eccleſiæ, Germaniam: feſtis ignibus miſcuiſſe Urbem, pulſatas campanas, ac repetitos læto concentu tubarum clangores: Decretas prætereà ſolemnes ſupplicationes ad grates Deo agendas. Quibus conſentanea S. Antoninus tit. 22 cap. 11 § 17 ſcribit, quique his interfuit, ut ipſemet teſtatur: *Hi ergo efficaces in opere & ſermone, id perfecerunt ad quod Legati fuerunt. Unde reverſi ſunt ad Curiam, & Oratores cum eis, vel poſt eorum diverſorum Prælatorum, ac Principum & Baronum, qui in publico Conſiſtorio* (*in quo præſens fui*) *in perſonâ Dominorum ſuorum exhibuerunt Papæ Eugenio debitam reverentiam & obedientiam, profitentes ipſum verum unicum & indubitatum Paſtorem Romanæ Eccleſiæ Succeſſorem Petri, & Vicarium Jeſu Chriſti; propter quod ſolemnis Miſſa celebrata eſt in Eccleſia Lateranenſi, aſſiſtentibus omnibus Cardinalibus & Prælatis, qui in Curia erant: Uno ex Cardinalibus Miſſam decantante. Aberat autem Eugenius quia jam infirmatus erat, & graviter.* Ex his colligitur nullam fidem adhibendam eſſe Platinæ, quandò refert in Eugenii Vita; & poſt ipſum Spondano anno 1446 num. 9, nempe: *Prætereà verò Sancti Silveſtri me-*

tram, Romam Avinione delatam, ipſemet, ſcilicet Eugenius, *è Vaticano ad Lateranum detulit, magna cum veneratione & Litania Sacerdotum omnium, populique Romani.* Nam præter quòd fabuloſa videtur illa S. Silveſtri mitra, de qua prima mentio fit in famoſa Conſtantini Donatione, quam penè omnes Eruditi ſuppoſititiam cenſent; teſtibus Ænea Silvio, & S. Antonino locis laudatis, dum fiebant prædictæ ſolemnitates, aberat Eugenius, quia jacebat in lecto ægrotus.

CCVI. *Thiara Pontificalis antiquitas.*

Sed quidquid ſit de hac Mitra S. Silveſtro à Conſtantino datâ, certum eſt tamen illam coronationem eſſe valdè antiquam. Quid non dixiſſet Patruus meus de majori ejuſdem coronationis antiquitate, ſi obſervaſſet quæ ſcripta ſunt in Ordine Romano IX, à Mabillonio publicato Tom. 2 Muſei Italici; in eo ſanè inveniſſet, quòd Regno, ſeu Phrygio, ſeu Thiarâ utebantur Pontifices ante Nicolaum primum, ſeu ante medium ſæculum nonum; legitur enim in fine pag. 892, Pontificem conſecrari in Baſilica S. Petri, & conſecratione peractâ, additur: *Ingreſſus* (id eſt Pontifex) *in Sacratarium jam tunc ſedet in Sede illa Apoſtolica......... Egrediens inde..... accedunt Patroni regionum, uno incipiente, cæteris reſpondentibus, in hunc modum canunt ei laudem:* Domnus Leo Papa, quem Sanctus Petrus elegit, in ſua ſede multis annis ſedere. *Hoc uſque ter dicto, accedit Prior Stabuli, & imponit ei in capite Regnum,* &c. Anno itaque 795 reperitur aliquod veſtigium Coronationis; hoc enim anno Leo III coronatus eſt cum Regno, ſi hic Ordo ejus tempore ſit ſcriptus ſicut Mabillonius ſuſpicari videtur in Notula ad illum pag. 93.

CCVII. *B. Nicolai Tolent. Canonizatio.*

Diuturnâ nimis à Germanis neutralitate depoſitâ, ad vitæ veſperam veniens Eugenius, Kal. Februarii in Sanctorum Confeſſorum numero collocavit B. Nicolaum Tolentinatem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, longè antè defunctum, nempè die decima Septembris anni 1306. Tolentinas autem dictus fuit à diuturno domicilio oppidi Tolentini in Piceno, cùm natus eſſet in Caſtro Sancti Angeli, territorii Firmani ejuſdem provinciæ; præclaris virtutibus ornatus fuit, & magnis miraculis tam vivus quàm mortuus illuſtratus, ut conſtat ex Diplomate Eugenii, cujus præcipuam partem affert Odoricus Raynaldus anno 1447 num. 8, *Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ* 1447 *Kal. Februarii, anno* (ſcilicet Pontificatûs Eugenii) *XVI*. Ex quo eruitur primò Raynaldum deceptum fuiſſe quando legit in prædicto Diplomate: Dat. Romæ &c. anno 1447, cùm legere debuiſſet an. 1446, qui nobis eſt 1447; alioquin Diploma datum fuiſſet anno 1448; quia annus 1447 Kal. Februarii ſecundùm ſtylum Romanæ Curiæ, ut jam annotavimus, nobis eſt 1448. Cùm autem Eugenius obierit VII Kal. Martii; nemo eſt qui non intelligat, Raynaldum decipi in anno Diplomatis. Eruitur ſecundò deceptos fuiſſe varios recentiores & accuratiſſimos Scriptores, & præſertim Spondanum, qui anno 1446 num. 3 ſcribit, quòd Eugenius in numerum Sanctorum Confeſſorum retulit Nicolaum Tolentinatem *Kal. Februarii anni* 1446. At in hoc deceptus eſt Vir Eruditus, non ſolùm ſtylo Curiæ Romanæ, ſed etiam quia non enumeravit annos Pontificatûs Eugenii; nam annus decimus ſextus Pontificatûs Eugenii, Kalendis Februarii, quo datum eſt Diploma Canonizationis B. Nicolai, concurrebat cum anno 1447; quippe cùm Eugenius in Pontificem Romanum electus fuerat die tertia, vel die ſexta menſis Martii anno milleſimo quadringenteſimo trigeſimo primo.

CCVIII. *Eugenii PP. obitus, & Epitaphium.*

Graviſſimè preſſus ægritudine Eugenius effuſus in preces animam Deo reddidit VII Kal. Martii, ſeu die Jovis circa auroram 23 Februarii hujus anni 1447. Non verò VIII Kal. Martii anni 1446, ut ſcribit Platina in Eugenii Vita. De morte Eugenii hæc S. Antoninus tit. 22 cap. 11 § 17: *Demùm ex ea infirmitate febrili poſt decimum ſextum ſui Pontificatûs annum, ætatis ſuæ, ut ferebatur, ſexageſimum ſextum, menſe Februarii ſumptis devotè Eccleſiaſticis Sacramentis, integro ſenſu atque aſpectu in Domino obdormivit anno* 1447. Secundùm varios Scriptores annum ſexageſimum quartum tantùm attigerat Eugenius, & reverà, nam Venetiis natus anno 1383, Summum Pontificatum obtinuerat ætatis ſuæ anno quadrageſimo octavo, & Eccleſiæ præfuit annis ſexdecim minùs nonnullis diebus. Subdit de juſtis funebribus Eugenio perſolutis S. Antoninus loco laudato: *Defuncto igitur Eugenio exequiæ ſolemnes celebratæ ſunt in Eccleſia S. Petri per octo dies, ut moris eſt: ubi & defunctus & ſepultus eſt in pavimento: ſed poſtea Mauſoleum marmoreum honorificum ſuper eum conſtructum eſt.* Spreviſſe ſepulchri magnificentiam, ſed Cardinalem Franciſcum Condulmerium nepotem ſuum ſuo amori magis, quàm Patrui modeſtiæ morem geſſiſſe, teſtatur affixum epitaphium.

Eugenius jacet hic quartus, cor nobile cujus
Teſtantur Vitæ ſplendida facta ſuæ.
Iſtius ante Sacros ſe præbuit alter ab ortu,
Alter ab occaſu Cæſar uterque pedes;
Alter ut accipiat fidei documenta Latinæ,
Alter ut aurato cingat honore caput.
Quo duce & Armenii Grajorum exempla ſecuti,
Romanam agnorunt Æthiopeſque fidem.

Inde

Inde Syri atque Arabes, mundique è finibus Indi,
Magna; ſed hæc animo cuncta minora ſuo.
Nam valida rurſum Turcos jam claſſe petebat,
Dum petit, aſt illum ſuſtulit atra dies.
Qui ſemper vanos tumuli contempſit honores,
Atque hac impreſſa condite, dixit, humo.
Sed non quem rubro decoraverat ille Galero,
Nam hoc Franciſcus ſtirps ſua clara tulit,
Suſcepitque memor meriti tam nobile, quod nunc
Cernis, tam præſtans ſurgere juſſit opus.

In reædificatione novæ Baſilicæ Vaticanæ, cùm dirueretur Ipſius ſepulchrum, corpus ejus translatum eſt ad monaſterium S. Salvatoris in Lauro, Congregationis Canonicorum Sæcularium, cujus ipſe profeſſor fuerat.

CCIX. *Ejus virtutes, & ſcripta.* De Eugenio cum egregia laudis commendatione meminit Æneas Silvius in ſua Europa cap. 58. *Summum*, inquit, *Pontificatum adeptus magis enituit, qui etſi oriente ſchiſmate in principio ſui Pontificatûs uſque ad obitum cum Baſileenſibus contenderit, coronato tamen Sigiſmundo Cæſare, Græcorum & Armenorum* (addendum Jacobitarum, Æthiopum, Meſopotamenorum, Chaldæorum & Maronitarum) *facta cum Eccleſia Latina unione, civitatibus Eccleſiæ, quas amiſerat, recuperatis, tyrannis per circuitum deletis, contumacia Romanorum edomita, victor inclytus veterem hominem exuit*; &c. Adjungit de eodem Pontifice Raphael Volaterranus Antropol. lib. 22: *Fuit ſtudiorum amantiſſimus, quotidie ſe in ſecretum aliquot horas ſe recipiendo, vultu alioqui decoro ac venerabili oculos in publico nunquam attollebat, ut à parente meo, qui eum ſequebatur, accepi*. Demùm Eugenius fuit Vir magnæ prudentiæ, gravis & eloquens, liberalis in omnes, maximè literatos, quorum familiaritate mirè delectatus eſt. Scripſit Librum contra Boëmos & Huſſitas hæreticos, Decretum de unione Græcorum cum Latinis: ſupra quod Joannes de Turrecremata Cardinalis Ordinis Prædicatorum ſcripſit Apparatum; Conſtitutiones Eccleſiaſticas, & varias Epiſtolas, quæ extant Tomo XII & XIII Concil. Labbei.

FINIS.

TABULA ANNORUM CHRISTI,

Et in iis Literarum Dominicalium, Paſchatum, & Indictionum ab Anno 1304.

Anno	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*	*Anno*	*Lit.D.*	*Paſch.*	*Indict.*
1304	E D	20 Mart.	2	1340	B A	16 April.	8	1376	F E	13 April.	14	1412	C B	3 April.	5
1305	C	18 April.	3	1341	G	8 April.	9	1377	D	29 Mart.	15	1413	A	23 April.	6
1306	B	3 April.	4	1342	F	31 Mart.	10	1378	C	18 April.	1	1414	G	8 April.	7
1307	A	26 Mart.	5	1343	E	13 April.	11	1379	B	10 April.	2	1415	F	31 Mart.	8
1308	G F	14 April.	6	1344	D C	4 April.	12	1380	A G	25 Mart.	3	1416	E D	19 April.	9
1309	E	30 Mart.	7	1345	B	27 Mart.	13	1381	F	14 April.	4	1417	C	11 April.	10
1310	D	19 April.	8	1346	A	16 April.	14	1382	E	6 April.	5	1418	B	27 Mart.	11
1311	C	11 April.	9	1347	G	1 April.	15	1383	D	22 Mart.	6	1419	A	16 April.	12
1312	B A	26 Mart.	10	1348	F E	20 April.	1	1384	C B	10 April.	7	1420	G F	7 April.	13
1313	G	15 April.	11	1349	D	12 April.	2	1385	A	2 April.	8	1421	E	23 Mart.	14
1314	F	7 April.	12	1350	C	28 Mart.	3	1386	G	22 April.	9	1422	D	12 April.	15
1315	E	23 Mart.	13	1351	B	17 April.	4	1387	F	7 April.	10	1423	C	4 April.	1
1316	D C	11 April.	14	1352	A G	8 April.	5	1388	E D	29 Mart.	11	1424	B A	23 April.	2
1317	B	3 April.	15	1353	F	24 Mart.	6	1389	C	18 April.	12	1425	G	8 April.	3
1318	A	23 April.	1	1354	E	13 April.	7	1390	B	3 April.	13	1426	F	31 Mart.	4
1319	G	8 April.	2	1355	D	5 April.	8	1391	A	26 Mart.	14	1427	E	20 April.	5
1320	F E	30 Mart.	3	1356	C B	24 April.	9	1392	G F	14 April.	15	1428	D C	4 April.	6
1321	D	19 April.	4	1357	A	19 April.	10	1393	E	6 April.	1	1429	B	27 Mart.	7
1322	C	11 April.	5	1358	G	1 April.	11	1394	D	19 April.	2	1430	A	16 April.	8
1323	B	27 Mart.	6	1359	F	21 April.	12	1395	C	11 April.	3	1431	G	1 April.	9
1324	A G	15 April.	7	1360	E D	5 April.	13	1396	B A	2 April.	4	1432	F E	20 April.	10
1325	F	7 April.	8	1361	C	24 Mart.	14	1397	G	22 April.	5	1433	D	12 April.	11
1326	E	23 Mart.	9	1362	B	17 April.	15	1398	F	7 April.	6	1434	C	28 Mart.	12
1327	D	12 April.	10	1363	A	2 April.	1	1399	E	30 Mart.	7	1435	B	17 April.	13
1328	C B	3 April.	11	1364	G F	24 Mart.	2	1400	D C	18 April.	8	1436	A G	8 April.	14
1329	A	23 April.	12	1365	E	13 April.	3	1401	B	3 April.	9	1437	F	31 Mart.	15
1330	G	8 April.	13	1366	D	5 April.	4	1402	A	26 Mart.	10	1438	E	13 April.	1
1331	F	31 Mart.	14	1367	C	18 April.	5	1403	G	15 April.	11	1439	D	5 April.	2
1332	E D	19 April.	15	1368	B A	9 April.	6	1404	F E	30 Mart.	12	1440	C B	27 Mart.	3
1333	C	4 April.	1	1369	G	1 April.	7	1405	D	19 April.	13	1441	A	16 April.	4
1334	B	27 Mart.	2	1370	F	14 April.	8	1406	C	11 April.	14	1442	G	1 April.	5
1335	A	16 April.	3	1371	E	6 April.	9	1407	B	27 Mart.	15	1443	F	21 April.	6
1336	G F	31 Mart.	4	1372	D C	28 Mart.	10	1408	A G	15 April.	1	1444	E D	12 April.	7
1337	E	20 April.	5	1373	B	17 April.	11	1409	F	7 April.	2	1445	C	28 April.	8
1338	D	12 April.	6	1374	A	2 April.	12	1410	E	23 Mart.	3	1446	B	17 April.	9
1339	C	28 Mart.	7	1375	G	22 April.	13	1411	D	13 Mart.	4	1447	A	9 April.	10

Digitized by Google

I N D E X

RERUM, *Quæ* ſecunda Parte Tomi ſecundi BREVIARII GESTORUM PONTIFICUM ROMANORUM

Continentur.

A

ÆGidius Alvari Cardinalis ab Innocentio VI Legatus in Italiam mittitur ad recuperandas terras Eccleſiæ à tyrannis occupatas 101. Idem Pontifex Innocentius VI eum ex Italia revocat, & iterum mittit 105.

Ægidius Munionis Canonicus Barcinonenſis in Antipapâ eligitur à Pſeudo-Cardinalibus Petri de Luna ſub nomine Clementis VIII 285. Pacta Simoniaca cum Pſeudo-Cardinalibus inita ſibi reddi curat *ibid.* & ſeq. Omnia Pontificia ornamenta deponit & abdicat 290. Martino V adhæret 291. Fit Epiſcopus Majoricenſis 292, & ſeq.

Æneas Sylvius à Friderico III Romanorum Rege Legatus mittitur ad Eugenium IV & quarè 364. Iterum mittitur 367. Tertia Æneæ Sylvii Legatio ad eumdem Pontificem 360.

Æthiopia Reges, olim Indiæ vocati 350. Acceſſus Legati Regis Æthiopiæ ad Synodum Florentinam 359.

Albertus I Auſtriacus à proprio nepote Joanne Sueviæ Duce occiditur 24.

Albertus Dux Auſtriæ ſuccedit Sigiſmundo Imperatori 336. Ejus obitus 353.

Alexander V in Concilio Piſano eligitur Pontifex 212. Ejus patria & primordia ante Pontificatum 213. Acta per Cardinales & Concilium approbat *ibid.* Solemniter coronatur *ibid.* Titulos Cardinalium mutat & quarè *ibid.* & ſeq. Cenſuras tempore ſchiſmatis latas irritat 215. Decernit aliud Concilium in tertium annum *ibid.* Conſtitutionem in favorem Mendicantium edit 216. Decretum edit contra Joannem Huſs *ibid.* Bononiam accedit, ibique venenato clyſtere moritur 218. Ejus in pauperes liberalitas *ibid.* Ejus doctrina & ſcripta *ibid.*

Alexander Vezeliacenſis Abbas Ordinis S. Benedicti Baſileam accedit pro Concilii celebratione 302.

Algeziram urbem Mauris ereptam in Cathedralem erigit Clemens VI 87.

Alphonſus Aragoniæ Rex Martinum V vexat & quare 275. Reliquias S. Ludovici Epiſcopi Toloſani Valentiam Hiſpaniæ transfert 285. Comminatoria ſententia à Martino V in eum lata 286, & ſeq. Petrum *de Fuxo* Legatum ejuſdem Pontificis Martini V recipit 288. Ejus poſtulata 289. Legato in Aragoniam reverſo tergiverſatur 290. Sed poſteà omnia jurata ſervat *ibid.* Corpus S. Ludovici Epiſcopi Toloſani ei conceditur 293. Libertatem Eccleſiaſticam redintegrat *ibid.* Neapolim obſidet 344. Ejus artes erga Eugenium IV & Felicem V Antipapam 358. Neapolim occupat & fœdus init cum Eugenio IV Pontifice 362. Canonizationem S. Bernardini Senenſis poſtulat ab Eugenio 365.

Alphonſus Carrilius Hiſpanus Diaconus Cardinalis Legatus Avenionenſis conſtituitur in IV Seſſione Concilii Baſileenſis 309, & ſeq.

Amedeus Sabaudiæ primus Dux fit Eremita 327. In Concilio Baſileenſi Pſeudo-Pontifex renunciatus 353. Electioni de ſe factæ conſentit & nomen Felicis V eligit 354. Pſeudo-Cardinales creat 355. In Florentino Concilio cum ſuis damnatur *ibid.* In Concilio Baſileenſi coronatur & ejus neceſſitatibus ſubvenitur *ibid.* Quatuordecim Pſeudo-Cardinales creat 357. Novam promotionem facit 365.

Andreas Carobertus Hungariæ Regis filius ſecundus genitus a quibuſdam conjuratis ſtrangulatur 92.

Andronnus de Rocha Cardinalis, licet non haberet titulum, nec in Conſiſtorio ſedem, ad Votum admittitur in electione Urbani V 109.

Angelus Corarius Presbyter Cardinalis tit. S. Marci Papa eligitur & coronatur ſub Gregorii XII nomine 199. Ad Benedictum XIII ſcribit pro unione Eccleſiæ, & Nuncios mittit pro mutuo congreſſu 202, & ſeq. Tergiverſatur & reluctatur 201. Viterbium pergit & poſtea Senas 202. Colluſiones inter duos Contendentes *ibid.* Contra fidem datam quatuor Cardinales creat 203. Concilium Utini celebrandum indicit & novos Cardinales creat 205, & ſeq. Fit Compater VV. ad filii Poloniæ Regis 206. A' Concilio Piſano monetur ei intereſſe *ib.* Ab eod. Concilio citatur juridicè & declaratur contumax 208. Fruſtra conatur Synodum diſſolvere 209. Ab omnibus Patribus ei fit ſubtractio & deponitur 215. Utini ſuam Synodum celebrat 215, & ſeq. Quid poſt eam egerit 216. Ad Concilium Conſtantienſe Legatos mittit & viam Ceſſionis promittit ſub certis conditionibus 229. Carolus de Malateſtis tanquam ejus Legatus pro Ceſſione Conſtantiam intrat 243. Cardinalis Ragulinus ejus nomine Concilium Conſtantienſe convocat & confirmat 244. Per Procuratorem renunciat *ibid.* Favores ei exhibiti à Synodo 245. Ceſſionem ſui Papatûs confirmat *ibid.* Ejus mors *ibid.*

Anglicus Grimoardi ab Urbano V ejus fratre Epiſcopus Avenionenſis conſecratur 112. Ab eodem Pontifice Urbano V fit Cardinalis 116.

Annata in Congregatione Generali Concilii Baſileenſis abrogantur, fruſtrà reclamantibus Eugenii IV Legatis 328, & ſeq.

S. Antonini relatio circa electionem Urbani VI 150.

Antonius Maſſanus Ordinis Minorum Miniſter Generalis ad Imperatorem Græcorum Conſtantinopolim mittitur à Martino V, & quare 274. In Concilio Senenſi comparet 279.

Arctalenſe Regnum quo tempore juris Francici factum 115.

Armachanus Hiberniæ Primas Religioſos Mendicantes exagitat 305, & ſeq.

Armenorum unio cum Eccleſia Romana in Concilio Florentino ſub Eugenio IV 350.

Auguſtini de Roma Archiepiſcopi Nazareni Liber de Chriſto & Eccleſia conſcriptus damnatur in Concilio Baſileenſi 331.

Barnabes

B

BARNABOS *Arnabos* Vicecomes Mediolani Eccleſiæ reconciliatur ſub Urbano V 213.

Bartholomæi Barenſis Archiepiſcopi coacta electio & coronatio poſt mortem Gregorii XI 248, & ſeq. Circa ejus electionem variæ relationes 250, ſeq. Ejus patria, genus, primordia, & Coronatio ſub Urbani VI nomine 252. Urbani VI aſperitas præcipua ſchiſmatis cauſa 253. Cardinales Galli juridicè contra illum agunt & intruſum declarant *ibid.* & ſeq. Cardinales Itali eum deſerunt 254. Item Joanna Siciliæ Regina *ibid.* Ante ſchiſma electionem V Venceſlai in Regem Romanorum confirmat 256. Sine Cardinalibus exiſtens viginti novem creat 257, & ſeq. Ludovicum Regem Hungariæ concitat adverſus Joannam Siciliæ Reginam 259. Sententiam abdicationis in eum pronunciat *ibid.* Carolum Dyrrachinum Gravinæ Comitem Siciliæ Regem coronat 261. Septem Cardinales creat 262. Romanorum Seditionem compeſcit *ibid.* Spretis Cardinalium monitis & invito Carolo Dyrrachino Neapolim pergit 263. Ei occurrit Carolus & ab eo male habetur *ibid.* Ludovicum Andegavenſem hæreticum declarat & contra eum crucem publicat 264. Sex Cardinales alioſque Prælatos carceri mancipat & dirè torquet & quare 265, & ſeq. Cardinales creat, quorum ſex Germani acceptare renuunt 266. Carolum Dyrrachinum ejuſque uxorem excommunicat & regno privat *ibid.* Ab eodem Carolo obſidetur 267. Genuam confugit *ibid.* Cardinales & Prælatos captivos necat 269. Lucam appellit & ſupremum Lucenſem Magiſtratum Enſe & Pileo benedictis donat *ibid.* Legati Germanorum ad eum accedunt ad ſolicitandam concordiam cum Clemente VII 271. Urbanus VI fruſtrà tentat Regnũ Neapolitanum armis ſibi comparare *ibid.* & ſeq. Romam redit 272. Coloniæ Academiam inſtituit, & Heidelbergenſem confirmat *ibid.* Jubileum ad annum quinquageſimũ à Clemente VI deductum, ad trigeſimum tertium reducit 273. Feſtum Viſitationis B. Mariæ inſtituit *ibid.* Aliud decretum facit in honorem feſti Corporis Chriſti 274. Romæ moritur *ibid.* Ejus familiæ infelix extinctio, ejuſque ſcripta *ibid.*

Bartholomæus Mezavacca Bononienſis, Cardinalis Reatinus dictus, varia contra Urbanum VI molitur 265. Ab eodem Urbano VI excommunicatur & dignitate Cardinalatûs exuitur 266.

Baſileenſe Concilium indicitur à Martino V 280. Alexander Abbas Vezeliacenſis & Nuncii Univerſitatis Pariſienſis ad illud accedunt 300. Ejus indictionem Eugenius IV confirmat 301. Ad illud Boëmi invitantur *ibid.* Diſſolvitur ab eodem Pontifice Eugenio IV & aliud Bononiæ indicitur 302. Sigiſmundus Romanorum Rex ad Eugenium IV ſcribit contra Concilii diſſolutionem 303. Item Julianus Cardinalis Præſes ejuſdem Concilii 304. Agitur cum Boëmis de eorum acceſſu ad Concilium 305. Ordo ſervatus in Concilio *ibid.* & ſeq. Julianus Præſes indicit primam Seſſionem *ibid.* & ſeq. In prima Seſſione ſtabilitur Concilium 307. Literæ circulares pro ejus continuatione 308. Secunda Seſſio decreta facit pro comprobatione & auctoritate Concilii *ibid.* In Seſſione tertia Eugenius IV & Cardinales monentur ad Synodum accedere *ibid.* In IV Seſſione fiunt decreta de electione Pontificis Romani & Cardinalium 309. Alphonſus Carrilius Hiſpanus Diaconus Cardinalis Legatus Avenionenſis conſtituitur in eadem Seſſione *ibid.* In Seſſione V creantur Procuratores in cauſis fidei & aliis 310. Synodi reſponſio ad orationes Nunciorum Eugenii Papæ 311. In ſexta Seſſione accuſatur contumacia Eugenii *ibid.* In ſeptima & octava fiunt decreta contra eũdem Eugenium 312. Legati Boëmorum ad Synodum accedunt variſque articulos proponunt *ibid.* & ſeq. Catholicorum reſponſiones 313. Tractatur de concordia amicè facienda ſed fruſtrà 314. Oratio Juliani Cardinalis Concilii Præſidis ad Oratores Boëmorum *ibid.* Mittuntur Pragam Legati à Synodo *ibid.* In Seſſione IX Sigiſmundus Romanorum Rex recipitur in protectionem Concilii 315. In Seſſione X iterum accuſatur contumacia Eugenii Papæ *ibid.* Confirmationem Synodi ab Eugenio factam non admittunt Baſileenſes 317. Decreta in Seſſione XI *ibid.* In Seſſione XII Suſpenſio Papatûs Eugenio intentatur *ibid.*

Baſileenſe Concilium iterum rejicit duas Conſtitutiones Eugenii pro confirmatione Concilii 318. In Seſſione XIII, & XIV Eugenio conceditur prorogatio 319. Synodi Provinciales & Diœceſanæ præſcribuntur in Seſſione XV *ibid.* Eugenius Papa Concilio adhæret & omnia à ſe contra illud ſcripta revocat 320. Legati Concilii Pragam perveniunt, eiſque dantur à Boëmis quatuor articuli, ſimul & conditiones unionis faciendæ 321. Eorum explicatio facta per Synodum *ibid.* Communio ſub utraque ſpecie Boëmis conceditur, concordia initur, & *Compactata* ab Huſſitis recipiuntur *ibid.* In Seſſione XVI Literæ Eugenii Synodum confirmantes approbantur 322. In Seſſione XVII Legati Eugenii incorporantur Concilio & admittuntur in Præſides 323. Acta Seſſionis XVIII *ibid.* Synodus in Italiam Oratores mittit ad auxilium Eugenii 324. Græci à Synodo invitati Legatos ad eam mittunt 325. Conventa inter Græcos & Delegatos Concilii à Synodo & ab Eugenio in Seſſione XIX confirmata *ibid.* Decreta in eadem Seſſione de Judeis *ibid.* Dux Burgundiæ contendit de loci prioritate cum Duce Sabaudiæ, cum Imperii Electoribus, & cum Duce Britanniæ *ibid.* & ſeq. Decreta in Seſſione XX contra concubinarios & alia 327. Mandit Synodus Ludovico Cardinali Arelatenſi perquirere ſcripta de Conceptione B. Virginis *ibid.* Decreta quædam Seſſionis XXI *ibid.* In eadem Seſſione prohibetur feſtum Fatuorum 328. Annatæ in Congregatione Generali abrogantur *ibid.* & ſeq. In Seſſione XXII Libellus de Chriſto & Eccleſia conſcriptus Auguſtini de Roma damnatur 331. Conſtitutiones de electione Summi Pontificis, nonnullaque alia decreta ſtatuuntur in Seſſione XXIII 332. Acta quædam cum Græcis in Seſſione XXIV 333. In Seſſione XXV deliberatur de loco celebrandi Concilii cum Græcis *ibid.* Gravis ea de re contentio inter Patres *ibid.* & ſeq. Electionem Florentiæ & Utini Græcis gratam pro celebratione futuri Concilii ab Eugenio approbatam, abrogant Baſileenſes 334. Item promotionem Joannis Vitelleſchi in Cardinalem ab eodem Eugenio factam 335.

Baſileenſe Concilium Eugenium Pontificem contumacem declarat in Seſſione XXVIII 335. Huic declarationi Principes Chriſtiani minimè favent *ibid.* Synodus ab Eugenio Ferrariam transfertur *ibid.* & ſeq. Hanc translationem Baſileenſes abrogant 336. Declaratio de modo communionis Euchariſtiæ in Seſſione XXX *ibid.* & ſeq. Baſileenſes excommunicantur in Concilio Ferrarienſi, & acta eorum abrogantur 337. Varia Decreta Baſileenſium in Seſſione XXXI contra Eugenium & Curiam Romanam 338. Caſſant electionem loci Ferrariæ & omnia quæ in eo fiunt in Seſſione XXXII 339. Acta Seſſionis XXXIII 350, & ſeq. In Seſſione XXXIV ſententia depoſitionis in Eugenium lata 351. Decreta de ſtabilitate Concilii in Seſſione XXXV *ibid.* Conceptio B. Virginis Immaculata declaratur in Seſſione XXXVI 352. Decreta in Seſſione XXXVII pro electione & Electoribus futuri Pontificis *ibid.* In Seſſione XXXVIII acta contra Eugenium 353. Amedeus Dux Sabaudiæ Pſeudo-Pontifex declaratur, & in Seſſione XXXIX confirmatur *ibid.* In Seſſione XL conſentit electioni de ſe factæ & nomen Felicis V ſumit 354. Baſileenſes acta Eugenii damnant in Seſſione XLI, & Felicem V coronant 355. Neceſſitatibus Felicis V Antipapæ ſubveniunt in Seſſione XLII *ibid.* Decretum de feſto Viſitationis B. Virginis in Seſſione XLIII 359. In Seſſione XLIV Decreta pro tuitione Baſileenſium 361. Baſileenſes translationem Concilii concedunt Friderico III Romanorum Regi *ibid.* Seſſio XLV, & ultima Concilii Baſileenſis 363.

Beguardorum & Beguinarum errores in Viennenſi Concilio damnati 35. Aliæ Beguinæ innocentes ab iis diſtinguendæ *ibid.* & ſeq.

Benedictus

Digitized by Google

B

Benedictus XII fit Pontifex Romanus 74. Ejus genus, patria & primordia ante Pontificatum *ibid.* Ejus electio cuidam Epiſcopo Italo in ſomnis præmonſtrata 75. Solemniter coronatur *ibid.* Annos exorditur à die coronationis *ibid.* Prælatos & Curatos in ſuis Eccleſiis reſidere jubet *ibid.* & ſeq. Commendas & expectativas revocat 76. Conſtitutionem edit de viſione animarum *ibid.* Curiam in Italiam non transfert & quarè 77. Avenionenſe palatium ædificat *ibid.* Ludovicum Bavarum monet ut ad Eccleſiæ unitatem redeat *ibid.* Ejus abſolutionem denegat & quarè 78. Regeſtum Supplicationum ſignatarum inducit *ibid.* Bononienſes ad obſequium reducit *ibid.* & ſeq. Decimas Franciæ Regi à Joanne XXII conceſſas revocat & quarè 79. Viros inſignes Cardinales creat *ibid.* Conſanguineos deſpexit *ibid.* & ſeq. Magnam cautionem adhibet in conferendis beneficiis 80. Baſilicam Vaticanam reparari mandat *ibid.* Ordinum reformationi incumbit 81. Conſtitutiones edit pro Fratrum Minorum regimine *ibid.* Non concedit celebrationem feſti ſacrorum Stigmatum S. Franciſci *ibid.* Piè moritur 82. Miraculis claret *ibid.* Ejus opera & munificentia in viros literatos *ibid.* Non fuit Carmelita, ſed Monachus Ciſtercienſis 83.

Benedictus XIII. Vide Petrus de Luna.

Benedictinorum Monaſterium apud Montempeſſulanum ab Urbano V fundatum 116.

Bernardinus Senenſis Ordinis Minorum Nominis Jeſu inſignis propagator 294. & ſeq. Ejus Canonizationem ſuſcipit Eugenius IV 367.

Bertrandus del Got, ſeu *de Gotho* Burdegalenſis Archiepiſcopus Philippo Regi Francorum valdè infenſus & quarè 17. Varia illi promittit cum jurejurando ſpe Pontificatus 18. Eligitur in Summum Pontificem *ibid.* Ejus patria, genus & primordia *ibid.* Electionis ſuæ decretum recipit & Clementis V nomen aſſumit *ibid.* Cardinales Lugdunum accerſit, ubi ſolemniter coronatur 19. Funeſtum in ejus coronatione præſagium *ibid.*

Clemens V Sedem Pontificiam in Galliam transfert 19. Philippum Regem Franciæ Eccleſiæ reconciliat 20. Cardinales creat & Columnenſes à Bonifacio VIII depoſitos dignitati reſtituit *ibid.* Revocat Conſtitutiones Bonifacii VIII contra Regem Franciæ 21. Aliam edit pro Rege, Regno, & Eccleſia Gallicana *ibid.* Decimas eidem Regi, aliiſque Principibus Chriſtianis concedit *ibid.* Res Græcanicas curat *ibid.* Robertum Archiepiſcopum Cantuarienſem citat & quarè 22. Pictavis longam moram trahit ob infirmitatem *ibid.* Epiſcopos ordinari jubet, qui Joannem de Montecorvino Archiepiſcopum Cambalienſem pro Tartaris conſecrarent *ibid.* & ſeq. Eludit petitionem Philippi Regis contra memoriam Bonifacii VIII 23. Geſta ante ſuã Coronationem valere decernit 24. Poſt mortem Alberti Imperatoris Henricum VII in Regem Romanorum eligi procurat *ib.* Baſilicam Lateranenſem incendio combuſtam in priſtinum ſplendorem reſtituit *ibid.* Archiepiſcopatum Moguntinum Petro cuidam medico confert 25. Curiam ſuam Avenionem transfert *ibid.* S. Bertrandi Convenarum Epiſcopi reliquias transfert *ibid.* Avenionem cum Curia pergit *ibid.* Venetos ob Ferrariam occupatam anathemate percellit *ibid.* Eam recuperat 26. Henrici VII Regis Romanorum electionem confirmat *ibid.* Robertum Caroli Claudi filium Siciliæ Regem ungit 27. Bonifacium VIII accuſandi poteſtatem facit *ibid.* Accuſatores in Conſiſtorio publico audit 28. Totius negotii determinatio à Philippo Franciæ Rege ei remittitur *ibid.* Abſolutionem Philippo tribuit omnium contra Bonifacium VIII geſtorum *ibid.* Acta omnia aboleri jubet 29. Guillelmum Nogaretum abſolvit certis conditionibus *ibid.* Bonifacii VIII cauſam ſibi & Sedi Apoſtolicæ reſervat 30.

Clemens V Hoſpitalarios milites pecunia & Indulgentiis juvat ad Rhodum Turcis eripiendam 30. Novos Cardinales creat *ibid.* Concilium Viennenſe Generale XV indicit 31. In prima Seſſione Orationem habet in Concilio 32. Ante ſecundam Seſſionem Templariorum Ordinem caſſat *ibid.* Illam caſſationem in ſecunda Seſſione promulgat 33. Eorum bona Hoſpitalariis aſſignat *ibid.* Crucem ubique prædicari ſtatuit ſacro approbante Concilio 34. Conſtitutiones à Concilio editas, quæ *Clementinæ* inſcribuntur paulò ante mortem publicat *ibid.* Beguardorum & Beguinarum errores damnat 35. Nonnulla addit ſeu ſupplet legibus à Gregorio X editis pro Comitiis Pontificalibus 36. Novem Cardinales creat 37. Petrum de Murrone Cæleſtinum V in Pontificatu dictum canonizat 38. Quinque Cardinales Romam mittit pro coronatione Henrici VII in Imperatorē *ibid.* Conſtitutionem edit de fidelitate Imperatoris erga Eccleſiam Romanam 39. Excommunicat invaſores Regis Roberti vel Regni Siciliæ *ibid.* & ſeq. Sententiam in Robertum Regem ab Henrico VII latam abrogat 40. Eumdem Robertum Urbis Senatorem & Imperii in Italia Vicarium creat *ibid.* Apud Rupem Mauram moritur *ibid.* Ejus corpus transfertur Uzeſtam ibique ſepelitur 41. Ejus ſepulchrum & epitaphium *ibid.* Calumniæ in ipſum confictæ *ibid.* Ejus ſcripta 42. Annos ſui Pontificatûs incipit à die Benedictionis ſuæ *ibid.*

S. Bertrandi Convenarum Epiſcopi reliquiæ à Clemente V transferuntur 25.

Bertrandus de Pojeto Legatus Apoſtolicus à Joanne XXII in Lombardiam mittitur & quarè 53.

Beſſarion Monachus S. Baſilii & Archiepiſcopus Nicænus fidem Romanæ Eccleſiæ profitetur in Concilio Florentino 346. Ad Cardinalatûs dignitatem promovetur ab Eugenio IV 354.

S. Birgitta Ordo ab Urbano V confirmatur 126. A' Bonifacio IX Canonizatur 180, & ſeq. Iterum in Concilio Conſtantienſi à Joanne XXIII canonizatur 228.

Bituricenſis Conventus pro Concilii Baſileenſis celebratione 305. In eo Pragmatica Sanctio condita 340.

Boëmorum erroris de utraque ſpecie introductio in Concilio Conſtantienſi damnatur 242. De communione Calicis eorum deliberatio 270.

Boëmi invitantur ad Concilium Baſileenſe 301, & 305. Eorum Legati ad Synodum accedunt, variaque articula proponunt 312, & ſeq. Fruſtrà agitur de concordia amicè facienda 314. Oratio Juliani Cardinalis ad eorum Oratores *ibid.* Mittuntur Pragam Legati à Synodo *ibid.* & 320. Boëmi offerunt Legatis Synodi quatuor articula, ſimul & conditiones unionis faciendæ 321. Uſum Communionis ſub utraque ſpecie eis Synodus concedit *ibid.* Fit concordia, & *Compactata* ab Huſſitis recipiuntur *ibid.*

Bonifacius IX. Vide Petrus Tomacellus.

Bononienſes Academiâ & privilegiis Apoſtolicis & Imperialibus à Benedicto XII privati 78, & ſeq. In priſtinum ſtatum redeunt *ibid.*

Braccius Tyrannus pœnitens, omnibus Eccleſiæ reſtitutis, à Martino V in gratiam recipitur 273. Denuò in Martinum V rebellat 275.

C

CÆſarauguſta in Metropolim erecta à Joanne XXII 51.

Campana pulſatio poſt Completorium à S. Bonaventura inſtituta, à Joanne XXII confirmatur 51.

Cantabrigienſis Academia à Joanne XXII erecta 52.

Cardinalium diſſenſio & pactio pro electione Pontificis, poſt mortem Benedicti XI cauſa diuturni interpontificii 17.

Cardinales Columnenſes dignitatibus à Bonifacio VIII privati, à Clemente V reſtituuntur, & de novo Cardinales creantur 20.

Cardinales in conclavi incluſi poſt mortem Clementis V inter ſe diſſident 42. Itali fruſtrà poſtulant Cardinalem Prænestinum pro Pontifice licèt Gallum 43. Omnes è conclavi exeunt multa incommoda in incluſione patientes *ibid.*

Itali

Itali pro loco electionis Lugdunum poſtulant *ibid.* Omnes Cardinales Lugdunum conveniunt, & Joannem XXII eligunt 44.

Cardinales poſt mortem Clementis VI ad Cardinalitiam dignitatem augendam in conclavi quaſdam leges edunt 99. Reſcinduntur ab Innocentio VI 100.

Ad Cardinales abſentes pileus rubeus aliquando miſſus 103.

Cardinalibus ſola nominatio ad votum ferendum ſufficit 109, & ſeq. De Cardinalium votis decretum Eugenii IV 302.

Cardinalium creatio quomodo fieret tempore Gregorii XI 137.

Cardinales malè habentur à Romanis poſt mortem Gregorii XI & quare 148. Mortem jam ſibi imminere cernentes Bartholomæum Archiepiſcopum Barenſem Papam renunciant *ibid.* Eorum aſſertiones de re geſta *ibid.* & ſeq. Bartholomæum coronant 149. Ejus electionem coactè comprobant 153. Cardinales Galli Anagniam petunt & juridicè contra eumdem Papam Urbanum VI agunt *ibid.* Eum intruſum declarant 154. Cardinales Itali eum deſerunt *ibid.* Omnes Fundos ſe recipiunt & in ſchiſmate creant Robertum Gebennenſem ſub Clementis VII nomine 155.

Cardinales duo Clementis VII, aliique Prælati à Legato Urbani VI crudeliter habiti, capta à Carolo Dyrrachino Neapoli 160.

Cardinales ſex Urbani VI ab eodem Pontifice carceri mancipantur, direque torquentur & quarè 165, & ſeq. Quinque ex iis juſſu Urbani VI necantur 169.

Cardinales duo Urbani VI ad Clementis VII partem accedunt 169, & ſeq. Cardinalium Urbani VI Literæ encyclicæ de ejus obitu 175.

Cardinales Avenionenſes mortuo Clemente VII ſucceſſoris electionem præcipitant, & jurejurando præſtito ad tollendum ſchiſma Petrum de Luna eligunt 184. Approbant viam Ceſſionis 186. Subtractionem à Benedicto XIII in Pariſienſi Conventu decretam amplectuntur 189.

Cardinales Bonifacii IX poſt ejus mortem conclave intrant, & Innocentium VII eligunt 194. Mortuo Innocentio de nova electione ſub quibuſdam conditionibus tractant & eligunt Gregor. XII 199. Eum deſerunt, Piſas pergunt, & ab eo appellant & quarè 203.

Cardinales Gregorii XII & Benedicti XIII Concilium Piſanum indicunt 205, & ſeq. In Galliam, Angliam & Germaniam Legatos mittunt 207. Facultatem habent à Synodo Piſana creandi Pontificem, & Alexandrum V eligunt 211, & ſeq.

Cardinalium tituli ab Alexandro V mutantur & quare 213, & ſeq.

Cardinalium Epiſcoporum, Presbyterorum & Diaconorum tituli 214.

Cardinales Gregorii XII & Benedicti XIII ad Concilium Conſtantienſe accedunt 228.

Pſeudo-Cardinales Benedicti XIII mortem ejus celant & omnia deripiunt 278. Ad Antipapæ electionem non ſtatim procedunt & quarè *ibid.* & ſeq. Agunt de electione alterius Antipapæ 281. Cum Ægidio Munionis pactum ineunt, & eum in Antipapam eligunt ſub nomine Clementis VIII 282. Cum eo Simoniaca pacta ineunt *ibid.* Ægidio abdicante Martinum V eligunt 291. A' Petro *de Fuxo* Legato cenſuris abſolvuntur 292. Inſignia deponunt *ibid.*

Caroli IV Francorum Regis matrimonium cum Blancha initum à Joanne XXII diſſolvitur & quarè 56.

Carolus hujus nominis IV Marchio Moraviæ Joannis Boëmiæ Regis filius multa Clementi VI promittit ſpe Imperii 90, & ſeq. In Regem Romanorum eligitur 91. Ejus electionem Clemens VI confirmat *ibid.* In Imperatorem coronatur à ſolo Epiſcopo Oſtienſi & quarè 102, & ſeq. Duarum Clementis V Conſtitutionum fruſtrà revocationem poſtulat 114. Avenionem petit & quarè 115. Arelate coronatur *ibid.* Privilegia Monaſterii S. Victoris Maſſilienſis confirmat *ibid.*

Carolus V Sapiens dictus Francorum Rex à Gregorio XI dona recipit, ipſeque viciſſim dona Romam mittit 133.

Carolus VI Francorum Rex immoderatas Clementis VII, ejuſque Cardinalium exactiones reprimit 169. De unione Eccleſiæ tractat cum Bonifacio IX 182. Præcipuos Regni Antiſtites ac Doctores Pariſiis congregat pro extinctione ſchiſmatis, & Via Ceſſionis decernitur 185. Ejus Literæ & Oratores pro unione 201. Colluſionibus inter duos contendentes cognitis ſcribit pro facienda utrique ſubtractione 203. Neutralitas in Gallia promulgatur non obſtante Conſtitutione Benedicti XIII 204.

Carolus VII Rex Galliæ in Conventu Bituricenſi Pragmaticam Sanctionem edit 340. In obedientia Eugenii IV perſeverat 356, & ſeq.

Carolus Dyrrachinus Gravinæ Comes à Ludovico Hungariæ Rege cum copiis mittitur adverſus Joannam Siciliæ Reginam 159. Ab Urbano VI in Siciliæ Regem coronatur 161. Neapolim intrat & Joannam Siciliæ Reginam in Caſtro Ovi obſedit *ibid.* Eam in arcem Civitatis Muri Provinciæ Lucaniæ relegat *ibid.* Contra fidem datam per ſatellites ſuos eam ſtrangulari jubet 162. Ejus arrogantia in Urbanum VI 163, & 165. Excommunicatur & regno privatur ab eodem Pontifice 166. Urbanum VI obſidet 167.

Carolus de Malateſtis Legatus Gregorii XII facultatem habens renunciandi Papatui Conſtantiam intrat 243.

Caſſinenſis Eccleſia de Epiſcopali in Abbatialem reducta ab Urbano V 113.

Chaldæis traditur Conſtitutio fidei ab Eugenio IV in Concilio Lateranenſi 366.

Clemens V. Vide Bertrandus del Got.

Clemens VI Romanus Pontifex eligitur 83. Ejus genus & annus nativitatis *ibid.* Item ejus primordia ante Pontificatum *ibid.* Solemniter coronatur 84. Legatos mittit pro pace inter Philippum Franciæ & Eduardum Angliæ Reges *ibid.* Decem Cardinales creat *ibid.* Romanorum Nuncios ſuſcipit 85. Jubilæum ex anno centeſimo ad quinquageſimum reducit *ibid.* Ejus Bulla de Jubilæi inſtitutione ſuppoſititia 86. Ad inſtantiam Joannæ Burgundæ Reginæ Francorum & Collegii Cardinalium duos Cardinales creat *ibid.* Privilegium communicandi ſub utraque ſpecie Regibus Franciæ concedit 87. Algeziram Mauris ereptam in Cathedralem erigit *ibid.* Pragenſem Eccleſiam Metropolim dicit *ibid.* & ſeq. Ludovicum de Hiſpania Fortunatarum Inſularum Regem conſtituit 88. Humbertum Delphinum Viennenſem propriis manibus cruce ſignat & præficit exercitui Cruceſignatorum 89. Item eum Patriarcham Alexandrinum conſecrat *ibid.* Irridetur à Ludovico Bavaro *ibid.* & ſeq. Eumdem Ludovicum hæreticum declarat, & omni dignitate privat 90. Carolum Moraviæ Ducem Regem Romanorum eligi curat *ibid.* Ejus electionem confirmat 91. S. Ivonem Advocatum pauperum canonizat 92. Joannam Siciliæ Reginam inſontem declarat necis Andreæ Caroberti viri ſui *ibid.* Ab ea Avenionem emit 93. Plura pietatis opera exercet tempore peſtis *ibid.* Petrum Rogerii poſteà Papam ſub Gregorii XI nomine Cardinalem creat *ibid.* Flagellantium Sectam damnat 94. Peregrinorum Romam ad Jubileum euntium ſaluti & commodis proſpicit *ibid.* Duodecim Cardinales creat 95. Religioſorum Mendicantium defenſionem ſuſcipit *ibid.* Conſtitutiones Gregorii X de Conclavi editæ in quibuſdam mutat *ibid.* Legatum in Siciliam mittit pro coronatione Ludovici Tarentini in Regem Siciliæ 96. Avenionenſe palatium amplificat *ibid.* Quædam varia ejus pia opera *ibid.* Ejus ſtudium erga ſuos *ibid.* Moritur 97. Ejus ſepulchrum *ibid.* Inſignis ejus memoria, doctrina, & ſcripta *ibid.* & ſeq.

Clemens VII. Vide Robertus Gebennenſis.

Clemens VIII. Vide Ægidius Munionis.

Colonia Academia inſtituitur ab Urbano VI 172, & ſeq.

C

Columnenſes interceſſione Philippi Franciæ Regis à Clemente V reſtituuntur, & de novo Cardinales creantur 20.

Conceptio B. Virginis Immaculata declaratur in Concilio Baſileenſi 352.

Conclave diſſolvitur poſt mortem Clem. V, & quarè 43.

Conſtitutiones *Clementinæ* dictæ in Concilio Viennenſi editæ, & à Clemente V paulò ante mortem promulgatæ, ad ſtudia Generalia mittuntur à Joanne XXII 49.

Conſtitutiones Gregorii X pro electione futuri Pontificis in quibusdam mutatæ à Clemente VI 95. Suſpenduntur à Gregorio XI 144.

Conſtantienſe Concilium Generale decimum ſextum à Joanne XXIII indicitur 224. Ejus convocationis cauſæ 225. In prima Seſſione, oratione habita à Joanne XXIII, Miniſtri Synodi creantur *ibid.* Sigiſmundus Romanorum Rex ad Synodum accedit *ibid.* Item Legatus Gregorii XII 226. Item Joannes Huſſ, ibique in cuſtodiam traditur & quarè *ibid.* & ſeq. Numerus Patrum Concilii 227. S. Birgitta iterum canonizatur 228. Acceſſus Cardinalium Gregorii XII & Benedicti XIII *ibid.* Honores Sanctis debiti S. Rocho impenduntur *ibid.* In ſecunda Seſſione Joannes XXIII Pontificatu cedere promittit 229. Petitiones Concilii à Joanne Pontifice, ejuſque reſponſiones *ibid.* & ſeq. Fuga Joannis XXIII 230. Tertia Seſſio confirmat continuationem Synodi abſente Joanne Papa *ibid.* & ſeq. Concilii Literæ contra Joannem XXIII 232. Quarta Concilii Seſſio 233. Legati Synodi Joannem Papam Friburgi conveniunt, quibus promittit renunciare Papatui ſub certis conditionibus 234. Quinta Seſſio præcedentis Seſſionis Conſtitutiones confirmat *ibid.*

Conſtantienſe Concilium decernit diſcuſſores doctrinæ VVicleffi & Joannis Huſſ 235. In Seſſione ſexta decernitur de modo renunciationis Joannis Papæ *ibid.* Seſſio VII Joannem XXIII citat 236. In ea contra Hieronymum de Praga, uti contumacem, proceditur *ibid.* In octava Seſſione damnantur impia dogmata Joannis VVicleffi, item ejus ſcripta & memoria 237, & ſeq. Joannes XXIII Pontifex cuſtodiæ datur 238, & ſeq. In Seſſione IX contra eum juridicè agitur 239. In Seſſione X declaratur contumax & ſuſpenditur à Papatu ob notoria crimina *ibid.* Ad eum in Seſſione XI Cardinales & Prælati mittuntur 240. In eadem Seſſione leguntur articuli accuſationum in Joannem XXIII *ibid.* In Seſſione XII deponitur 241. Error de utraque ſpecie in Seſſione XIII damnatur 242. Seſſionis XIV initio adeſt Sigiſmundus Romanorum Rex tanquam Præſidens & quarè *ibid.* In ea Procuratoriũ Gregorii XII ad renunciandum Papatui legitur 243, & ſeq. Reliquæ Seſſioni Cardinalis Oſtienſis præſidet *ibid.* & ſeq. Favores Gregorio XII exhibiti à Synodo ob renunciationem per Procuratorem factam & ab eo confirmatam 245, & ſeq. In Seſſione XV Joannes Huſſ damnatur & traditus Curiæ ſæculari, quòd errores abjurare renuiſſet, cum ſuis ſcriptis comburitur 246. Nec Synodus, nec Sigiſmundus fidem Salvi-conductus Joanni Huſſ dati violarunt 247. Decretum Synodi de Salvo-conductu Joanni Huſſ in particulari conceſſo ſuſpectæ fidei eſt *ibid.* In eadem Seſſione XV damnatur impia aſſertio Joannis Parvi de tyranni nece cuilibet permiſſa 249. In Seſſione XVI deliguntur comites itineris Sigiſmundi Imperatoris ad Petrum de Luna *ibid.* Duodecim Capitula Narbonenſia conventa ob deluſiones Petri de Luna ingentem lætitiam Conſtantiæ pariunt & confirmantur à Patribus Synodi 251. & 253. Decima octava Concilii Seſſio 252. In Seſsione XIX Hieronymus de Praga hæreſes Joannis VVicleffi & Joannis Huſſ damnat & iterum in eas relabitur *ibid.* Quædam alia decreta in eadem Seſsione 253. In Seſsione XX decernitur Monitorium cõtra Fridericum Auſtriæ Ducem propter invaſa bona & jura Eccleſiæ Tridentinæ *ibid.* In Seſsione XXI Hieronymus de Praga tanquam relapſus damnatur, traditusque poteſtati Sæculari vivus comburitur 255. Fides publica ei data à Synodo non violata *ibid.* Varia acta in Congregationibus Generalibus, & in quo differant Congregationes Generales à Seſsionibus 256.

Conſtantienſe Concilium in Seſsione XXII ſeſſiones Oratorum Regum diſponit 257, & ſeq. In Seſſione XXIII contra Petrum de Luna proceditur 258. In eadem Seſſione Aragonii conteſtantur Anglos nõ debere conſtituere unam nationem *ibid.* Angli petunt diviſionem Imperii Pontificii *ibid.* Decernitur citatio Petri de Luna in Seſſione XXIV 259. In Seſſione XXV admittuntur Oratores Comitis Fuxenſis, & in XXVI Oratores Regis Navarræ *ibid.* Synodus in Seſſione XXVII Fridericum Auſtriæ Ducem contumacem declarat & in Seſſione XXVIII in eum fert ſententiam 260. In Seſſione XXIX accuſatur contumacia Petri de Luna *ibid.* Nuncii à Synodo ad eum miſſi audiuntur in Seſſione XXX *ibid.* Subtractio obedientiæ ejuſdem Petri de Luna ab Aragoniis facta approbatur 261. Acta in Seſſione XXXI *ibid.* In Seſſionibus XXXII, XXXIII, & XXXIV judiciariæ actiones in Petrum de Luna continuantur *ibid.* Oratores Joannis Regis Caſtellæ uniuntur Synodo in Seſſione XXXV *ibid.* In Seſſione XXXVI Petrus de Luna peremptoriè citatur, & in XXXVII deponitur *ibid.* Agitur de ſuffragiis Hiſpanorũ in Seſſione XXXVIII 262. In Seſſione XXXIX decretum editur de Conciliis Generalibus ſtatuto tempore celebrandis *ibid.* In eadem Seſſione editur formula fidei profeſſionis à novis Romanis Pontificibus emittenda *ibid.* In Seſſione XL decernitur reformatio Eccleſiæ in Capite & in Membris, formaque electionis futuri Pontificis ſtatuitur 263. In Seſſione XLI Martinus V eligitur Pontifex Romanus & quomodo *ibid.* In Seſſione XLII Joannes XXIII in manus Martini V cuſtodiendus traditur 266. Varia reformationis capita promulgantur in Seſſione XLIII 267. Cardinalium & Nationum diſſenſio circa reformationem *ibid.* In Seſſione XLIV Martinus V futurum Concilium indicit Papiæ, & in Seſſione XLV & ultima finem imponit Concilio, illudque confirmat ore proprio, ſicut fecerat bulla jam ante confecta 269.

Conſtantinus Magnus Britannus non fuit 259.

Conſtantinus Æthiopiæ Imperator, vulgò *Presbyter Joannes* dictus, Legatos ad Synodum Florentinam mittit pro unione cum Eccleſia Romana 359.

Pro *Corſica* Inſula Genuenſibus tradita Innocentius VI cenſum & juramentum exigit 106.

Coſmas Melioratus Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Jeruſalem poſt mortem Bonifacii IX Papa eligitur & coronatur ſub Innocentii VII nomine 194. Ejus genus, primordia & virtutes *ibid.* Ejus diſſidia cum Romanis de Urbis regimine 195. Decretum edit pro Ladiſlao Neapolis Rege & quare *ibid.* Concilium Generale Romæ celebrandũ indicit pro unione Eccleſiæ *ibid.* Romanos emollire cupiens undecim Cardinales creat, inter quos quinque Romani erant 196. Viterbium fugit & quare *ibid.* In Urbem à Romanis revocatur 197. Ladiſlaum excommunicat & poſtea eum in gratiam recipit *ibid.* Apoplexia Romæ moritur 198. Ejus laudes, in viros literatos amor, & pietas in Deiparam *ibid.* & ſeq.

Cracovia Academia inſtituitur ab Urbano V 113.

D

DErtuſæ, ſeu *Dertonæ* Epiſcopos Tarraconenſis Provinciæ in Concilium congregat Petrus *de Fuxo* Cardinalis Legatus Martini V 293. Libertas Eccleſiaſtica reintegratur *ibid.*

Dominicus Capranica electioni Eugenii IV nõ interfuit & quare 299. Contra eum Eugenius IV decretum edit de Cardinalium votis, ſed poſteà eum in Cardinalem recipit, ejusque operâ utitur 302, & ſeq.

Dublinenſis Univerſitatis in Hibernia erectionem Joannes XXII confirmat 55.

E

Ecclesia Romana. Vide Romana Eccleſia.

Elizabetha quarta uxor Caroli IV Imperatoris Romæ ab Urbano V coronatur 223.

S. Elzearius Atiant Comes ab Urbano V Canonizatur 223.

Erfordienſis Academiæ in Turingia inſtitutio à Boniſacio IX 181.

Eucbariſtia uſus ſub utraque ſpecie Philippo Franciæ Regi & ſucceſſoribus à Clemente VI conceditur 87. Item Boëmis in Concilio Baſileenſi 325.

Eugenius IV eligitur Pontifex Romanus & ſolemniter coronatur 298. Dominicus Capranica electioni ejus non interfuit & quare 299. Ejus genus & primordia ante Pontificatum *ibid.* Quare literas de ſua electione non mittit ad Principes per Nuncios Apoſtolicos 300. Agit in nepotes Martini V deceſſoris & poſteà in gratiam recipit *ibid.* Indictionem Concilii Baſileenſis ſactam à Martino V confirmat 301. Idem Concilium diſſolvit, & aliud Bononiæ indicit 302. Duos Cardinales creat *ibid.* Decretum edit de Cardinalium votis contra Dominicum Capranicam *ibid.* Eumdem Dominicum poſteà in Cardinalem recipit, ejuſq; operâ utitur 303. Ad ipſummet Eugenium ſcribit Sigiſmundus Romanorum Rex pro Concilii Baſileenſis celebratione *ibid.* Item Julianus Cardinalis Præſes ejuſdem Concilii 304. Ejus reſponſio ad Sigiſmundum ſuper Concilii diſſolutione 307, & ſeq. In tertia Seſſione monetur ad Synodum accedere cum Cardinalibus 308, & ſeq. Ad eum iterum ſcribit Julianus Cardinalis pro Concilii continuatione 309. Synodi Baſileenſis reſponſio ad orationes Nunciorum Eugenii 310, & ſeq. In ſexta Seſſione accuſatur ejus contumacia 311, & ſeq. Item in ſeptima & in octava fiunt nonnulla decreta contra eum 312. Iterum accuſatur ejus contumacia in Seſſione X 313. Ejus concordia cum Sigiſmundo *ibid.*

Eugenius Romæ Sigiſmundum in Imperatorem coronat 315, & ſeq. Ejus petitiones à Patribus Baſileenſibus 316. Baſileenſes confirmationem Concilii ab eo ſactam non admittunt, & duas ejus Conſtitutiones pro Concilio rejiciunt *ibid.* & ſeq. Caſſat quæ in Seſſione *XII* contra eum ſtatuta fuerant 318. Aliæ litteræ contra Concilium ei ſuppoſitæ *ibid.* In Seſſione *XIII*, & *XIV* ei prorogatur ſuſpenſio à Papatu 319. Oratores à Principibus ad eum mittuntur *ibid.* & ſeq. Ante eorum adventum Concilio adhæret & omnia contra illud ſeripta revocat 320. Ejus literæ Synodum confirmantes approbantur in Seſſione XVI 322. Implorat patrocinium Sigiſmundi Imperatoris contra Philippum Ducem Mediolanenſem *ibid.* Franciſcum Sfortiam Marchionem Anconitanum creat *ibid.* Romani in eum rebellant, eorumque inſidias vix fugâ evadit *ibid.* & ſeq. Ejus Legati Concilio Baſileenſi incorporantur & admittuntur in Præſides 323. Benevolæ ejus literæ ad Synodum 324. Synodus Oratores Romam mittit ad ejus auxilium *ibid.* Approbat conventa inter Græcos & Delegatos Concilii 325. Ad Synodum Oratores dirigit ob abrogationem Annatarum 329. Reſponſio Juliani Cardinalis Concilii Præſidis ad ejus Oratores *ibid.* Poſt mortem Joannæ *II* Siciliæ Reginæ Legatum Neapolim mittit & quare 331, & ſeq. Queritur de Patribus Baſileenſibus ob eorum ſtatuta de Electionibus, Annatis &c. 333. Seminarium Clericorum Florentiæ inſtituit *ibid.* Electionem Florentiæ & Utini aut alterius loci in Italia Græcis gratam pro futuro Concilio confirmat 334. Contra cum acta Baſileenſium *ibid.* Contumax declaratur in Seſſione *XXVIII* 335.

Eugenius Concilium Baſileenſe Ferrariam transfert 335. Sigiſmundum Imperatorem à cenſuris abſolvit 336. Ferrariam intrat 337. Concilium Ferrarienſe Florentiam transfert 344. Florentiam pergit & inſidias in itinere ei tentatas evadit *ibid.* & ſeq. Approbat unionem ſactam inter Græcos & Latinos 348, & ſeq. Queritur de Marco Epheſio *ibid.* Armenos ad Eccleſiæ Romanæ unionem perducit 349. A Baſileenſibus deponitur 350. Agit côtra Baſileenſes 352. Septemdecim Cardinales creat 354. Amedeum Ducem Sabaudiæ in Concilio Baſileenſi in Antipapam electum ſub nomine Felicis V cum ſuis damnat 353. Ludovicum Cardinalem Arelatenſem deponit & quare *ibid.* Carolus *VII* Francorum Rex in ejus obedientia perſeverat 356. Item Angliæ & Hiſpaniæ Reges 357. Ejus Epiſtola de dignitate Cardinalatûs Henrico Archiepiſcopo Cantuarienſi *ibid.* & ſeq. Jacobitas ad Eccleſiæ Romanæ unionem perducit 358, & 360. Florentinam Synodum Romam transfert *ibid.* & ſeq. Ejus reſponſio deputatis à Conventu Francofordienſi 362. Ejus concordia cum Alphonſo Aragoniæ Rege *ibid.* & ſeq. Romam pergit & Lateranenſe Concilium indicit 363. Julianum Cardinalem in Hungariam mittit contra Turcas 364. Alfonſum Borgiam Hiſpanum Presbyterum Cardinalem renunciat 365. Auream Roſam Henrico *VI* Anglorum Regi mittit *ibid.* Conſtitutionem fidei Syris tradit in Concilio Lateranenſi 366. Item Chaldæis & Maronitis *ibid.* Triſtando Epiſcopo Conſoranno deſignato ſcribit de copiis contra Avenionem miſſis à Felice V Antipapa *ibid.* & ſeq. Fridericus *III* Romanorum Rex ad eum Legatum mittit & quare 367. Canonizationem S. Bernardini Senenſis ſuſcipit *ibid.* Secunda Æneæ Sylvii Legatio *ibid.* & ſeq. Varias Conſtitutiones edit de Regularibus 368. Cardinales creat *ibid.* Iterum ad eum mittitur Æneas Sylvius cum Oratoribus Conventûs Francofordienſis 369. Germani depoſita neutralitate ei obedientiam præſtant *ibid.* B. Nicolaum Tolentinatem Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Canonizat 370. Ejus obitus & Epitaphium *ibid.* Ejus virtutes & ſcripta 371.

Expeditio in Terram Sanctam una ex cauſis convocationis Concilii Viennenſis 30.

Expeditio Sacra adverſus Turcas à Clemente *VI* promulgatur 89.

F

Fatuorum feſtum in Concilio Baſileenſi prohibetur 328. Nefarius ille ritus diù in Gallia viguerat *ibid.*

Felix V Antipapa. Vide Amedeus Dux Sabaudiæ.

Ferdinandus Aragoniæ Rex ſubtrahit ſe à Benedicto XIII conſilio S. Vincentii Ferrerii 254. Ab eodem Benedicto excommunicatur *ibid.*

Ferrarienſe Concilium indicitur ab Eugenio IV 335. Ejus initium ſub Nicolao Albergato Presbytero Cardinale Præſide 337. Ad illud acceſſus Eugenii Papæ *ibid.* Item adventus Græcorum *ibid.* Baſileenſes contumaces excommunicantur, & acta eorum abrogantur *ibid.* & ſeq. Ordo Seſſionis Latinorum & Græcorum 339. Diſputatur de Purgatorio & Sanctorum beatitudine 340. Seſſio prima uſque ad tertiam Græcorum ſimul & Latinorum 341. Sex ex Latinis & totidem ex Græcis eliguntur ad diſputandum *ibid.* Græci exordiuntur diſputationem 342. In Seſſione III uſque ad XII diſputatur de additione *Filioque*, *ibid.* & ſeq. In Seſſione XIII & XIV introducuntur Oratores Ducis Burgundiæ 343. In Seſſione XV. Græci cogitant de receſſu 344. In Seſſione XVI Synodus transfertur Florentiam *ibid.*

Flagellantium ſecta à Clemente VI damnatur 94.

Florentia ex Cathedrali in Metropolim erecta à Martino V 273. Seminarium Clericorum Florentiæ inſtituitur ab Eugenio IV 333.

Florentino populo Roſam Auream donat Martinus V 274.

Florentinum Concilium Generale decimum ſeptimum indicitur ab Eugenio IV 344. In eo tractatur de modo ineundæ concordiæ inter Latinos & Græcos 345. Agitatur quæſtio de Proceſſione Spiritus Sancti *ibid.* Pacis conciliandæ ſpes affulget, & deliberatur de modo unionis 346. Potior pars Græcorum adhæret Latinis *ibid.* Omnes demùm conſentiunt, excepto Marco Epheſio, 347. Joſephi Patriarchæ Conſtantinopolitani profeſſio fidei *ibid.* Aliæ quæſtiones

F G

nes & contentiones inter Græcos & Latinos *ibid.* & 349. Definitio fidei 348, & ſeq. Armenorum unio cum Eccleſia Romana *ibid.* Acta contra Baſileenſes 352. Amedeus Dux Sabaudiæ Antipapa ſub nomine Felicis V cum ſuis damnatur 355.

Ad Concilium Florentinum acceſſus Legati Jacobitarum, ejuſque Oratio 358. Item acceſſus Legati Regis Æthiopiæ 359. Jacobitæ uniuntur Eccleſiæ Romanæ 360. Florentina Synodus ab Eugenio IV Romam transfertur 361.

Franciæ Regibus Euchariſtiæ uſus ſub utraque ſpecie conceditur à Clemente VI 87.

Franciſcus Condulmerius Eugenii IV ex fratre nepos Cardinalis Camerarius præficitur Claſſi Chriſtianorum contra Turcas 364. In prælio Varnenſi vincitur *ibid.* Hujus cladis culpa magna in parte ei imputatur 365.

Franciſcus Sfortia Marchio Anconitanus fit ab Eugen. IV & quare 322.

Francofordienſis Conventus in cauſa Eugenii IV, & Concilii Baſileenſis, 361. In eo geſta 367, & 369.

Fridericus Auſtrius Rex Romanorum deſignatus à Ludovico Bavaro victus & captus 58. Fit concordia inter eum & Ludovicum 60.

Fridericus Auſtriæ Dux favet fugæ Joannis XXIII à Concilio Conſtantienſi 230. Citatur à Sigiſmundo Imperatore 231. Veniam petit, & ab Imperatore obtinet 238. Amittit partem ditionis ſuæ *ibid.* Contra eum decernitur Monitorium in Concilio Conſtantienſi propter invaſa bona & jura Eccleſiæ Tridentinæ 253. Eadem Synodus eum contumacem declarat, & in eum fert ſententiam 260.

Fridericus III Dux Auſtriæ Romanorum Rex eligitur 354. Francofordienſem Conventum indicit & quare 361. Baſileam pergit, & tranſlatio Concilii à Baſileenſibus illi conceditur *ibid.* & ſeq. Ad Eugenium IV Legatum mittit, & quare 326.

G

G*Entilis de Sangro* Diaconus Cardinalis Urbani VI Legatus crudeliter habet duos Cardinales, alioſque Prælatos Clementis VII 161, & ſeq. Juſſu Urbani VI carceri mancipatur & quarè 165, & ſeq.

Genuenſes pro Corſica Inſula cenſum & juramentum Innocentio VI præſtant 106.

Germanorum Legati ad Urbanum VI miſſi fruſtrà ab eo ſolicitant concordiam cum Clemente VII 171.

Germanorum Principum Neutralitas in cauſa Eugenii IV & Concilii Baſileenſis 340. Nurimbergæ Conventum faciunt, & in eo de rebus Synodicis componendis tractant 341. Item Francofurdiæ 361, & 367. Neutralitate depoſitâ Eugenio IV obedientiam præſtant 369.

Græca Eccleſiæ cum Latina unio agitatur in Concilio Senenſi 279.

Græci ad unionem à Concilio Baſileenſi invitati Legatos ad illud mittunt 325. Conventa inter eos & delegatos Concilii ab Eugenio IV, & à Synodo confirmata *ibid.* Conſentiunt Synodum fieri in Italia ad unionem cum Latinis 330. Poſtulant ut deſignetur locus pro celebratione Concilii 334. Venetias accedunt *ibid.* Item Ferrariam pro celebratione Concilii 338. Diſputant cum Latinis de Purgatorio & Sanctorum beatitudine 340. In aliis diſputationibus ſex ex Latinis & totidem ex Græcis eliguntur ad diſputandum 341, & ſeq. Græci exordiuntur diſputationem 342. In Seſſione XV cogitant de receſſu 344. Ad Concilium Florentinum accedunt & eorum potior pars Latinis adhæret 346. Omnes demùm conſentiunt excepto Marco Epheſio 347.

Græcus Scriptor Actorum Concilii Ferrarienſis ſeu Florentini in duplicem errorem lapſus 341. Hactenus incognitus 343.

Grandimontenſis Ordo à Joanne XXII reformatus 50.

Gregorius XI eligitur Pontifex & conſecratur 130. Ejus genus, doctrina, & primordia ante Pontificatum *ibid.* Ejus virtutes & ſanctitas 131. Solicitus pro pace inter Franciæ & Angliæ Reges ad eoſdem Legatos mittit 132. Patriarchis, Primatibus & Archiepiſcopis vetat ne coram ſe Crucem deferri faciant in præſentia Cardinalium Legatorum *ibid.* Cardinales duodecim creat *ibid.* Regi Francorum dona à Conſtantino Magno olim Eccleſiæ conceſſa mittit 133. Eccleſiam Lateranenſem primam omnium pronunciat, & S. Mariam Majorem anno Jubilæi luſtrandam jubet *ibid.* Præſentationis B. Mariæ feſtum in Occidente inſtituit *ibid.* Siciliam in Regnum Trinacriæ dictum erigit ſub ligio homagio Eccleſiæ Romanæ 134. & ſeq. Ordinem Eremitarum S. Hieronymi in Caſtella inſtitutum confirmat 135. Imperatorem & alios Principes Chriſtianos monet velle ſe Romam accedere *ibid.* Tempus ſui diſceſſus prorogat *ibid.* Prælatis reſidentiam jubet *ibid.* Novem Cardinales creat, & inter eos Petrum de Luna 136. Agit contra Florentinos rebelles 137. Romam ire parat invitis Cardinalibus, parentibus & amicis 138. Romanorum Legatos recipit *ibid.* Permittit Vvenceſlaum vivente patre in Regem Romanorum eligi 139. Petit à Carolo V Franciæ Rege ut extremo ſupplicio damnatis pœnitentiæ Sacramentum conferatur *ibid.* Avenione diſcedit, & in mari tempeſtatibus agitatur *ibid.* & ſeq. Romam appellit 140. A' Romanis & Florentinis illuditur *ibid.* Scribit in Angliam contra Joannis Vvicleffi errores 141. Anagniam petit, & Euchariſtiam ante ſe de more deferri jubet *ibid.* & ſeq. Inſtituit officium de Inventione & exaltatione S. Crucis, & Vigiliæ Nativitatis B. Mariæ cum jejunio 142. Prohibet ne aliquod ſubſidium bonis Eccleſiaſticorum in Gallia imponatur 143. Recuſat Eccleſiam Pariſienſem à ſubjectione Senonenſis eximere *ibid.* Romam redit, ibique infirmatur *ibid.*

Gregorius de reditu in Galliam feriò cogitat 143. Paulò ante mortem ſuſpendit Conſtitutionem Gregorii X, & alias pro electione futuri Pontificis 144. Dolet præbuiſſe aures revelationibus à nonnullis aſſertis *ibid.* Romæ piè moritur *ibid.* & ſeq.

Gregorius XII. Vide Angelus Corarius.

Guillelmus de Agrifolio Presbyter Cardinalis ad Urbano V creatur 118.

Guillelmus Grimoardi Nuncius in Siciliam mittitur ab Innocentio VI poſt mortem Ludovici Tarentini Siciliæ Regis 107. Divino nutu Pontifex eligitur 110. Conſecratur ſub Urbani V nomine 111. Eius patria, parentes & primordia ante Pontificatum *ibid.* Officium Pœnitentiariæ Presbytero Cardinali tribuit *ibid.* Ad Epiſcopatum Avenionenſem Anglicum fratrem promovet & conſecrat 112. Tres Reges contra Turcas Avenione cruceſignat *ibid.* Eccleſiam Caſſinenſem de Epiſcopali dignitate ad Abbatialem reducit 113. Barnabonem Vicecomitem Mediolani tyrannum domat *ibid.* Ad inſtantiam Caſimiri Poloniæ Regis Cracoviæ Academiam inſtituit *ibid.* Solicitatur à Romanis ut Romam cum Curia pergat 114. Maſſiliam petit ubi majus Altare S. Victoris conſecrat *ibid.* Carolum IV Imperatorem Avenionem vocat & quare *ibid.* Romam adire parat 115. Tres Cardinales creat 116. Quomodo ſe cum patre & propinquis geſſerit *ibid.* Montem peſſulanum petit ad viſitandum Monaſterium pro Benedictinis à ſe fundatum *ibid.* Ibidem inſtituit Collegium Medicinæ pro duodecim Scholaribus *ibid.* Quandiù vixit mille ſtudentes ſuis expenſis in diverſis ſtudiis tenuit 117. Duo Collegia Canonicorum in Diœceſi Mimatenſi inſtituit *ibid.*

Urbanus V Italiam petit, & Maſſiliæ Guillelmum de Agrifolio Presbyterum Cardinalem creat 118. Genuam appellit & poſteà Viterbium *ibid.* Seditioſis Viterbienſibus parcit 119. Jeſuatorum Ordinem confirmat *ibid.* Recipit Legatos Joannis Græcorum Imperatoris 119. Romæ ingenti gaudio excipitur 120. Per Græcorum Legatos Joanni Imperatori tres Agnos Dei mittit, eumque invitat ad unionem Eccleſiæ *ibid.* Apoſtolorum Petri & Pauli capita ornat 121. Roſa & enſe aureis Joannam Siciliæ Reginam donat 122.

G

122. Montis Flaſconis Eccleſiam Cathedralem erigit *ibid.* Corpus S. Thomæ de Aquino Ordini Prædicatorum conceditt,& Toloſam defertur *ibid.* Cardinales creat 123. Romam redit & Elizabetham Auguſtam coronat *ibid.* Eccleſias Romæ reparat 124. S. Elaearium Ariani Comitem Canonizat *ibid.* Viterbium petit,& contra Peruſinos rebelles agit *ibid.* & ſeq. Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem Romanæ Eccleſiæ fidem profitentem honorificè ſuſcipit 125. Romam intrat Imperatore ſtratoris officio fungente *ibid.* Avenionem redire parat & quare 126. Cardinales creat *ibid.* Ordinem S. Birgittæ virorum & molierum confirmat *ibid.* & ſeq. Avenionem pergit, ubi ſanctè moritur *ibid.* Urbanus multiplicitatem beneficiorum inhibuit 127, & ſeq. Prælatos & Beneficiatos in ſuis Eccleſiis reſidere juſſit 128. Cardinalium domus azyla eſſe prohibuit *ibid.* Simoniam extirpavit *ibid.* Corpus ejus Maſſiliam ad Monaſterium S. Victoris transfertur *ibid.* Miraculis claret *ibid.* & ſeq. Ejus Canonizatio à Regibus aliiſque multis poſtulatur 129. Primus Mitræ turbinatæ ſeu Tiaræ Pontificiæ triplex coronamentum addidit 130.

Guillelmus de Mandagoto Cardinalis Præneſtinus fruſtrà poſtulatur pro Pontifice à Cardinalibus Italis 43.

Guillelmus de Nogareto certis conditionibus à Clemente V abſolvitur 29.

H

Heidelbergenſis Academia à Roberto Bavariæ Duce inſtituta, ab Urbano VI confirmatur 172, & ſeq.

Henricus Lucemburgius Aquiſgrani in Regem Romanorum coronatur 24. Ejus electio à Clemente V confirmatur 26. Romæ Imperator coronatur à Sabinenſi,& inungitur ab Oſtienſi Epiſcopis 39. Quare in Eccleſia Lateranenſi *ibid.* Profitetur ſe non eſſe cuiquam fidelitatis juramento adſtrictum,neque unquam præſtitiſſe, ſed falsò *ibid.* Fert ſententiam contra Robertum Siciliæ Regem, quam Clemens V abrogat 40. Moritur *ibid.*

Henricus IV Angliæ Rex Oratores ad Gregorium XII & Concilium Piſanum mittit 210.

Henricus VI Angliæ Rex in obedientia Eugenii IV perſeverat 356. Auream Roſam ſibi ab eodem Pontifice miſſam recipit 365.

Henricus Archiepiſcopus Cantuarienſis litem movet Joanni Kemp Presbytero Cardinali & quare 357.

Hieronymitarum Ordo in Caſtella inſtitutus à Gregorio XI confirmatur 135.

Hieronymus de Praga citatur in ſexta Seſſione Concilii Conſtantienſis 235, & ſeq. Contumax declaratur in VII Seſſione 236. In Seſſione XIX damnat hæreſes Joannis Vvicleffi & Joannis Huſs, & iterum in eas relabitur 252. In Seſſione XXI tanquam relapſus damnatur, & traditus poteſtati ſæculari vivus comburitur 255. Fidem publicam ei datam Synodus non violavit *ibid.* Qualis fuerit *ibid.*

Hoſpitalarii milites pecunia & indulgentiis juvantur à Clemente V ad Rhodum Turcis eripiendam 30. Templariorum ferè omnia bona eis addicta 33. Helionus Supremus Magiſter eis præficitur à Joanne XXII & quare 51.

Hugo Geraldi Epiſcopus Cadurcenſis deponitur à Joanne XXII,& quare 49.

Hugo Rogerii Cardinalis poſt mortem Innocentii VI electioni de ſe factæ renunciat 109.

Humbertus Delphinus Viennenſis à Clemente VI præficitur exercitui Crucesignatorum 89. Patriarcha Alexandrinus conſecratur *ibid.*

Huſſitarum Compactata à Synodo Baſileenſi recipiuntur 321.

I

Jacobus Borbonius Joannæ II Siciliæ Reginæ maritus cuſtodia liberatus redit in Galliam,& regulam S. Franciſci ſuſcipit 272, & ſeq.

Jacobus Columna contra Ludovicum Bavarum Joannem XXII Legitimum Pontificem declarat 63. Avenionem ab eodem Pontifice vocatus Lombarienſis Epiſcopus renunciatur *ibid.*

Jacobi Miſenſis introductio erroris de utraque ſpecie, in Concilio Conſtantienſi damnatur 242.

Jacobi de Seva relatio circa electionem Urbani VI. 150. & ſeq.

Jacobitarum Legati acceſſus ad Synodum Florentinam, ejuſque Oratio 358, & ſeq.

Jacobitæ Eccleſiæ Romanæ uniuntur 360.

Jeſuatorum Ordo à nobili Joanne Columbino inſtitutus ab Urbano V confirmatur 119.

Innocentius VI Pontifex eligitur & coronatur 90. Ejus primordia ante Pontificatum & Canonum peritia *ibid.* Audoinum Alberti ſuum ex fratre nepotem Cardinalem creat *ibid.* Reſcindit leges à Cardinalibus in Conclavi editas 100. Reſervationes & Commendas revocat *ibid.* Prælatos in ſuis Eccleſiis reſidere jubet ſub pœna excommunicationis *ibid.* Viros Literatos & pios ad dignitates promovet *ibid.* Salaria inſtituit pro Rotæ Auditoribus 101. Curiam reformat *ibid.* Terras Eccleſiæ à tyrannia occupatas recuperat *ibid.* Lanceæ & clavorum Chriſti feſtum inſtituit *ibid.* Solum Epiſcopum Oſtienſem Romam mittit ad coronandum Carolum IV in Imperatorem,& quare 102. Sex Cardinales creat 109. Pileum rubeum ad Cardinales abſentes, etiamſi non eſſent filii aut fratres Imperatorum aut Regum, aliquandò mittit 104. Monaſterium Carthuſianorum apud Villamnovam fundat *ibid.* Muris & turribus Avenionem claudit 105. Ægidium Alvari Cardinalem Legatum ex Italia revocat, & iterum mittit *ibid.* Mendicantium privilegia confirmat *ibid.* & ſeq. Duas Clementis V. Conſtitutiones revocare recuſat 106. Cenſum & juramentum à Genuenſibus pro Corſica Inſula exigit *ibid.* Octo Cardinales creat *ibid.* Poſt mortem Ludovici Tarentini Siciliæ Regis Nuncium in Siciliam mittit 107. Ejus obitus 108. Ejus virtutes & in ſuos ſtudium *ibid.*

Innocentius VII. Vide Coſmas Melioratus.

Joanna Siciliæ Regina à Clemente VI inſons declaratur necis Andreæ Caroberti viri ſui 92. Matrimonium init cum Ludovico Tarentino *ibid.* Vendit Clementi VI Pontifici ſuam civitatem Avenionenſem 93. Roſam Auream & enſem auratum ab Urbano V recipit 122. Urbanum VI deſerit & quare 154, & ſeq. Clementi VII adhæret 158. Siciliæ regno privata declaratur ab Urbano VI 159. Permittente Clemente VII Ludovicum Ducem Andegavenſem fratrem Caroli V Regis Francorum adoptat, & hæredem conſtituit *ibid.* & ſeq. Capta à Carolo Dyrrachino Neapoli in arcem civitatis Miri Provinciæ Lucaniæ relegatur 160. In Capella flexis genibus orans juſſu Caroli omnium hominum ingratiſſimi ſtrangulatur 162.

Joanna II Siciliæ Regina à Legato Martini V coronatur 272,& ſeq. Moritur 331.

Joanna Papiſſa tempore Urbani V in ſuſpicionem falſi jam venerat 121.

Joannis de Poliaco errores de Sacramento pœnitentiæ à Joanne XXII, damnantur 55, & ſeq.

Joannes XXII, antea Epiſcopus Cardinalis Portuenſis eligitur in Summum Pontificem concorditer à Cardinalibus omnibus 44. Eluſit promiſſum Romam eundi & quomodò 45. Benedicitur & coronatur 46. Cur coronationem ſuam distulerit *ibid.* Ejus patria, genus,& primordia ante Pontificatum 47. Ludovico Duci Bavariæ & Friderico Auſtrio Imperii competitoribus poſt mortem Henrici VII diem dicit ad judicium litis *ibid.* Avenionem pergit,& octo Cardinales creat *ibid.* Ludovicum Epiſcopum Toloſanum Sanctorum faſtis adſcribit *ibid.* Toloſanam Eccleſiam in Metropolim erigit 48. Multas Eccleſias dividit,& in alios Epiſcopatus erigit *ibid.* & ſeq. Cadurcenſem Epiſcopum deponit & qua-

& quare 49. Conſtitutiones *Clementinas* dictas executioni mandat *ibid.* Inutiles & curioſas quæſtiones Theologicas prohibet 50. Grandimontenſem Ordinem reformat *ib.* Conſtitutionem edit adverſus Vicarios Imperii in Italia *ibid.* Item contra quoſdam Minoritas ſegreges *ibid.* Rhodiis equitibus Helionum Supremum Magiſtrum præficit 51. Sedem Cæſaraugaſtanam in Archiepiſcopalem erigit *ibid.* Pulſationis campanæ uſum ſub veſpertinum crepuſculum confirmat *ibid.* Academiam Cantabrigienſem erigit 52. Montis Oliveti Congregationem approbat *ibid.* Eccleſiam Montis Caſſini in Epiſcopalem evehit *ibid.* Ordinem Militiæ Chriſti in Luſitania inſtituit *ibid.* Bertrandum de Pojeto Legatum in Lombardiam mittit 53. Tria officia in Curia Romana conjungit, & Auguſtinianis tribuit *ibid.* Joannes Polonorum Legatos ſuſcipit petentes eorum Principem Regio diademate coronari 54. Thomam de Cantilupo Hereſordienſem Epiſcopum Canonizat *ibid.* Septem Cardinales creat 55. Erectionem Univerſitatis Dublinenſis confirmat *ibid.* Joannis de Poliaco errores de Confeſſione damnat *ibid.* Matrimonium Caroli IV Francorum Regis cum Blancha initum diſſolvit 56. Coram eo agitatur quæſtio Minoritarum de proprio *ibid.* Caſſat determinationem factam in Capitulo Generali Peruſino à Fratribus Minoribus quoad eorum paupertatem 57. Item quoad paupertatem Chriſti & Apoſtolorum *ibid.* S. Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum Canonizat *ibid.* Monitorium publicat contra Ludovicum Bavarum 58. Ejus Oratores ſuſcipit *ibid.* Publicationem monitorii ad tres menſes prorogat 59. In eum ſententiam profert *ibid.* Purgat ſe ab hæreſi ſibi à Ludovico impacta 59, & ſeq. Marſilium de Padua & Joannem Janduinum, eorumque hæreſes damnat 60. Improbat concordiam factam inter Ludovicum Bavarum & Fridericum Auſtrium Romanorum Reges electos *ibid.* Supplicatur à Romanis ad Urbem ſe transferre 61. A Ludovico Bavaro hæreticus declaratur *ibid.* Ultimam excommunicationis & depoſitionis ſententiam in Ludovicum Bavarum profert *ibid.* & ſeq. Decem Cardinales creat 62. Coronationem Ludovici Mediolani & Romæ factam irritat *ibid.* A Ludovico Pontificatu privatus declaratur *ibid.* & ſeq. A Jacobo Columna defenditur 63. Joannes preces publicas indicit ob ſchiſma Petri Corbarii Antipapæ 66. Romam recuperat *ibid.* Iterum à Ludovico Bavaro depoſitus publicatur *ibid.* & ſeq. A Petro Corbario anathematizatur, ejuſque imago comburitur 67. Antipapæ literas recipit, & ad eum reſcribit 68 Promittit ſe benignè cum eo acturum *ibid.* Eum Piſis abſolvit *ibid.* Confirmat abſolutionem ab ejus Delegatis Piſis factam, eumque clementer & miſericorditer ſuſcipit 70. Coram eo agitatur Quæſtio de viſione animarum ſeparatarum ante reſurrectionem 71. Omnia ſua dicta vel ſcripta determinationi Eccleſiæ ſubjicit *ibid.* Excuſatur ab hæreſi *ibid.* & ſeq. Avenione moritur 72. Annos Pontificatus ſui à die coronationis numeravit *ibid.* Ejus virtutes & ſcripta *ibid.* Ejus inſtitutio de feſto SS. Trinitatis ubique celebrando 73. Theſaurus ejus *ibid.* Utrum inſtitutor ſit Rotæ Romanæ & Abbreviatorum *ibid.* Non eſt Auctor dicendi in Miſſa ad tertium Agnus Dei *Dona nobis pacem* 74.

Joannes XXIII poſt mortem Alexandri V Pontifex eligitur 219. Ejus patria & primordia *ibid.* Solemniter conſecratur & coronatur *ibid.* Mortuo Ruperto Romanorum Rege, Oratores ad Electores Imperii mittit, ut Sigiſmundum in ejus ſucceſſorem eligerent *ibid.* Archiepiſcopum Piſanum in Galliam mittit ad exigenda ſubſidia *ibid.* Romam accedit 220. Quatuordecim Cardinales creat 221. Epiſcopalem ſedem in Polonia erigit *ibid.* Contra Ladiſlaum crucem publicat, & pacem cum eo init *ibid.* & ſeq. Concilium Romæ celebrat 222. Ladiſlai perſecutionem fugiens Romam deſerit 223. Antequam Roma exiret Cardinales creat *ibid.* Legatos ad Sigiſmundum Romanorum Regem mittit cum plena poteſtate conveniendi de loco & tempore celebrationis Concilii Generalis *ibid.* Conſtantia electa Concilium indicit, & ad eam urbem accedit 224. Miſſa ab eo ſolemniter celebrata primam Seſſionem indicit, & Orationem habet in Concilio 225. S. Birgittam iterum Canonizat 228. In ſecunda Seſſione Concilii Conſtantienſis ad reddendam Eccleſiæ pacem Pontificatu cedere promittit 229. Ejus reſponſiones poſtulatis Concilii *ibid.* & ſeq. Conſtantiam deſerit, & Sigiſmundo Romanorum Regi ſcribit 230. Ejus oblata ad Synodum 231. Suum à Concilio receſſum excuſat, accuſans Concilium & Sigiſmundum *ibid.* & ſeq. Iterum excuſat quòd Schaffuſia receſſerit 232., & ſeq. Friburgum petit, ubi Legati Synodi eum conveniunt 234. Ejus poſtulata *ibid.* Joannes juridicè citatur in Seſſione ſeptima 236. Cuſtodiæ datur *ibid.* In Seſſione IX contra eum juridicè agitur, & in X Seſſione ſuſpenditur à Papatu, & quare 239. Ejus reſponſum Cardinalibus & Prælatis ad eum à Synodo miſſis 240. Ejus preces ad Sigiſmundum *ibid.* In Seſſione XI leguntur articuli accuſationum in eum 241. Sententiam depoſitionis in eum latam depoſito habitu Pontificali comprobat *ibid.* In cuſtodia detinetur *ibid.* Carcere ſolutus ad Martinum V Florentiam pergit, ibique moritur 242.

Joannes de Monte Corvino Ordinis Minorum in Archiepiſcopum Cambalienſem & Legatum totius Orientis ordinatur & conſecratur 23.

Joannis Janduni hæreſis à Joanne XXII damnatur 60.

Joannes Birellius poſt mortem Clementis VI proponitur pro Papa, ſed rejicitur & quare 98.

Joannes Comes Armaniaci ſchiſma Paniſcolenſe fovens, Romam citatur a Martino V 285.

Joannes Carrerius Pſeudo Cardinalis Petri de Luna proteſtatur contra electionem Ægidii Munionis Antipapæ, & alium Antipapam ſecretè eligit 282. In Galliam fugit, & jactat ſe pro unione Eccleſiæ laboraſſe 283. Multa de Martino V ſchiſmaticorum more mentitur *ibid.* & ſeq. Publicat ſe in Papam elegiſſe Benedictum XIV 284. Ejus Epiſtolæ in multis fides adhiberi poteſt *ibid.* & ſeq.

Joannes Dominicus Cardinalis Ragulinus à Gregorio XII ad Concilium Conſtantienſe mittitur, & quare 226, & 244. A Martino V in Boemiam mittitur pro redocendis Huſſitis, ibique moritur 270.

Joannes Caſtellæ Rex a Petro de Luna Cardinali Aragonio perſuaſus Clementi VII adhæret 160.

Joannes Huſs Wicleffi dogmata diſſeminat 217. Contra eum Alexander V decretum edit *ibid.* Ad Concilium Conſtantienſe properat, ibique in cuſtodiam traditur, & quare 226. & ſeq. In Synodo committuntur diſcuſſores in ejus cauſam 235. In Seſſione XV damnatur, & traditus curiæ Sæculari, quòd errores abjurare renuiſſet, cum ſuis ſcriptis comburitur 246. Ab hæreticis ut ſublimior omnium Martyrum, & ut propheta habetur *ibid.* & ſeq. Fidem Salvi-conductus Joanni Huſs dati, nec Concilium Conſtantienſe, nec Sigiſmundus Romanorum Rex violarunt 247. Decretum Synodi Conſtantienſis de Salvo conductu ei in particulari conceſſo ſuſpectæ fidei eſt *ibid.* & ſeq.

Joannes Palæologus Andronici filius Græcorum Imperator ad Urbanum V Legatos mittit 119. Ab eodem Pontifice tres *Agnus Dei* tanquam ingens donum recipit & invitatur ad unionem Eccleſiæ 120. Romanæ Eccleſiæ fidem profitetur, & honorificè ab Urbano V Romæ ſuſcipitur 125.

Joannes Palæologus Græcorum Imperator ad Concilium Baſileenſe Legatos mittit pro unione utriuſque Eccleſiæ tractanda 325. Ad Concilium Ferrarienſe accedit 328. In Concilio Florentino fidem Romanæ Eccleſiæ profitetur 346, & 348.

Joannes Presbyter, ſeu Presbyter Joannes Æthiopiæ Imperator Legatos ad Synodum Florentinam mittit pro unione cum Eccleſia Romana 359.

Joannis Parvi aſſertio de tyranni nece cuilibet permiſſa damnatur in Concilio Conſtantienſi 249.

Joannes Vitelleſcus Patriarcha Alexandrinus poſt mortem Joannæ II Siciliæ Reginæ ab Eugenio IV Neapolim mittitur, & quare 331, & ſeq. Ejus promotio ad Cardinalatum ab Eugenio facta abrogatur in Concilio Baſileenſi 335.

Joannes Vvicbleffus in Gregorium XI & Eccleſiam multos errores diſſeminat 141. Damnatur in Concilio Romano 222. Item in Concilio Conſtantienſi impia ejus dogmata, ejus ſcripta, & memoria damnantur 237.

Joſephus Patriarcha Conſtantinopolitanus ad Concilium Ferrarienſe properat 318. Ejus obitus & profeſſio fidei 347.

Jubilaus ex anno centeſimo ad quinquageſimum reducitur à Clemente VI 85. Ejuſdem Clementis VI Bulla de Jubilæi inſtitutione ſuppoſititia 86. Ad annum trigeſimum tertium reducitur ab Urbano VI 273.

Julianus Caſarinus Diaconus Cardinalis tit. S. Angeli Legatus mittitur à Martino V contra Huſſitas 295. Item pro celebratione Concilii Baſileenſis 296. Scribit ad Eugenium IV contra diſſolutionem ejuſdem Concilii ab ipſomet Pontifice factam 303. Indicit primam Concilii Baſileenſis Seſſionem 306, & ſeq. Ad Eugenium iterum ſcribit pro Concilii continuatione 309. Ejus Oratio ad Oratores Boemorum 314. Item ejus reſponſio ad Oratores Eugenii Papæ de Annatarum abrogatione 329. Ab Eugenio in Hungariam mittitur, & quare 364. In prælio *Varnenſi* vincitur & occiditur 365.

S. Ivo inſignis Juriſconſultus, vulgò dictus Advocatus Pauperum, Sanctorum catalogo inſcribitur à Clemente VI 92.

L

LAdiſlaus filios Caroli Dyrrachini à Boniſacio IX Neapolis Rex declaratur 178. & ſeq. Ab Innocentio VII excommunicatur, & poſteà in gratiam recipitur 197. In eum ſacrum bellum ut in Eccleſiæ hoſtem publicat Joannes XXIII 221, & ſeq. Pacem cum eo init 222. Magno collecto exercitu Romam occupat, & varia ſcelera patrat 223.

Lateranenſis Eccleſia prima omnium declaratur à Gregorio XI 133.

Lateranenſe Concilium indicitur ab Eugenio IV 363, & ſeq. Conſtitutio fidei Syris traditur 366. Item Chaldæis & Maronitis *ibid.* & ſeq.

Lipſienſis Academiæ initia ſub Alexandro V 217.

Lovanienſis Academiæ erectionem confirmat Martinus V 286.

Ludovico Alemanno Cardinali Arelatenſi injungitur à Concilio Baſileenſi ut diligenter perquirat ſcripta de Conceptione B. Virginis 327. Ab Eugenio IV deponitur, & quare 355.

Ludovicus Bavarus victo & capto Friderico Auſtrio jus Imperii uſurpat 58. Contra eum Joannes XXII Monitorium publicat *ibid.* Ad Joannem Pontificem Oratores mittit *ibid.* Appellat ad futurum Concilium *ibid.* Tempus publicationis Monitorii ad tres menſes prorogatur 59. Joannes XXII in eum profert ſententiam *ibid.* Joannem Papam hæreticum declarat 60, & ſeq. Iterum appellat ad futurum Concilium *ibid.* Cum Friderico Auſtrio concordiam init *ibid.* A Joanne deponitur & excommunicatur *ibid.* & ſeq. Ab eodem Papa ejus Coronatio Mediolani & Romæ facta irritatur 62. Joannem Pontificatu privatum declarat *ibid.* De futuris Pontificibus Romanis leges conſtituit 63. Petrum de Corbario Ordinis Minorum Antipapam conſtituit ſub Nicolai V nomine 64. Tiaram ei imponit, & ab eo coronatur 65. Sententiam depoſitionis in Joannem Papam iterum Piſis publicat 66, & ſeq. Ignominiâ onuſtus redit in Germaniam 67. Monetur à Benedicto XII ut ad Eccleſiæ unitatem redeat 78. Idem Papa Benedictus XII ei denegat abſolutionem, & quare *ibid.* Ad Clementem VI Legatos mittit in deriſum Pontificis 89. Ab eodem Pontifice Clemente VI hæreticus declaratur, & omni dignitate privatur 90.

S. Ludovicus Epiſcopus Toloſanus Ordinis Minorum à Joanne XXII Canonizatur 47. In Provincia natus & defunctus 48. Ejus reliquiæ ab Alphonſo Aragoniæ Rege Valentiam Hiſpaniæ transferuntur 285. Ejus corpus eidem Alphonſo Regi conceditur à Martino V 295.

Ludovicus de Hiſpania Fortunatarum Inſularum Rex conſtituitur a Clemente VI 88. Ejus clarum genus *ibid.*

Ludovicus Tarentinus matrimonium init cum Joanna Siciliæ Regina 92. A' Legato Clementis VI coronatur in Regem regnorum Jeruſalem & Siciliæ 96. Moritur 107.

Ludovicus Hungariæ Rex ab Urbano VI concitatur adverſus Joannam Siciliæ Reginam 159. Oblatas conditiones libenter accipit *ibid.*

Ludovicus Dux Andegavenſis Caroli V Regis Francorum frater à Joanna Siciliæ Regina adoptatur, & hæres conſtituitur 159, & ſeq. Regni Siciliæ à Clemente VII inſignia accipit 162. Ab Urbano VI hæreticus declaratur 164. Moritur 165.

Ludovicus II filius Ludovici Ducis Andegavenſis in Apulia defuncti in Regem Siciliæ à Clemente VII Avenione coronatur 176, & ſeq.

Ludovico hujus nominis tertio Siciliæ Regi favet Martinus V contra Alphonſum Aragoniæ Regem 275. Item Eugenius IV 331, & ſeq. Neapolim accedit 344. Neapoli ab Alphonſo Aragoniæ Rege occupata, fugam capit, & fruſtrà amiſſa recuperare tentat 362.

M

MAnfredi Ordinis Prædicatorum Congregationem diſſolvere conatur Martinus V 294.

Manuel Græcorum Imperator Oratores ad Martinum V mittit pro utriuſque Eccleſiæ unione 274.

Marcus Epheſius in Concilio Florentino proceſſionem Spiritus Sancti ex Patre & Filio non admittit 347.

Maronitis traditur Conſtitutio fidei ab Eugenio IV in Concilio Lateranenſi 366.

Marſilii de Padua hæreſis à Ioanne XXII damnata 60.

Martinus V. eligitur Romanus Pontifex in Concilio Conſtantienſi & inthronizatur 263. Quomodo facta ejus electio 264. Scribit literas circulares ante Conſecrationem *ibid.* Conſecratur & coronatur *ibid.* & ſeq. Ejus clarum genus *ibid.* Ejus primordia ante Pontificatum 265. Admonet Petrum de Luna Pontificatu ſe abdicare ſed fruſtra 266. Futurum Concilium indicit Papiæ 268. Finem imponit Concilio Conſtantienſi, illudque confirmat ore proprio, ſicut fecerat Bullâ jam ante confectâ 269. Conſtantiâ diſcedit & Genevam pergit 270. Legatum in Boëmiam mittit pro reducendis Huſſitis *ibid.* Anticardinales Petri de Luna honore ac jure Cardinalitio afficit *ibid.* & ſeq. In Italiam pergit & magna pompa Florentiæ excipitur 271. A' quo die annos ſui Pontificatûs repetierit *ibid.* Quatuor Cardinales Petri de Luna & Joannem XXIII Florentiæ ſuſcipit 272. Legatum Neapolim mittit ad coronandam Joannam II Siciliæ Reginam *ibid.* & ſeq. Braccium tyrannum veniam petentem recipit, ejuſque operâ Bononiam recuperat 273. Florentiâ diſcedit, ejus Eccleſiâ ex Cathedrali in Metropolim erectâ *ibid.* Roſtochienſi Academiæ privilegia confert *ibid.* Enſem & pileum benedictos Carolo Delphino Caroli VI Regis Francorum filio, Roſam verò auream populo Florentino donat 274. Martinus tractat cum Manuele Græcorum Imperatore de unione utriuſque Eccleſiæ 274. Romam appellit *ibid.* Ludovico Andegavenſi Siciliæ Regi favet contra Alphonſum Aragoniæ Regem 275. Ab eodem Alphonſo vexatur *ibid.* Ad inſtantiam Pariſienſis Academiæ Legatos ad Concilii Papienſis celebrationem mittit *ibid.* Concilii tranſlationem ad civitatem Senarum approbat 276. Senenſe Concilium diſſolvit & Baſileenſe indicit 280. Romanam Curiam componere aggreditur *ibid.* Jubileum Romæ celebrat *ibid.* Peruſium aliaſque urbes ditionis Eccleſiaſticæ recuperat *ibid.* Petrum de Fuxo Legatum in Aragoniam mittit pro ſchiſmatis extinctione 285. Lovanienſis Academiæ erectionem confirmat 286. Joannem Armaniaci Comitem ſchiſma

Pa-

M

Paniſcolenſe foventem Romam citat *ibid.* Comminatoriam fert ſententiam in Alphonſum Aragoniæ Regem *ibid.* & ſeq. Martinus quatuordecim Cardinales creat 287. Permittit Petro Fuxenſi Legato in Aragoniam intrare 288. Poſtulata Regis Aragoniæ & Legati ad eum Romam deferuntur 289. Ægidius Munionis Antipapa ſub Clementis VIII nomine & ejus Pſeudo Cardinales ei ſe ſubmittunt 291. Novos Cardinales creat 293, & ſeq. Congregationem Manfredi Ordinis Prædicatorum diſſolvere conatur 294. Quomodò egerit cum Bernardino Ordinis Minorum Nominis Jeſu inſigni propagatore *ibid.* Julianum Cæſarinum Diaconum Cardinalem Legatum contra Huſſitas mittit 295. Eumdem Cardinalem conſtituit Legatum pro celebratione Concilii Baſileenſis 296. Martini obitus, Epitaphium & locus ſepulturæ *ibid.* Ejus virtutes, & in adverſis conſtantia 297. Purgatur à calumnia *ibid.* Ejus ſcripta 298.

Mendicantium defenſio ſuſcipitur à Clemente VI 95. Eorum privilegia Innocentius VI confirmat 105, & ſeq. In eorum favorem Alexander V Conſtitutionem edit 216.

Metropolis Cæſarauguſtæ à Joanne XXII erigitur 51.

Item Toloſæ ab eodem Pontifice 48. Pragenſis Eccleſia in Metropolim erigitur à Clemente VI 87.

Minoritarum quæſtio de proprio agitatur coram Joanne XXII 56. Determinatur à Fratribus Minoribus in Capitulo Generali Peruſii celebrato *ibid.* Hanc determinationem caſſat idem Pontifex tàm quoad paupertatem eorum, quàm quoad paupertatem Chriſti & Apoſtolorum 57.

Mitra turbinatæ ſeu Tiaræ Pontificiæ triplex coronamentum ab Urbano V additum 130. Ejus Mitræ antiquitas 370.

Moguntinus Conventus in cauſa Eugenii IV, & Concilii Baſileenſis 359. Geſta Legatorum Eugenii & Baſileenſium in eodem Conventu *ibid.*

Montis Caſſini Abbatiam in Eccleſiam Cathedralem Joannes XXII evehit, & Monachis jus Epiſcopi deſignandi attribuit 52. Urbanus V eam in priſtinum ſtatum reducit, & quare 113.

Montis peſſulani Collegium pro Medicina ab Urbano V inſtitutum 116.

Montisfiaſconis Eccleſia in Cathedralem erigitur ab Urbano V 122.

N

NIcolaus Albergatus Presbyter Cardinalis præſidet primæ Seſſioni Concilii Ferrarienſis 337. Ad Conventum Nurimbergenſem mittitur ab Eugenio IV, & quare 341. A numero ſex diſputantium Latinorum in Concilio Ferrarienſi expungendus 346.

Nicolaus V Antipapa. Vide Petrus de Corbario.

B. Nicolaus Tolentinas dictus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Canonizatur ab Eugenio IV 370.

O

OFficium de Inventione & exaltatione S. Crucis, & vigiliæ Nativitatis B. Mariæ cum jejunio à Gregorio XI inſtituitur 142.

Ordo Grandimontenſis à Joanne XXII reformatur 50.

Ordo ſeu Congregatio Montis Oliveti à Bernardo Ptolomæi miraculosè inſtitutus à Joanne XXII approbatur 52.

Ordo militiæ Jeſu Chriſti ab eodem Papa Joanne XXII in Luſitania inſtituitur 52.

Ordini Eremitarum S. Auguſtini tria officia Bibliothecarii, Sacriſtæ, & Confeſſoris Papæ concedit Joannes XXII 53.

Ordo Jeſuatorum à nobili Joanne Columbino inſtitutus ab Urbano V confirmatur 119.

Ordo S. Birgittæ ab eodem Pontifice Urbano V confirmatur 126, & ſeq.

Ordo Eremitarum S. Hieronymi in Caſtella inſtitutus à Gregorio XI confirmatur 135.

Ordinem ſeu Congregationem Manfredi cujuſdam Ordinis Prædicatorum diſſolvere conatur Martinus V 294.

Oſtienſi Epiſcopo denegatur jus Coronandi Imperatorem in coronatione Henrici VII, & quare 38, & ſeq. Solus mittitur pro coronatione Caroli IV 102, & ſeq.

P

PApienſe Concilium indicitur à Martino V 268. Ad ejus celebrationem idem Pontifex Martinus V Legatos mittit 275. Ad civitatem Senarum transfertur 276.

Pariſienſis Univerſitas Clementi VII adhæret 158, & ſeq. Clementinorum rapinæ in ea turbas excitant 160. Vias proponit pro unione Eccleſiæ 183. Nuncios ad Benedictum XIII mittit ad Viam Ceſſionis poſtulandam 185. Altercationes inter eumdem Benedictum XIII & Univerſitatem *ibid.* Ejus Oratores Baſileam accedunt pro Concilii celebratione 300, & ſeq.

In Pariſienſi Conventu Via Ceſſionis decernitur 186. Tractatur de ſubtractione ab obedientia Benedicti XIII 188, & ſeq. Totalis ſubtractio decernitur 189. Reſtituitur ei obedientia, ſed non multò poſt interrumpitur 192, & 198.

S. Petrus de Murrone, Cœleſtinus V in Pontificatu dictus, à Clemente V Canonizatur 38.

Petrus de Corbario Ordinis Minorum à Ludovico Bavaro Antipapa conſtituitur ſub Nicolai V nomine 63. Ejus genus & patria 64. Ejus hypocriſis *ibid.* Pſeudo-Cardinales creat 65. Tiaram à Ludovico Bavaro accipit, eumque coronat *ibid.* Joannem XXII Pontificem anathemate damnat 66, & ſeq. Ejus imaginem in ignem projicit 67. Clementiæ Joannis Papæ ſe committit, & ad eum ſcribit 68. Culpam deteſtatur & Piſis abſolvitur *ibid.* Avenionem pergit & errores publicè abjurat *ibid.* Item in privato conſiſtorio *ibid.* Ludovicum Bavarum deteſtatur 69. Prava ſua geſta enumerat *ibid.* Fidem ſuam exponit, & veniam petit *ibid.* & ſeq. Abſolvitur à Joanne Pontifice & honeſtè habetur 70. Spontè Pontificatum abdicavit *ibid.* Moritur poſt triennium, & ſepelitur Avenione in Eccleſia Minorum *ibid.* & ſeq.

Petrus de Lucemburgo quo anno à Clemente VII dictus fuerit Cardinalis 168. Ejus genus, primordia, mors, & vitæ ſanctitudo *ibid.* & ſeq.

Petrus Rogerii, poſtea Papa ſub Gregorii XI nomine, Cardinalis creatur à Clemente VI 93.

Petri Dreſdenſis introductio erroris ſub utraque ſpecie in Concilio Conſtantienſi damnatur 242.

Petrus Mauroconus Diaconus Cardinalis Neapolim mittitur à Martino V ad coronandam Joannam II Siciliæ Reginam 272, & ſeq.

Petrus de Fuxo Presbyter Cardinalis tit. S. Stephani in Cœlio Monte à Martino V in Aragoniam mittitur pro ſchiſmatis extinctione 285, & 288. Ejus poſtulata 289. Ægidius Munionis Antipapa cum ſuis ab eo cenſuris abſolvitur 292. Dertuſæ ſeu Dertonæ Epiſcopos Tarraconenſis Provinciæ in Concilium congregat 293. Libertas Eccleſiaſtica reintegratur *ibid.*

Petrus de Luna fit Cardinalis à Gregorio XI 136. Perſuadet Joanni Caſtellæ Regi ut Clementi VII obedientiam præſtet 160. Sub nomine Benedicti XIII Pontifex eligitur 184. Sopiendi ſchiſmatis deſiderium ſimulat *ibid.* & ſeq. Viam Ceſſionis ut commodiorem Pariſiis decretam rejicit & alias proponit 185. Altercationes inter ipſum & Univerſitatem Pariſienſem 186. Via Ceſſionis ab Angliæ Rege admiſſa, ab Hiſpanis rejicitur 187. Conatus Principum pro Via Ceſſionis eludit *ibid.* Fruſtrà Cardinalem Pampilonenſem ad Regem Francorum mittere deſtinat 188. Tres creationes Cardinalium Benedicti 190. Quaſi obſeſſus in palatio Avenionenſi detinetur *ibid.* Operâ quorumdam Francorum, ſimul & Aragoniorum Avenione evadit 192. Reſtituitur ei obedien-

P

dientia, ſed non multò poſt interrumpitur *ibid.* & 198. Nuncios mittit ad Bonifacium IX pro unione 193. Mortuo Bonifacio IX, & electo Innocentio VII Genuam appellit, & pro unione ſe paratum ſimulat 195, & ſeq. Ejus reſponſum ad Gregorium XII pro unione Eccleſiæ 200. Conventa inter ambos contendentes pro mutuo congreſſu 201. Ejus colluſio cum Gregorio 202, & ſeq. Conſtitutionem ſub pœna excommunicationis ſignificat Carolo VI ob ſubtractionem promulgandam 204. In Hiſpaniam fugit & Cardinales creat, & quare *ibid.* Perpiniani Concilium celebrat 205. A' Concilio Piſano monetur ei intereſſe 206. Ab eodem Concilio citatur juridicè & declaratur contumax 208. A' Synodo ei fit ſubtractio & deponitur 211. Ejus Legati ad Synodum accedunt, & quomodo recepti 212. Ad Concilium Conſtantienſe Nuncios mittit petentes colloquium inter ipſum Benedictum & Sigiſmundum Imperatorem 228. Ejus ſubterfugia ac deluſiones 250. Duodecim Capitula contra eum conventa *ibid.* & ſeq. Reges Aragoniæ, Caſtellæ, & Navarræ ab eo ſe ſubtrahunt 253, & ſeq. Ferdinandum Aragoniæ Regem excommunicat 154. Contra eum proceditur in Seſſione XXIII Concilii Conſtantienſis 258. Item in Seſſione XXIV 259. Item in Seſſione XXIX 260. Ejus reſponſiones ad Nuncios Synodi *ibid.* & ſeq. In Seſſione XXXVI peremptoriè citatur, & in XXXVII deponitur 261.

Paniſcolæ Conciliabulum celebrat 266. Sententiam contra eum latam in Concilio Conſtantienſi, Synodus Senenſis ratificat & aggravat contra ſuccedentes *ibid.* Annus mortis ejus inquiritur 277. Ejus ſepulchrum & ſcripta *ibid.* Ante mortem obitam anno 1424 quatuor Pſeudo-Cardinales creat, qui mortem ejus celant, & omnia diripiunt 278.

Petrus Tomacellus Presbyter Cardinalis eligitur Pontifex & inthronizatur 175. Conſecratur & Coronatur ſub Bonifacii IX nomine *ibid.* Ejus primordia & virtutes 176. Quatuor Cardinales creat, & alios quatuor ab Urbano VI depoſitos reſtituit *ibid.* Jubileum Romæ celebrat & in alias provincias mittit 177. Ladislaum Neapolis Regem declarat *ibid.* Albertum Marchionem Ateſtinum Ferrariæ Vicarium conſtituit, & civitatem ei tradit ſub certis conditionibus 178. Contra Carolum VI Regem Francorum ſcribit Epiſtolam encyclicam de Schiſmate 179. Angliæ Regem contra Carolum VI concitat 180. Birgittam Suecam canonizat *ibid.* & ſeq. Vagari cogitur per Italiam 181. Erfordienſem in Turingia Academiam inſtituit *ibid.* A' Rege Francorum unionem Eccleſiæ poſtulat, & Legatus ad eum mittit 182. Periculum incurrit à Romanis 185. Conatus Principum pro Via Ceſſionis eludit 188. Fruſtrà ſatagit impedire congreſſum Vvenceſlai Imperatoris cum Rege Francorum *ibid.* Vvenceſlao & Regi Francorum illudit *ibid.* Annatas beneficiorum inſtituit 190. Romam revocatur, & dominium Urbis adipiſcitur *ibid.* & ſeq. Jubileum Romæ anno 1400 celebrari permittit 191. Depoſito Vvenceſlao Ruperti ſeu Roberti Imperatoris electionem approbat *ibid.* Eccleſiam S. Georgii in Alga Venetiarum in Collegialem erigit 192, & ſeq. Moritur 193. Qualis fuerit *ibid.*

Philippus IV Franciæ Rex à Clemente V, & non petens, Eccleſiæ reconciliatur 20. Poſtulat ut memoria Bonifacii VIII damnetur 27. Determinationem totius negotii Clementi Papæ remittit 28. Abſolutionem recipit omnium contra Bonifacium VIII geſtorum *ibid.*

Philippo VI Franciæ Regi Decimæ conceſſæ à Joanne XXII, à Benedicto XII revocantur, & quare 79. Clemens VI ei & ejus ſucceſſoribus indulget uſum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie 87.

Philippus Burgundiæ Dux contendit de loci prioritate in Concilio Baſileenſi cum Duce Sabaudiæ 325, & ſeq. Item cum Imperii Electoribus, & cum Duce Britanniæ 326. Introducuntur ejus Oratores in Seſſione XIII, & XIV Concilii Ferrarienſis 343.

Piſanum Concilium indicitur & celebratur à Cardinalibus utriuſque obedientiæ 206. Gregorius XII & Benedictus XIII monentur ei intereſſe *ibid.* In prima Seſſione inchoatur de more à precibus 208. Duo contendentes citantur juridicè, & declarantur contumaces *ibid.* Audiuntur Nuncii Ruperti Romanorum Regis *ibid.* Concilii promotores petunt depoſitionem contendentium 209. Deliguntur Patres ad examinandos teſtes 210. Res in Concilio tractantur *ibid.* Ab omnibus Patribus fit ſubtractio utrique contendenti, & deponuntur 211. Synodus dat poteſtatem Cardinalibus creandi novum Pontificem 212. Eligitur Petrus de Candia ſub Alexandri V nomine 213. Irritat cenſuras tempore ſchiſmatis latas 215. Aliud Concilium in tertium annum decernit *ibid.*

Polonorum Legati à Joanne XXII petunt ut Vvladiſlaus Lokticus dictus diadema & nomen Regium impetraret 54.

In Polonia Epiſcopalis Sedes erigitur à Joanne XXIII 221.

Præſentationis B. Mariæ feſtum in Occidente inſtituitur à Gregorio XI 133.

Pragenſis Eccleſia in Metropolim erigitur à Clemente VI 87, & ſeq. Idem Pontifex Clemens VI Pragenſem Academiam inſtituit *ibid.*

Presbyter Joannes. Vide Joannes Presbyter.

R

R*Egnum Pontificale.* Vide Mitra turbinata.

Robertus Archiepiſcopus Cantuarienſis citatur à Clemente V, & quare 22.

Robertus Siciliæ Rex Caroli II filius à Clemente V Avenione Coronatur 27. Sententia ab Henrico VII Imperatore contra eum lata, ab eodem Pontifice Clemente V abrogatur 40. Fit Urbis Senator & Imperii Vicarius in Italia *ibid.* & 61.

Robertus Gebennenſis cur dicatur à nobis Pontifex cum addito 146, & ſeq. Non comprobat electionem Urbani VI 153. In Pontificem eligitur & coronatur ſub Clementis VII nomine 155. Principes in hoc ſchiſmate inter ſe diviſi *ibid.* Vvenceſlai electionem in Regem Romanorum confirmat 156. Sex Cardinales creat 158. Avenionem ſe recipit *ibid.* Ei adhæret Joanna Siciliæ Regina 159. Item Univerſitas Pariſienſis *ibid.* Item Joannes Caſtellæ Rex 160. Ludovicum Ducem Andegavenſem Siciliæ Regem dicit 162. Cardinalem unum creat *ibid.* Item alteras promotiones Cardinalium facit 164, & 167. Proponit celebrationem Concilii pro extinctione ſchiſmatis 171. Ludovicum II Avenione in Regem Siciliæ coronat 176. Cardinales creat 177, & 178. Extinctio poſteritatis ejus maſculinæ *ibid.* Unionem Eccleſiæ inter Bonifacium IX, & Regem Francorum tractatam cupere ſimulat 182. Avenionem apoplexià percuſſus moritur 183.

S. Rocho honores Sanctis debiti à Concilio Conſtantienſi impenduntur 228, & ſeq.

Romana Eccleſia ibi eſt, ubi eſt verus Papa; hinc tranſlatio Sedis in Galliam malè dicitur ab Italis tempus exilii 145, & 146.

Romana Eccleſia nunquam decidit controverſiam de Papatu inter Urbanum VI, & Clementem VII 145.

Romanæ Eccleſiæ cum Græca unio ſub Martino V tentata 274. Iterum tentatur in Concilio Senenſi ſub eodem Pontifice 279. Sub Eugenio IV in Concilio Florentino perficitur 348, & ſeq.

Romana Synodus à Joanne XXIII convocata 222. In ea errores Joannis Vvicleffi damnantur *ibid.*

Romæ & patrimonii Eccleſiaſtici ſtatus poſt electionem Martini V 272.

Romani Pontificis creationis ratio 36. An in Coronatione Pontificis diceretur, *non videbis dies Petri* 277.

Romani Joannem XXII Romam vocant, ſed ob ætatem octoginta & amplius annorum ſe excuſat 62.

Solicitant Urbanum V, ut Romam cum Curia pergat 114.

Romani Gregorium XI ſupplicant ut Romam ſe transferret

Digitized by Google

R

rat 138. A' Rom   is illuditur 140. & ſeq.

Romani in L   n VI rebellant, ſed eorum ſeditionem compeſcit i   Pontifex 162, & ſeq.

Romani tumultum popularem excitant in Boniſacium IX 185. Eumdem Pontificem ſolicitant ut in Urbem ſe recipiat, t& quare 190, & ſeq.

Romani in Eugenium IV rebellant 323.

Romanorum conatus pro electione Pontificis Italici poſt mortem Gregorii XI 147, & ſeq.

Roſa aurea Joannæ Siciliæ Reginæ ab Urbano V datur 122. Item à Martino V populo Florentino 274. Henrico VI Angliæ Regi ab Eugenio IV miſſa 365.

Roſtochienſi Academiæ Martinus V privilegia confert 273.

Rupertus ſeu Robertus Bavariæ Dux depoſito Vvenceſlao in Regem Romanorum eligitur approbante Boniſacio IX 191. Ad Concilium Piſanum Nuncios mittit 208, & ſeq. Moritur 220, & ſeq.

S

S*Alvi-conductus* fidem Joanni Huſs dati nec Concilium Conſtantienſe, nec Sigiſmundus Romanorum Rex violarunt 247. Decretum Concilii Conſtantienſis de Salvo-conductu Joanni Huſs in particulari conceſſo ſuſpectæ fidei eſt *ibid.* & ſeq.

Scotorum Rex in Conventu Perpinianenſi & Narbonenſi Benedicto XIII non abhærebat 251.

Senenſe Concilium à Martino V approbatur 276. Damnationem hæreſum in Concilio Conſtantienſi factam confirmat *ibid.* Sententiam contra Benedictum XIII ratificat & aggravat contra ſuccedentes *ibid.* Tractatur de unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, eamque non intermittendam edicit 279. Additionem facit ad Boniſacii VIII Conſtitutionem contra hæreticos *ibid.* & ſeq. Diſſolvitur, & Baſileenſe Concilium indicitur 280.

Sicilia in regnum Trinacriæ dictum erigitur à Gregorio XI, ſub ligio homagio Eccleſiæ Romanæ 134, & ſeq.

Sigiſmundus Lucemburgius Hungariæ Rex in Regem Romanorum eligitur 210, & ſeq. Ad eum accedunt Legati Joannis XXIII cum plena poteſtate conveniendi de loco & tempore celebrationis Concilii Generalis 223. Pro loco Concilii eligitur Conſtantia 224. In vigilia Nativitatis Conſtantiam appulit, & ad Miſſam Pontificalem habitu Diaconali legit de more Evangelium 226. Ejus diſcordiæ cum Joanne XXIII 229, & ſeq. Citat Fridericum Auſtriæ Ducem, & quare 331. Fridericus ab eo veniam petit & obtinet 238. Initio Seſſionis XIV Concilii Conſtantienſis præſidet & quare, 243. & ſeq. Fidem Salvi-conductus Joanni Huſs dati non violavit 247. Benedictione accepta à Synodo Conſtantienſi Perpinianum accedit pro congreſſu cum Benedicto XIII 250. Re infecta duodecim articuli cum Principibus obedientiæ Benedicti XIII conventi 250, & ſeq. Mediolani coronam ferream recipit 303. Contra Diſſolutionem Concilii Baſileenſis ſcribit ad Eugenium IV *ibid.* & ſeq. Eugenii reſponſio 307, & ſeq. Synodus Baſileenſis eum in protectorem recipit 315. Scribit ad Baſileenſes de concordia à ſe inita cum Eugenio Papa *ibid.* Romæ ab Eugenio Imperii coronam recipit, & in Germaniam redit 316. Ejus querimoniæ adverſus Concilium Baſileenſe 324. Petit ab Eugenio ut à cenſuris ſolvatur 336. Ejus obitus, eique ſuccedit ipſius gener Dux Auſtriæ *ibid.*

Stigmatum S. Franciſci feſti non Benedicto XII origo tribuenda, & quare 81.

Syrorum Legato Conſtitutio fidei traditur ab Eugenio IV in Concilio Lateranenſi 366.

T

T*Emplariorum* Ordo in Concilio Vienneuſi caſſatur, & quare 33. Eorum bona Hoſpitalariis addicta *ibid.* De eorum perſonis quomodo diſpoſitum *ibid.*

Theobaldi de Rubeo monte Archiepiſcopi Biſuntini prætenſio à Joanne XXIII in Concilio Coſtantienſi 227.

Theodorici Niems aſſertio circa electionem Urbani VI 151.

Thomas de Cantilupo Herefordienſis in Anglia Epiſcopus Sanctorum Catalogo à Joanne XXII adſcribitur 54, & ſeq.

S. Thomas de Aquino Ordinis Prædicatorum ab eodem Pontifice Joanne XXII Canonizatur 57. Ejus corpus Toloſam defertur & conceditur Ordini Prædicatorum ab Urbano V 122.

Tiara Pontificia. Vide Mitra turbinata.

Toloſana Eccleſia in Metropolim erigitur à Joanne XXII 48.

Sanctiſſima Trinitatis feſtivitas aſſignatur Dominicæ poſt feſtum Pentecoſtes a Joanne XXII 73.

Triſtando Epiſcopo Conſoranno deſignato literæ Eugenii IV de copiis à Felice V Antipapa contra Avenionem miſſis 366, & ſeq.

V

V*Eneti* ob Ferrariam occupatam, cùm eam reſtituere detrectarent, à Clemente V anathemate damnantur 25, & ſeq. Eis eripitur *ibid.*

S. Victoris Maſſilienſis Abbatum Chronologia per hæc tempora valdè confuſa reſtituitur 107. Urbanus V majus Altare conſecrat 114.

Viennenſe Concilium Generale XV Clemens V indicit 31. Numerus Patrum Concilii *ibid.* Verè Oecumenicum fuit *ibid.* Ejus epocha *ibid.* & ſeq. Cauſæ convocationis hujus Concilii 32. Prima Concilii Seſſio *ibid.* In ſecunda Seſſione Templariorum Ordo caſſatur, & quare 33. Eorum bona Hoſpitalariis addicta *ibid.* De eorum perſonis quomodo diſpoſitum *ibid.* Tertia & ultima Seſſio Concilii 34. Concilium crucem ubique prædicari ſtatuit *ibid.* Conſtitutiones *Clementinæ* dictæ in eo editæ *ibid.* Damnantur errores Beguardorum & Beguinarum 35. Confirmat, & ſupplet leges Gregorii X pro Comitiis Pontificalibus 36. In Concilio non agitatur Boniſacii VIII cauſa, & quare *ibid.* & ſeq.

Viſitationis B. Mariæ feſtum ab Urbano VI inſtituitur 573 De eodem feſto decretum Concilii Baſileenſis 359.

Urbanus V. Vide Guillelmus Grimoardi.

Urbanus VI. Vide Bartholomæus Barenſis Archiepiſcopus

VV

V*Venceslaus* Caroli IV Imperatoris filius primogenitus in Regem Romanorum eligitur vivente patre 139. Mortuo Gregorio XI Urbanus VI ante ſchiſma ejus electionem confirmat 156. Item Clemens VII *ibid.* Imperio privatur 191.

Vvickleffus. Vide Joannes Vvickleffus.

Vvladiſlaus Poloniæ Rex fit compater cum Gregorio XII 206. Rogat Joannem XXIII ut in Polonia Epiſcopalem ſedem erigat 221. Contra Amurathem Turcarum Imperatorem bellum decernit 364. In prælio *Varnenſi* vincitur *ibid.* & ſeq.

LAUS DEO.

-31
Vol II
2.b2
Z

Digitized by Google

Digitized by Google